FRANCISCI
DE FARGNA
CIVITATIS PLEBIS PATRITII

Philoſophiæ, Sacræ Theologiæ, ac J.U. Doctoris, & in Romana Curia in Beneficialibus, ſivè in Jure Canonico Advocati

COMMENTARIA
In ſingulos Canones

DE JUREPATRONATUS,

Qui ſparſim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur.

In quibus plures deciduntur Caſus ad materiam Juris-Patronatus concernentes.

Et quibus accedunt quamplures Deciſiones Sacræ Rotæ Romanæ nullibi adhuc impreſſæ, & recentiſſima Decreta Sacræ Congregationis Concilii, unà cum Votis Auctoris in Cauſis in eadem Sacra Congregatione ventilatis, & ad materiam Jurispatronatus ſpectantibus.

TOMUS III.



ROMÆ M. DCC. XIX.

Ex Typographia Jo: Mariæ Salvioni in Archigymnaſio Sapientiæ.

SUPERIORUM FACULTATE.

BV
761
A65F3
t.3

LIBRARY
AUG 19 1966
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX ARGUMENTORUM

Quæ in Tertia, Quarta, Quinta, & Sexta Parte continentur.

In Canonem Unicum de Jurepatronatus deſumptum ex Sexto Decretalium tit. 19. lib.3.

COMMENTARIA

Pars Tertia

CANON UNICUS

Iſte Canon diſponit quod Patronus Laicus poſſit donare Loco Religioſo Juſpatronatus, etiam ſinè conſenſu Epiſcopi, & concedit Patrono Laico ad præſentandum Quadrimeſtre, Eccleſiaſtico verò Semeſtre.

CASUS I.

Argumentum.

1 Terminus a jure, vel ab homine in limine Fundationis præfixus Patrono ad præſentandum, à quo die incipiat currere, & an ſit ſervandus in Cappellaniis mere laicalibus. Pag.3.

CASUS II.

Argumentum.

2 Procurator generaliter conſtitutus à Patrono ad præſentandum ſciens vacationem Beneficii, ſi non præſentet in tempore, an præjudicet Patrono ignoranti dictam vacationem, & an huic competat reſtitutio in integrum? pag.11.

CASUS III.

Argumentum.

3 Nominatus, ſeu Præſentatus ſi intra terminum non exhibuerit coram habente inſtituere nominationem, ſeu præſentationem, aut illam non acceptaverit, aut ei renunciaverit; an Proviſio beneficii liberè devolvatur ad Epiſcopum, vel potius Patrono competat novus terminus: pag.14.

CASUS IV.

Argumentum.

4 Epiſcopus conferendo liberè Beneficium Patronale jure devoluto ob non factam in tempore Præſentationem a Patrono, an teneatur legem fundationis ſervare. pag.17.

CASUS V.

Argumentum.

5 Exiſtente de tempore vacationis beneficii Patronalis Perſona qualificata, & habili ad formam Fundationis, an Patronus poſſit differre præſentationem uſque ad ultimum diem termini, ut interim altera Perſona non qualificata, quam intendit præſentare intra eumdem terminum qualificetur. pag.21.

CASUS VI.

Argumentum.

6 Terminus ad præſentandum à Jure Patronis conceſſus, an abbreviari, aut prorogari poſſit? pag.22.

In

INDEX

In Canones de Jurepatronatus deſumptos ex Clementinis lib.3. tit.12.

COMMENTARIA

Pars Quarta.

CANON I.

Iſte Canon diſponit Epiſcopum non debere inſtituere Præſentatum à Religioſis in Rectorem, ſeu Vicarium perpetuum Eccleſiæ Parochialis ſubjectæ eorum Monaſterio, niſi priùs aſſignetur eidem Rectori Cōgrua portio de redditibus ejuſdem Eccleſiæ.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

7 An Epiſcopus ſtatuere poſſit terminum Religioſis ad aſſignandam congruam portionem Præſentato ab eis ad Eccleſiam Parochialem; Et an inſtitutio, ſeu admiſſio Præſentati abſque aſſignatione Congruæ portionis ſit valida. pag.30.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

8 Congrua debita Parocho, ſive Vicario perpetuo præſentato ad Eccleſiam Parochialem ſubjectam Monaſterio Regularium, in quibus, & in qua ſumma aſſignari, & taxari debeat. pag.32.

CANON II.

Iſte Canon diſponit Juſpatronatus hæreditariū tranſire ad hæredes in Stirpes, non autem in capita, & quod Patroni poſſint dividere exercitium Juriſpræſentandi per Turnum, & Alternativam, ac plures accumulando præſentare.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

9 Quomodo computentur voces in Jurepatronatus hæreditario, ad effectum cognoſcendi, quis ex Præſentatis ab hæredibus ſit inſtituendus. pag.38.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

10 Quando Fundator relinquit Juſpatronatus Proximioribus, non in genere, ſed ſpecialiter duobus, disjungendo idem Juſpatronatus in duas voces, tunc præſentatio facienda eſt per illos duos tantum, & per ſtirpes. pag.39.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

11 Diviſo Jurepatronatus hæreditario in plures voces, ſeu ſtipites Principales, ſi unaquæque vox, ſeu ſtipes Principalis habeat plures ſtipites ſub alternos, ſeu plures hæredes, & ſucceſſores, tunc ad hoc ut quis dicatur habere unam ex dictis vocibus unius ex Stipitibus Principalibus, requiritur quod omnes ſtipites ſubalterni ſtipitis Principalis, aut major pars eorum, comparatione minorum partium, cum præſentent. pag.42.

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

12 Patroni duo poſſunt alternatim præſentare, nequaquam verò Beneficium ſecare in duas partes, itaut unus Parronus ad unam, & alius ad aliam Partem Beneficii præſentet. pag.48.

CASUS V.

ARGUMENTUM,

13 Diviſo Jurepatronatus Mixto per Turnū ſi vacatio Beneficii contingat

gat

gat in Turno debito Patrono Eccleſiaſtico, an intrent Reſervationes Apoſtolicæ. pag.49.

CASUS VI.

ARGUMENTUM.

14 Si Juſpatronatus pro una Voce ſpectet ad duas Familias, & pro alia Voce ad Monaſterium Regularium, an duæ Familiæ poſſint inter ſe convenire de alternis vicibus præſentando ſinè Conſenſu Monaſterii. Etſi fiat tranſactio ſuper Diviſione ſimultaneæ Juris præſentandi per Turnum inter Abbatem ejuſdem Monaſterii, & dictas Familias abſque Beneplacito Apoſtolico, & conſenſu Monachorum, an ipſa ſuſtineatur, & afficiat Succeſſores. pag.50.

CASUS VII.

ARGUMENTUM.

15 Ordinato turno ſeu Alternativa ſuper Jure præſentandi inter Patronos, ſi præſentatus ab exiſtente in Turno cedat, aut decedat ante Inſtitutionem, an Turnus dicatur conſumptus, adeout ſit locus Turno favore alterius Patroni. pag.56.

CASUS VIII.

ARGUMENTUM.

16 An Patroni Laici, ſive Eccleſiaſtici cogi poſſint per ſuperiorem ad dividendum Juſpræſentandi per Turnum, ſeu Alternativam. pag.62.

In Canones de Jurepatronatus deſumptos ex Concilio Tridentino.

COMMENTARIA

Pars Quinta.

CANON I.

Iſte Canon diſponet, quod præſentati ad Beneficia ſimplicia debeant examinari.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

17 PRæſentati ad Beneficia ſimplicia Juriſpatronatus ante Inſtitutionem, an examinari debeant ab Ordinariis Locorum, ſive ſint præſentati à Patronis Eccleſiaſticis, ſive à Laicis. pag.74.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

18 An Examen Præſentati ad Beneficium ſimplex requiratur pro forma, itaut ſi Præſentatus inſtituatur abſque Examine, Inſtitutio ſit nulla. pag.79.

CANON II.

Iſte Canon diſponit, quod Juſpatronatus acquiri non poſſit, nec debeat, niſi ex Fundatione, Conſtructione, aut Dotatione, & quod in Limine Fundationis Inſtitutio reſervari debeat Epiſcopis non verò alteri Inferiori.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

19 HAbens Juſnominandi Puellas dotandas, ſi ex Bonis à Teſtatore pro earumdem Puellarum Dote relictis fundetur, & conſtruatur Eccleſia, an loco Juriſnominandi Puellas acquirat Jus nominandi Rectorem ejuſdem Eccleſiæ. pag.83.

CA-

CASUS II.

ARGUMENTUM.

20 Fundator in limine Fundationis Beneficii an poſſit reſervare Jus Inſtituendi Inferiori habenti Juriſdictionem Ordinariam. pag.85.

CANON III.

Iſte Canon diſponit quod Præſentatio fieri debeat coram Ordinario habente inſtituere, alias ipſa, & inſtitutio inde ſecutæ ſint nullæ.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

21 Sede Epiſcopali vacante Præſentatio fieri poteſt coram Vicario Capitulari. Quid ſi Vicarius Capitularis ſit nulliter electus an præſentatio facta coram ipſo ſuſtineatur. pag.88.

CANON IV.

Iſte Canon diſponit, quod ſi Eccleſia ſit collapſa, & refici non poſſit, Beneficia ſimplicia patronalia ibi fundata transferri debeant ad Eccleſiam Matricem, aut ad aliam vicinam, & quod Eccleſia Parochialis de Jurepatronatus ſi ſit collapſa refici debet primo ex ejus redditibus, deinde à Patrono, & in horum defectum à Parochianis, etſi ex his omnibus refici nequeat transferri debet ad Eccleſiam Matricem, aut aliã viciniorem.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

22 Eccleſia Parochialis de Jurepatronatus minans ruinam in aliqua ejus parte, & anguſta ob populi numeroſitatem, ſi ſolo æquatur ab Epiſcopo, cujus expenſis ſit reficienda. pag.92.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

23 Eccleſia Parochialis de Jurepatronatus collapſa, ſi reædificari non poſſit, eſt transferenda ad Eccleſiam Matricem, ſeu viciniorem, & ſi tractu temporis de novo reædificetur, an ſit reportanda ad Locum antiquum. pag.97.

CANON V.

Iſte Canon diſponit quod Patronus ſive laicus, ſive Eccleſiaſticus quacumque dignitate præfulgeat etiã Imperiali, vel Regali uſurpans jura, bona, ſeu fructus Eccleſiæ Patronalis, vel impediens nè ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, eſt tamdiù excommunicatus, quamdiu eadem bona reſtituat illis, ad quos ſpectant, & eſt eo ipſo privatus jure patronatus.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

24 Patronus percipiens, & poſſidens bona, & fructus Eccleſiæ Patronalis titulo conductionis, an ſit excommunicatus, & privatus Jurepatronatus. pag.100.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

25 Patronus, qui ſit etiam Rector Eccleſiæ Patronalis, an alienare poſſit hujus bona ob remuneranda merita erga ipſam Eccleſiam præſtita cum Benaplacito Apoſtolico, & quando hoc ſit concedendum? pag.102.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

26 Patronus alienans bona Eccleſiæ Patronalis contra expreſſam prohibitionem Fundatoris ſub pœna caducitatis, an & quando privetur Jurepatronatus, & fiat locus ſubſtitutioni favore alterius vocati. pag.104.

CA-

CANON VI.

Iſte Canon diſponit quod Epiſcopus erigere debeat in propria Diœceſi Seminarium, & quod taxare valeat beneficia Jurispatronatus ad effectum ſubveniendi Neceſſitatibus ejuſdem Seminarii.

CASUS I.

Argumentum.

27 ERecto per Epiſcopum Seminario, pro Clericis Diœceſis, & pro Nobilibus an, in illud introduci poſſint Clerici tam Civitatenſes, quam Territoriales, & an ad probandam Nobilitatem requiſitam concedi poſſit uni ex Collegialibus facultas cogendi Teſtes renuentes ſe ſubjicere examini per cenſuras Eccleſiaſticas. p.117.

CASUS II.

Argumentum.

28 Epiſcopus ut validè taxare poſſit beneficia Jurispatronatus ad effectum contribuendi Neceſſitatibus Seminarii, quæ requirantur? Hujuſmodi Taxa qualis, & quanta eſſe debeat? Et an Beneficia Jurispatronatus uniri valeant Seminario. pag.120.

CANON VII.

Iſte Canon diſponit quod Patronus non poſſit ſe ingerere in iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, nec ſe immiſcere in viſitatione ornamentorum Eccleſiæ, nec in Proventibus bonorum, & Fabricarũ ejuſdem, niſi id ſibi reſervatum fuerit in limine fundationis, & quod Patronus poſſit in limine fundationis apponere conditiones ſibi bene viſas.

CASUS I.

Argumentum.

29 IMpoſito à Fundatore Cappellaniæ oneri Cappellano unius Miſſæ quotidianæ in perpetuum durante ſæculo, an hujuſmodi onus duret ultra ſpatium centum annorum, vel potius tranſacto dicto termino remāſerit extinctũ.p.133.

CASUS II.

Argumentum.

30 Canonico adjecta Lege à Fundatore in limine fundationis Canonicatus intereſſendi Divinis officiis ac lucrandi diſtributiones prout interſunt, & lucrantur alii Canonici, an, & quando ipſi concedenda ſit Jubilatio. pag.134.

CASUS III.

Argumentum.

31 An Hæres Fundatoris in limine fundationis Canonicatus imponere poſſit onus Miſſarum, quando de eo Fundator in Teſtamento nullam fecerit mentionem, adeout Præſentatus ad Canonicatum teneatur illud adimplere. pag.138.

CASUS IV.

Argumentum.

32 Erecta Cappellania pro Præſbytero, qui celebrare debeat Miſſam, an adeam præſentari, ac inſtitui valeat Clericus, qui non ſit actu Sacerdos. pag.139.

CANON VIII.

Iſte Canon diſponit, quod in actu Nominationis Præſentationis, Inſtitutionis, ſive admiſſionis ad poſſeſſionem cujuſcumque beneficii exigi, & recipi non debeat à Nominato, Præſentato, au inſtituto quidquam ex fructibus beneficii cõvertibile in uſus non pios ſub pœnis contra Simoniacos comminatis.

CASUS UNICUS.

Argumentum.

33 AN, & quando valeat conſuetudo exigendi à Præſentato aliquid ex fructibus beneficii in actu præſentationis. pag.142.

CANON IX.

Iſte Canon diſponit quod Epiſcopus in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus poſſit unire beneficia

CASUS I.

Argumentum.

34 ENumerantur requiſita neceſſaria ad validitatem unionis, beneficiorum ſimplicium Patronalium Præbendis, ſeu Canonicatibus, nec non horum ſuppreſſionis, ſeu reductionis ad minorem numerum.

ſimplicia etiam de Jurepatronatus Præbendis, ſeu Canonicatibus attenta eorum tenuitate de conſenſu Patronorum, vel aliquos ex iis ſupprimere applicando eorum fructus, & redditus diſtributionibus quotidianis de conſenſu pariter Patronorum, ſi ſint de Jurepatronatus.

rum. pag.144.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

35 Unio beneficiorum ſimplicium Patronalium facta Canonicatibus ex quibus probetur, vel non probetur, & ex quibus excludatur? pag.159.

CANON X.

Iſte Canon diſponit quod vacante Eccleſia Parochiali Epiſcopus deputare debeat Oeconomum, & quod Eccleſiæ Parochiales de Jurepatronatus Eccleſiaſtico provideantur per concurſum, ſecus illæ de Jurepatronatus laicali.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

36 Concurſus factus coram Examinatoribus electis in Synodo, quæ fuit ſuſpenſa, an ſuſtineatur; & de requiſitis neceſſariis ad validitatem concurſus, & an, & quando ſit locus provocationi ad novum examen. pag.168.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

37 An neceſſarius ſit concurſus in Proviſionibus Parochialium de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, quādo per conſuetudinem ferè immemorabilem, illæ ſolitæ fuerint provideri abſque concurſu. p.176.

CANON XI.

Iſte Canon diſponit, quod conditionibus, ſeu qualitatibus à Fundatore in limine fundationis beneficii appoſitis derogari non debeat.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

38 Impoſito à Fundatore in limine Fundationis plurium beneficiorum onere recitandi quotidie D. Officium in Collegiata, an Epiſcopus ex intervallo poſſit adjicere Beneficiatis onus recitandi unitim cum Clero ejuſdem Collegiatæ D. Officium, & cum cantu in ſolemnioribus Feſtivitatibus. pag.184.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

39 Reperto ex intervallo inſtrumento fundationis Cappellaniæ, ſi in eo legatur impoſitum Cappellano ſolum onus officiandi unum Altare pro Anima Fundatoris, & nulla fiat mentio de onere celebrandi Miſſam an Cappellanus teneatur continuare in celebratione Miſſarum pro Anima ejuſdem Fundatoris, vel potius hac ommiſſa, recitare D. Officium in Choro cum Canonicis. pag.196.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

40 An Religioſo concedenda ſit facultas mutandi diſpoſitionem, & reſervationem Juriſpatronatus factam de tempore Novitiatus, accedente conſenſu illius, favore cujus reſervatum fuit Juſpatronatus. pag.198.

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

41 Papa an, & quando ſoleat pias Fundatorum, aut Teſtatorum voluntates commutare. pag.200.

CASUS V.

ARGUMENTUM.

42 Erectio Cappellaniæ facta ab Epiſcopo diverſo modo ab eo, quo fuit diſpoſitum à Fundatore, eſt reformanda ad formam diſpoſitionis ejuſdem. pag.203.

CA-

CANON XII.

Iſte Canon diſponit quod Juſpatronatus competens Perſonæ Potenti rigoroſè probari debeat, & revocat Jurepatronatus cõpetentia alicui ex mero Privilegio, exceptis Perſonis Regiis, & Principibus ſublimibus; & mandat revideri Juſpatronatus acquiſitum per viam acceſſionis, aut ex reædificatione, aut redotatione.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

43 ENumerantur probationes ſufficientes ad probandum Juſpatronatus Privatorum. pag.208.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

44 Conſtito de Jurepatronatus Univerſitatis laicalis, aut alterius Perſonæ Potentis, Præſentatus ab ea eſt inſtituendus, ad excluſionem Proviſi Apoſtolici tamquam de libero. pag.216.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

45 Forma rigoroſa hìc à Concilio præſcripta an requiratur quando prætenditur Juſpatronatus ab Univerſitate laicali ſimul, & à Perſona privata, & quæ ſint probationes inſufficientes, & quæ ſufficientes ad probandam exiſtentiam Jurispatronatus in Perſonis Potentibus. pag.219.

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

46 Juſpatronatus acquiſitum, vel per viam acceſſionis, aut ex redotatione, aut reædificatione à quadraginta annis citra à die acquiſitionis, ad diem confirmationis Concilii an revideri poſſit ab Ordinario, quando alias fuerit ab Anteceſſoribus Epiſcopis reviſum, & approbatum. pag.225.

CANON XIII.

Iſte Canon diſponit quod licitum non ſit locare Juſpatronatus, ſeu facultatem nominandi, & deputandi Vicarios, & Beneficiatos.

In Canones de Jurepatronatus deſumptos ex Bullis, ſive Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ex Regulis Cancellariæ.

COMMENTARIA

Pars Sexta.

CANON I.

Iſte Canon diſponit quod Patroni occaſione Jurispatronatus à Monaſteriis ordinis Ciſtercienſis quidquam exigere non poſſint nec in domibus ordinis Carnes comedere, nec mulieres introducere.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

47 Patronus poteſt recipere Candelam in die Purificationis à Monachis Ciſtercienſibus, illam ſponte dantibus, & exigere ab illis ea, quæ ſibi competunt ratione Jurispatronatus. pag.229.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

48 An Imperatrices, & Reginæ introduci poſſint à Patrono in Domus, & Monaſteria Ciſtercienſium. pag.231.

CANON II.

Iſte Canon diſponit, quod de beneficiis Germaniæ vacantibus extrà curiã

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

49 Beneficia Jurispatronatus an comprehendantur ſub Concordatis Germaniæ; Et an, & quando elapſo Trimeſtre Summo Pontifici

in Menſibus Februarii, Aprilis Junii, Auguſti, Octobris, & Decembris, poteſt Ordinarius, aut alius, ad quem ſpectat collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio liberè providere; Poteſt etiam ordinarius aut alius, ad quem ſpectat collatio, aut præſentatio liberè providere de eiſdem vacantibus in Menſibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris reſervatis, niſi fuerit de eis intra tẽpus trium menſium à die notæ vacationis à Sede Apoſtolica proviſum.

ci competente ad conferenda beneficia vacantia in ſex menſibus ex vi Concordatorum reſervatis, Ordinarius nequeat illa liberè conferre. pag.237.

CANON III. & IV.

Iſti Canones diſponũt, quod Juſpatronatus ex mero Privilegio, aut ex redotatione aut reædificatione acquiſitum revocetur, ſi augumentum fructuum dotis non excedat medietatem, & ſi Eccleſiaſtica reædificatio, non fuerit omninò diruta, & deſtructa.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

50 Beneficium de Jurepatronatus Laicali ex augmento dotis acquiſito an cadat ſub Concordatis Germaniæ, & aliis reſervationibus Apoſtolicis. pag.247.

CANON V. & VI.

Iſti Canones reſervant S. Sedi Beneficia tam libera, quam patronalia Familiarium Summi Pontificis.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

51 Beneficia Juriſpatronatus Eccleſiaſtici vacantia per obitum Familiarium officialium, ſeu Familiarium Papæ an ſint Sedi Apoſtolicæ reſervata. pag.251.

CANON VII.

Iſte Canon diſponit, quod per Apoſtaſiam Beneficiati vacet beneficium, & Patronus intra terminum Juris debeat Perſonam idoneam ad illud præſentare, & quod Præſentatio Apoſtatæ ad Beneficium de Jurepatronatus ſit nulla, & Patronus pro ea vice privetur jurepræſentandi.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

52 Præſentatus ad beneficium, ſi ei objiciatur Crimen Apoſtaſiæ an ſit repellendus ab Inſtitutione, & Patronus debeat privari pro ea vice Jurepræſentandi. pag.259.

CA-

CANON VIII.

Iſte Canon diſponit quod Patronus ad beneficiũ patronale propter hæreſim beneficiati vacans teneatur infra legitima tempora aliam perſonam idoneam Romano Pontifici præſentare, alias elapſo termino proviſio liberè devolvitur ad Sedem Apoſtolicam.

CASUS VIDE IBI REMISSIVE.

CANON IX.

Iſte Canon diſponit quod Beneficia in confidentia recepta ſive libera, ſive de jurepatronatus ipſo jure vacant à die receptionis, & ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata, & quod collatio, aut alia proviſio beneficii facta etiã ad Patroni præſentationem cum intervẽtu confidentiæ ſit nulla.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

53 Patronus ſi in actu præſentationis ad beneficium habeat pravam intentionem recipiendi à Præſentato fructus beneficii, aut aliquod munus, an ex hoc committatur confidentia, ut ex ea præſentatio dicatur nulla & beneficium ſit Sedi Apoſtolicæ reſervatum. pag.269.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

54 Nominatus ſi donaverit Patrono Appartamentum, quod erat de Juribus Cappellaniæ, & obtinuerit ſubinde ab eo nominationem ad Cappellaniam an ſit reus confidentiæ ſimoniacæ. pag.281.

CANON X. & XI.

Iſti Canones diſponunt quod beneficia etiam de jurepatronatus Monaſteriis, aut piis Locis perpetuò unita, & de cætero nõ vacantia, Quindennia R. Cameræ ſolvere teneantur.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

55 Beneficia Patronalia unita pro dote Monaſterii an ſolvere debeant Quindennia, & de requiſitis neceſſariis ad hoc ut beneficia unita Manibus mortuis ſint ſubjecta ſolutionibus Quindenniorum. pag.288.

CANON XII. & XIII.

Iſti Canones diſponunt, quod Vicarii Eccleſiarum Parochialiũ unitarum deputari debeant ad nominationem illorũ, in quorum Eccleſiis unitis ponuntur prævio examine, & approbatione Epiſcopi, & quod in undecim Eccleſiis Almæ Urbis deputandi ſunt totidẽ Vicarii perpetui ad nominationẽ cujuslibet capituli ex eiſdem Eccleſiis.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

56 An Nominatio Vicarii in Eccleſia Parochiali unita Capitulo Cathedralis ſpectet ad idem Capitulum, etiam ſi fuerit ſequuta vacatio in menſe reſervato. Et an Vicariæ unitæ provideantur per concurſum. pag.293.

CA-

Iſti Canones diſponunt quod Beneficia vacantia Sede Epiſcopali vacante, & ſpectantia ad abſolutam collationē præſentationem, aut quamcumque aliam proviſionē Epiſcopi ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata, ſecus ſi ſint ad collationē cum alio, vel aliis aut etiam ad alterius præſentationem, vel electionem.

CANON XIV. & XV.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

57 Beneficia Juriſpatronatus competentis Epiſcopo ratione Sanguinis, ſeu Familiæ, vacantia, Sede Epiſcopali vacante, an ſint reſervata. Et incidenter an Abbatiæ electivæ comprehendantur ſub *Regula ſecunda Cancellariæ*. p.302.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

58 Regula ſecunda Cancellariæ non comprehendit beneficia ſimultaneæ præſentationis; An autem comprehendere intendat, quando hæc ſimultanea eſt diviſa per Turnum? Vide prout in corpore. pag.313.

Iſti Canones diſponunt quod in Reſignatione beneficiorū Patronalium, in manibus Ordinariorū cavere debēt patroni nè ab ipſis Reſignātibus futuri ſucceſſores ī eiſdem beneficiis deſignentur, & quod Reſignationes beneficiorum etiā patronaliū publicari debeāt intrà ſex menſes ſi beneficia ſint citrà montes, ſi verò ultrà intrà novem.

CANON XVI. & XVII.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

59 De Requiſitis neceſſariis ad validitatem Reſignationis Beneficiorum Patronalium. pag.319.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

60 An reſignatio Cappellaniæ merè laicalis facta à Cappellano ad favorem certæ perſonæ abſque conſenſu Patronorum ſit nulla. Et an competat Reſignanti, regreſſus ad illam, vel potius ipſe remaneat ea privatus, itaut Patroni poſſint ad eamdem Cappellaniam, alium nominare. pag.325.

Iſte Canon diſponit quod præſentatio, inſtitutio vel deſtitutio, collatio, aut alia diſpoſitio ī Eccleſiarum, & beneficiorū, quæ ſunt fundata, erecta, & dotata in ſolo Lateranenſi, ſpectat ad Archipreſbyterum, & capitulum Sacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ.

CANON XVIII.

Iſte Canon diſponit quod Beneficia Patronalia Regni Valentiæ cōferri debent ſolis indigenis ejuſdem Regni ſublata facultate patronis & Ordinariis collatoribus aliter præſentandi, &

CANON XIX.

CA-

reſpectivè conferendi niſi aliter fuerit diſpoſitum à Fundatore in limine fundationis.

CANON XX.

Iſte Canon diſponit quod Juſpatronatus ad Præpoſiturã, ad unũ officium ſacriſtæ, ad quatuor cappellanias, & totidem Beneficia Eccleſiaſtica ad Scalas Sanctas erecta competit Familiæ Perettę de Primogenito ĩ Primogenitum.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

61 PRæpoſitura erecta ad Scalas Sanctas de Jurepatronatus Familiæ Perettæ an ſit incompatibilis cum Epiſcopatu. pag.340.

CANON XXI.

Iſte Canon diſponit quod habens jus præſentandi ad Dignitates Epiſcopales, & Abbatiales, & alia beneficia Cõſiſtorialia debet præſentare perſonas idoneas.

CANON XXII.

Iſte Canon diſponit quod Epiſcopis non licet aliquem præſentatũ à patronis non ſubditũ ratione Originis aut domicilii ad clericalem tonſurã promovere prętextu cujusvis beneficii Eccleſiaſtici ei ſtatim ut tõſura hujuſmodi inſignitus fuerit conferendi; Et quod promotus ad Clericalem Tonſuram, aut ad minores ordines à proprio Epiſcopo nõ poſſit ad ulteriores ordines promoveri ab alio ratione ſubjectionis ex beneficio abſque Teſtimonialibus Epiſcoporũ originis, & domicilii.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

62 DE Requiſitis neceſſariis ad hoc ut quis dicatur ſubditus Epiſcopo ratione beneficii, ad effectum ut ab eo ordinari poſſit præviis teſtimonialibus Epiſcopi originis, & domicilii. pag.350.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

63 Promotus ad SS. Ordines ad titulum Cappellaniæ de Jurepatronatus cum ſupplemento Patrimonii, ſi hoc diſtrahat, & alienet abſque conſenſu Epiſcopi, an alienatio ſuſtineatur? pag.352.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

64 An, & quando quis dicatur ſubditus Ordinarii ratione Originis paternæ ad effectum, ut ab eo validè ordinari poſſit. pag.353.

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

65 Si quis prætendat ſuſcepiſſe Ordines Sacros per vim, & metum, ut collatio ordinum ex hoc capite dicatur nulla quid requiritur. p.354.

CASUS V.

ARGUMENTUM.

66 Baptizatus ab hæretico, & natus à Parentibus hæreticis an ſit irregularis, adeòut indigeat diſpenſatione ad effectum ut promoveri poſſit ad ordines. pag.355.

CASUS VI.

ARGUMENTUM.

67 Neophitus promotus ab Epiſcopo ad SS. Ordines, & proviſus de beneficio Eccleſiaſtico Juriſpatronatus, an, & quando non indigeat abſolutione cum rehabilitatione ad ordines, nec nova proviſione beneficiorum. pag.357.

CA-

CASUS VII.

ARGUMENTUM.

68 Epiſcopus an, & quando teneatur conferre Clericatum nominato ad beneficium Eccleſiaſticum; & an quis promoveri poſſit ad titulum Cappellaniæ, ſeu Beneficii amovibilis. pag.358.

CASUS VIII.

ARGUMENTUM.

69 An Regularibus cunctis indiſtinctè faveat Privilegium aliquod ut promoveri poſſint ad SS. Ordines extra Tempora a Jure ſtatuta, diebus Feſtivis. pag.359.

CANON XXIII.

Iſte Canon diſponit quod Beneficia jurispatronatus Eccleſiaſtici vacantia in octo mẽſibus Apoſtolicis ſint Sedi Apoſtolicæ reſervata; vacantia verò in quatuor menſibus Ordinariis ſpectent ad proviſionem, & Inſtitutionẽ Ordinariorum, & quod in Beneficiis Jurispatronatus non habeat locũ Alternativa mẽſium conceſſa Epiſcopis reſidentibus, & eam acceptantibus.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

70 Beneficium de Jurepatronatus Eccleſiaſtico vacans in Menſe reſervato cadit ſub Reſervationibus Apoſtolicis, dummodo iſtæ non ſint expreſsè vel tacitè excluſæ in limine Fundationis. pag.369.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

71 Beneficium de Jurepatronatus Laicali, aut Mixto vacans in Menſe reſervato non cadit ſub reſervationibus Apoſtolicis; Quid ſi Juſpatronatus Mixtum ſit diviſum per turnum, & Beneficium vacet in Turno Patroni Eccleſiaſtici. p.380.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

72 Beneficium quando dicatur eſſe de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, aut Laicali? pag.382.

CANON XXIV.

Iſte Canon diſponit, quod poſſidẽs beneficiũ patronale per trienniũ ad præſentationẽ illius, ad quem ſpectat Juſpatronatus, nequeat ſuper eodẽ beneficio moleſtari.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

71 Inſtitutus ab Ordinario in Beneficio patronali vacato per obitum Familiaris Cardinalis, & illud pacificè poſſidens per triennium, an ſucceſſivè moleſtari poſſit, & beneficium impetrari, ſi appareat ingreſſum in illud fuiſſe ſimoniacum, ſimonia commiſſa à Patre Inſtituti, ſeu Beneficiati, hoc penitùs ignorante. pag.388.

CANON XXV.

Diſponitur ab hoc Canone quod Juripatronatus Laicorum non cẽſeatur derogatum, niſi de eo fiat ſpecialis mẽtio.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

72 Si plures Patroni præſentaverint ad Beneficium per ſortem, an præſentatio ſit nulla, adeout literæ Apoſtolicæ impetrationis obtentæ ſub expreſſione; quod Beneficium tanto tempore vacaverit, ut ejus collatio ad Sedem Apoſtolicam legitimè ſit devoluta, eo quia Patroni non præſentarunt in tempore, ſint exequendæ. pag.391.

IN CANONEM
UNICUM
DE JURE-PATRONATUS

Deſumptum ex Sexto Decretalium tit. 19. lib. 3.

COMMENTARIA.
PARS TERTIA.
Canon Unicus.

BONIFACIUS VIII.

SI Laicus Juſpatronatus Eccleſiæ ſibi competens eidem, vel alteri Eccleſiæ, ſeu loco Religioſo duxerit conferendum, hujuſmodi collatio, quamvis abſque aſſenſu Epiſcopi facta fuerit, efficax eſt cenſenda. Per præfatam tamen collationem Juri Epiſcopi, qui eidem aſſenſum non præbuit, nolumus in aliquo derogari.

Verùm licèt Patronus Laicus ad præſentandum, tempus habeat quadrimeſtre dumtaxat: Eccleſia tamen, vel Monaſterium, cui facta eſt à Laico Juriſpatronatus collatio, tempus habet ſemeſtre. Et omninò quantùm ad præſentationem pertinet, non ut Patronus Laicus, ſed ut Patronus debet Eccleſiaſticus reputari.

COMMENTARIUM

EX hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima : Patronus Laicus potest donare Ecclesiæ, seu Loco Religioso Juspatronatus, etiam sine consensu Episcopi; Et tunc Juspatronatus evadit Ecclesiasticum.

Secunda : Patronus Laicus ad præsentandum habet quadrimestre, Ecclesiasticus vero semestre.

Ità *Gloſs. Monach. Gemin. Archidiac. hìc*, *Abb. in cap. de Monach. de Præben. num.* 13., *Lambertin. de Jurepat. lib.* 2. *par.* 2. *quæſt.* 5. *art.* 5. *per tot.*, *Paul. de Cittadin. eodem tractat. par.* 6. *art.* 3. *num.* 34., *Vivian. eodem tract. par.* 2. *lib.* 7. *cap. primo*, *Bonden. collect. Legal.* 13. *num.* 1. *tom.* 1., *Antonell. de tempor. Legal. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 1., *Perez de Lara de Anniverſ.*, *& Cappellan. lib.* 2. *cap.* 9. *num. primo*, *Amoſtaz. de Cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 18., *Garz. de Benefic. par.* 10. *cap.* 2. *num.* 6., *Capon. diſcept.* 74. *num.* 17. *tom.* 2., *Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 72. *num.* 126., *Garz. de Benefic. par.* 5. *cap.* 9. *num.* 209., *Card. de Luc. de Jurepatr. diſc.* 64. *num.* 3., *Rot. in Senogallien. Beneficii* 23. *Aprilis* 1703. §. *Etenim coram bo: me: Muto*, & *in Hoſtunen. Beneficii* 28. *Martii* 1710. §. *Verùm etiam coram R.P.D. Anſaldo*.

Tempus hoc præſentandi fuit à Summis Pontificibus ſtatutum favore publico, nimirum ne Patroni haberent effrenatam libertatem procraſtinandi præſentationem ad quodcumque tempus eis benè viſum in grave præjudicium, quod Eccleſiæ, & Loca Sacra patiuntur ob diutinam eorum vacationem, *Bald. conſil.* 1. *num.* 6. *volum.* 3.; Ratio autèm quarè Patrono Laico conceſſum fuit tempus quatuor menſium ad præſentandum, Eccleſiaſtico verò ſex menſium eſt illa eadem, quam ſuperiùs dedimus *Par. II Canon. IX. X. XI. in Comment. num.* 2.; Nimirùm quia Patronus Laicus habet Jus variandi, & plures accumulativè præſentandi, quod fuit denegatum Patrono Eccleſiaſtico, ideò ad faciendam compenſationem Patrono Laico conceditur quadrimeſtre, & Eccleſiaſtico ſemeſtre, *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 2. *par.* 2. *quæſt. prima art. primo num.* 7., *Perez Lara de Anniverſ.*, *& Cappell. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 10.; Sed quia fugit irrevocabile tempus.

Non ſecus ac Flumen, neque enim conſiſtere Flumen
Nec levis hora poteſt, ſed ut Unda impellitur Unda.
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem.
Tempora ſic fugiunt paritèr &c.

ut cecinit *Ovid. Metam. lib.* 15.; Ideò Patronus debet eſſe ſollicitus, & attentus in explendo ſuam præſentationem, nec permittere, ut ſibi tempus hoc à Jure aſſignatum aufugiat, aliàs proviſio Beneficii liberè devolveretur ad habentem inſtituere, ut dicam infra *Caſu ſequenti*.

Quoad primam concluſionem jam quamplures caſus examinavimus ſupra *Par. II. Canon. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX.*, ex quibus illam deduximus; quoad verò ſecundam, quæ etiam probatur ex *Canone III.*, & ex *Canone XXIII.*, *& XXIV.*, de quibus ſuprà *d. Par. II.* ſequentes examinantur Caſus.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Terminus à Jure, vel ab Homine in limine fundationis præfixus Patrono ad præſentandum, à quo die incipiat currere, & an ſit ſervandus in Cappellaniis merè laicalibus.

SUMMARIUM.

1 *Patronus niſi præſentet intrà terminum à Jure ſtatutum, Proviſio Beneficii liberè devolvitur ad Ordinarium.* Limita, ut num.2. & 3.

4 *Præſentatio facta extrà tempus à jure præfixum, nullum jus tribuit præſentato, nec impedire valet devolutionem Beneficii ad Ordinarium.*

5 *Collatio Beneficii facta à Collatore, elapſo ſemeſtri, nullum jus tribuit.*

6 Clementina Cùm ei de conceſs. præben. *in quo ſenſu loquatur?* vide num.21.

7 *Terminus à jure aſſignatus ad præſentandum incipit currere non à die vacationis, ſed à die veræ, & certæ ſcientiæ vacationis Beneficii*, & num.33. & 34.

8 *Ignorantia ſupina, craſſa, & inveriſimilis vacationis non attenditur.*

9 *Quodlibet impedimentum impedit curſum temporis Patrono ad præſentandum, & Collatori ad conferendum.*

10 *Regi, aut Principi Supremo, quantumcumque ſcienti non currit tempus ad præſentandum.*

11 *Terminus à Fundatore præfixus ad præſentandum incipit currere à die ſcientiæ vacationis.*

12 *Pœna devolutionis fuit introducta ad effugiendam, & compeſcendam negligentiam Patroni in præſentando.*

13 *Ignorantia vacationis Beneficii, & quodlibet impedimentum præſervat jura Patroni à devolutione ad Superiorem.*

14 *Enumerantur impedimenta, ob quæ tempus præſentandi Patrono non currit*, & num. 15. & 16.

17 *Præfixio termini unius menſis ad præſentandum per Fundatorem indicta primo inſtituto in Jure patronatus, an cenſeatur repetita quoad ſubſtitutos.*

18 *Scientia Compatroni nocere non poteſt in præſentando alteri Compatrono ignoranti vacationem Beneficii.*

19 *Ignorantia unius Patroni impedit devolutionem ad Ordinarium, & jus præſentandi conſervatur in ipſo, aliis propter ſcientiam excluſis.*

20 Textus in cap. Statutum de præben. in 6. *fuit derogatum per* Extravag. Piæ ſollicitudinis de præben.

22 *Scientia vacationis Beneficii in Patrono eſt ab eam allegante concludenter probanda.*

23 *Scientia vacationis Beneficii ad effectum devolutionis probatur in Patrono ex præſumptionibus, & conjecturis; Et quæ ſint iſtæ conjecturæ?* Vide num. 25. 26. 27. 28. & 29.

24 *Si vacatio Beneficii fuit adeò notoria, ut appareat ſumma negligentia in Patrono eum ignorante allegantis, tempus incipit currere à die, quo ſcire debuit, & veriſimiliter potuit.*

30 *Terminus juris, ad præſentandum non eſt ſervandus in Cappellaniis merè laicalibus.*

31 *Literæ Apoſtolicæ in omnibus juſtificatæ ſunt exequendæ.*

32 *Beneficium eſſe patronale probatur ex aſſertione Epiſcopi.*

35 *Ad convincendam ſcientiam in Patrono, an ſatis ſit Edictum, quod per Ordinarium ad valvas Eccleſiæ affigitur.*

36 *Patronus abſens, quando eſt notus Ordinario, eſt ſpecialiter citandus.*

37 *Ignorantia vacationis probatur medio juramento Patroni.*

38 *Regulæ 35., & 36. Cancellariæ effectum ſuum operari non valent ſinè aliquo titulo ſaltèm colorato*, Amplia ut num.39.

CASUS I.

Reſervavit quidam Teſtator Juſpatronatus Beneficii, poſt ejus mortem ſtatim de propriis Bonis erigendi, favore ſui fratris, cui præfixit terminus unius menſis ad præſentandum Rectorem à die ſui obitus, & in ejuſdem Fratris defectum ſubſtituit illos de familia A. quibus omnibus voluit inſolidum competere idem Juſpatronatus; Defuncto Fratre Fundatoris, & facto loco ſubſtitutioni favore eorum de dicta Familia; vacavit interim, nimirum die prima Januarii 1718. præfatum Beneficium; Tres ex illis de familia mo-

rantes in loco Beneficij, & hujus vacationis optimè conſcij nullam expleverunt præſentationem: adeòut Ordinarius poſt lapſum quadrimeſtre de dicto Beneficio liberè providit quemdam Clericum; E contrà alius de eadem familia, utpotè diſtans à loco Beneficii, hujus vacationis prorsùs ignarus, certior factus die prima Junii ejuſdem anni, paulò poſt paucos dies præſentavit ad prædictum Beneficium Clericum idoneum, & habilem, & inſtetit coram Ordinario pro illius Inſtitutione; Quæritur an hujuſmodi Clericus Præſentatus ab eo de dicta familia, ſit inſtituendus, amoto liberè Proviſo per Ordinarium, vel potiùs hic ſit manutenendus in poſſeſſione Beneficii.

Reſpondendum videtur liberè Proviſum per Ordinarium Juri devoluto eſſe in hoc caſu manutenendum in poſſeſſione Beneficii, & pręſentatum à pręfato Patrono nullatenùs eſſe inſtituendum; Vacato namque Beneficio, Patroni non ſolùm non obſervarunt legem ſibi præſcriptam à Teſtatore, præſentandi nimirum intrà menſem à die ejus obitus, cujus menſis præfixio, ad præſentandum licèt legatur directa ejus Fratri primo inſtituto in Jurepatronatus, cenſetur tamèn etiam repetita in eis de familia ſubſtitutis, verùm etiam nec obſervarunt terminum à jure Patronis Laicis præfixum; dum negligentes, & de proprio jure parum curantes, nec præſentarunt intrà menſem, nec intrà quadrimeſtre; validè proindè potuit Epiſcopus jure devoluto liberè conferre hoc
1 Beneficium; cùm clara ſit juridica illa propoſitio, quod non præſentante Patrono perſonam idoneam intrà terminum à jure ſtatutum, proviſio Beneficii liberè devolvatur ad Epiſcopum, juxtà Textum expreſſum in *cap. Sicut de ſupplen. neglig. Prælat.*, ibi -- *Sicut nobis tua fraternitas intimavit Monachi quidam, & Canonici Regulares, Eccleſias, quæ ad præſentationem eorum pertinent, in tuo Epiſcopatu habentes, propriis uſibus deputare nituntur, nec volunt ad eas, cùm vacauerint, vocare perſonas: quin potiùs occaſione conceſſionis quorumdam Epiſcoporum, Vicarios in eis pro ſua inſtituunt, & deſtituunt voluntate: ad minus ità penſionibus onerantes, quod nec Eccleſiæ competenter poſſunt in paupertate nimia deſervire, nec Epiſcopo in Epiſcopalibus reſpondere: neque hoſpitalitatem (ſicut convenit) tranſeuntibus impertiri; Nolentes autèm, ut ſtatus Eccleſiæ debitus, & antiquus, per inſolentiam alicujus ſubvertatur; mandamus, quatenùs (niſi à Juriſdictione tua exemptæ ſint ſupradictæ Eccleſiæ) prædictos exceſſus ſtudeas rationabiliter emendare. Et niſi prædictæ perſonæ infrà tempus in Lateranen. Concilio conſtitutum, ad vacantes Eccleſias, tibi perſonas idoneas præſentaverint: ex tunc tibi liceat (appellatione remota) in eiſdem ordinare Rectores, qui eis praeeſſe noverint, & prodeſſe: ità tamèn quod ex hoc nullum Patronis præjudicium in poſterum generetur* -- quem ſequuntur *Fraſ. de Reg. Patronat. Indiar. cap.33. num.46.*, *Vivian. de Jurepatr. lib.12. cap.3. num.4.*, *Barboſ. de poteſt. Epiſcopi par.3. alleg.72. num.126. & ſeqq.*, *Amoſtaz de cauſ. piis lib.3. cap.13. num.18.*, *Capon. diſcept.74. num.19. tom.2. Rot. in Senogallien. Beneficii 23. Aprilis 1703. §. Quod autèm coram bo: me: Muto, & in Gerunden. Beneficii 3. Junii 1712. §. Minimè coram R. P. D. Falconerio*, & juxtà ſuperiùs deducta *Par. II. Can. III.*, *& Can. XXII. XXIII. & XXIV. in Commenta-*
2 *rio.* Niſi Ordinarius renunciando juri ſuo admittat præſentationem quamvis factam extrà terminum, *Vivian. de jurepat. lib.7. cap.6. num.13.*, *Card. de Luc. eod. tractat. diſc.64. num.16.*, *Barboſ. de offic. & poteſt.*
3 *Epiſcopi alleg.72. num.143. & ſeq.*; Vel niſi alitèr fuerit à Fundatore diſpoſitum in limine fundationis, quia ſi Fundator diſpoſuerit, quòd ſi Patronus intrà tempus à jure præfixum non præſentaverit, alter ad hoc per ipſum nominatus, præſentet, jus liberè conferendi non devolvitur ad Epiſcopum, ſed ad alterum per Fundatorem ſubſtitutum devolvitur præſentatio. *Card. de Luc. ubi ſuprà num.14. Perez Lara de Anniverſ.*, *& Cappell. lib.2. cap.9. num.26. & ſeqq.*, ubi *num.8.* dat rationem, quia cùm Teſtator providerit de remedio in caſu negligentiæ, illo eſt utendum.

4 Nec eſt attendenda præſentatio ab uno ex ſupradictis Patronis expleta, quia cùm Beneficium vacaverit die prima Januarii, & illa fuerit facta menſe Junii, & ſic elapſo non ſolùm uno menſe à Fundatore præfixo ad præſentandum; ſed etiam quadrimeſtre à jure præſcripto Patronis Laicis

Laicis, nullum jus tribuit præſentato, nec impedire valet devolutionem Beneficii ad Ordinarium, *Lap. alleg.75. num.3., & 6.*, *Lambertin. de jurepatr. par.2. lib.2. quæſt.prima art.22. num.primo in fin.*, *Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 6. num. 35. & ſeq.*, *Rot. deciſ.665. num.8. par.* 18. *recen.*, *& in Romana Cappellaniæ* 25. *Novembris* 1707. §.*Verùm coram Eminentiſſimo Scotto*, *& in Auguſtana Canonicatus* 20. *Martii* 1716. §.*Procedendo coram R. P. D. Criſpo.*

5 Eodem modo, quo nullius momenti eſt nec ullum jus tribuit obtinenti Beneficium, collatio illa; quæ fit à Collatore Beneficii, elapſo ſemeſtre, ad *Text. in cap. Dilecto de ſupplen. neglig. Prælat.*, *ibique Gonzal. num* 8., *& cæteri ſcribentes Lotter. de re Benef. lib.2. quæſt.* 24., *Garz. de Benefic. par.* 10. *cap.* 2., *Gonzal. ad regul.* 8. *gloſs.3. procem. num.4.*, *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.126. num.80.*; Haud urgente oppoſitione, quod Patronus ille, qui præſentavit non habuerit notitiam vacationis Beneficii, niſi in menſe Junii; Quia terminus à jure præſcriptus ad præſentandum currere videtur à die vacationis Beneficii, non verò à die illius ſcientiæ, ut ſtatuitur ex *Textu in cap. Statutum de præben. & dignitat. in* 6., *ibique Gloſs. verb. numerandum*, & expreſsè tuetur *Lambertin. de jurepat. lib.* 2. *par.* 2. *quæſt. prima art.* 8. *num. primo*, *& ſeqq.*;

6 Immò cùm Beneficiatus mortuus fuerit in loco Beneficii, ſibi imputari debet Patronus, ſi diſcedens à dicto loco, & abiens in longinguam partem, non conſtituerit Procuratorem ad præſentandum, occaſione vacationis, juxtà *Textum in Clement. Cum ei de conceſs. præben.*, *& Rot. deciſ.* 1. *de jurepatr. in antiquis*.

7 His tamèn omnibus minimè adverſantibus, cenſeo in hoc caſu, amoto liberè prouiſo per Ordinarium ab hujuſmodi Beneficio, eſſe in eo inſtituendum Præſentatum à ſupradicto Patrono. Præſentatio namque fuit ab hoc exarata paulò poſt paucos dies à die habitæ notitiæ, ſeu ſcientiæ vacationis Beneficii, & ſic tempore habili, dum juxtà ſententiam hodiè magis communitèr receptam, tempus datum à jure ad præſentandum non eſt continuum, quod perpetuò currat, & à quo non excipiatur aliqua dies prætextu feſti, aut abſentiæ, infirmitatis, aut alterius juſti impedimenti, ſed eſt utile, quòd non à die vacationis, ſed à die ſcientiæ vacationis, & quidem veræ, & certæ, non autèm præſumptæ, vel interpretativæ, aut à die non impedimenti incipit currere, & computari, *Fagnan. in cap. Quia propter num.* 4. *de jurepat.*, *Garz. de Benef. par.10. cap.2. num.34.*, *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.3. alleg.72. num.* 134., *Amoſtaz de cauſ.piis lib.3. cap.13. num.24.*, *Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſceptat.560. num.* 12., *Card. de Luca de jurepatr. diſc.64. num.5.* §.*Contrarium*, *& diſcurſ.1. num.* 5., *Vivian. eodem tract. lib.7. cap.2. nu.2.*, *Bonden. collect. legal.13. nu.2. tom. primo*, *Rot. in Barchinonen. Beneficii* 26. *Martii* 1703. §.*Quoniam coram R.P.D. Lancetta*, *& in Hoſtunen. Beneficii* 10. *Decembris* 1708. §.*Tamen coram R.P.D. Criſpo* inferiùs legen. *confirmata* 27. *Januarii* 1710. §.*In facto coram R.P.D. Anſaldo*, *& in Capuana juriſpatronatus* 10. *Junii* 1709. §. *Nihilominùs*, *&* §. *Sed inutilitèr coram R.P.D. Aldrovando*.

8 Adeòut quęlibet ignorantia vacationis Beneficii, dummodò non ſit ſupina, craſſa, & inveriſimilis, quæ non attenditur, *Garz. de Benefic. par.10. cap.2. num.30. & ſeq.*, *Vivian. de jurepatron. lib.* 14. *cap.* 6. *num.12. & ſeq.*, *Card. de Luc. eod. tractat. diſc.64. ſub num.5.*, *Rot. deciſ.377. num.3.*

9 *par.3. rec.*; Et quodlibet impedimentum impedit curſum temporis, Patrono ad præſentandum, & Collatori ad conferendum, *Text. in cap. Quia diverſitatem de conceſs. præben.*, *ibique Fagnan. num.1., & 8.*, *Garz. de Benef. par.10. cap.2. nu.17. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.3. alleg.72. nu.138.*, *Pignatell. conſult.37. nu.1. tom.2.*, *Rot. deciſ.506. num.8. par.18. rec.*, *& in Auguſtana Canonicatus* 12. *Januarii* 1703. §.*Siquidèm coram bo:me: Molines*, *& in Barchinonen. Beneficii* 26. *Martii ejuſdem anni* §. *Hinc paritèr coram R. P.D. Lancetta*.

10 Quibus de cauſis nullum tempus dicitur currere, quando agitur de Jurepatronatus Regio, eo quod ſemper ſupponitur Reges, & Supremos Principes probabili eſſe impedimento detentos, *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 72. *num.* 137., *Card. de Luc. de jurepatr. diſcurſ.1. num.6.*, *& diſc.64. nnm.* 13., *Solorzan. de jur. Indiar. lib.* 3. *capit.* 3. *num.* 49. *&* 50.

& 50., *Salgad. de Regia protect. par.3. ca-*
11 *pit. 8. num. 43. & ſeq.*; Et quidem quod tempus incipiat currere non à die vacationis Beneficii, ſed à die ſcientiæ vacationis procedit non ſolùm quando agitur de quadrimeſtre, aut ſemeſtre à jure Patronis præfixo, ad præſentandum, ſed etiam de quolibet alio tempore, quod Fundator ſervari voluerit à Patronis ad præſentandum; ut in terminis terminantibus Fundatoris, qui mandet præſentationem adimpleri intrà tale tempus decurrendum à die vacationis, quod hoc tempus nihilominus non currat à die vacationis, ſed à die ſcientiæ, & notitiæ ejuſdem vacationis, fusè firmat *de Marinis reſol. jur. lib. 1. cap. 300. nu.6. & ſeq., Antonell. de tempor. legal. lib.3. cap.15. n.3., Corrad. in prax. benef. lib.4. c.2. n.74.*, ibi -- *Etiamſi tempus præſentandi eſſet à Teſtatore præfixum, namque ipſius voluntas ſemper intelligitur ſecundùm juris communis diſpoſitionem, nimirum quod tempus ſit continuum à die ſcientiæ vacationis -- Rot. coram Verall. par.3. deciſ.248. num.4.*, ibi -- *Et licèt Teſtator præfixerit tempus ad præſentandum, quod videtur eſſe iam dictis contrarium, quaſi non debeat attendi ſcientia, vel ignorantia vacationis, quia reſpondetur, quod voluntas Teſtatoris intelligitur ſecundùm juris diſpoſitionem.*

Unde cùm ſupradictus Patronus habuerit notitiam vacationis Beneficii ſolùm die prima Junii, ab hoc die incœpit ipſi currere tempus ad præſentandum non verò à die prima Januarii, quo Beneficium vacavit, & cum paulò poſt præſentaverit, ejus præſentatio eſt valida; & è contrà proviſio liberè facta ab Ordinario
12 jure devoluto ſubſtinere non poteſt, ea ratione, quia cùm pœna devolutionis fuerit introducta à Sedis Apoſtolicæ vigilantia ad effugiendam, & compeſcendam negligentiam Patroni in præſentando, *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. §. 5. praem. num.144., Pax Jordan. var. elucubr. lib.10. tit.12. num. 3., Roſ. de execut. liter. Apoſt. tom.2. in Addit. ad par.1. cap. 7. num. 189. & num. 204., Rot. deciſ. 134. ſub num. 14. coram Cerro, & in Forolivien. Canonicatus Theologalis 25. Junii* 1700. §. *Potiſſimè co-*
13 *ram R. P. D. Anſaldo*; Ignorantia vacationis Beneficii, & quodlibet non improbabile impedimentum præſervat jura Patroni à devolutione ad Superiorem, *Vivian. de jurepatr. par.2. lib. 7. cap.2. nu.7. ſeq., Caſtropal. oper. moral. tom.2. tract.13. de Benef. diſp.2. punct. 5. à num.3. uſque ad 6., Azor. Inſtit. moral. par. 2. lib.6. capit.21. quæſt. 10., Zerola in prax. in verb. juſpatronatus quæſt. 8. verſ. hic ſunt multa, Ventrigl. in prax. par. 2. annot. prima §. 3. num. 28. & ſeq., Perez de Lara de Anniverſ. & Cappell. lib.2. cap.8. num.35., Rot. deciſ.221. num.11. coram Merlin., & deciſ. 489. num. 2. & ſeqq. coram Cavaler. & deciſ. 64. num. 5. poſt Tondut. de Penſion.*;
14 utì eſſet e. g. Deficientia Perſonę, quæ velit præſentationem acceptare ob inſufficientiam reddituum; hujuſmodi namque deficientia eſſet legitimum impedimentum, ob quod tempus præſentandi Patrono non currit, *Gonzal. in cap. Dilecto num. 11. & ſeq. de ſupplen. neglig. Prælat., Vivian. de jurepat. par.3. lib.14. cap.6. num. 9. in fin.*, & alii relati per *Rot. in Senogallien. Beneficii 23. Aprilis* 1703. §. *Nec ad excludendam coram bo:me: Muto*.
15 Abſentia, & carceratio Patroni, *Card. de Luc. de jurepat. diſc.64. nu. 10., Vivian.*
16 *eodem tract. lib.7. cap.2. num. 11.*; Error in præſentando, nempè quia præſentatio fuerit erroneè facta à Patrono coram alio habente inſtituere, qui error excuſat à devolutione, vel ſaltèm tribuit reſtitutionem in integrum, adeòut Patronus à die habitæ notitiæ nullitatis præſentationis poſſit novam, & legitimam facere, *Lap. alleg. 95. in fin., Vivian. de jurepatr. lib.5. cap. 2. ſub num. 24., Card. de Luc. de jurepatr. diſc. 64. num. 11., Rot. deciſ. 99. num.15. par. 17. rec., & in Romana Cappellaniæ 25. Novembris* 1707. §. *Prædictis coram Eminentiſſimo Scotto*.

Hinc reſpondendo ad ea, quæ ſuperiùs in contrarium pro ratione dubitandi objiciebantur; Præſentatio ſupradicta dici non poteſt contraria menti Fundatoris, eo quia non fuerit facta intrà menſem à die ejus obitus in limine fundatio-
17 nis præfixum ad præſentandum; Etenim præfixio unius menſis ad præſentandum fuit ſolùm directa Fratri ejuſdem Fundatoris primo inſtituto, unde non cenſetur repetita pro eis de dicta Familia ſubſtitutis, tum ex regula quod onus injunctum, dumtaxat primo vocato non cenſetur quoad ſubſtitutum repetitum, *Peregrin. de fidei-*

de fideicommiſs. art. 16. *num.* 34. *& ſeqq.*, *Mantic. de conject. lib.*7. *tit.*6. *num.*6., *Rot. deciſ.* 1520. *num.* 13. *coram Coccin.*; Tum quia prȩfixio illa termini verificabilis non eſt in ſubſtitutis; qui ſucceſſerunt in Jurepatronatus longè poſt menſem à die obitus Fundatoris; ut ſimili objecto reſpondit *Rota in Mediolanen. Beneficii* 18. *Junii* 1708. §. *Juſtitia cum ſeq. coram bo: me: Omaña*.

Non obſtat, quod tres de dicta Familia morantes in loco Beneficii, & hujus vacationis optimè conſcii nullam expleverint præſentationem intrà quadrimeſtre, ex hoc enim deduci non valet jus confitendi Beneficium fuiſſe liberè devolutum ad Ordinarium; Siquidèm cum
18 alter Compatronus longè diſtans à loco Beneficii, ejuſdem vacationis per totum quadrimeſtre fuerit prorsùs ignarus, & ſtatim ac habuit notitiam præſentaverit;
19 Scientia illorum Compatronorum huic nocere non poteſt, ſed ejus ignorantia impedit devolutionem ad Ordinarium, & jus præſentandi conſervatur in ipſo, aliis proptèr ſcientiam excluſis, *Garz. de Benefic. par.*10. *cap:*2. *num.* 41., *Vivian. de jurepatr. lib.*7. *cap.*2. *num.* 13., *Capon. diſcept.* 74. *num.* 20. *tom.* 2., *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.*3. *alleg.*72. *nu.*138., *Card. de Luc. de jurepat. diſc.* 64. *num.* 7., ibi -- *Adeòque invaluit hæc ſecunda opinio, ut probabilis ignorantia impediat lapſum termini, quod ſufficiat illam concurrere in uno ex pluribus, quamvis in aliis probaretur ſcientia, quoniam ob ſæpiùs inſinuatam rationem individuitatis, ob quam hoc jus reſidet in ſolidum penès ſingulos, in ignorante conſervatur totum jus præſentandi, ipſeque impedit caſum devolutionis -- Adden. ad Buratt. deciſ.*18. *num.*11.

Neque adverſatur ſupra citata diſpoſitio *Textus in cap. Statutum de præben. in 6.* quia hȩc eſt ſpecialis diſpoſitio reſpiciens Beneficia vacantia apud Sedem; & quæ idcircò conferenda dicuntur infrà menſem computandum à die vacationis, non à die ſcientiæ, idque ut citiùs provideatur Eccleſiæ vacanti, juxtà *Barboſ. in dicto cap. Statutum num.*11. *& ſeq.*, *Pyringh. ad lib.*3. *decret. tit.*5. *ſect.* 9. §.2. *num.* 328., *Zerol. in prax. Epiſcopal.* 2. *par. in verb. reſervatio* §. *Decimo voto*. Ab hac autem diſpoſitione ſpeciali non valet argumen-
20 tum ad hypotheſim noſtram præſentem, præterquamquod juxtà receptiorem ſententiam *Textus in Extravag. Piæ ſollicitudinis de præben.*, derogavit *d. cap. Statutum*; ut docent *Paſſerin. ibi num.*2., *Simonett. de reſervat. quæſt.*30. *num.*3., *Monet. de option. cap.*3. *num.*70., *Garz. de Benefic. par.* 5. *cap.* 1. §. 1. *num.* 96. *& ſeqq.*, *Gonzal. ad regul.*8. *Cancell.* §.5. *proæm à numero* 148. *uſque ad fin.*

21 In nihilo etiam relevante, quod Beneficiatus mortuus fuerit in loco Beneficii, & conſequentèr, quod ſibi imputari debeat Patronus, ſi præcedenter non conſtituerit Procuratorem ad præſentandum, juxtà *Clement. Cum ei de conceſs. præben.*, quia *Clementina* hæc loquitur in vacatione nota; Nec *deciſ. prima de jurepat. in antiquis*, probat intentum, ut in puncto reſpondit *Rot. coram Verall. par.*3. *deciſ.*248. *num.* 2. *& ſeq.*, ibi -- *Non obſtat Deciſio prima de jurepat. in antiquis, quia fuit dictum, quod jura adducta in dicta deciſione probant contrarium, & Clementina* cum ei *loquitur de vacatione nota*.

Igitur ex ſupradictis apparet tempus Patronis præfinitum ad præſentandum currere non à die vacationis, ſed à die
22 ſcientiæ vacationis Beneficii. Qui autem prætendit Patronum habuiſſe hujuſmodi ſcientiam, durum onus habet illam concludenter probare; quoniam præſumptio ſtat pro Patrono, quod habuerit ignorantiam potiùs, quam ſcientiam, dum omninò inveriſimile eſt, quod ipſe quatenus conſcius fuiſſet de vacatione Beneficii, potiùs voluerit, ut collatio liberè devolveretur ad Superiorem, quam gratificare conſanguineo, aut alteri ſibi beneviſo, *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.*3. *alleg.*72. *num.*135., *Bonden. collect. legal.*13. *num.*4. *& ſeq. tom. primo*, *Adden. ad deciſ.*21. *num.*19. *par.*3. *rec.*, *Rot. in Capuana juriſpatronatus* 19. *Junii* 1709. §. *Altera verò coram R.P.D. Aldrovando*.

23 Scientia verò vacationis Beneficii ad effectum devolutionis probatur in Patrono ex præſumptionibus, & conjecturis elicitis ex facti circumſtantiis perpendendis prudenti Judicis arbitrio, qui conſiderata qualitate Beneficii, modo vacationis, locorum proximitate, ac fama ejuſdem vacationis, determinare debet diem, quo Patronis vacatio veriſimiliter innoteſcere

teſcere poterat, ut docent *Jo: Andr. in cap. Ex parte in princip. verb. recurrerint de conceſs. præben., Abb. in cap. Quia diverſitatem num. 7. eod. tit., Vivian. de jurepat. lib. 14. cap. 6. num. 12. & ſeq., Rot. in Spoletana juriſpatronatus apud Garz. de Benef. par. 10. cap. 2. num. 34. & deciſ. 380. nu. 2., & ſeq. coram Seraph., & in Barchinonen. Beneficii, ſeu Abbatiæ 24. Martii 1702.*
24 *§. final. coram Eminentiſſimo Caprara*. Itaut ſi vacatio adeò fuit notoria, ut appareat ſumma negligentia Patroni eam ignoraſſe allegantis, tempus incipiat currere à die, quo ſcire debuit, & veriſimilitèr potuit, ex ratione, quod paria ſunt ſcire, & ſcire debere, *Gabriel. conſ. 186. num. 9. lib. 2., Rot. deciſ. 6. de jurepat. in novis, & deciſ. 7. num. 3. & ſeq. de præben. in antiqu., & in Burgen. Canonicatus apud Garz. de Benef. par. 5. cap. 4. ſub num. 23. verſ. vel currit, & deciſ. 309. num. 2. verſic. paria ſunt par. 3. rec.*

25 Probatur itaque ſcientia vacationis; Primò, ſi vacatio contigerit in eadem Diœceſi, & loco ubi moratur Patronus, *Card. de Luc. de jurepat. diſc. 64. num. 5. & ſeq., Rot. in Firmana juriſpatronatus impreſs. apud Pacion. alleg. civil. & canon. al-*
26 *leg. 26. num. 66.*; Secundò ex publica voce, & fama vacationis, *Rot. in dicta Firmana juriſpatronatus apud Pacion. ubi*
27 *ſupra num. 56.*; Tertio ex confeſſione ipſiuſmet Patroni, *Rot. in Vicen. Parochialium 26. Junii 1699. §. Nulla verò coram*
28 *Eminentiſſimo dela Tremoille*. Quarto, ſi Beneficiatus defunctus ſit notus e. g. ſit Lector in aliqua Univerſitate, ſit Archipresbyter, Vicarius Generalis, Conſultor S. Officii, & aliis præclaris qualitatibus, & honoribus Civitatis ornatus, *Rot. in Piſana Beneficii 24. Januarii 1710.*
29 *§. Neque coram Eminentiſſimo Priolo.* Quinto, ſi Patronus jure ſpeciali adminiſtret bona dotalia Beneficii, & ex eorum fructibus ſolvat annuam congruam beneficiato, perſolvat decimas pro Beneficio, aliaſque expenſas faciat, *Lotter. de re Benef. lib. 2. quæſt. 24. aum. 16. & ſeq., Garz. de Benef. par. 10. cap. 2. num. 11. & ſeq.*, & alii, quos refert *Rot. in Senogallien. Beneficii 23. Aprilis 1703. §. Nullatenus coram bo: me: Muto*.

Quæro hic, an terminus iſte à jure aſſignatus ad præſentandum obſervari debeat in nominatione ad Cappellaniam merè laicalem.

30 Reſpondeo negativè, quia *Canon* hic loquitur de Beneficiis Eccleſiaſticis, unde extendi non debet ad hujuſmodi Cappellanias merè laicales, quæ non ſunt talia, & reſpectu quarum non eſt determinatum à jure tempus ad nominandum, ſeu præſentandum; & ideò jus illas adminiſtrandi confertur per ſolam electionem, ſeu deputationem factam ab eis, ſeu majori parte eorum, quibus jus competit ex fundatione; quia in his non habet Epiſcopus jus inſtituendi, *Guidopapa deciſ. 187. nu. 2. Pariſ. conſ. 34. num. 9., Gonzal. in cap. Dilecto de ſupplen. neglig. Prælat. num. 10., Rot. in Pampilonen. Cappellaniæ 25. Maji 1646. coram Corrado*.

R. P. D. CRISPO.

Hoſtunen. Beneficii.

Lunæ 10. *Decembris* 1808.

PErpetuum ſimplex Eccleſiaſticum Beneficium ſub invocatione S. Antonii Patavini de Jurepatronatus Familiæ de Boviis fundatum reperitur in Cathedrali Hoſtunen., itaut nominati per Fratres de Boviis in antecedentibus vacationibus abſque ulia penitùs contradictione inſtitutionem ab Ordinario reportaverint; Cùm verò de anno 1701. nova eveniſſet vacatio, expectato, quod quadrimeſtre datum à Jure Patronis ad præſentandum fuiſſet elapſum, Ordinarius de eo, uti devoluto Franciſcum Milatium ſibi ex Fratre Nepotem providit.

Hujus vacationis prorsùs ignarus Abbas Guido Bovius unicus de eo tempore Patronus, utì longè diſtans à loco Beneficii, cùm in Patria Bononienſi, proprios lares retineat, ac in Urbe moram trahere ſoleat poſt curſum quinquennii tantùm certior factus, prævio juramento ſuper ignorantia vacationis præfatæ præſentavit Sacerdotem Bartholomæum Ribes, qui proindè Literis Apoſtolicis pro præſentato expeditis, eiſque coram A. C. Cerro directis illarum executionem obtinuit, poſteàque per organum Signaturæ Juſtitiæ mihi delegata Commiſſione appellationis cum clauſula -- *Parito literis arbitrio* -- ad normam dicti reſcripti in hodierna Audientia propoſito per me Dubio,

bio, fuit reſponſum -- *Arbitrium non intrare* -- Bartholomæo tantùm informante, altera verò Parte dilationem petente.

31 Literæ ſiquidem Apoſtolicæ undique juſtificatæ remanent, ac ſignanter circa qualitatem Patronalem, ſub qua præcipuè reportatæ deteguntur, atque propterea celerem expoſcunt executionem, quin ullum intrare valeat arbitrium pro earum retardatione ad notum *Text. in cap. Si Capitulo de conceſs. Præb.*, de quo in propria materia de Jurepatronatus, *Rota in Mediolanen. juriſpatronatus 14. Februarii 1701. §. Fundamentum coram R.P.D. meo Scotto, in Bononien. Cappellaniæ 11. Maji 1701. §. Arbitrium enim coram Reverendiſſimo Conchen.*, *& in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis 1707. §. Et ad rem coram R.P.D. meo Anſaldo*.

32 Verificationem autem Juriſpatronatus ſatis convincit decretum prolatum per Ordinarium, *Summ. Informationis num. 7.*, qui viſa fundatione Cappellæ pronunciavit ſuper exiſtentia dicti Patronatus, ac illius pertinentia favore Familiæ de Boviis, quod valde conſiderabile eſt, cum ſententiis latis ab Ordinariis ad favorem Juriſpatronatus plurimum veniat deferendum, quia ipſi non ità faciles eſſe ſolent in eis admittendis, & canonizandis, cùm agatur de proprio præjudicio, & Eccleſiæ, quibus magis expedit, ut Beneficium ſit liberum, quàm Patronali ſervituti obnoxium, juxta bene in his terminis animadverſa per *Lotter. de re beneſ. lib. 2. quæſt. 13. num. 142. & num. 152.*, *Capon. diſcept. for. 233. ſub num. 28.*, *Vivian. de jurepatr. lib. 11. cap. 5. num. 24.*, *Rot. deciſ. 413. ſub num. primo par. prima rec. cor. Seraph. deciſ. 1141. nu. 8. coram Otthobon. deciſ. 224. num. 15. & 16.*, *& in Arianen. Archipresbyteratus 27. Junii 1708. §. De anno coram R. P. D. meo Scotto*; Necnon comprobatur, etiam ex ipſa proviſione per Franciſcum reportata, quæ cum ab alio Jure non deſcendat, quam devoluto ob Patroni negligentiam in præſentando, in ſui neceſſarium antecedens pro certo ſupponit Juſpatronatus exiſtentiam, ut advertit *Rota deciſ. 245. num. 19., & 20. par. 9. & deciſ. 148. num. 6. par. 15. rec.*

Nec indubitatum Patroni Jus in hac vacatione reſolutum dici poteſt, ex quo ipſe præſentationem Michaelis expleverit poſt quadrimeſtre de jure datum Patronis Laicis ad præſentandum, quo elapſo nè Beneficium diutiùs ſinè Beneficiato maneret, potuerit Ordinarius Patroni negligentiam ſupplendo illud devolutum conferre Franciſco. Quoniam ad objecti eliminationem ponderandum venit, quod tempus datum ad præſentandum, licèt aliqui crediderint, quod antiquitùs principium deſumeret ab ipſa die vacationis Beneficii, ex quo in Legibus de Laico Patrono loquentibus non aliter explicatum reperiebatur, atque ſolummodo in Ordinario Collatore proviſum extiterat, ut ſemeſtre ad providendum ei datum à die ſcientiæ inciperet currere, ut in *cap. Licet de ſupplen. neglig. Prælat. cap. Quia diverſitatem de conceſs. Præben.*; Hinc propterea quadrimeſtre adeò rigidè, & ſtrictè in Patrono Laico acciperetur, ut ad illud effectum vis tota conſiſteret in materiali temporis computatione, nullatenùs admiſſa qualibet excuſabilis ignorantiæ cauſa, ſed ſtatim ultimo termino completo indiſtinctè ſuperiori aperiebatur Jus Beneficium tamquam devolutum providendi, ut tradiderunt *Corrad. in prax. Beneſ. lib. 4. cap. 2. ſub num. 27. verſ. hujuſmodi*, *Vivian. de jurepatr. lib. 7. cap. 2. num. primo, & ſeqq.*, & cum hac opinione pertranſiit *Rota in antiquis deciſ. prima de jurepatr.*

33 Tamen derelicta hujus veritatis indagine, cum & plures patiatur difficultates, atque non deſint aliæ, & antiquiores Rotæ Deciſiones contrarium determinantes, quod videlicet quadrimeſtre à die notitiæ non verò vacationis currere incipiat, ut habetur in Deciſionibus recollectis inter *Antiquior. in titul. de jurepatr. deciſ. 3. & in tit. de Præb. deciſ. 7. numero primo, & 4.*; Hoc unum eſt certum, quod hodie ea uti magis benigna apud Doctores invaluit opinio, ac in noſtro Tribunali paſſim recepta, ut terminus præfatus ad præſentandum, cùm in odium negligentium præſcribatur, nec propriè cadat negligentia, quamdiù perſeverat vacationis ignorantia, illa ignorantia, quæ excuſat Ordinarium Collatorem, nè à ſuo Jure cadat, eadem pari Jure ſuffragari debet Patrono Laico, cui quadrimeſtre ad effectum præſentandi conceſſum non

non incipit currere à die vacationis, ſed à die tantùm demonſtratæ ſcientiæ, ut de communi teſtantur *Fagnan. in cap. Quia propter num.4. de jurepatr.*, *Cavaler. in repet. ad cap. Conſultationibus de jurepatron. num. 35. & 36.*, *Engel. in jus Canon. lib.3. tit.38. num.13.*, *Wagnerech. in cap. Quoniam num.2. de jurepatr.*, *Garz. de Benef. par.10. cap.2. num. 34.*, *Murg. de Benefic. quæſt.3. num.399.*, *Solorzan. de jur. Indiar. lib.3. cap.3. num.48.*, *Fraſs. de Patron. Reg. Coron. cap.32. num.41.*, *Antunez. de donat. Reg. lib.3. cap.28. num. 115.*, *Lagunez de Fruct. par. prima cap. 31. §.3. num. 113.*, *Antonell. de Temp. legal. lib.3. cap.16. nu.2.*, *Barboſ. de offic., & poteſt. Epiſc. par. 3. alleg.72. nu.135.*, *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.3. cap.13. num.21. & ſeqq.*, *Modern. Roman. diſcept. Eccleſ.4. num.50.*, *Rot. deciſ. 459. num.7. coram Buratt. deciſ.380. num. primo coram Seraph.*, *coram Cerr. deciſ.114. nu.8. & ſeqq. & in rec. deciſ.21. num. primo, ibique Add. num.18. par.3. deciſ. 154. num.9. par.12.*, *& in Melphicten. Cappellaniæ 17. Junii 1699. §. Conſimili irrelevantia coram bo: mem: Muto*, *Barchinonen. Beneficii 24. Martii 1702. §. Non obſtat coram Eminentiſſimo Caprara*, & pluribus cumulatis *in Romana Cappellaniæ 25. Novembris 1705. §. Verùm cum ſeq. & in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis 1707. §. Neutra tamen coram R. P. D. meo Anſaldo*, *& in Capuana jurispatronatus 11. Maji 1708. §. fin. cor. R. P. D. meo Lancetta*.

34 Hinc ſequitur, quod ad effectum, ut Jure devoluto poſſit Beneficium provideri, non ſatis eſt, quòd afferatur, quòd quadrimeſtre fuerit elapſum, niſi probatio hæc ſit quoque aſſociata alio adjumento ſcientiæ vacationis præfatæ, nam cùm fundamentum proviſionis Jure devoluto conſiſtat in præfata ſcientia, qui in ea ſe fundat, illam debet liquidis probationibus oſtendere, nullatenùs operante interpretativa, & præſumpta, cùm ſcientia ad hunc effectum debeat eſſe vera, & indubitata, *Lap. alleg.78. num.12.*, *Gabr. conſ.185. num.6. lib. 2.*, *Antonell. de Temp. legal. lib.8. cap.15. num. 8.*, *Corrad. prax. benef. lib.4. cap. 2. ſub num. 74.*, *Capon. diſcept.74. num.20.*, *Cortiad. dec.253. ſub num. 53.*, & dixit *Rot. in Firmana Altaris 5. Decembris 1599. coram Blanchetto* relat. per *Murg. de Benef. qu.3. nu.402.*, *Mediolanen. Beneficii 9. Decembris 1707. §. Et quatenus coram R.P.D. meo Caffarello*, *Capuana jurispatronatus 11. Maji 1708. §. Vel tandem, & in Mediolanen. Beneficii 2. Julii ejuſdem anni §. fin. coram R.P.D. meo Lancetta*.

35 Ad hujuſmodi autem ſcientiam convincendam non ſatis eſſe poterat Edictum, quod per Ordinarium ad valvas Eccleſiæ affixum aſſeritur; quia quatenus de eo aliunde, quàm ex Epiſcopi aſſertione conſtaret, non tamen in Abbate Bovio Patrono certam ſcientiam valuit producere, ut vacationis Beneficii diceretur notitiam habere, nam cùm Edictum præfatum affixum fuerit in remotiſſima Regni Neapolitani Civitate, ubi Beneficium eſt ſitum, & vacavit, Patronus verò longè diſtabat à Civitate, ac illius Diœceſi, cùm utì Patritius Bononienſis Bononiæ degeret, vel aliquando in Urbe, atque propterea id quod in Hoſtunenſi Civitate, & Diœceſi actum fuit non valuit afficere Patronum alibi degentem, ad hoc, ut vacationis ſcientia ad eum indubiè dici poſſet perducta, cum Edictorum affixiones poſſint vacationis ſcientiam præſumi facere in illis Patronis, qui in loco ubi Edicta affixa fuerunt, vel in Diœceſi reſident, non verò in Forenſibus, qui extrà Diœceſim inhabitant, in quibus ceſſat quælibet veriſimilis notitiæ præſumptio, imò potius ſubintrat altera præſumptio adverſativa, juſtæ nempe ignorantiæ, *Card. de Luca de jurepatron. diſc. 69. num. 6.*, *Rot. deciſ.532. ſub nu.1. par.4. diverſ.*, *in Firmana jurispatronatus 28. Novembris 1631. §. Quæ dicuntur cor. Ghislerio impreſs. apud Pacion. allegat. 26. num.64.*, *Romana Cappellaniæ 25. Novembris 1705. §. Fortiùs coram R.P.D. meo Anſaldo*, *dicta Capuana jurispatronatus 11. Maji 1708. §. final. coram R. P. D. meo Lancetta*.

36 Verùm cùm Ordinario eſſet optimè nota, & certa perſona Patroni præſentare debentis, ex quo in duabus anteactis vacationibus præſentaverat, & præſentationes autorizatæ extiterant cum ipſius Ordinarii ſucceſſivis inſtitutionibus, neceſsè erat, ut ſpeciali citatione ille abſens monitus, & excitatus fuiſſet ad præſentandum, non verò per Edictum generale affixum in Civitate Hoſtunenſi, ubi Patro-

Patronus non reſidet, qua ſpeciali notificatione deficiente ipſius juri nominandi non potuit eſſe detractum, ſed illud in ſuo vigore intactum remanſit, itaut donec, & quouſque certa ſcientia ad illum non doceatur perveniſſe, nullum tempus præjudiciale currere potuit, *Caren. reſolut. 10. num. 10.*, *Rot. in Cremonen. Præpoſituræ 23. Maji 1644. apud Caren. dicta reſolut. 10. ſub num. 23. verſ. Nullitas ſiquidem*.

37 Quæ eò magìs debent habere locum cùm Patronus in præſentatione, quam explevit medio juramento allegaverit ignorantiam præfatæ vacationis Beneficii, per quod juramentum excluſa remanet quælibet ſuſpicio præſumptæ ſcientiæ in terminis dixerunt, *Abb. in cap. Quia diverſitatem num. 6. de conceſs. præb.*, *Menoch. de Arbitr. cap. 188. num. 3.*, *Rot. deciſ. 1289. num. 27. coram Coccin.*, *& in Capuana juriſpatronatus 11. Maji 1708. in fin. coram R.P.D. meo Lancetta*, cùm, & Leges Canonicæ in probanda ignorantia ſtatuerint illam allegantes cum proprio juramento de ea fidem facerent, eorumque juratæ aſſertioni, quo ad hoc eſſet plenè deferendum, ut literaliter habetur in *cap. Ut circa §. Super hujuſmodi*, *& in cap. Nulli in fin. de elect. in 6.*; Quod, & ſignanter in caſu, de quo agitur venit admittendum cùm agatur de Patrono integerrimæ probitatis, ac Illuſtri Nobilitate decorato; Viris autem dictis qualitatibus pollentibus in iis, quorum veritas ex aliis argumentis haberi non valet, plenam fidem eſſe præſtandam Leges voluerunt, ut de prima habetur in *L. Non omnes §. A Barbaris ff. de re militar.*, de ſecunda in *cap. Nobilibus diſt. 97.*

Ex his cùm clarè conſtabilitum effulgeat, quod Ordinarius nulliter ad collationem Beneficii jure devoluto devenerit, exindè promanat, quod Franciſcus ab eo proviſus ad effectum ſe confovendi in poſſeſſione Beneficii ita à Patrono conquiſiti ſe tueri non valeat fulcimento duplicis *regulæ 35. & 36. Cancellariæ* annalis, ſeu triennalis pacificæ poſſeſſionis,

38 nam cùm finalis ratio prædictarum regularum ea fuerit, ut improbi lites exquirentium motus in impetratione Beneficiorum certo modo reprimerentur, minimè hęc congruere poſſunt in caſu, de quo agitur, in quo Franciſcus injuſtus Poſſeſſor, cùm, & potius intruſi, quàm Proviſi nomen promereri videatur deſtitutus apparet aliquo titulo, vel ſaltèm colorato, ſinè quo Regulæ prædictæ effectum ſuum operari non valent, *Gomez ad regul. de Triennal. quæſt. 58.*, *Barboſ. in cap. Ordinarii num. 4. de offic. Ordinar.*, *Floreſ. de Mena var. reſol. lib. 2. quæſt. 23. num. 61.*, *Capon. diſcept. 1. num. 8.*, *Card. de Luca de Beneſ. diſc. 91. num. 13. & 14.*, *Chokier. de permut. Beneſ. lib. 3. cap. 20.*, *Rot. cor. Seraph. deciſ. 1498. num. 14. & 15. cor. Celſ. deciſ. 130. num. 10. cor. Emerix Jun. deciſ. 1173. num. 7. & 8.*, *& in Mediolanen. Beneficiorum 2. Julii 1703. §. Ex his profectò cum ſeq. coram Reverendiſſimo D. meo Decano*; Eoquè fortiùs in Beneficiis de Jurepatronatus, in quibus multò minùs Regulæ præfatæ non ſunt admittendæ contra inſtitutionem faciendam ad nominationem veri Patroni, ut de annali dixerunt *Antonell. de Temp. legal. lib. 2. capit. 35. nu. 22.*, *Tondut. reſol. Beneſ. par. 1. cap 86. num. 33.*, *Rot. coram Mohedan. deciſ. 5. de jurepatr. coram Seraph. deciſ. 285. num. 6. in Recent. deciſ. 599. nu. 41. par. 2. tom. 3.*, & de annali, & triennali *Rot. in dicta Mediolanen. Beneficiorum 2. Julii 1703. §. Cum de cætero coram Reverendiſſimo D. meo Decano*.

Et ita altera tantùm &c.

ARGUMENTUM.

Procurator generaliter conſtitutus à Patrono ad præſentandum ſciens vacationem Beneficii, ſi non præſentet in tempore, an præjudicet Patrono ignoranti dictam vacationem, & an huic competat reſtitutio in integrum.

SUMMARIUM.

1 *Scientia vacationis Beneficii habita per Procuratorem, & hujus negligentia in præſentando in tempore an cauſet devolutionem, & præjudicet Patrono abſenti, & eamdem vacationem ignoranti*; Vide ibi, & num. 3.

2 *Alteri per alterum præjudicium cauſari non debet*.

4 *Patronus ſibi imputare debet ſi malum Procuratorem elegit ad præſentandum.*

5 *Aliquis pro facto alterius, etiam ſinè culpa punitur.*

6 *Scientia vacationis Beneficii habita per Tutorem, aut Curatorem Patroni infantis, aut Pupilli, & eorum negligentia in præſentando præjudicat, & lapſum termini inducit.*

7 *Patrono læſo à negligentia Procuratoris non præſentantis in tempore eſt ſuccurrendum ope reſtitutionis in integrum juſtis concurrentibus cauſis; Et quæ ſint iſtæ cauſæ?* Vide num. 8. 9. & 10. Amplia ut num. 11.

12 *Patrono ſuper Statuis, Candelabris, & aliis ornamentis argenteis inſervientibus pro ornatu Beneficii, ſeu Cappellæ ab ipſo propriis expenſis conflatis non aliud jus competit, niſi jus cuſtodiæ.*

CASUS II.

Antequam quidam Patronus diſcederet à Loco Beneficii de ſuo Jurepatronatus, conſtituit ibi Procuratorem cum mandato generali ad præſentandum in caſu vacationis; Tempore ejus abſentiæ vacato Beneficio, Procurator uti ſuprà conſtitutus, licèt habuerit notitiam hujuſmodi vacationis, & fuerit monitus ad præſentandum, tamen nullam explevit præſentationem intrà quadrimeſtre; Hoc igitur elapſo, Epiſcopus jure devoluto providit de dicto Beneficio quemdam Clericum ſuum familiarem; Rediens Patronus, & habita notitia tum vacationis Beneficii, tum negligentiæ ſui Procuratoris in præſentando intrà tempus ſtatutum; tum etiam, quod Rector Beneficii commodaret, & diſponeret ad ſui libitum de Candelabris, Statuis, & aliis ornamentis argenteis pro ornatu dicti Beneficii propriis Patroni expenſis conflatis, ſtatìm præſentavit ad idem Beneficium Clericum ejus conſanguineum, & inſtetit coram Ordinario pro hujus inſtitutione; ac pro declaratione, quod Statuæ, Candelabra, & alia ornamenta argentea ab ipſo confecta pro ſervitio Beneficii ſint de libero ejus dominio; Quæritur proindè

Primo -- *An ſcientia vacationis Beneficii habita per Procuratorem, & hujus negligentia in præſentando intrà terminum cauſet devolutionem Beneficii in præjudicium Patroni eamdem vacationem ignorantis.*

Secundo -- *An, & quale jus competat Patrono ſuper Statuis, Candelabris, & aliis ornamentis argenteis inſervientibus pro ornatu Beneficii.*

1 Primum Dubium *Sac. Rota* agnovit eſſe ſatis controverſum, & non pacificè procedere, ut teſtatur in una *Capuana Jurispatronatus* 10. *Junii* 1709. §. *Sed inutiliter coram R. P. D. Aldrovando*, ibi -- *Præter quam quod concluſio, quod ſcientia Procuratoris poſſit præjudicare Principali non eſt omninò pacifica* -- quod irreſolutum reliquit. Et quidem videtur dicendum ſcientiam vacationis Beneficii habitam per Procuratorem generaliter conſtitutum à Patrono abſenti ad præſentandum in caſu vacationis, & ejus negligentiam in præſentando non cauſare devolutionem Beneficii in præjudicium ipſius Patroni eamdem vacationem ignorantis, ſed hujus ignorantiam impedire lapſum termini, adeòut rediens Patronus ad locum Beneficii, habita notitia illius vacationis, ac negligentiæ ſui Procuratoris validè potuerit præſentare, & ejus præſentatus, amoto liberè proviſo per Ordinarium, venit inſtituendus; Siquidem in actu ſui diſceſſus, ſumma diligentia, ac ſagacitate, quantum fieri potuit, providit indemnitati proprii juris in caſu vacationis Beneficii per deputationem Procuratoris ad præſentandum in genere quamcumq; perſonam idoneam, & habilem; Unde ſi Procurator parum curaverit de jure ſui Principalis, negligendo præſentare in tempore; hujus negligentia imputabilis non eſt Patrono, nec huic præjudicare valet, ſtante regu-

2 la communiter recepta, quòd alteri per alterum præjudicium cauſari non debet, ad *Text. in cap. Non debet alteri de regul. jur. Golin. de Procurat. par. 2. cap. 5. numero* 125. *R.P.D. Anſald. deciſ.* 65. *num.* 4. *tom. primo*, *Rot. deciſ.* 42. *num.* 5. *par.* 3. *Recent.*

3 E contrà aſſerendum videtur ſcientiam vacationis Beneficii; & negligentiam Procuratoris in præſentando intrà terminum juris præjudicare Patrono abſenti, & cauſare devolutionem ejuſdem Beneficii ad Ordinarium; Quoniam ſcientia

tia Procuratoris dicitur ſcientia ejuſdem Patroni, & ejus factum nocet Patrono, *Text. in cap. Cum veniſſent de integ. reſtit. cap. Cum olim de cauſ. poſſeſſ.*, *Gloſſ. in cap. ad hoc, ut lite non conteſtata verb. Procuratoris*, *Golin. de Procurat. par. 2. cap. 5. num. 2.*, *Gratian. diſcept. forenſ. 853. numero 61.*, *Surd. deciſ. 181. num. 3.*; Ea ratione quia ſibi imputare debet Patronus ſi malum Procuratorem elegit, juxta *Gloſs. in dicto cap. Ad hoc ut lite non conteſt. verb. Procuratoris*, *& in cap. Cùm veniſſent de in integ. reſtit. verb. reſtituimus*, *Felin. in cap. Cùm olim num. 23. & ſeq.*, *Golin. ubi ſuprà*, *Odd. de reſtitut. in integr. par. 1. quæſt. 13. num. 47.*

4

5 Nec eſt novum, quòd aliquis pro facto alterius etiam ſinè culpa puniatur, ita enim teſtatur *Gloſs. in dicto cap. Ad hoc ut lite non conteſt. verb. Procuratoris*, & patet pluribus exemplis, nam aliquando propter delictum unius tota terra ſupponitur interdicto, licèt hæc non ſit inculpa, *Text. in cap. Non eſt de Sponſalib.*; Et Tutor, Curator, aut alius Adminiſtrator rerum Patroni infantis, Pupilli, aut amentis ſi habeat ſcientiam vacationis Beneficii, & non præſentet in tempore, iſta ſcientia præjudicat, & lapſum termini inducit, etiamſi Infans, aut Pupillus, aut amens non ſit in culpa, ut expreſsè tuetur *Card. de Luc. de jurepatr. diſc. 64. num. 9.*

6

7 Hæc ſecunda ſententia mihi quidem magis placet, ſed tamen in caſu præſenti cenſeo Patrono læſo eſſe ſuccurrendum ope reſtitutionis in integrum adversùs negligentiam Procuratoris, ipſi competere purgationem moræ, & reſciſſionem proviſionis Beneficii liberè factæ ab Ordinario jure devoluto; Plures namque in præſentiarum concurrunt cauſæ, ratione quarum Patrono concedenda venit hujuſmodi reſtitutio, ſeu purgatio moræ.

8 Et in primis ipſe in actu ſui diſceſſus à loco Beneficii uſus eſt ſumma diligentia, ut proprium jus conſervaretur illæſum, conſtituendo nimirum in Procuratorem ad præſentandum in caſu vacationis Beneficii eum, qui apparenter, & communi opinione præſumebatur diligens, & idoneus, unde ſi iſte infideliter ſe geſſerit, & præſentare neglexerit, culpa nulla eſt ipſius Patroni, qui proindè reſtitui debet adversùs hanc negligentiam Procuratoris, & eam poterit purgare perſonam idoneam præſentando à die ejus ſcientiæ vacationis, cui præſentato concedenda venit inſtitutio, reſciſſa priùs proviſione Beneficii liberè facta ab Ordinario jure devoluto; nè ab hujuſmodi diligentia recipiat eam pœnam, quam non reciperet, ſi fuiſſet negligens, ſeu ſi Procuratorem ad præſentandum in actu ſui diſceſſus non conſtituiſſet, dum ſi dictum Procuratorem non deputaſſet, ignorantia vacationis Beneficii, quam habuit tempore ſuæ abſentiæ, eum excuſaſſet à devolutione ex dictis in ſuperiori *Caſu*; ut in terminis excommunicationis promulgatæ à Judice contra Dominum propter negligentiam, & contumaciam ſui Procuratoris, quod ipſa relaxetur, conſtito quod Dominus conſtituerit in Procuratorem eum, qui communi opinione præſumebatur diligens, docet *Abbas in cap. Ad hoc ut lite non conteſt. num. 34.*; Et in terminis ſententiæ latæ contrà Principalem propter negligentiam Procuratoris, quod ipſa reſcindatur, & concedatur adversùs eam reſtitutio in integrum tuetur *Gloſs. in cap. Cùm veniſſent de in integ. reſtit. verb. reſtituimus*, *Joann. Staphile. de gratiis expectativ. in tract. magn. tom. 4. pag. mihi 346. num. 46. & ſeq.*; Et in terminis Emphytheutæ non ſolventis Canones intrà terminum ſtatutum, quod ipſe licèt non excuſetur à caducitate, tamen admittatur ex æquitate canonica ad purgationem moræ, tradunt *Cardin. de Luc. de Emphytheuſ. diſc. 41. num. 9.*, *Gratian. diſcept. 378. num. 11.*

9 Deindè negligentia Procuratoris in præſentando in caſu præſenti fuit nimis ſupina, & doloſa; dum Procurator habuit certam notitiam vacationis Beneficii, fuit monitus, ut præſentaret, & tamen hoc non obſtante præſentari omiſit; quæ negligentia nimis ſupina, & doloſa, utpote tendens in ſupplantationem Patroni eſt cauſa ſufficiens, ut ſuccurratur eidem Patrono læſo, Beneficio reſtitutionis in integrum, juxta *Odd. de reſtit. in integr. par. 1. quæſt. 13. num. 48. & ſeqq.*, & admittere videtur *Card. de Luc. de jurepat. diſc. 64. num. 9. in fin.*

10 Denique Patronus nullam actionem habere poteſt contra Procuratorem ad damna

damna, & intereſſe ob non præſentationem factam in tempore; quia Procurator in caſu præſenti quantumvis locuples non eſt ſolvendo; cum præſentatio non ſit pretio extimabilis, ut dixi ſuperius *Par. II. Can. XII.*, & *XIII. in Commentario*; Unde Patronus ex hoc ipſo reſtitui debet in integrum, & proviſio liberè facta Jure devoluto reſcindi, ad tradita per *Gloſs. in cap. cum veniſſent de in integ. reſtit. verb. reſtituimus*, *Golin. de Procurat.*
11 *par. 2. cap. 5. num.* 125.; Quod nullam admitteret difficultatem ſi ageretur de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, ſeu ſi Patronus, qui conſtituit Procuratorem ad præſentandum eſſet Eccleſia, Monaſterium, aut alius locus pius, ad *Text. in ſæpè dicto cap. Cum veniſſent de in integ. reſtit.*, ex quo reſtituitur Eccleſia læſa propter negligentiam Procuratoris, qui jura Eccleſiæ non produxit, ibique *Gloſs. in figuratione caſus*, *Abb. in cap. Ad hoc ut lite non conteſt. num.* 37.

12 Deſcendendo verò ad ſecundum Dubium cenſeo nullum aliud jus competere Patrono ſuper Statuis, Candelabris, & aliis ornamentis argenteis inſervientibus pro ornatu præfati beneficii, ab ipſo propriis expenſis conflatis, niſi jus cuſtodiæ, & eorum dominium ſpectare ad Beneficium, ut aliàs firmavi ſuperiùs *Par. I. Canon. IV. Caſ. VI.*; Et noviſſimè reſolutum fuit à Sac. Congregatione Concilii, me ſtudente apud R.P.D. Lambertinum meritiſſimum ejuſdem Sac. Congregationis Secretarium *in Cajetana* 2. *Julii* 1718., ubi cum Gubernatores, ſeu Deputati electi à Civitate Cajetæ Patrona Cappellæ S. Eraſmi ad effectum, ut invigilent tam ſuper fabrica, & ornatu ejuſdem, quam ſuper conſervatione, & erogatione redditũum ad illam pertinentium, ſupplicaverint pro declaratione, quod duæ Statuæ argenteę, & quod alia quædam argentea ornamenta eſſent de libero dominio Civitatis, quæ de illis diſponere poſſet ad proprium uſum, etiam & commodum in caſu neceſſitatis, fuerunt diſputata infraſcripta Dubia:

Primo -- *An, & quale jus competat Civitati, & Deputatis ſuper Candelabris, Cruce, & aliis ornamentis argenteis, quæ à triginta annis citra ſemper inſervierunt pro ornatu Cappellæ S. Eraſmi, vel potiùs illa liberè ſpectant ad dictam Cappellam in caſu &c.*

Secundo -- *An, & quale jus competat eiſdem Civitati, & Deputatis ſuper duabus Statuis argenteis jam factis, & ſuper pecuniis exactis, & exigendis ex Gabellis, & aliis effectibus aſſignatis dictæ Cappellæ per Conſilium Civitatis, vel potiùs eędem liberè ſpectent ad eamdem Cappellam, in caſu &c.*

Tertio -- *An, & quo jure Epiſcopus cogere poſſit Deputatos, & Gubernatores dictæ Cappellæ ad reddendam rationem pecuniæ ad eos perventæ ex redditibus, & legatis dictæ Cappellæ, necnon ex Gabellis, & aliis effectibus aſſignatis eidem Cappellæ per Conſilium Civitatis, in caſu &c.*

Quarto -- *An Epiſcopo competat jus deputandi perſonam idoneam pro exactione Gabellæ Quartutii Piſcationis conceſſæ dictæ Cappellæ, & exigendi ab Exactoribus computa exacti, in caſu &c.*

Quibus Sacra Congregatio reſpondit. Ad Primum -- *Argenta, de quibus agitur liberè ſpectare ad Cappellam, eorum verò tantummodò cuſtodiam ad Deputatos* -- Ad Secundum -- *Statuas, & pecunias, de quibus agitur liberè ſpectare ad Cappellam, Cuſtodiam verò Statuarum, & adminiſtrationem reddituum tantummodò ſpectare ad Deputatos* -- Ad Tertium -- *Affirmativè ad formam Concilii Tridentini ſeſſ. 22. capit. 9. de reform.* -- Ad Quartum -- *Committendam eſſe Deputatis exactionem, & adminiſtrationem Gabellæ Quartutii Piſcationis, cum onere eam erogandi, & reddendi Epiſcopo rationem ad normam Decreti Sacræ Congregationis Epiſcoporum die 28. Auguſti 1683.*

ARGUMENTUM.

Nominatus, ſeu Præſentatus ſi intrà terminum non exhibuerit coram habente inſtituere nominationem, ſeu præſentationem, aut illam non acceptaverit, aut ei renunciaverit; an proviſio Beneficii liberè devolvatur ad Epiſcopum, vel potius Patrono competat novus terminus.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Nominatus ſi non exhibeat Inſtrumentum ſuæ nominationis intrà terminum ſtatutum coram Ordinario, an cauſet devolutionem, & præjudicet Patrono*. & nu. 3.

2 *Patrono competit novus terminus ad præſentandum, ſi Præſentatus non acceptet præſentationem, aut huic renunciet, aut hæc invalidetur, intrà quadrimeſtre, vel ſemeſtre*; & quare vide num. 5.

3 *Patronus ſi ſolùm conſignet nominato Inſtrumentum ſuæ nominationis, quantum in ſe non dicitur facere, quod facere tenebatur*.

4 *Nominatio, donec non exhibeatur coram habente inſtituere, non dicitur actus perfectus*.

6 *Impoſito à Fundatore Beneficii onere canendi unam Miſſam qualibet hebdomada in Eccleſia A., & Eccleſia B., an Rector ſit obligatus ad unam, vel ad duplicem Miſſam*. Vide ibi, & num. 7. & 10.

8 *Dictio* & *eſt copulativa*.

9 *In dubio facienda eſt interpretatio potius favorabilis, quam præjudicialis Animabus Teſtatorum*.

CASUS III.

IN limine fundationis cujuſdam Beneficii Patronalis pinguis redditus fuit à Fundatore impoſitum Rectori onus canendi in perpetuum in Eccleſia A., & Eccleſia B. unam Miſſam de Requie qualibet hebdomada; vacato hujuſmodi Beneficio, menſe proximè præterito, Patronus nominavit ad illud quemdam Sacerdotem, cui conſignavit Inſtrumentum nominationis; iſte autem Sacerdos nominatus dictum Inſtrumentum non exhibuit intrà quadrimeſtre coram Ordinario; eo quia ſciebat intentionem Epiſcopi eſſe adſtringere eum ad celebrationem duplicis Miſſæ cantatæ de Requie qualibet hebdomada, unius ſcilicet in Eccleſia A., & alterius in Eccleſia B., ad quam ſe ex lege fundationis adſtrictum non eſſe intendebat; quæritur proinde in hoc caſu:

Primo -- *An proviſio dicti Beneficii liberè devolvatur ad Epiſcopum, vel potius Patrono competat novus terminus*.

Secundo -- *An Rector ejuſdem Beneficii teneatur ad unam, vel ad duplicem Miſſam*?

1 Ad Primum reſpondendum videtur proviſionem Beneficii in hoc caſu non devolvi liberè ad Epiſcopum, ſed Patrono competere novum terminum ad præſentandum; quia negligentia Nominati in exhibendo Inſtrumentum ſuæ nominationis coram Ordinario intrà quadrimeſtre cauſare non debet devolutionem, & præjudicare Patrono, qui in conſignatione dicti Inſtrumenti totam fidem habuit in ipſo Nominato exiſtimans eum diligentem in proſequendo ſuam nominationem, ut tueri videtur *Perez Lara de Anniverſ. & Cappell. lib. 2. cap. 9. num. 5.*, ibi -- *Si tamen præſentatus à Patrono non proſequatur præſentationem, ut inſtitutionem obtineat, poterit Patronus alium præſentare, etiam quod lapſum eſſet quadrimeſtre, vel ſemeſtre, quia alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri, nec debet negligentia præſentati nocere Patrono*.

2 Eodem modo, quo ſi Præſentatus non conſentiat, ſeu non acceptet præſentationem, aut renunciet præſentationi, aut moriatur, ante vel poſt inſtitutionem, aut non conſequatur inſtitutionem in tempore ex culpa inſtituentis, abſque rationabili cauſa inſtituere denegantis, aut invalidetur ejus præſentatio propter aliquod occultum crimen intrà quadrimeſtre, vel ſemeſtre, proviſio Beneficii liberè non devolvitur ad Ordinarium; nec præjudicatur Patrono, ſed huic competit novus terminus ad præſentandum, incipiendo à die non acceptationis, vel renunciationis; vel mortis, vel invalidationis ejuſdem præſentationis; niſi adſit aliqua fraus e. g. niſi Patronus præſentet in ultimo die quadrimeſtris, aut ſemeſtris eum, quem certò ſcit præſentationi non conſenſurum, aut renunciaturum ad effectum habendi aliud quadrimeſtre, aut ſemeſtre, juxtà *Text. in cap. Si Electio de Electíon. in 6.*, ibi -- *Si electio ex eo non ſortiatur effectum, quia electus conſentire recuſat, vel poſt conſenſum renunciat juri ſuo, aut fortè diem claudit extremum, ſeu propter occultum ejus vitium irritatur, Electores (qui jam fecerant, quod ſpectabat ad ipſos infra juris terminum eligendo) habebunt à diſſenſu, renunciatione, morte, vel irritatione prædictis, ac ſi vacatio nova eſſet, tempus in integrum ad electionem aliam celebrandam, dummodo nil fraudulenter*

ter egerint in præmiſſis -- Qui Textus licèt loquatur de electione, extenditur etiam, & locum habet in præſentatione, juxta *Gloſs. ibi verb. Integrum verſ. Statutum*, *ibique Gemin. num. 6.*, *Navar. conſil. 25.*, *de Simon. num. 5.*, *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. par. 2. quæſt. prima art. 17. num. primo*, *& ſeqq. & art. 12.*, *Card. de Luc. de jurepatr. diſc. 64. num. 15.*, *Vivian. eodem tract. lib. 7. cap. 4. num. 30. & 32.*, *Rot. deciſ. 8. de jurepatr. in novis num. 3.*, *& in Mediolanen. Beneficii 18. Junii 1708. §. Narrativa coram R.P.D. Omaña*, *& in Piſana Cappellaniæ 5. Junii 1705. §. Multoque coram R.P.D. Lancetta*, *& in Piſana Beneficii 24. Januarii 1710. §. Et demum coram Eminentiſſimo Priolo*. Ergo etiam ſi nominatus intrà terminum non exhibuerit coram Ordinario ſuam nominationem, Patrono competere debebit novus terminus ad præſentandum à die non exhibitionis.

3 At contrarium verius de jure cenſeo; quoniam in hoc caſu non ſolùm Nominatus fuit negligens in exhibendo Inſtrumentum ſuæ nominationis in tempore coram Ordinario; verùm etiam ipſemet Patronus de negligentia redarguitur, dum conſignando præfato Sacerdoti à ſe nominato ſimplex Inſtrumentum nominationis; quantum in ſe, ex quo non præſentavit illum inſtituenti; non fecit, quod facere tenebatur, adeòut culpa eſt ipſius Patroni ſi intrà terminum ſequutus non fuit actus perfectæ præſentationis, ac proindè dignus eſt pœna devolutionis, & ut ipſi denegetur novus terminus ad præſentandum, ut expreſsè docent *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. par. 2. qu. 1. art. 22. num. 4.*, *Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 6. num. 39.*, *Vivian. de jurepatr. lib. 7. cap. 4. nu. 31.*, *Rot. dec. 3. de jurepat. in novis*, ibi -- *Reſpondebatur ad ultimum, quod non fecit prout debuit, quia licet ſufficeret electionem, ſeu præſentationem factam per Patronum eſſe præſentatam Electo, ſive præſentato infra tempus quoad hoc, ut conſentiat electioni, ſive præſentationi de ſe factæ, tamen quoad Superiorem, qui habet electum confirmare, vel præſentatum inſtituere id non ſufficit* -- *Rot. in Senogallien. Beneficii 23. Aprilis 1703. §. Probato cor. bo: me: Muto.*

Ea verò, quæ ſuperiùs objiciebantur, non obſtant; diſparitas namque eſt manifeſta, ſiquidem in primo caſu Patronus imputari non poteſt de negligentia, quia quantum in ſe eſt fecit actum perfectum, ſed in ſecundo caſu fuit negligens, dum non explevit actum perfectum, ſed im-
4 perfectum, nimirum ſimplicem nominationem, quæ donec non exhibeatur coram habente inſtituere, perfectæ præſentationis robur aſſumere non poteſt, nec dicitur actus perfectus, *Rot. in Ferrarien. Parochialis 17. Januarii 1718. §. Non obſtat coram R.P.D. Lancetta*, & dixi ſuperiùs *Par. I. Can. V. Caſ. II. num. 2. & 15.*, unde non mirum ſi in primo, & non in ſecundo caſu, ei competat novus terminus
5 ad præſentandum, quia ubi datur terminus ad aliquid agendum, aliàs incurritur pœna, ſufficit actum fieri, licèt non ſortiatur effectum ad evitandam pœnam, quæ imponitur ratione negligentiæ, ut teſtatur *Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 2. quæſt. 1. art. 17. num. 3.*

6 Deſcendendo autem ad ſecundum Dubium, reſpondendum videtur Rectorem ſupradicti Beneficii teneri ad unam, & non ad duplicem Miſſam; ita enim in ſimilibus terminis reſolutum apparet à Sacra Congregatione Concilii *in una Romana Legati 23. Julii 1718.*, ubi relictis à quadam Nobili Matrona Patribus Prædicatoribus Sanctorum Xyſti, & Clementis locis 60. Montis Sermonetæ his verbis -- *Laſcio luoghi 60. del medeſimo Monte Sermoneta alli Padri Domenicani de' Santi Siſto vecchio, e Clemente, con obbligo in perpetuo di cantarmi nell'una, e l'altra Chieſa, una Meſſa di Requie la ſettimana* -- fuit diſputatum -- *An Patres ad unam, vel ad duplicem Miſſam ſint obligati in caſu &c.* -- cui reſponſum fuit -- *Patres teneri ad unicam Miſſam*.

7 Sed re maturè perpenſa cenſeo in præſentiarum dicendum Rectorem hujuſmodi Beneficii canere teneri duplicem Miſſam de Requie qualibet hebdomada; unam videlicet in Eccleſia A., & alteram in Eccleſia B.; ita enim ſuadent verba Fundatoris, favor Animæ, & pinguis, ac ſuperabundans eleemoſyna pro hujuſmodi celebratione ab eodem Fundatore aſſignata.

Et quidem reflectendo ad verba, Fundator juſſit cantari in perpetuum unam Miſſam de Requie in Eccleſia A., & in

Eccle-

Eccleſia B. qualibet hebdomada, quæ verba demonſtrant eius voluntatem fuiſſe ut canatur duplex Miſſa, altera videlicèt in Eccleſia A. & altera in Eccleſia B.
8 juxta naturam dictionis *Et*, quæ eſt copulativa, & coniunctiva, *Barboſ. de Diction. dict.* 110. *num.* 3., maximè cùm Fundator ad hunc effectum reliquerit Rectori pingue ſtipendium non ſolùm ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans pro celebratione duplicis Miſſæ cantatæ qualibet hebdomada; quod pingue ſtipendium à Fundatore relictum pro una Miſſa canenda in Eccleſia A., & in Eccleſia B., præſumere facit ejuſdem Fundatoris animum fuiſſe, ut cantetur duplex Miſſa, *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.* 2. *c.* 3. *n.* 50.; Præ-
9 ſertim ita dictante pietate erga Animam d. Fundatoris, dum in dubio quando nulla ſequitur contrarietas, & fieri poteſt, facienda eſt interpretatio potius favorabilis, quàm præjudicialis Teſtatorum animabus, *Card. de Luc. de Legat. diſc.* 49. *num.* 9.
10 Hinc non applicatur ſupradicta reſolutio Sac. Congregationis Concilii; ibi enim concurrebant variæ circumſtantiæ, doctiſſimè ab R. P. D. prælaudato Lambertino Secretario in Folio ponderatæ, ratione quarum juſtè declaratum fuit Patres Dominicanos Sanctorum Xyſti, & Clementis ad unicam Miſſam teneri.

Prima enim erat, quòd Teſtatrix optimè ſciebat eoſdem Patres non ſemper, & per totum annum habitare conſueuiſſe in uno ex dictis Conventibus, ſed ob aeris inclementiam conſueuiſſe modo habitare in Conventu S. Xyſti, modo in Conventu S. Clementis. Veriſimile ergo eſt, quòd ipſa voluerit Patres obligare ad Miſſæ celebrationem in ſola Eccleſia illius Conuentus, in quo ipſi degerent, & ſic ad unius tantùm Miſſæ celebrationem qualibet hebdomada.

Secunda eſt quod Teſtatrix Patres obligavit non ad celebrationem Miſſæ lectæ, ſed ad celebrationem Miſſæ ſolemnis, ſeu decantatæ -- *Con obbligo in perpetuo di cantarmi una Meſſa di Requie* -- cùm autem Miſſa cantata exigat præſentiam non vnius ſimplicis Sacerdotis, ſed omnium Patrum infertur, quòd ipſa voluerit unius tantùm Miſſæ celebrationem qualibet hebdomada, aliàs dicendum eſſet, quòd voluiſſet, ut qualibet hebdomada Patres, aut à Conventu S. Clementis ad Conventum S. Xyſti, aut à Conventu Sancti Xyſti irent ad Conventum S. Clementis pro Miſſa canenda, quod videtur abſurdum, & onus intolerabile.

Tertia eſt, quod Teſtatrix collectivè, & per modum unius locuta eſt de Patribus S. Clementis, & S. Xyſti -- *Laſcio luoghi seſſanta alli Padri Domenicani de' Santi Siſto vecchio, e Clemente* -- Idem ergo judicium ferendum eſt quoad eam partem Teſtamenti, in qua demandavit Miſſæ celebrationem qualibet hebdomada -- *Nell'una, e l'altra Chieſa de' Santi Siſto, e Clemente* -- in quorum rerum ſtatu non eſt neceſſe, quòd duplex Miſſa canatur, ſed una ſufficit, quæ cantetur qualibet hebdomada in altera ex dictis Eccleſiis.

Quarta tandem eſt, quod Patres de Familia Conventuum S. Clementis, & S. Xyſti ſemper conſiderati ſunt per modum unius, itaut Sacra Congregatio ſuper diſciplina Regularium declaraverit *die* 13. *Auguſti* 1700., quod expletus cenſeatur annus Novitiatus, etiamſi Novitii, qui habitum receperunt in Conventu S. Xyſti, menſibus æſtivis propter aeris inclementiam tranſeant ad Conventum S. Clementis. Quæ circumſtantiæ cum non concurrant in caſu præſenti, proindè dicta reſolutio non obſtat.

ARGUMENTUM.

Epiſcopus conferendo liberè Beneficium Patronale jure devoluto ob non factam in tempore Præſentationem à Patrono, an teneatur legem fundationis ſervare.

SUMMARIUM.

1 *CollatioBeneficii liberè facta ab Ordinario jure devoluto Perſonæ non qualificatæ ad formam fundationis eſt nulla.*
2 *Patronis Laicis in Jurepatronatus mixto competit ſemeſtre ad præſentandum.*
3 *Diſtinguuntur plures ſpecies qualitatum Beneficiorum.*
4 *Epiſcopus conferens Beneficium jure devoluto ob non factam à Patronis præſentationem in tempore tenetur obſervare leges, & qua-*

& qualitates fundamentales Beneficii.

5 *Immò, & ipſemet Summus Pontifex has qualitates obſervare debet in ſuis Proviſionibus jure reſervato faciendis*. Limita ut num. 6.

7 *Epiſcopus conferens Beneficium jure devoluto tenetur obſervare qualitates extrà fundamentales auctoritate Apoſtolica approbatas.*

8 *Has tamen non tenetur obſervare Summus Pontifex in ſuis Proviſionibus; & quare?* Vide ibi.

9 *Epiſcopus in ſuis collationibus liberè faciendis jure devoluto, non tenetur obſervare leges, ſeu qualitates extrafundamentales Beneficii ex ſola concordia, & conventione Patronorum extrà limen fundationis appoſitas; & quare?* Vide ibi.

10 *Requiſita à Patronis peritia Cantus in Presbytero ad Beneficium præſentando extra limen fundationis abſque auctoritate Apoſtolica, Epiſcopus validè poteſt jure devoluto illud conferre Presbytero ſolùm practicè, & non theoricè canere ſcienti*. Amplia, ut ibi, & num. 11.

12 *Requiſita à Fundatore in limine fundationis Beneficii peritia Cantus in perſona præſentanda; an iſta teneatur canere cantu figurato?*

CASUS IV.

Cum vacaſſet die prima Januarii Beneficium de Jurepatronatus promiſcuè ſpectante ad eos de familia Fundatoris, ac ad Capitulum Eccleſiæ Cathedralis A., vbi fundatum erat, & debitum non ex fundatione, ſed ex ſimplici conventione, & concordia extrafundamentali inita ſolùm inter Patronos, abſque confirmatione Apoſtolica; Presbytero in cantu erudito; Epiſcopus expectato lapſu ſemeſtris, cùm non vidiſſet coram ſe factam ullam præſentationem, jure devoluto liberè contulit dictum Beneficium Presbytero ſolùm ex quodam practico uſu, non autem ex ſcientia Muſicæ in cantu perito; Quæritur, an hujuſmodi collatio ſuſtineatur.

1 Negativam reſolutionem hujus dubii ſuadere videtur qualitas Beneficii, iſtud enim affectum dignoſcitur certo generi perſonarum, nimirùm Presbyteris in cantu eruditis, quare collatio ejuſdem Beneficii liberè facta ab Epiſcopo jure devoluto favore Presbyteri diverſi generis, & cantu ex primis Muſicæ principiis minimè pollentis, videtur inſanabiliter nulla. *Perez Lara de Anniverſ., & Cappell. lib. 2. cap. 2. ex num. 1., Garz. de Benefic. par. 7. cap. 15. num. 1. & 6., Pax Jordan. elucubrat. tom. 2. lib. 10. tit. 26. num. 1. & ſeqq., Murg. de Benef. quæſt. 3. num. 863. & 866.*, & alii apud *Rot. in Majoricen. Subpræcentoriæ 12. Januarii 1703. §. Et equidem coram R.P.D. Anſaldo.*

Hoc tamen non obſtante veritas eſt in contrarium, ſiquidem tam illi de familia Fundatoris, quàm Capitulum Eccleſiæ Cathedralis A., quibus promiſcuè competit Juſpatronatus præſentare omiſerunt coram habente inſtituere perſonam idoneam, & habilem ad controverſum Bene-
2 ficium intrà ſemeſtre; quod in Jurepatronatus mixto competit Patronis Laicis ratione communionis, quam habent cum Patronis Eccleſiaſticis, ſive mixtura ſit æqualis, ſive inæqualis, quia majus dignum trahit ad ſe minus dignum, juxta *Gloſs. in hoc Canone §. Verum, Perez Lara de Anniverſ. & Cappell. lib. 2. cap. 2. nu. 15. Garz. de Benef. par. 5. cap. 9. num. 210., Capon. diſcept. 74. num. 29. tom. 2., Vivian. de jurepatr. lib. 7. cap. 1. num. 9. & ſeq., Cardin. de Luc. eodem tract. diſc. 64. num. 3. & ſeq.*: Ac proindè validè potuit Epiſcopus dictum Beneficium liberè conferre jure devoluto, juxta auctoritates plenè ſuperiùs cumulatas *Caſ. I. num. 1.*

Non obſtat, quòd Epiſcopus liberè contulerit hoc Beneficium Presbytero diverſi generis, & non obſervaverit quali-
3 tatem ejuſdem Beneficii. Pro remotione namque hujus objecti diſtinguo plures ſpecies qualitatum Beneficiorum; Aliæ enim ſunt qualitates fundamentales, ſeu appoſitæ in limine fundationis Beneficii de conſenſu Ordinarii; & aliæ extrafundamentales, ſeu appoſitæ extra limen fundationis de conſenſu Patronorum, & cum approbatione Summi Pontificis, & aliæ, quæ ſunt appoſitæ extra limen fundationis ex ſola, & ſimplici conventione, & concordia Patronorum.

4 Epiſcopus quando confert jure devoluto ob non factam à Patronis præſentationem in tempore tenetur obſervare qualitates fundamentales Beneficii, & illud conferre perſonæ qualificatæ ad formam

mam fundationis, *Roch. de Curt. de Jurepat, verb. honorificum num.* 8., *Lambertin. eod. tract. lib.*2.*par.*3. *quæſt.*7. *art.*13. *numer.*2., *Vivian. eodem tract. par.* 3. *lib.*14. *cap.*6. *num.* 24., *Garz. de Benefic. par.* 11. *cap.*3. *num.*42., *Caren. reſol.* 156. *num.* 4., *Perez Lara de Anniverſ. & Cappell. lib.* 2.
5 *cap.*10. *num.*27.; Immo ipſemet Summus Pontifex in ſuis Proviſionibus obſervare debet hujuſmodi qualitates fundamentales, & lex ſeu qualitas in limine fundationis Beneficii legitimè appoſita comprehendere debet, etiam Proviſos Apoſtolicos, nè aliàs Fideles à fundationibus Beneficiorum retrahantur; *Rot. deciſ.*375. *num.*5. *& ſeq. par.*4. *tom. primo*, *& deciſ.*665. *num.*14. *par.*18. *Rec. & dec.*73. *num.*14. *& ſeq. coram Cerro*, *& in Leodien. ſeu Aquiſgranen. Canonicatus ſuper bono jure* 7. *Martii* 1701. §. *Non obſtantibus cor. Eminentiſſimo Scotto*, *&* 22. *Januar.* 1703. §. *Quidquid coram bo: me: Molines.* Adeout ſi Epiſcopus conferat Beneficium non ſer-
6 vatis ejus qualitatibus fundamentalibus, collatio eſt nulla, ſi qualificatus non compareat coram Collatore, nec petat ſibi conferri Beneficium intra quadrimeſtre, aut ſemeſtre, quia ſi non comparet nec petit intrà dictum terminum, Beneficium validè conferri poteſt, etiam favore non qualificati, quia videtur renunciare juri ſuo, & Superior Collator non tenetur illum requirere, aut expectare, *Corrad. in prax. Benef. lib.*2. *cap.*12. *à nu.*59. *ad* 62., *Gonzal. ad regul.* 8. *gloſs.* 56. *numer.* 88. *& ſeq.*, *Rot. deciſ.* 383. *num.* 18. *par.*16. *Rec.*, *& in Dertuſen. Beneficii* 29. *Aprilis* 1701. §. *Licet enim coram R. P. D. Lancetta*, *& in Valentina Beneficii* 16. *Januarii* 1704. §. *Quamvis coram eodem*, *& in Barchinonen. Beneficii* 13. *Januarii* 1710. §. *Replicatione coram R. P. D. Aldrovando.*

7 Tenetur etiam Epiſcopus conferens jure devoluto obſervare leges, ſeu qualitates extrafundamentales appoſitas à Patronis extra limen fundationis Beneficii cum auctoritate, & approbatione Sedis Apoſtolicæ: quia iſtæ leges extrafundamentales auctoritate Apoſtolica approbatæ dicuntur leges Papales, quibus inferiores Collatores neceſſitatem habent parendi. *Lotter. de re Benef. lib.* 2. *qu.* 43.
8 *num.*8. *&* 11.; Eas verò obſervare non tenetur Summus Pontifex in ſuis Proviſionibus per ipſum jure reſervato faciendis, quia ipſe per quamcumque etiam ſpecialem confirmationem qualitatum, quæ activè, aut paſſivè concurrere debent in certis perſonis, non cenſetur ſibi, aut ſuis Succeſſoribus legem imponere, propriamque auctoritatem reſtringere, *Preb. ad Monach. in cap. primo de conſtit. num.* 10. *verſ. poſſet*, *& num.* 11. *verſ. tu tamen attende*, *Rot. deciſ.*630. *num.*11. *& ſeq. par.* 4. *tom.* 3. *& deciſ.* 127. *num.* 14. *par.*9. *& deciſ.*343. *num.*12. *& ſeq. par.*16. *& deciſ.*665. *num.*14. *& ſeqq. par.*18. *Rec. & in dicta Leodien.*, *ſeu Aquiſgranen. Canonicatus ſuper bono jure* 7. *Martii* 1701. §. *final. coram Eminentiſſimo Scotto*, *&* 22. *Januarii* 1703. §. *Verum coram bon: mem: Molines.*

9 Sed non adſtringitur Epiſcopus, caſu quo negligentibus Patronis præſentare intrà quadrimeſtre, aut ſemeſtre, Beneficium ad ipſum liberè devolvatur, in hujus collatione obſervare eas conditiones, leges, & qualitates, quæ ex ſola concordia, & conventione Patronorum fuerunt de novo appoſitæ extrà limen fundationis; Etenim in primis non aliter eſt permiſſum Patronis apponere conditiones, niſi in limine fundationis Beneficiorum iuxta *Canonem XXVII.*; de quo *Par. II.*; deindè ſola eorum conventio, & concordia exigendi certas qualitates ad effectum, ut quis obtinere poſſit Beneficium auctoritate Apoſtolica non confirmata, quamvis admittatur, quod comprehendere valeat eas proviſiones Beneficii, quæ fiunt ad eorum præſentationem, tamen comprehendere nequit eas, quæ fiunt ab Ordinario jure devoluto, quia Patroni extra limen fundationis Beneficii non habent facultatem imponendi Ordinarijs legem in collationibus Beneficiorum, ad eorum liberam diſpoſitionem jure devoluto ſpectantium, ad *Text. in cap. Cum inferior de major. & obed.*, *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæſt.* 38. *num.* 11. *& ſeqq.*, *Rot. deciſ.*375. *par.*4. *tom. primo Rec. & in dicta Leodien.*, *ſeu Aquiſgranen. Canonicatus ſuper bono jure* 7. *Martii* 1701. §. *Firmata coram Eminentiſſimo Scotto.*

10 Præſuppoſita hujuſmodi diſtinctione; in caſu præſenti qualitas, ſeu conditio peritiæ cantus eſt extrafundamentalis de

novo appoſita extra limen fundationis Beneficii ex ſola concordia, & conventione Patronorum à S. Sede minimè roborata, adeóque Epiſcopus non tenetur illam obſervare in ſuis collationibus jure devoluto, ſed validè potuit conferre dictum Beneficium Presbytero ſolùm practicè ex quodam uſu, & non theoricè ex certa ſcientia Muſicæ in cantu erudito; etiamſi concurreret obſervantia, & conſuetudo centenaria in contrarium; nimirùm etiamſi plures fuiſſent liberè proviſi ab Ordinario jure devoluto, qui habuiſſent perfectam ſcientiam Muſicæ, hujuſmodi namque obſervantia, adhuc non mereretur attendi, niſi probaretur cum ſuis requiſitis, & circumſtantiis, videlicet, quòd aliquis non habens ſcientiam Muſicæ liberè proviſus de Beneficio fuerit rejectus, & rejectioni acquievit, etiam cum ſcientia Ordinarii, alias proviſiones liberè factæ ab Ordinariis pro tempore in perſonis habentibus perfectam ſcientiam Muſicæ dicerentur potiùs actus facultativi, quàm coactivi. *Rot. deciſ.630. nu.14. & ſeq. par.4. tom.3. Rec. & in Cavallicen. juris intereſſendi 2. Maji* 1701. §.*Cæterum coram bo: me: Molines, & in dicta Leodien. ſeu Aquiſgranen. Canonicatus 22. Januarii* 1703. §.*Proindeque coram eod.*

11 Immò etiam ſi admittatur, quod conditio peritiæ cantus ſit fundamentalis, & appoſita in limine fundationis dicti Beneficii; adhuc hujus collatio liberè facta ab Ordinario ob omiſſam à Patronis præſentationem in tempore favore Presbyteri, qui ſcit tantùm canere practicè. & non theoricè, dicenda eſſet valida; Quia cùm non ſit diſtinctum, nec determinatum, quænam cantus peritia concurrere debeat in Presbytero, an illa quæ provenit ex practico uſu, & quæ ex auditu deprehenditur, vel potius illa, quæ poſſidetur ex ſcientia Muſicæ, dicta peritia cantus indiſtinctè debet intelligi de utraque, adeòut ad validitatem collationis ſufficiat, quòd Presbyter ſciat canere ex practico uſu: ut in his terminis expreſſè tuetur *Rota in Majoricen. Collegiaturæ 13. Martii* 1708. §. *Nec reſiſtit coram bon: me: Omanna*.

12 Quæro hic an ex eo, quòd Fundator in limine fundationis Beneficii exegerit in Presbytero præſentando peritiam cantus iſte teneatur canere cantu figurato, & modis muſicis.

Reſpondeo negativè, quia ex ſola peritia cantus, quam Fundator deſideravit in dicto Presbytero, iſte gravari non poteſt majori onere, ſcilicet canendi cantu figurato, quod per ipſum Fundatorem non fuit ei in fundatione impoſitum, ut in his terminis reſolutum fuit à Sac. Congregatione Concilii *in Veliterna Cantus 23. Februarii* 1715.*& 25. Januarii* 1716., ubi cum ex diſpoſitione cujuſdam Fulviæ Caldenſis fundata fuerint quatuor Beneficia in Eccleſia Veliterna, & fuerit impoſitum quatuor Beneficiatis, qui Caldenſes nuncupantur, onus ſcientiæ cantus his verbis -- *Fructus Bonorum hæreditariorum æqualiter dividantur inter quatuor perſonas Veliternas idoneas, & canere ſcientes cantu figurato, inſervientes continuò in Choro, prout Canonici Cathedralis inſervire tenentur, necnon teneantur Anniverſaria quinque celebrare, quæ Beneficia voluit eſſe de jurepatronatus ſui Viri* -- Et cùm alia duo Beneficia fuerint erecta in eadem Cathedrali ſub invocatione S. Jo: Euangeliſtæ, ac S. Catharinæ ex diſpoſitione Cardinalis Jeſualdi -- *Pro duobus Presbyteris in cantu etiam figurato peritis, quorum præcipuum munus ſit, cùm opus erit, canere, quique, dictæ Eccleſiæ inſerviendo perſonaliter apud eam reſidere, ac omnibus horis, & Officiis Divinis intereſſe, eaque in Choro ſimul cum Canonicis in inferiori loco conſidentes recitare, & decantare teneantur* -- prætenſionem excitavit Promotor Fiſcalis, quod tum Beneficiati Caldenſes, tum etiam Beneficiati S. Jo: Euangeliſtæ, ac S. Catharinæ reſpectivè, ex onere in eorum erectione injuncto adſtricti forent quibuſque anni feſtivitatibus, ad Organum muſicis modis canere; Hinc diſputata fuerunt infraſcripta Dubia

Primo -- *An Beneficiati Caldenſes teneantur canere cantu figurato in caſu &c. & quatenùs affirmativè*.

Secundo -- *In quibus Feſtivitatibus, & quo loco, & quatenùs affirmativè*.

Tertio -- *An, & qua punctatura, ſeu pœnis Beneficiati prædicti ſint mulctandi in caſu deficientiæ, in caſu &c.*

Quarto -- *An Beneficiati Sanctæ Catharinæ, & Sancti Joannis Euangeliſtæ teneantur*

neantur canere cantu figurato in caſu &c. & quatenùs affirmativè.

Quintò -- *In quibus feſtivitatibus, & quo loco, & quatenus affirmativè.*

Sextò -- *An, & qua punctatura, ſeu pœnis Beneficiati prædicti ſint mulctandi in caſu deficientiæ, in caſu &c.*

Super quibus emanavit reſcriptum; ad Primum *Negativè*; ad Secundum, & Tertium, *Proviſum in primo*; ad Quartum, *Affirmativè*; ad Quintum, & Sextum, *Arbitrio Ordinarii*. Repropoſita Cauſa *die* 25. *Januarii* 1716. ſub conſueto Dubio -- *An, & in quibus ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die* 23. *Februarii* 1715. *in caſu &c.* -- prodiit reſponſum -- *In deciſis quoad Caldenſes, & quoad Beneficiatos S. Catharinæ, & S. Jo: Evangeliſtæ recedendum à deciſis.*

ARGUMENTUM.

Exiſtente de tempore vacationis Beneficii Patronalis Perſona qualificata, & habili ad formam Fundationis, an Patronus poſſit differre præſentationem uſque ad ultimum diem termini, ut interim altera Perſona non qualificata, quam intendit præſentare, intrà eumdem terminum qualificetur.

SUMMARIUM.

1 *Lex in omni diſpoſitione fraudem abominatur.*

2 *Comparitio, & oppoſitio paſſivè vocati aſſimilatur, & æquipollet præſentationi.*

3 *Patronus differre non poteſt præſentationem uſque ad ultimum diem termini, ad effectum, ut inhabilis, hoc medio tempore habilitetur, & præſentari valeat, quando habilitas requiritur de tempore vacationis, ſecùs ſi requiratur de tempore præſentationis, aut inſtitutionis,* & numero 4.

CASUS V.

Fundavit, ac dotavit quidam pius Teſtator Beneficium ſimplex in Eccleſia A, cum reſervatione Jurispatronatus activi favore Primogeniti ſui Fratris, & ſic de Primogenito in Primogenitum, Juris verò patronatus paſſivi favore eorum de ſua familia, ordinando, quod ad hujuſmodi Beneficium ſemper nominetur, ac præſentetur, ac provideatur aliquis de dicta familia, & ſi contigerit nullum reperiri de eadem familia, qui velit inſervire prædicto Beneficio, tunc, & eo caſu Patronus poſſit deputare aliquem Sacerdotem ad ſervitutem ejuſdem Beneficii, donec, & quouſque adſit aliquis de dicta Familia, qui de eo provideri poſſit. Vacato nuper Beneficio Titius de familia contemplata, cùm ſolus eſſet de tempore vacationis Clericus, & ſic capax obtinendi prædictum Beneficium comparuit, & inſtetit coram Ordinario, ut præſentaretur à Patrono intrà terminum ſex dierum, aliàs eis elapſis, ſi præſentatio de ſe facta non fuerit, ſibi adjudicaretur Beneficium, vigore paſſivæ vocationis ejuſdem Fundatoris. E' contrà Patronus cupiens præſentare Cajum de eadem Familia, qui de tempore vacationis erat laicus, ut ita ſe habilitare poſſet, & ſuſcipere Clericatum tempore habili, ad effectum ut præſentari valeret, non curavit præfatam inſtantiam Titii, ſed comparuit coram Ordinario, petens ſibi indulgere tempus à jure conceſſum ad præſentandum, & diſtulit præſentationem uſque ad ultimum diem quadrimeſtris, quo præſentavit Cajum, qui antecedenter Clericatum ſuſcepit, & ſe habilitavit, & inſtitutus fuit ab Ordinario. Hinc quæritur, an Patronus exiſtente de tempore vacationis Titio Clerico habili de familia contemplata, & inſtante, ut præſentetur, potuerit differre præſentationem uſque ad ultimum diem quadrimeſtris, ad effectum ut Cajus de eadem familia ſe habilitari, & præſentari potuiſſet.

Primo aſpectu dicendum videtur non potuiſſe Patronum differre in hoc caſu præſentationem uſque ad ultimum diem termini, cùm dilatio hæc videatur fraudulenta facta, nimirùm ut hoc medio tempore Cajus inhabilis de Familia Fundato-

datoris habilitaretur intrà quadrimeſtre, ad effectum ut præſentari poſſet ad excluſionem Titii de eadem Familia jam antecedenter habilis de tempore vacationis Beneficii, ac proinde venit impro-
1 banda, juxta cenſuram Legis, quæ in omni diſpoſitione fraudem abominatur, & diſpoſitionem taliter factam reddit irritam, & nullam, *Cyriac. controv.* 254. *num.* 1. *Oldrad. conſil.*257. *num.*41. *propè fin. verſ. Fraus inſuper, Lambertin. de Jurepatr. lib.*2. *par.*2. *quæſt.*1. *art.*12. *num.*8. *Tuſch. concluſ. jur.*474. *litt.F. num.*1. *Rota deciſ.* 605. *num.* 16. *par.* 5. *tom.* 2. *& deciſ.* 536. *num.* 167. *parte* 4. *tom.* 3. *Rec.*

2 Sed adſtrictus erat Patronus præſentare eumdem Titium de tempore vacationis habilem, & iſte erat ab Ordinario inſtituendus, etiamſi non fuiſſet à Patrono præſentatus, dum quando quis eſt paſſivè vocatus per Fundatorem non indiget præſentatione Patroni, ſed dicitur præſentatus per Fundatorem, *Abb. in cap. Cum in cunctis* §.*Inferior n.*10. *cum ſeq. de Elect.*, *Rot. in Aſten. Beneficii* 10.*Decembris* 1714.§.*Et è contra cor. R.P.D. Anſald.*, *& in Gerunden. juriſpatronatus* 4.*Februar.*1715. §. *Imò coram R.P.D. Lancetta*. Et per oppoſitionem, ſeu comparitionem, quam ipſe facit intrà quadrimeſtre, aut ſemeſtre coram Ordinario, dicitur illi jus quæſitum, cùm comparitio, & oppoſitio aſſimiletur, & æquipolleat præſentationi, *Cardin. de Luca de jurepatr. diſcurſ.* 49. *num.* 8. *Rota deciſ.*252. *num.*2. *& ſeq. cor. Puteo lib.*3. *& deciſ.*99. *nu.*1. *cor. Pamphil.*

3 Pro reſolutione tamen hujus quæſtionis tria diſtinguenda ſunt tempora nimirum, tempus vacationis Beneficii, tempus præſentationis, & tempus inſtitutionis; ſi habilitas, & capacitas aſſequendi Beneficium requiratur de tempore vacationis; tunc certè Patronus prorogari non poteſt præſentationem uſque ad ultimum diem quadrimeſtris, aut ſemeſtris, ad effectum ut inhabilis hoc medio tempore habilitetur, & præſentari valeat, ſed tenetur præſentare eum, qui de tempore vacationis erat habilis, & ſi hunc præſentare negligat, debet tamen hoc non obſtante iſte habilis de tempore vacationis inſtitui ab Ordinario, dummodo intrà terminum compareat coram hoc, & inſtet ſibi conferri Beneficium, quia in hoc caſu utpote præſentatus ab ipſomet Fundatore, non indiget præſentatione Patroni; & ejus comparitio, oppoſitio, & inſtantia, facta intrà quadrimeſtre, aut ſemeſtre coram habente inſtituere habetur loco præſentationis ex auctoritatibus ſuperiùs relatis
4 §. *Sed*. Si verò eadem habilitas, & capacitas requiratur de tempore præſentationis, aut inſtitutionis optimè poteſt Patronus differre præſentationem uſque ad ultimum diem termini; & præſentare eum, qui hoc interim ſe habilitavit, non obſtante, quod de tempore vacationis aderat alius habilis, & Ordinarius tenetur ſuperſedere uſque ad ultimum diem termini, ut docent *Lambertin. de jurepatr. lib.*2. *par.*2. *quæſt.*1. *artic.*13. *Perez de Lara de Anniverſ. & Cappell. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 51. *& ſeqq. Cardin. de Luca de jurepatr. diſcurſ.* 45. *num.* 8. & notavi ſuperiùs *Par. I. Can. V. Caſ. XIII. num.*4.

Nos in præſentiarum verſamur in hoc ſecundo caſu, dum qualitas Clericatus non fuit requiſita à Fundatore in eo de familia contemplata de tempore vacationis, ſed de tempore præſentationis; unde validè potuit Patronus diferre præſentationem uſque ad ultimum diem quadrimeſtris, & expectare capacitatem Caji, quem præſentare intendebat, non obſtante oppoſitione, & inſtantia Titii ejuſdem familiæ habilis de tempore vacationis. Hinc patet reſponſio ad incontrarium allata; procedunt ſiquidem illæ in caſu, quo capacitas, & habilitas fuerit à Fundatore requiſita de tempore vacationis, non verò de tempore præſentationis, aut inſtitutionis.

ARGUMENTUM.

Terminus ad præſentandum à jure Patronis conceſſus, an abbreviari, aut prorogari poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Papa habet pleniſſimam poteſtatem prorogandi, & abbreviandi terminum Patronis à jure conceſſum ad præſentandum.*

2 *Præſentatio facta in tempore prorogato, dicitur facta intrà legitima tempora.*

3 *Epiſcopus poteſt prorogare terminum in ſui præjudicium.*

4 *Poteſt etiam illum abbreviare in Edicto per*

per eum apponi ſolito antè proviſionem Beneficii.

5 *Fundator in limine fundationis de conſenſu Ordinarii poteſt abbreviare, & prorogare terminum ad præſentandum.*

6 *Gratia prorogationis termini obtenta à Patrono abſque expreſſione præſentationis præventivè factæ ab altero Compatrono eſt nulla*, & num.9.

7 *Legitimè præſentatus eſt inſtituendus.*

8 *Præſentatio facta elapſo quadrimeſtri Patronis ad præſentandum ſtatuto, nullius eſt efficaciæ.*

10 *Gratia ſub falſo ſuppoſito expiſcata nullius eſt roboris.*

11 *Præſentatio perſonæ non habentis legitimam ætatem ad beneficium Curatum conſequendum eſt nulla.*

CASUS VI.

Vacato Beneficio de Jurepatronatus pro una vice ad Familiam A, & pro altera ad Familiam B, æqualiter ſpectante. Illi de Familia A, præſentarunt Clericum habilem, & idoneum in penultima die quadrimeſtris, illi verò de Familia B, in ultima die ejuſdem quadrimeſtris obtinerunt à Papa, abſque tamen expreſſione dictæ præſentationis præventivè factæ prorogationem aliorum duorum menſium, intrà quos præſentarunt alium Clericum, pariter idoneum. Quæritur, an hujuſmodi prorogatio termini ſuſtineatur.

1 Reſpondendum videtur affirmativè; certum namque, ac indubitatum eſt Summum Pontificem pleniſſimam habere poteſtatem prorogandi, ac abbreviandi terminum à jure ſtatutum Patronis ad præſentandum; unde de validitate dictæ prorogationis termini eis de Familia B, con-
2 ceſſæ ambigi minimè poſſe videtur; ſicuti neque dubitari poteſt de ſubſiſtentia præſentationis per eos factæ in termino prorogato, dum tempus prorogatum dicitur tempus legitimum, & præſentatio in eo facta dicitur facta intrà legitima tempora, *Rota deciſ.74. num.25. & ſeq. par.16. Recent. & in Piſana Cappellaniæ 5. Junii 1705. §. Obreptio, coram R. P. D. Lancetta.*

3 Immò non ſolùm Summus Pontifex, ſed & ipſemet Epiſcopus poteſt prorogare hujuſmodi terminum in ſui præjudicium, & Patronum elapſo termino gratiosè admittere ad præſentandum intrà tempus, quo durat devolutio ad ipſius favorem, non verò poſteà tempore, quo jus quæſitum, & collatio devoluta fuit ad alium ſuperiorem, *Lambertin. de jurepat. lib.2. par.2. qu.1. art. 27. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.3. alleg.72. num.143. Tondut. quæſt. benefic. par. 2. cap. 4. §. 9. num. 28. Rota in Senogallien. Beneficii 23. Aprilis 1703. §. Excluſa, coram bonæ mem. Muto, & in Mediolanen. Beneficii 18. Junii 1708. §. Altero, coram bo: me: Omanna.*

4 Ac illud abbreviare in Edicto, per eum apponi ſolito ante proviſionem Beneficii, cum hac tamen animadverſione; quod aut Edictum apponitur ab Epiſcopo ad inſtantiam alicujus petentis inſtitutionem, aut collationem Beneficii, & tunc Patroni, & alii intereſſe habentes, habita illius notitia, tenentur comparere in termino in Edicto præfixo, & præſentare aliàs ſi taceant, & non præſentent, & elapſo termino Edicti ſequta ſit valida inſtitutio, non poſſunt ampliùs præſentare, etiamſi adhuc duret terminus juris, nimirum quadrimeſtris, aut ſemeſtris, quia tacendo ſibi præjudicant Patroni, ſecùs ſi adhuc non ſit ſequuta valida inſtitutio, quia tunc non obſtante, quod ſit elapſus terminus Edicti, dummodò duret terminus juris, Patronus poteſt comparere, & præſentare; Aut Edictum apponitur ab Epiſcopo nullo inſtante, & tunc abbreviatio termini in ipſo facta eſt valida, ſi Patroni non contradicant, ſi verò compareant, & petunt ſibi indulgeri tempus à jure conceſſum, non ſuſtinetur, dum Epiſcopus terminum juris nequit Patronis denegare, aliter eſſet ſacris Canonibus derogare, & jus tertii tollere, quod ſoli Papæ, & non Epiſcopis eſt permiſſum, *Oldrad. conſ.3. per tot. Lambertin. de jurepatr. lib. 2. par.2. quæſt.1. art. 28. Garz. de Benefic. par.9. cap.4. num.8. cum ſeqq. Perez de Lara de Anniverſ. & Cappell. lib.2. cap.9. num.46. & ſeqq. Lotther. de re benefic. lib.2. qu.13. num.50. & ſeqq. Barboſ. de offic. & poteſtate Epiſcopi par.3. allegat.72. num. 143. Vivian. de jurepatr. lib.6. cap.7. num.4. & ſeqq. Card. de Luca eodem tract. diſcurſ. 49. num. 3. & ſeqq.*

5 Inſuper ipſe quoque Fundator recedere poteſt à diſpoſitione hujus *Canonis*, abbre-

breviando, aut prorogando tempus ad præſentandum in limine fundationis Beneficii de conſenſu Ordinarii, *Perez de Lara de Anniverſ. & Cappell. lib.* 2. *cap.*9. *num.* 29. *Vivian. de jurepatr. par.* 2. *lib.*7. *cap.*1. *num.*16. *& ſeq. Card. de Luca eodem tract. diſc.* 64. *num.* 14. *Ventrigl. in prax. rerum Eccleſ. par.*2. *annot.*1. §.3. *n.*33.

6 Verumtamen contrarium tuendum eſt; quoniam in hoc caſu gratia prorogationis termini eſt evidenter ſubreptitia, dùm fuit obtenta ab eis de Familia B, abſque expreſſione præſentationis præventivè factæ ab eis de Familia A, & abſque mentione judicialis inſtantiæ factæ per Præſentatum pro obtinenda inſtitutione. Si enim Summo Pontifici hæc omnia fuiſſent narrata, aut gratiam prorogationis termini non conceſſiſſet, aut difficiliùs, cùm nunquam intendat præjudicare juri quæſito præventivè Præſentati ſuper Beneficio; ut in his terminis definitum fuit à ſacra Rota *in Pampilonen. jurispatronatus* 4. *Februarii* 1715. §. *Hujuſmodi, coram Eminentiſs. Scotto, hìc impreſſa.*

Non obſtat, quòd Papa habeat pleniſſimam poteſtatem prorogandi, & abbreviandi terminum à jure conceſſum Patronis ad præſentandum; ſiquidem quæſtio non eſt de poteſtate, ſed de intentione, nimirùm, an Summus Pontifex habuerit intentionem prorogandi terminum in præjudicium præventivè præſentati, quod abſolutè negamus, dùm ſumma ejus clementia non patitur gratias impartiri cum præjudicio juris tertio quæſiti.

R. P. D. SCOTTO.

Pampilonen. Juriſpatronatus.

Lunæ 4. *Februarii* 1715.

IN conflictu præſentationum de Rectoria, ſeu Parochiali Villæ de Lanz, vacante per obitum Didaci ultimi poſſeſſoris, ſecutum ſub die 31. Januarii 1713. à Patronis nequaquam concordantibus factarum; Altera nimirum à decem, & octo ex vicinis, ſeu habitatoribus dictæ Villæ in perſonam Petri, cui ex poſt acceſſit approbatio, & ſuffragium Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum, penès quem Juſpatronatus æquè, ac præfatos vicinos reſidet; Altera verò à decem, & novem ex eiſdem vicinis, ſemeſtri jam prolapſo, in favorem Auguſtini expleta, judicii Ordinarii Pampilonenſis ſtetit pro prima, prævia namque ejus ſententia, Petrus in excluſione Auguſtini, inſtitutionem ad controverſam Rectoriam conſecutus eſt.

Delata autem ex remedio appellationis negocii diſcuſſione ad ſacrum noſtrum Auditorium ſub congruo Dubio à me propoſito -- *An, & cui ſit danda Inſtitutio* -- attentis non minùs validis rationibus, quibus nitebatur anteacta ſententia, quam contumacia Auguſtini comparere recuſantis, prodiit reſponſum -- *Pro Informante.*

7 Siquidem cùm in controverſiam revocari nequeat vacatio Beneficii, & pertinentia Juriſpatronatus modo ſupra expreſſo, & Petrus à memoratis Patronis legitimè præſentatus præditus ſit omnibus qualitatibus ad Parochialem aſſequendam, juxta Canonicas ſanctiones requiſitis, prout ex atteſtationibus Ordinarii, neceſſariò promanat, quod ab eodem Ordinario ritè, meritòque fuerit ad Rectoriam inſtitutus, quæ proindè inſtitutio neque à noſtro Tribunali eidem erat deneganda, juxtà *Text. in cap. Monaſterium* 16. *cap. cum Bertoldus, de re judic.* & aliàs dixit *Rota deciſ.* 189. *num.*1. *ad* 3. *coram Bich. deciſ.*318. *num.*4. *&* 405. *num.* 1. *& deciſione* 296. *num.* 1. *par.* 3. *recent.*

E' conſpectu autem præſentationis titulis omnibus ſubnixæ, non meretur opponi altera præſentatio à Compatronis

8 vicinis ab Auguſtino reportata; Illa enim in primis nullum jus ſuppeditare poſſe viſa fuit Præſentato, tamquam emanata extra tempus à jure præfinitum; Nam cùm obitus ultimi poſſeſſoris evenerit uſque ad menſem Januarii anni 1713. & vacatio Parochialis exindè profluens, certò innotuerit prædictis Compatronis, prout habetur tam ex eorum mandato procuræ ad præſentandum, quàm à pluribus confeſſionibus in judicio emiſſis, de quibus *Summario num.*13. *&* 14. conſequitur, quod præſentatio in favorem Auguſtini, nonniſi ſub die 31. Auguſti ſubſequentis expleta; & ſic elapſo jam non ſolùm quadrimeſtri Patronis ad præſentandum ſtatuto, ſed & integro ſemeſtri, nullius ſit roboris, & efficaciæ, ad

tra-

tradita per *Lap. alleg.*71. *num.*2. *Vivian. de jurepatr. lib.*7. *cap.* 62. *num.* 9. *& ſeq. & cap.*7. *num.*9. *Lotther. de re benef. lib.*2. *qu.*6. *num.*38. *Rota deciſ.* 2. *num.*9. *coram Priolo*, *& in Melevitana juriſpatr.*5. *Junii* 1697. §. *Tum quia*, *coram Reverendiſſimo D. meo Decano*. Quin potiùs dicendum eſt, quod totum jus conſolidatum remanſerit in cæteris Compatronis intrà legitimum tempus præſentantibus, *Card. de Luca. de jurepatr. diſc.*41. *num.* 6. *&* 7. *Rota deciſ.*199. *num.*10. *& deciſ.*230. *n.*4. *&* 5. *coram Duran.*

9 Hujuſmodi verò ſubſtantialem defectum nequaquam supplere valuit gratia Apoſtolica prorogationis aliorum trium menſium ab ipſis Patronis obtenta, cujus vigore contendere poſſint præſervatum ſibi jus præſentandi; Quoniam gratia prædicta apparuit ſubreptionis, & obreptionis vitio infecta; ideoque nullum præſidium Patronis præbere, juxtà firmata per *Rot. in deciſ.* 56. *num.* 12. *& ſeq. in Mantiſs. ad ornat. Cardin. de Luca lib.*13. *tit. de jurepatr.* Et quidem ſubreptio innegabiliter reſultabat, ex quo nulla mentio facta fuit de præſentatione præventivè obtenta à Petro, & de judicialibus inſtantiis jam ab ipſo pluries repetitis pro aſſequenda inſtitutione; Quapropter cum ex talibus circumſtantiis jus quæſitum fuerit Petro ſuper Rectoria, de qua agitur, prout in terminis ſimilibus firmavit *Rot. deciſ.*74. *num.*7. *&* 8. *par.*16. *recent. deciſ.*52. *num.*7. *&* 9. *coram R.P.D. meo Anſaldo*, *& in Salernitana juriſpatr.* 26. *Februarii* 1714. §. *Cum igitur*, *coram Me*; profectò fatendum eſt, quod ſi Summo Pontifici hæc omnia fideliter narrata fuiſſent, vel à concedenda gratia prorogationis abſtinuiſſet, eo quia tanta Principis clementia non patitur, gratias umquam impartiri cum præjudicio juris tertio quæſiti, ut notat *Vivian. de jurepatr. lib.*14. *cap.*2. *n.*62. & dixit *Rot. deciſ.*551. *num.*7. *coram Cavaler.* Vel ſaltèm ad id difficiliùs deveniſſet, quod ſufficiens reputatur, ad hoc ut gratia ob ſubreptionem nulla dijudicetur, ad firmata per *Rot. deciſ.*108. *num.*13. *&* 14. *par.*10. *& deciſione* 74. *num.* 22. *& ſequ. par.* 16. *recent.*

Neque minùs patens erat obreptio reſultans ab expreſſione à dictis Patronis in ſupplicatione emiſſa, quod perſonam idoneam intrà tempus à jure præfixum eiſdem præſentare permiſſum non erat, quando inſubſiſtentia mox dictæ aſſertionis ictu oculi evincitur, reflectendo, quod aderat Petrus non ſolùm præſentatus à cæteris Compatronis, ſed inſuper approbatus ab Ordinario, tamquam pollens omnibus prærogativis ad Parochiam adminiſtrandam neceſſariis. Gra-
10 tia autem ſub falſo ſuppoſito expiſcata, cùm emanare dicatur citra intentionem Pontificis illam concedentis, nullius efficaciæ in judicio cenſenda eſt, ut docet *Rota deciſ.* 58. *num.* 39. *coram Arguelles*, *deciſ.*296. *num.*1. *coram Celſo*, *& deciſ.*25. *num.*16. *inter impreſſas ad ornat. Card. de Luca lib.*13. *tit. de jurepatr.*

Verùm quatenus etiam per modum
11 hypotheſis admittatur, quòd gratia prorogationis à decem, & novem ex ſæpedictis vicinis reportata, quidquam in eorum Beneficium eſſet operatura, adhuc ex alio capite illorum præſentatio in favorem Auguſtini exarata juribus omnino vacua detegitur, ex defectu videlicet legitimæ ætatis Præſentati vix excedentis de tempore ſuæ præſentationis annum vigeſimumtertium contra literalem, & perſpicuam ſanctionem Sacri Concilii Tridentini, requirentem, ut qui ad Curam Animarum gerendum eſt aſſumendus ſaltèm vigeſimumquintum annum attingat ex *ſeſ.*24. *cap.*12. & idcirco Præſentato de perſona prorſus incapaci ad Beneficium Curatum conſequendum habenda eſt, ac ſi facta non eſſet, juxta firmata per *Fagnan. in cap. Cum in cunctis*, *de elect. num.*31. *& ſeq. to.*1. *Barboſ. vot. deciſ.*78. *num.*9. *lib.*3. *Rota deciſ.*619. *n.*7. *&* 8. *par.*19. *to.*2. *recent. & deciſ.*52. *n.*3. *coram R. P. D. meo Anſaldo.*

Quod ſanè locum ſibi vindicat, etiamſi capacitas in Præſentato ex poſt ſupervenerit, cùm Auguſtinus jam ad Sacerdotium promotus reperiatur, nam ad differentiam ſimplicis extrajudicialis nominationis, quando agitur de Præſentatione facta coram Ordinario attenditur præcisè tempus illius, neque ſuffragatur capacitas, ſeu habilitas poſtea ſuperventa, ut latè firmavit *Rota in Friſingen. Canonicatus* 4. *Julii* 1694. *coram Eminentiſs. Priolo*, *&* 18. *Aprilis* 1695. *coram Me.*

Poſtremò animadvertebant Domini, quod præciſivè ab inſpectione reſpiciente vocum computationem, quam conſultò omittendam cenſuerunt, tamquam ad Cauſæ deciſionem minimè neceſſariam, ſemper in omnem caſum firmum erat, quod Auguſtinus numero vocum nequaquam vincebat Petrum; Unde data etiam paritate juremeritò intrabat gratificatio Ordinarii, pro cujus judicio ſtat omnis præſumptio, eo quia Eccleſiæ ſibi commiſſæ majus bonum unicè ſpectaſſe cenſetur, ut fuit dictum in *Albanen. Archipresbyteratus* 29. *Januarii* 1703. §. *Ac propterea*, *& in Placentina Parochialis* 16. *Martii* 1708. §. *Concomitante*, *coram R. P. D. meo Anſaldo.* Proindeque cùm hæc faveat Petro tam circa mores, quàm reſpectu habilitatis multipliciter commendato, concludere opportet, quod illi debita ſit inſtitutio, ex traditis per *Barboſ. de Epiſcop. allegat.* 72. *num.*200. *& ſequ. Panimoll. deciſ.*137. *num.*2. *& ſeq. Rota in Melevitana juriſpatr.* 5. *Julii* 1697. *coram Reverendiſs. D. meo Decano.*

Et ita altera &c.

IN

IN CANONES DE JURE-PATRONATUS

Deſumptos ex Clementinis lib. 3. tit. 12.

COMMENTARIA.

PARS QUARTA.

CANON I.

CLEMENS V. in Concilio Viennenſi.

UT Conſtitutio, quæ ad Eccleſiam aliquam, quamvis etiam ad exemptorum præſentationem admitti, conſuetudine non obſtante contraria prohibet, niſi præſentato de proventibus ejuſdem Eccleſiæ, talis coram Diœceſano portio fuerit aſſignata, unde Jura poſſit Epiſcopalia ſolvere, & ſuſtentationem habere congruam, ſicut expedit, obſervetur: ipſam declarare, ac quædam adjicere, conſulta hujuſmodi Sacri Concilii approbatione providimus; Diœceſanis ſub obteſtatione Divini judicii diſtrictiùs inhibentes; nè Præſentatum aliquem per quamcumque perſonam Eccleſiaſticam Jus præſentandi ad Eccleſiam aliquam habentem admittant, niſi intrà certum terminum competentem per Diœceſanos ipſos præſentantibus præfigendum, ipſi Præſentato fuerit coram eis (ut præſcribitur) congrua de proventibus Eccleſiæ portio aſſignata. Quam ſi forſan iidem præſentantes intrà terminum ipſum aſſignare neglexerint, nè factum eorum noceat Præſentato; Statuimus ut ex tunc Diœceſani debeant præſentatum (niſi aliud Canonicum obſiſtat) admittere, & in pœnam præſentantium ad Diœceſanos ipſos poteſtas aſſignationis hujuſmodi devolvatur. Præcipimus autem Diœceſanis eiſdem ſub ipſius obteſtatione Divini judicii, ipſorumque conſcientias oneramus,

quod moderationem portionis ipſius debitè faciant, nec odio, vel favore, vel aliàs in pluri, vel minori circa illam ſcienter excedant. Sanè in Prioratuum, vel aliorum tam Regularium, quàm Sæcularium locorum Eccleſiis, in quibus Religioſi, vel alii, ad quos eorum redditus pertinere noſcuntur, prædicta conſueverunt onera ſupportare; præmiſſa nullatenus obſervantur; ſed onera omnia, quæ Eccleſiarum ipſarum perpetuis Presbyteris, aut Vicariis incumberent, ſi dicta eis aſſignatio facta eſſet, Religioſi, & alii ſupradicti plenè ſubire; ac Presbyteros, ſeu Vicarios ipſos decenter tractare, necnon ſuſtentationem eis præſtare ſufficientem, & congruam teneantur. Ad quæ omnia integraliter adimplenda, & nihilominùs ad obſervationem debitam aſſignationis per Diœceſanum caſu alio (ut præmittitur) faciendæ Religioſos prædictos, & alios quoslibet à Diœceſanis eiſdem Eccleſiaſtica volumus cenſura compelli. Non obſtantibus exemptionibus, aut aliis quibuslibet privilegiis; conſuetudinibus, vel Statutis, quæ circa præmiſſa, eorum aliquod Religioſis ipſis, aut aliis in nullo volumus ſuffragari.

COM-

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

Episcopus non debet instituere, et admittere Præsentatum a Religiosis in Rectorem, seu Vicarium perpetuum Ecclesiæ Parochialis subjectæ Monasterio; nisi prius assignetur eidem Rectori congrua portio de redditibus ejusdem Ecclesiæ. Ita *Gloſs.*, *Ancharan.*, *Imol.*, *Vitalin.*, *hic Lambertin. de jurepatr. lib. 2. par. 3. quæſt.* 10. *art.* 1., *Roch. de Curt. eodem tract. verb. oneroſum quæſt.6.*, *Rot. in Toletana Decimarum de Capilla ſuper Congrua 6. Maii* 1718. §.*Sententiam*, *coram R. P. D. Foſcaro*.

Hanc eandem Concluſionem probat etiam *Textus in cap. De Monachis de præben.*, *& dignit.* ibi -- *De Monachis, qui Vicarios Parochialium Eccleſiarum gravant, ut hoſpitalitatem tenere non poſſint, eam providentiam habeas, quod ad præſentationem Monachorum nullum recipias, niſi tantum ei de proventibus Eccleſiæ coram te fuerit aſſignatum, unde jura Epiſcopalia poſſit perſolvere, & congruam ſuſtentationem habere* -- ibique *Abb.*, *Anan.*, *Butr.*, *Gonzal.*, *Barboſ.*; Idipſum ſtatutum fuit ab Innocentio III. *in cap. Extirpandæ eodem tit.*, ibi -- *Extirpandæ conſuetudinis vitium in quibuſdam partibus inolevit, quod ſcilicet Parochialium Eccleſiarum Patroni, & aliæ quædam Perſonæ, proventus ipſarum ſibi pœnitùs vendicantes, Presbyteris earumdem ſervitiis deputatis, relinquunt adeò exiguam portionem, quod ex ea nequeant congruè ſuſtentari, nam (ut pro certo didicimus) in quibuſdam Regionibus Parochiales Presbyteri pro ſua ſuſtentatione non obtinent, niſi quartam quartæ, ideſt ſextam decimam decimarum; Unde fit ut in his Regionibus penè nullus inveniatur Sacerdos Parochialis, qui ullam, vel modicam habeat peritiam literarum; Cùm igitur os bovis ligari non debeat triturantis, ſed qui Altari ſervit, de Altari vivere debeat, ſtatuimus, ut (conſuetudine qualibet Epiſcopi, vel Patroni, ſeu cujuslibet alterius non obſtante) portio Presbyteris ipſis ſufficiens aſſignetur* -- Quibus conſonant diſpoſitio Concilii Tridentini *cap.7. ſeſs.7. de reform.*, & Conſtitutio S. Pii V. incipien. *Ad Exequendum* in *Bullar. veteri* in ordine *la* 46. de qua infra *Par. VI.*

1. Ratio autem ſupradictæ Concluſionis eſt, nè Rectores, ſeu Vicarii Eccleſiarum Parochialium intenti ad quærendum ſibi victum, deſerant curam Animarum, vel alia ipſi ob nimiam egeſtatem in illa exercenda committant, quæ committere non debent, ſive nè etiam ob prædictam egeſtatem ſint ludubrio ipſis Parochianis, quos coercere debent, & à quibus debent revereri. Unde aſſignatio hujuſmodi congruæ potiùs concernit intereſſe Ordinis Parochorum, & curæ Animarum, quàm ipſius Parochi; Adeòut ſi Parochus, aut Vicarius Eccleſiæ Parochialis unitæ Monaſterio acceptaret tenuem congruam, hujuſmodi acceptatio in nulla deberet haberi conſideratione; ſed ea non obſtante, adhuc Parochus, ſivè Vicarius prætendere poſſet, ut ſibi per ejus ſuſtentatione aſſignetur ſufficiens, & congrua portio de redditibus ejuſdem Parochialis. *Barboſ. in cap.De Monachis de præben. & dignit. in fin.*, *Lotter. de re benef. lib.2. quæſt.*12. *num.*25. *Card. de Luc. de Paroch. diſc.*39. *num.*8., *Gratian. diſcept.*399. *num.*13. *ibique Carol. Anton. de Luca num.*7., *Pignattell. conſult.* 127. *num.*2. *tom.*4.

Quoad eamdem Concluſionem ſequentes examinantur caſus.

ARGU-

ARGUMENTUM.

An Epiſcopus ſtatuere poſſit terminum Religioſis ad aſſignandam congruam portionem Præſentato ab eis ad Eccleſiam Parochialem. Et an inſtitutio, ſeu admiſſio Præſentati abſque aſſignatione congruæ portionis ſit valida.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopus exercere non poteſt juriſdictionem in exemptos*. Limita ut num.4.

2 *Patrono Laico non poteſt præfigi terminus ad aſſignandam congruam portionem Parocho de fructibus Parochiæ*.

3 *Epiſcopus poteſt ſtatuere terminum Religioſis ad aſſignandam congruam portionem Præſentato ab eis ad Eccleſiam Parochialem, quæ ſi ab eis non aſſignetur poteſt aſſignari ab Epiſcopo*.

5 *Numerantur modi, quibus Eccleſia Parochialis poteſt eſſe ſubjecta Regularibus*.

6 *Ad cognoſcendum an factum contra Conſtitutionem valeat, quid conſiderari debeat*.

7 *Inſtitutio Præſentati à Religioſis abſque prævia aſſignatione congruæ eſt valida*.

CASUS I.

Vacante Eccleſia Parochiali unita quoad temporalia Monaſterio Regularium A, iſti præſentarunt ad illam quemdam Sacerdotem idoneum; Epiſcopus verò præfixit eiſdem Regularibus terminum quindecim dierum ad aſſignandam Præſentato congruam portionem; quo non obſtante, Regulares nullam aſſignarunt congruam intrà terminum ſtatutum, & Epiſcopus inſtituit Præſentatum; quæritur

Primò: *An Epiſcopus præfigere poſſit Regularibus terminum ad aſſignandam congruam Præſentato ad Eccleſiam Parochialem ad ipſos ſpectantem*?

Secundò: *An Inſtitutio Præſentati facta per Epiſcopum abſque prævia aſſignatione congruæ ſuſtineatur*?

1 Ad primum reſpondendum videtur non poſſe Epiſcopum præfigere ullum terminum Regularibus ad aſſignandam congruam portionem Præſentato ad Eccleſiam Parochialem eorum Monaſterio ſubjectam, talis namque præfixio termini ſapit, ac importat Juriſdictionem, quam Epiſcopus exercere non poteſt in exemptos, juxtà auctoritates relatas *Par. II. Can. XIV. & XV. Caſ.VIII. num.3.*, Inſuper Regulares non aliud conſequuntur in Eccleſia Parochiali ſpectante ad eorum Monaſterium niſi id, quod conſequitur quilibet Laicus ratione Juriſpatronatus, ut teſtatur *Lambertin. de jurepatr. lib.2. par.3. quæſt.* 10. *art.*1. *num.*2.,

2 Laico autem non poteſt præfigi terminus ad aſſignandam Præſentato per eum ad Eccleſiam Parochialem congruam portionem de fructibus Parochiæ, cum Laicus ex vi Juriſpatronatus non conſequatur hujuſmodi fructus; *Lambertin. ubi ſupra art.*5., *Paſſerin. in cap. Suſcepti de præben. & dignit. in 6. num.* 16.; Igitur nec Religioſis iſte terminus præfigi poterit ab Epiſcopo.

3 At nihilominus cenſeo Epiſcopum habere facultatem præfigendi terminum competentem Regularibus, ſivè eorum Procuratori ad aſſignandam Parocho, aut Vicario perpetuo per eos præſentato ad Eccleſiam Parochialem quoad temporalia eorum Monaſterio ſubjectam, portionem congruam, & ſufficientem non ſolum pro ejus victu, & ſuſtentatione; ſed etiam pro neceſſariis expenſis ejuſdem Eccleſiæ, & pro ſolutione Jurium Epiſcopalium, adeòut ſi elapſo dicto termino non fuerit à Religioſis aſſignata dicta portio reddituum Eccleſiæ Præſentato, poteſt, & debet Epiſcopus propria auctoritate illam ei aſſignare, juxta diſpoſitionem hujus *Canonis*, ibique *Gloſ.*, *Anchagaran.*, *Imol. num.*1., *Butr. in cap. de Monachis de præben. num.* 11., *Lambertin. de jurepatronat. par.* 3. *quæſt.* 10. *artic.* 2. 6. *&* 9.

4 Nullatenus adverſante, quòd Regulares gaudeant exemptione ab Ordinarii juriſdictione; ſiquidem exemptio hæc in hoc caſu in nulla haberi debet conſideratione; ſed ea non obſtante valet Epiſcopus compellere Regulares ad aſſignandam congruam Præſentato, etiam per cenſuras, eiſque præfigere terminum ad hujuſmodi aſſignationem, ea ratione quia Regulares licet exempti, in quampluribus tamen

ſubjiciuntur Ordinariis, ut expreſsè ſancitum fuit ab hoc *Canone*, & antecedenter definitum fuit à Clemente III. *in cap. Suſcepti de præben.*, *& dignit. in 6.*, ibi -- *Suſcepti regiminis nos cura ſolicitat &c. Sanè fuit olim per Sedem Apoſtolicam providè conſtitutum, ut Diœceſani locorum ad præſentationem Religioſorum nullum ad aliquam Eccleſiam recipiant niſi tantum ei de proventibus ipſius Eccleſiæ coram eis fuerit aſſignatum, unde jura Epiſcopalia poſſint ſolvere, & congruam ſuſtentationem habere. Verùm (ſicut nobis querela multorum frequens inſinuat) Religioſi exempti de proventibus Parochialium Eccleſiarum, in quibus jus obtinent patronatus, ſeu Rectorum præſentatio pertinet ad eoſdem, tantum percipiunt annuatim, quod Rectores Eccleſiarum ipſarum non poſſunt de reſiduo commodè ſuſtentari, & Epiſcopalia jura perſolvere, ac alia incumbentia eis onera ſupportare; propter quod ſæpe contingit quod non inveniuntur perſonæ idoneæ, quæ hujuſmodi Eccleſias velint recipere: ſicque frequenter minus idoneis conferuntur, ex quo pericula imminent Animarum. Nos itaque volentes ſuper hoc ſalubre remedium adhiberi: Præſenti decreto ſtatuimus, & mandamus Conſtitutionem hujuſmodi quoad omnes Patronos Eccleſiarum Religioſos tam exemptos, quàm non exemptos, & alios inviolabiliter obſervari conſuetudine contraria non obſtante -- Monacell. formul. legal. 6. tit. 3. num. 11. par. 3.*

5 Neque univerſaliter, & abſolutè ſubſiſtit, quod Regulares in Eccleſiis Parochialibus ſibi ſubjectis non aliud conſequantur niſi id, quod conſequitur quilibet Laicus ratione Juriſpatronatus; pro remotione namque hujus æquivoci ſciendum eſt multipliciter Eccleſiam Parochialem eſſe poſſe ſubjectam Regularibus, ſive eorum Monaſterio, nimirum poteſt eſſe ſubjecta primo quoad Juſpatronatus; eo quia ipſis ex fundatione, conſtructione, dotatione, aut donatione competat jus ad illam præſentandi Rectorem. Secundò, quoad inſtitutionem collativam. Tertiò, quoad inſtitutionem auctorizabilem. Quartò, quoad temporalia, eo quia propter Regularium inopiam fuerit eis conceſſa à Papa, vel ab Epiſcopo Eccleſia quoad temporalia. Quintò, quoad temporalia ſimul, & ſpiritualia. Quamvis quando Eccleſia eſt ſubjecta Regularibus ſolùm quoad Juſpatronatus, iſti nihil plus conſequantur in ea, quam alii Patroni Laici; & conſequenter non poſſit eis præfigi terminus ad aſſignandam congruam Parocho ab ipſis præſentato, cùm non percipiant fructus ejuſdem Eccleſiæ Parochialis, ſicuti eos non percipiunt, quando Eccleſia eſt ipſis ſubjecta quoad inſtitutionem collativam, vel quoad inſtitutionem auctorizabilem. Tamen quando Eccleſia eſt eiſdem Regularibus ſubjecta quoad temporalia, uti eſt caſus, de quo agitur, vel quoad temporalia ſimul, & ſpiritualia, ipſi non æquiparantur aliis Patronis Laicis; ſed poteſt, & debet illis aſſignari terminus ad conſtituendam Parocho, vel Vicario perpetuo congruam ſuſtentationem, de fructibus ejuſdem Eccleſiæ, eo quia percipiunt fructus Eccleſiæ, & quod ſupereſt, poſſunt convertere in propriam eorum utilitatem, juribus Epiſcopalibus, & aliis Eccleſiæ oneribus perſolutis, juxta doctrinam *Abbatis in capit. De Monachis de præben. & dignit. num.* 5., quem ſequuntur *Lambertin. de jurepatronat. lib. 2. par. 3. quæſt. 10. art. primo num. 2., Paſſerin. in capit. Suſcepti de præben., & dignit. in 6. num. 4., & ſeqq., Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 12. num. 2. & ſeqq.*

6 Deſcendendo verò ad ſecundum Dubium, pro illius reſolutione, præſupponendum eſt, quod ad cognoſcendum an factum contra Conſtitutionem valeat, & ſuſtineatur, conſiderari debeat, an Conſtitutio inhibens procedat ultra, aut non procedat ultra, ſed ſimpliciter inhibeat; Si procedat ultra animadverti etiam debet, an procedat ultra actum confirmando, aut infirmando, aut procedat ultra, dando remedium contra factum, aut procedat ultra apponendo pœnam. Primo caſu factum contra Conſtitutionem valet, ſecundo caſu non valet, tertio caſu ſi eſt remedium reſciſſorium valet actus, ſed poteſt reſcindi, quarto caſu ſi imponatur pœna inferens neceſſariò nullitatem actus, non valet, ſecus ſi non inferat neceſſariò hujuſmodi nullitatem. Si verò Conſtitutio inhibet ſimpliciter, & tunc, aut ille, cui fit inhibitio, recepit poteſtatem à Conſtitutione inhibente; & factum contra Conſtitutionem non valet, aût non

non recipit ab illa poteſtatem, & tunc factum non eſt nullum.

7 Hoc ſuppoſito ad dubium reſpondendo, cenſeo dicendum Inſtitutionem Præſentati factam per Epiſcopum abſque prævia aſſignatione congruæ ſuſtineri, tum quia in hoc *Canone* non fuit à Clemente V. appoſita pœna inferens neceſſariò nullitatem actus, ſed ſolùm inhibetur Epiſcopis ſub obteſtatione Divini judicii, ne inſtituat Præſentatum in Parochiali Eccleſia abſque aſſignatione congruæ portionis, tum quia Ordinarius non recipit poteſtatem inſtituendi ab hoc *Canone*, ita *Gloſs. hic verb. Inhibentes*, *Lambertin. de jurepatronat. lib. 2. par. 3. quæſt.* 10. *artic.* 4.

ARGUMENTUM.

Congrua debita Parocho, ſive Vicario perpetuo præſentato ad Eccleſiam Parochialem ſubjectam Monaſterio Regularium, in quibus, & in qua ſumma aſſignari, & taxari debeat.

SUMMARIUM.

1 *Congrua ſemel aſſignata, & acceptata non poteſt ampliùs augeri, nec minui*. Amplia, ut num. 2., limita, ut num. 10.

3 *Enumerantur plures ſpecies emolumentorum Parochialium.*

4 *Congrua an & in quibus emolumentis incertis aſſignari poſſit Parocho, ſive Vicario perpetuo*, & num. 5.

6 *Monaſterium ſi percipiat decimas tenetur augere, & aſſignare Congruam Vicario perpetuo, etiam in decimis, conſtito de inſufficientia ejuſdem congruæ*. Amplia, ut num. 8., & quare vide num. 9.; *Secus ſi non percipiat decimas, quia tunc cogi debent Parochiani*, & num. 7.

11 *In aſſignatione congruæ nulla habenda eſt ratio emolumentorum, quæ Parochus, ſive Vicarius perpetuus ex aliis Beneficiis, vel legatis extra Eccleſiam Parochialem percipit.*

12 *Congra in qua ſumma ſit taxanda, & aſſignanda Parocho; Concilium Tridentinum totum repoſuit arbitrio Ordinarii.*

13 *Ordinarius in aſſignatione congruæ, ad quæ reſpicere debet?*

14 *Congrua eſt veluti dos Parochi ad ſupportanda onera matrimonii ſpiritualis.*

15 *Divus Pius determinavit congruam debere eſſe certam, ſed non minorem quinquaginta, nec majorem centum ſcutorum*. Intellige, ut num. 16.

17 *Parochus debet eſſe contentus congrua ſibi ſufficienter aſſignata.*

18 *Vicarius perpetuus præſentatus ad Eccleſiam Parochialem ſpectantem ad Regulares an teneatur ſe conformare Conſtitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Epiſcopi, quoad omnia in ordine ad Sacramentorum adminiſtrationem, & curam Animarum.*

CASUS II.

Vicarius perpetuus Eccleſiæ Parochialis A ſubjectæ cuidam Monaſterio Regularium experiens congruam ſibi in actu ſuæ proviſionis à Regularibus aſſignatam in ſcutis decem detrahendis ex bonis ejuſdem Parochiæ, & in èmolumentis funerum Baptiſmatum, & Matrimoniorum, eſſe minus ſufficientem pro ejus ſuſtentatione, utpotè aſcendentem ſolùm ad ſcuta quindecim circiter petiit ab eiſdem Regularibus, ut congrua hæc ſibi augeatur, & aſſignetur etiam in decimis, quas Regulares percipiunt, & exigunt à Parochianis dictæ Parochiæ; Quæritur in hoc caſu, an dicta congrua ſit huic Parocho augenda, & aſſignanda etiam in decimis.

Quòd non ſit augenda, nec aſſignanda in decimis ſuadere videtur factum ipſius Vicarii, ſeu Parochi, iſte enim Præſentatus à Regularibus ad Eccleſiam Parochialem, eam acceptavit ſub congrua portione ſibi aſſignata in dictis ſcutis decem, & in emolumentis funerum Baptiſmatum, & Matrimoniorum, & cum ea unitim cum fructibus cujuſdam ſimplicis Beneficii, quod retinebat, vixit per aliquot annos, ſucceſſivè proindè prætendere non poteſt, ut ſibi augeatur, & aſſignetur dicta congrua etiam in decimis,
1 quia congrua ſemel aſſignata, & acceptata non poteſt ampliùs augeri, & ſibi imputare debet Vicarius, quod acceptaverit congruam nimis tenuem, *Tondut. quæſt. benef. cap.* 58. *num.* 6. *tom.* 1., *Rot. dec.* 239. *num.* 1.

*num.*1.*par.*2. *Rec.*; *Panimoll. dec.*15. *anno-*
2 *tat.*2. *num.*11.; Fortius animadvertendo, quòd congrua in dictis emolumentis fuit ei aſſignata de conſenſu Epiſcopi, adeóque præſumitur ſufficiens, cùm jura in hujuſmodi aſſignatione conſcientias Ordinariorum onerent. *Tondut. d. cap.*58.*n.*9.*to.*1.

Non obſtat, quòd ſupradicta emolumenta utpotè incerta computari non poſſint in congruam, *Gratian. diſcept.*399.
3 *num.*19.; Quoniam plures diſtinguendæ ſunt ſpecies emolumentorum; alia enim ſunt emolumenta merè incerta, & voluntaria, quæ dependent à pia devotione, & pietate Fidelium; ut ſunt oblationes, & eleemoſynæ; Alia ſunt incerta non merè, ſed ex longa obſervantia quodammodò certa, uti ſunt oblationes, quæ fiunt quolibet anno occaſione feſtivitatis alicujus Sancti Parochiæ, e. g. oblationes, quæ fiunt in cera, & pecuniis, occaſione, qua die commemorationis S. Antonii ducuntur ad ejus Eccleſiam equi, & alia animalia pro eorum benedictione; Et alia ſunt pariter incerta non merè, ſed ex diſpoſitione juris quodamodo certa, ut ſunt emolumenta parochialia Funerum, Baptiſmatum, & Matrimoniorum, quæ ex diſpoſitione juris certò debentur
4 Parocho. Quamvis congrua aſſignari non debeat Parocho, aut Vicario perpetuo in emolumentis merè incertis, & voluntariis, *Pignattell. conſult.*167. *num.*8. *tom.*9. *Tondut. quæſt. beneſ. cap.* 58. *num.* 3. *&* 5. *tom.*1., *Rot. deciſ.*5. *num.* 3. *& ſeq. par.*2. *diverſ. & deciſ.*420. *num.*2. *par.*1. *Rec. &*
5 *deciſ.*734. *per tot. coram Coccin.*; Tamen aſſignari poteſt in emolumentis quoad ſe quidem incertis, ſed ex obſervantia; & diſpoſitione juris quodammodo certis, ut ſunt illa, de quibus agitur; *Card. de Luc. de Paroch. diſc.*18. *num.*12., *& de Beneſic. diſc.*90. *num.* 73. *& in annot. ad Concil. diſcurſ.* 9. *num.*8., *Pignattell. conſult.*44. *numero* 9. *tom.* 8., & expreſsè declaravit S. Pius in ejus Conſtitutione *la* 46. *Bullar. vet.*, ibi -- *Computatis omnibus etiam incertis emolumentis*.

6 Sed his minimè attentis exiſtimo congruam eſſe augendam, & aſſignandam à Regularibus dicti Monaſterii huic Parocho, etiam in decimis; Conſtat enim de evidenti illius inſufficientia, & tenuitate, quæ computatis certis, cum incertis vix aſcendit ad annua ſcuta quindecim; conſtat etiam dictum Monaſterium exigere decimas à Parochianis ejuſdem Parochiæ; unde licèt Monaſterium, Capitulum, aut Collegium, quando percipit ab Eccleſia Parochiali ſibi unita ſolum emolumenta Baptiſmatum, Matrimoniorum, & Funerum non teneatur aſſignare Parocho, ſive Vicario perpetuo aliquid aliud ultra dicta emolumenta, ſed ſi hæc ſint inſufficientia pro congrua Vicarii ſuſtentatione cogi debent Parochiani ad ſuppletionem *Concil. Trident. cap.* 4. *ſeſs.* 21. *de reform.*, *Cardin. de Luc. de Paroch. diſcurſ.*18. *num.*10. *& ſeq.*, & reſolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii me ſtudente apud R. P. D. Petra *in Melphien. Congruæ* 27. *Junii* 1711., ubi propoſitis inter cætera ſequentibus Dubiis. Primò -- *An Parocho S. Nicolai Terræ Barilis debeatur Congrua? & quatenùs affirmativè* -- Secundò -- *An, & à quibus illa debeatur* -- Tertiò -- *In qua quantitate, & in quibus effectibus, ſeu emolumentis ſit eadem Congrua dicto Parocho aſſignanda*; *in caſu &c.* reſponſum fuit ad Primum *Affirmativè*, ad Secundum *à Parochianis*, ad Tertium *Arbitrio, & conſcientia Epiſcopi, compu-*
7 *tatis de jure computandis*. Tamen quando ultra dicta emolumenta Monaſterium percipit decimas, congrua aſſignari debet etiam in decimis uſque ad ſufficientem Vicarii ſuſtentationem, juxta *Abbat. in cap. Cum contingat num.*7. *de decim.*, *Tondut. quæſt. beneſ. cap.*58. *num.* 1. *&* 16. *tomo primo*, *Pignattell. conſult.* 127. *num.*3. *tom.*4., *Rot. dec.*112. *num.*5. *&* 16. *par.*19. *Rec. & in Burgen. Decimarum de Bellorado* 26. *Novembris* 1714. §. *fin. coram R.P.D. Criſpo*, *& in Compoſtellana Congruæ* 11. *Februarii* 1715. §. *Cum enim coram R.P.D.*
8 *Foſcaro*. Etiamſi Vicarii anteceſſores contenti fuerint, & acceptaverint congruam in emolumentis Funerum, Baptiſmatum, aut Matrimoniorum, aut inter ipſos, & Monaſteria fuerit inita concordia ſuper aſſignatione congruæ in dictis emolumentis, quia cùm conſtet de inſufficientia ejuſdem congruæ, talis acceptatio, & concordia afficeret eoſdem anteceſſores, & remaneret perſonalis, nullatenùs ſucceſſorum obligatoria, *Card. de Luc. de Paroch. diſc.* 20. *num.* 4., *Rot. deciſ.* 152. *coram Gregor.*, *ibique Adden. & deciſ.* 152. *num.*1.

num. 1. par. 2. Rec., *& deciſ.*429. *num.*3. *& ſeqq. cor. Gregor.*, *Panimoll. deciſ.* 15. *coram Buratt.*, *& deciſ.* 402. *num. primo par.* 5. *Rec.*

9 Ratio autem fundatur in ipſa natura decimarum, iſtæ namque ſunt proprium pabulum, & patrimonium Parochorum, ab initio pro eorum ſuſtentatione reſervatum, ex *Textu in cap. Omnes Decimæ* 16. *quæſt.*7. *cap. fin. de Paroch.*, *Rebuff. de Decim. quæſt.*7. *art.*4., *Rot. deciſ.*420. *num.*6. *par.*3. *Rec.*, *& in Varſavien. Decimarum prima Julii* 1715. §. *De jure namque*, *& in Cracovien. Decimarum* 16. *Martii* 1716. §. *Prætermiſſa, coram R.P.D. Foſcaro.* Juſta igitur, & rationabilis eſt præſens inſtantia Vicarii, ut congrua ſibi augeatur à dictis Regularibus, & detrahatur etiam ex Decimis, quibus tale onus adhæret, juxta *Text. in can. primo* 16. *quæſt.* 6. *cap. Cum contingat*, *cap. Cum in tua*, *cap. Parochianus de Decimis*, *Rebuff. de Decim. par.*7. *num.* 4., & alios quos refert, & ſequitur *Rota in Toletana Decimarum de Capilla ſuper Congrua* 6. *Maji* 1718. §. *Verum, coram R.P.D. Foſcaro.*

10 Hinc patet reſponſio ad ea, quæ ſuperiùs pro ratione dubitandi in contrarium adducebantur. Siquidem quod congrua ſemel aſſignata, & acceptata non poſſit ampliùs augeri, vel minui, & quod in aſſignandis congruis multum deferatur judicio Ordinarii, limitatur quando tractu temporis eadem congrua apparet adeò diminuta, & tenuis, ut cum ea Vicarius nullatenùs ſe ſuſtentare poſſit, *Paſſerin. in cap. Suſcepti*, *de præben. in* 6. *num.*14. *Gratianus diſcept.* 399. *num.* 12. *Card. de Luca de Paroch. diſc.* 19. *num.* 3. *& diſc.* 39. *num.* 7. & in *Annot. ad Concil. diſc.*9. *num.*11. *Tondut. quæſt. benefic.* 58. *num.*7. *to.*1. *Pignattell. conſult.*126. *num.*1. *& ſeq. to.*10. *Rota deciſ.*173. *num.*1. *& ſeq. coram Seraph.* *& deciſ.*429. *coram Gregor. & deciſ.*48. *num.*3. *& ſeqq. par.*13.

11 Nec officit, quod Vicarius perpetuus ſupradictæ Eccleſiæ Parochialis per multos annos vixerit cum dicta congrua ſibi in ſcutis decem, & in dictis emolumentis aſſignata; hoc enim evenit eo quia idem Vicarius fruebatur nonnullis fructibus cujuſdam beneficii ſimplicis per eum poſſeſſi; qui fructus uniti cum emolumentis Parochialibus ſufficiebant pro ejus ſuſtentatione; cùm autem hodie nolit ampliùs vivere ex fructibus dicti beneficii; ſed ejus ſuſtentationem velit totaliter pendere à fructibus Parochiæ, cui inſervit; congruum eſt; ut dicti fructus, & emolumenta, Parocho aſſignentur a Regularibus uſque ad ſufficientiam, nulla habita ratione emolumentorum, quæ idem Parochus, ſeu Vicarius ex aliis beneficiis, ſeu legatis extra Eccleſiam Parochialem percipere poteſt, quia ex eo Altari quis vivere debet, cui inſervit, *Tondut. quæſt. benefic. cap.*58. *num.*2. *to.*1. *Rota in Compoſtellana Congruæ* 11. *Februarii* 1715. §. *Cùm enim, coram R.P.D. Foſcaro.*

Patet igitur ex ſupradictis congruam aſſignari debere huic Parocho, ſeu Vicario perpetuo etiam in decimis, quas Regulares dicti Monaſterii percipiunt. In

12 qua autem ſumma hujuſmodi congrua ſit ei aſſignanda, ac taxanda: nihil certum determinavit ſacrum Concilium Tridentinum *dicto cap.* 7. *ſeſs.* 7. *de reformat.* ſed totum repoſuit arbitrio Ordinarii,

13 qui, ſecundùm dignitatem Eccleſiæ, qualitatem perſonæ Rectoris, & loci Parochiæ, quantitatem fructuum, & onerum, & numerum Animarum; quæ omnia in hujuſmodi congruis aſſignandis debent attendi, *Fagnan. in cap. Extirpandæ, de præben. & dignit. num.*17. *Tondut. quæſt. benefic. cap.*58. *num.*13. *& ſeqq. to.*1. *Gratian. diſcept.* 399. *num.* 3. *& ſeqq. tom.* 2. *Rota deciſ.*437. *nu.*5. *par.*3. *& deciſ.*595. *num.* 6. *par.*4. *Recent.* *& in Compoſtellana Congruæ* 11. *Februarii* 1715. §. *Totaque*, *coram R.P.D. Foſcaro*; poteſt Parocho,

14 ſeu Vicario perpetuo aſſignare majorem, vel minorem congruam, quæ eſt veluti dos Parochi, ad ſopportanda onera matrimonii ſpiritualis, quod contrahit cum Chriſto, & cum Eccleſia, *Paul. de Citad. de jurepatr. par.*3. §. *Secunda cauſa num.*5. *Hurtad. de Congrua lib.*1. *reſolut.*1. §.1.

15 Divus verò Pius V. in ejus Conſtitutione *la* 46. incipien. *Ad exequendum*, *Bullar. vet.* determinavit congruam debere eſſe certam, ſed non minorem quinquaginta, nec majorem centum ſcutorum, ibi -- *Statuimus, ordinamus, ac declaramus per Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos præfatos in aſſignatione portionis ipſis Vicariis perpetuis ex prædicto Concilio ipſo-*

ipſorum Prælatorum arbitrio facienda ita ſe continere, & arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta ſcutorum annuorum ſummam eis omnino aſſignetur -- Et teſtantur *Fagnan. in cap. de Rectoribus, de Cleric. ægrot. num.9. Paſſerin. in cap. Suſcepti, de præben. in 6. nu.12. Cardin. de Luca de Paroch. diſc. 20. num.5. Monacell. form.legal.1. tit.15. n.30. par.2.*

16 Cum hac tamen intelligentia, nimirum, quòd congrua debeat Vicario aſſignari non minor quinquaginta ſcutorum, procedit quando emolumenta, ſeu fructus Parochiæ ſpectantis e. g. ad aliquod Monaſterium aſcendunt ad dictam ſummam, vel ad majorem, ſecùs ſi ad talem ſummam non aſcendant, tunc enim non tenetur Monaſterium aſſignare Vicario congruam uſque ad ſummam ſcutorum quinquaginta, quia non tenetur aſſignare ultra id, quod percipit. Quod verò non poſſit eſſe major centum ſcutorum procedit attenta purè, & præcisè ſuſtentatione Parochi, ſive Vicarii perpetui; dum attentis aliis circumſtantiis ſupra enumeratis, poteſt eſſe major, ut tradunt *Cardin. de Luca in Annot. ad Concil. diſc.9. num.10. Tondut.quæſt.benef.cap.58. num.13. tom.1. Carolus Anton. de Luca ad Gratian. diſcept.399. num.1. & ſeq.*

17 Aſſignata autem juſta, & rationabili congrua Parocho, ſive Vicario perpetuo Eccleſiæ Parochialis, iſte ea debet eſſe contentus, nec aſpirare ad fructus ſuperfluos ejuſdem Eccleſiæ, & illos in uſus pravos, & indecentes convertere; ſciat enim ſe quidquid præter neceſſarium victum, & ſimplicem veſtitum de Altari retinere, ſuum non eſſe, rapinam eſſe, ſacrilegium eſſe, ut teſtatur *Divus Bernardus epiſt. 2. ad Fulionem circa finem*.
›› Timeant Clerici (ſunt verba ejuſdem
›› Sancti *Serm. 23. in Cant.* explicantis illa
›› verba *Iſaiæ 26. n. 9. In terra Sanctorum*
›› *iniqua geſſi*). Timeant Miniſtri Eccleſiæ,
›› qui in terris Sanctorum, quas poſſident
›› tam iniqua gerunt, ut ſtipendiis, quæ
›› ſufficere debeant minimè contenti, ſu-
›› perflua, quibus egeni ſuſtentari forent,
›› impiè, ſacrilegèque retinent: & in uſus
›› ſuæ ſuperbiæ, victum pauperum conſu-
›› mere non verentur, duplici profectò ini-
›› quitate peccant, quod aliena diripiunt,
›› & ſacris in ſuis vanitatibus abutuntur.

18 Quæro hìc, an Vicarius perpetuus præſentatus ad Eccleſiam Parochialem, ſpectantem ad Regulares, teneatur ſe conformare Conſtitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Epiſcopi quoad omnia in ordine ad Sacramentorum adminiſtrationem, & curam Animarum.

Simili dubio reſponſum fuit affirmativè à Sacra Congregatione Concilii in una *Pragen. Juriſdictionis 14. Januarii 1708. & 9. Junii ejuſdem anni ad Quintum*, ubi vertente juriſdictionali controverſia inter Magnum Priorem Bohemiæ Hieroſolymitanæ Religionis ex una, & Archiepiſcopum Pragen. ex altera partibus, diſputata fuerunt infraſcripta dubia:

Primò -- *An pro exemptione à juriſdictione Ordinaria Archiepiſcopi ſufficiat ſola nominatio, ſeu deputatio Presbyteris ſæcularibus facta à Superiore Divi Joannis Hieroſolymitani in Eccleſiis dicti Ordinis pro Cura Animarum, quamvis ex cauſa non admitteretur ab Archiepiſcopo, ſive potiùs requiratur admiſſio, approbatio, & licentia Archiepiſcopi, ſive ejus Conciſtorii ad Curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum.*

Secundò -- *An præfati nominati, ſeu deputati ad dicta beneficia Curata teneantur examen ſubire, & profeſſionem Fidei emittere coram Archiepiſcopo, vel ejus Conciſtorio, antequam Curam Animarum exerceant?*

Tertiò -- *An itidem teneantur præſtare juramentum ad Curam Animarum debitè obeundam coram Archiepiſcopo, ſive ejus Conciſtorio, & quomodò?*

Quartò -- *An dictus Archiepiſcopus, ſive ejus Conciſtorium pro prædictis exigendis procedere poſſit jure ordinario, ſive potiùs delegato.*

Quintò -- *An dicti nominati, ſeu deputati in dictis Eccleſiis, poſtquam reportaverint ab Archiepiſcopo licentiam pro exercenda Cura Animarum teneantur ſe conformare Conſtitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Conciſtorialibus quoad omnia in ordine ad Sacramentorum adminiſtrationem, & Curam Animarum.*

Sextò -- *An dictis Presbyteris ſæcularibus ut ſupra nominatis, ſeu deputatis in præfatis Eccleſiis, & ab Archiepiſcopo examinatis, & idoneis repertis, teneatur idem Ar-*

Archiepiſcopus concedere licentiam exercendi Curam Animarum, & quatenus affirmativè.

Septimò -- *An in hujuſmodi licentiis Archiepiſcopus valeat ſibi reſervare facultatem eam revocandi ad ſui beneplacitum, ſeu potiùs debent eam concedere purè, & ſimpliciter.*

Octavò -- *An Archiepiſcopus debeat exprimere ſe procedere authoritate delegata, dum procedit contra dictos Presbyteros exercentes Curam Animarum, itaut hoc non expreſſo, non teneantur illi ei obedire etiam in concernentibus Curam Animarum.*

Nonò -- *An Archiepiſcopus prædictos Presbyteros exercentes Curam Animarum in caſu non paritionis ejus præceptis poſſit plectere pœna revocationis licentiæ exercendi Curam Animarum.*

Decimò -- *An præfati Presbyteri pro ſervitio dictarum Eccleſiarum valeant aſſumere Cappellanos pro celebratione Miſſarum in eiſdem Eccleſiis ſinè licentia Archiepiſcopi.*

Quibus prodiit reſponſum, ad primum: *Negativè quoad primam, & affirmativè quoad ſecundam partem.* Ad ſecundum: *Affirmativè quoad examen, & quoad profeſſionem Fidei ad formam Concilii.* Ad tertium: *Affirmativè.* Ad quartum: *Jure delegato.* Ad quintum, & ſextum: *Affirmativè.* Ad ſeptimum: *Negativè quoad primam, & affirmativè quoad ſecundam partem.* Ad octavum: *Affirmativè.* Ad nonum: *Recurratur in caſibus particularibus.* Ad decimum: *Affirmativè.*

CANON II.

CLEMENS V.

PLures ab uno ex Patronis Eccleſiæ relicti hæredes, vocem dumtaxat unius habebunt in præſentatione Rectoris.

Et ut faciliùs provideatur Eccleſiis, non inconveniens reputamus, Patronos ipſos inter ſe poſſe liberè convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præſentando. Quibus etiam ex eadem cauſa permittimus, ut plures ad vacantem Eccleſiam poſſint eo modo præſentare perſonas, quòd una ex eis eligi per Epiſcopum valeat, & admitti.

COM-

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones:

Prima -- JUSPATRONATUS HÆREDITARIUM TRANSIT AD HÆREDES IN STIRPES, NON AUTEM IN CAPITA.

Secunda -- PATRONI POSSUNT DIVIDERE EXERCITIUM JURISPATRONATUS PER TURNUM, ET ALTERNATIVAM; SEU POSSUNT INTER SE CONVENIRE, QUOD ALTERNIS VICIBUS PRÆSENTENT.

Tertia -- PATRONI LAICI POSSUNT PLURES ACCUMULANDO PRÆSENTARE. Ità præter Doctores relatos *in Can. I. & II. & Can.IX. X. & XI. Par.II.* tradunt *Gloſs. verb. Alternis vicibus, Ancharan. Imol. & Vitalin. hic Lambertin. de jurepatr. lib.*1.*par.*2. *quæſt.*1. *art.*1. *Vivian. eodem tract. par.*1. *lib.*4. *cap.*1. *Cæſar de Graſſis deciſ.* 2. *de jurepatr. Rota coram Duran. deciſ.*56. *num.*1. *Capon. diſcept.*72. *num.*13. *tom.*2. *Tondut. quæſt. benefic. cap.*32. *num.*4. *tom.*1. *Rota deciſ.*28. *num.*5. *coram Pamphil.*, *& deciſ.*17. *num.*2. *coram Otthobon.*, *& deciſ.*381. *num.*20. *coram Priolo*, *& in Hiſpalen. diviſionis ſimultaneæ* 4.*Junii* 1700. *in principio*, *coram Eminentiſs. Priolo*.

1 Statutum fuit ſuperius *in Can. I. & II. Par. II.* juspatronatus tranſire ad hæredes. Quomodo autem tranſeat ad hęredes, hìc declaratur à *Clemente V.* Quæſtio celebris erat antè hunc *Canonem* ſuper ſucceſſione jurispatronatus hæreditarii. *Innocentius* ſentiebat *in cap.*1. *de jurepatr.* ſucceſſionem juriſpatronatus fieri in ſtirpes, & non in capita, itaut ſi plures uni ſuccedant, habentur loco unius, motus ea ratione, quia in ſucceſſione

2 hæreditaria fit ſucceſſio in ſtirpes, §. *Et quia placuit*, *inſtit. de hæredit. quæ ab inteſtato defertur*. *Vincentius*, & alii ſequaces contrariam ſententiam tuebantur. *Archidiaconus* verò *in Canon. Plures* 16. *quæſt*.7. mediam tenuit ſententiam, nimirùm, ſi plures ex diverſis cauſis ſint Patroni, ut quia unus fundavit, alter dotavit, tunc omnes deſcendentes ab altero, habentur loco unius, & ſic ſuccedunt in ſtirpes. Si autem ex unica cauſa ſint Patroni, vel unicus ſit Patronus, tunc deſcendentes ſuccedunt in capita, & non in ſtirpes. *Clemens* autem *V.* ad dirimendam hujuſmodi quæſtionem inter præfatos *Doctores*, approbavit hìc ſententiam *Innocentii*, ſtatuendo, quod juspatronatus hæreditarium tranſeat ad hæredes in ſtirpes, & non in capita. Et ratio ſic ſtatuendi fuit ad tol-

3 lendas fraudes inter Patronos. Nam ſi juspatronatus hæreditarium tranſiret ad hæredes in capita, unus ex Patronis inſtituendo decem hæredes fraudare poſſet compatronum actu præſentandi, *Rocc.de Curt. de jurepatr. in verb. Ipſe, vel is num.*2. *Lotther. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 11. *num.* 126. *Caſſador. de jurepatr. deciſ.* 2. *num.* 2. *Rota deciſ.* 99. *num.*3. *par.*17. *Recent.*

4 Inſuper hìc idem Pontifex, ultra remedia præſcripta in ſupradictis *Canonibus I. & II. Par. II.* dat aliud remedium ad reducendos ad concordiam Patronos inter ſe contendentes ſuper præſentatione; nimirùm conſiderans ſocietatem eſſe matrem diſcordiarum, concedit Patronis facultatem dividendi jus præſentandi per Turnum, itaut in una vacatione beneficii præſentent uni, in alia alii; ut ſic ea concordia, quæ eſſe non poterat inter ipſos in ſocietate, obtineretur, & conſervaretur in diviſione.

Quoad tertiam concluſionem jam ſuperius plenè diximus *Can. IX. X. & XI. Par.II.* Quoad verò primam, & ſecundam ſequentes examinantur caſus.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quomodo computentur voces in Jurepatronatus hæreditario, ad effectum cognoſcendi, quis ex præſentatis ab hæredibus ſit inſtituendus?

SUMMARIUM.

1 *Juſpatronatus hæreditarium defertur ad hæredes per ſtirpes, & non per capita*; amplia ut ibi limita, ut num. 4. *Et quid de jurepatronatus mixto.* Vide ibi.

2 *Lex emanans pro declaratione juris dubii non ſolùm reſpicit futura, ſed etiam præterita.*

3 *Plures Univerſitates, vel plura Collegia ſuccedunt in jurepatronatus in ſtirpes, & non in capita.*

5 *Vox duorum hæredum unius Patroni tantum operatur, quantum vox decem hæredum alterius Patroni.*

6 *Præſentatus ab octo ex decem hæredibus unius Patroni, an ſit præferendus præſentato à duobus hæredibus alterius Patroni, & ab aliis duobus ex decem primi Patroni?*

7 *Factum à majori parte Patronorum perindè habetur ac ſi omnes egiſſent.*

8 *Ad hoc ut hæredes unius ex Patronis faciant majorem partem, & perficiant vocem; eſt neceſsè, quod ſit major pars ſimpliciter, & non comparatione minorum.*

CASUS I.

1 PRima concluſio deducta ex hoc Canone, quod juſpatronatus hæreditarium deferatur ad hæredes per ſtirpes, & non per capita, ampliatur, ſive hæredes ſint ab inteſtato, ſive ex teſtamento, ſive ſint deſcendentales, ſive collaterales, ſive maſculi, ſive fœminæ, ſive ſui, ſive extranei, *Roch. de Curt. de jurepatr. verb. Ipſe, vel is num.5. Lambertin. eodem tract. lib.1. par.2. quæſt.1. art.26. num.6. Ricc.collect.deciſ.1733.par.5. & dec.4233. par.9. Tondut. quæſt.benef.32. num.4. to.1. Rota deciſ. 46. num. 3. coram Priolo*, ſive juſpatronatus ſit mixtum, in quo succeditur etiam per ſtirpes, & pro ratis portionibus, non verò in capita, *Rota in Mediolanen. Prioratus ſuper mixtura, & filiis familias 15. Junii 1705.* ſuperius impreſs. *Par.II. Can.I. & II. Caſ.VI. n.44.* dummodo hæredes ex familia vocati non ſint tamquàm unum corpus, & collegialiter; quia ſi ſint ita vocati, tunc in eo computatio fit in capita, & non in ſtirpes; deſcendentes verò ab eis in ſtirpes, *Tondut. quæſt. benefic. cap.157. num. 8. par.3.* Et ſive agatur de jurepatronatus erecto ante hanc Clementinam *Plures*, ubi vigebat opinio, quod juſpatronatus deferebatur ad hæredes per capita, & non per ſtirpes, ſive agatur de jurepatronatus erecto poſt hanc Clementinam; non obſtante regula, quod virtus legis ſit dare normam futuris, non autem præteritis negotiis, juxta *l. Leges 7. C. de legibus, & cap.final.de conſtit.* in qua ſe fundant authoritates, quæ in contrarium adduci poſſunt, nempe *Spad. conſ.12. lib.2. Rota coram Lancellott. apud Vivian.de jurepatr. lib. 4. cap. 1. poſt num. 71.* quæ tenent, quod in jurepatronatus fundato ante Clementinam *Plures*, ſucceſſio regulanda ſit per capita.

2 Quoniam cum diſpoſitio Clementina emanaverit pro declaratione juris dubii ad dirimendas quæſtiones *Doctorum*, ut dixi in *Comment. num. 2.* ſequitur, quod non ſolum reſpiciat futura, ſed etiam præterita, *Felin. in cap. final. de conſtit. num.4. Rota deciſ.469. num.4. lib.1. coram Puteo*; & ita in terminis docet *Rota deciſ.99. per tot. par.17. recent.*

3 Procedit etiam ſupradicta concluſio, quando juſpatronatus defertur ad plures Univerſitates, vel ad plura Collegia non ſolum titulo hæreditario, ſed etiam titulo donationis, vel emptionis, tunc enim illæ Univerſitates ſuccedunt in ſtirpes, & non in capita, itaut unaquæque Univerſitas habeat unam vocem, *Lambertin. ubi ſupra num. 20. Roch. de Curt. ubi ſupra num. 5. Menoch. conſ.316. vol.4. Vivian. de jurepatron. par.1. lib. 4. cap. 1. num. 61.*

5 Limitatur tamen concluſio, quando obſervantia eſt in contrarium, præſentandi ſcilicet per capita in jurepatronatus hæreditario, juxta *Rotam* poſt *Vivian. de jurepatr. par.1. lib.4. cap.1.* Et quando Eccleſia unicum habet Patronum, tunc enim

enim hæredes illius ab ipſo immediatè inſtituti ſuccedunt in capita, & non in ſtirpes, quia tunc non adeſt præjudicium alterius compatroni, *Vivian. de jurepatr. lib.*12. *cap.*8. *num.*7. ſed poſtea filii dictorum hæredum ſuccedunt in ſtirpes, ut ſi erant tres hæredes Titius, Cajus, & Sempronius, Titius reliquit quatuor filios, Cajus ſex, & Sempronius octo, iſti filii ſuccedunt in ſtirpes; itaut ſi quatuor filii Titii, vacante Eccleſia patronali, præſentent ad illam Clericum A; & ſex filii Caji præſentent Clericum B, & octo filii Sempronii præſentent Clericum C; Iſte Clericus C præſentatus ab octo filiis Sempronii, non dicitur præſentatus à majori parte Patronorum, ſed omnes præſentati ſunt in paritate vocum, quia tantùm operatur vox octo filiorum Sempronii, quantum vox illorùm ſex, ſeu illorum quatuor, cùm illi octo repræſentent Sempronium illi ſex Cajum, & illi quatuor Titium, *Lambertin. de jurepatr. lib.*1. *par.*2. *quæſt.*1. *art.*25. *num.*12. §. *Si verò Vivian. eod. tract. lib.*4. *cap.*1. *par.*1. *num.* 60.

5 Sed quando Eccleſia habet duos Patronos, quorum unus inſtituat duos hæredes, & alius inſtituat decem hæredes; iſti omnes hæredes inſtituti ſuccedunt in ſtirpes, & non in capita, itaut tantùm operabitur vox duorum hæredum primi Patroni, quam decem alterius Patroni, *Lambertin. de jurepatronatus lib.*1. *par.* 2. *quæſt.*1. *artic.*31. *num.*12. *verſ. Unde pro vera*.

6 Sed pone, quod illi decem hæredes ab altero Patrono inſtituti ſint diſcordes inter ſe in præſentando, itaut octo ex illis præſentent Cajum, & duo præſentent Titium præſentatum etiam à duobus hæredibus primi Patroni; quæritur, quis ex iſtis præſentatis veniat præferendus? Videtur eſſe præferendum Titium utpotè præſentatum à majori parte Patronorum, quia ultra integram vocem primi Patroni habet etiam duas partes vocis ex decem hæredibus alterius Patroni; At hoc non obſtante Titius non dicitur præſentatus à majori parte Patronorum, ſed eſſe in paritate vocum cum Cajo, & habere jus æquale, taliter quòd magis idoneus venit præferendus, & ſi cætera ſint paria eſt locus gratificationi: ratio eſt, quia vox illorum decem hæredùm erat apud majorem partem, & ſic apud illos octo hæredes, qui præſentarunt Cajum; & de præſentatione illorum duorum, qui præſen-

7 tarunt Titium non eſt curandum, cùm factum à majori parte perindè habetur ac ſi omnes egiſſent, *Roch. de Curt. de jurepatr. verb. Ipſe, vel is num.*6. *Lambertin. eodem tract. lib.*1. *par.*2. *quæſt.*1. *artic.*25. *num.* 12. *verſic. Idem dicit ipſe*, *Caſſador. deciſ.*2. *de jurepatr. per tot. Vivian. de jurepatr. lib.*12. *cap.*8. *num.*4. *& ſeqq.*

8 Sed ad hoc, ut hæredes unius ex Patronis faciant majorem partem, & perficiant vocem, eſt neceſsè, quod ſit major pars ſimpliciter, & non comparitione minorum. Si enim ſint decem hæredes unius ex Patronis, & quatuor dirigant eorum vota ad unum, tres verò ad alterum, & alii tres ad aliùm, neutra præſentatio valeret, quia quamvis illi quatuor faciant majorem partem comparatione minorum, non faciant integram vocem illius Patroni, cui ſunt hæredes, ſed eſt neceſsè, quod ſaltèm ſint ſex, quia ſex faciunt majorem partem ſimpliciter omnium hæredum, & in hoc caſu, ut præſentatio perficiatur, dicit *Lambertin. ubi ſupra num.*18. *verſic. Ego dicerem*, licere alteri parti illarum minorum partium, & ſic illorum trium accedere ad majorem, idem probat *Roch. de Curt. ubi ſupra num.* 6.

ARGUMENTUM.

Quando Fundator relinquit Juspatronatus proximioribus, non in genere, ſed ſpecialiter duobus disjungendo idem Juspatronatus in duas voces, tunc præſentatio facienda eſt per illos duos tantùm, & per ſtirpes.

SUMMARIUM.

1 *Relicto jurepatronatus proximioribus non jure hæreditario, ſed jure legati, omnes proximiores in æquali gradu veniunt in capita.*

2 *Juspatronatus gentilitium defertur in capita, & non in ſtirpes, ſed intellige,* ut num.*6.*

Præ-

3 *Præſentatus à majori parte Patronorum eſt præferendus, & gratificandus.*

4 *Ubi juſpatronatus competit duobus, quomodo voces computentur in ſtirpes, aut in capita?*

5 *Obſervantia derivans ex facto Teſtatoris, & proxima fundationi eſt attendenda.*

7 *In jurepatronatus lineali ſucceſſio fit in ſtirpes, & non in capita.*

8 *Fundator quando dicatur noluiſſe juſpatronatus reſidere in ſua Familia per modum Collegii*, & num. 9. 10. & 11.

12 *Juſpatronatus quoad proprietatem poteſt reſidere æqualiter, & in capita in omnibus de Familia, exercitium autem per ſtirpes.*

CASUS II.

Fundavit quidam pius Teſtator Beneficium in quadam Eccleſia cum reſervatione Juriſpatronatus paſſivi favore duorum proximiorum, & in Patronos nominavit Titium, & Cajum æquè proximiores, qui in prima vacatione Beneficii ſuam expleverunt præſentationem, vacato Beneficio; defunctis Titio, & Cajo, ac relictis poſt ſe quam pluribus filiis, nimirum relictis à Titio filiis A. B. C. D., & Cajo filiis E. & F.; filii A. & E. æquè proximiores præſentarunt ad illud quemdam Clericum idoneum; quo nuper defuncto, & iterum vacato Beneficio, omnes filii Titii A. B. C. D. præſentarunt unum, & omnes filii Caji E. & F. æquè proximiores præſentarunt alterum Clericum; Quæritur proinde quomodo de jure ſit regulanda præſentatio, & quis ſit in hoc caſu inſtituendus.

Et videtur, quòd præſentatio ad controverſum Beneficium ſit facienda per capita, itaut unuſquiſque filiorum tam Titii, quàm Caji proximiorum in eodem gradu præfati Teſtatoris habeat pro virili ſuam
1 vocem; dum Teſtator reliquit Juſpatronatus proximioribus non jure hæreditario, ſed jure legati, quo caſu omnes proximiores in æquali gradu veniunt in capita, juxta *conſil. Alexand. de Nævo conſil. 63. num. 3.*, *Vivian. de jurepatr. lib. 4.*
2 *cap. primo num. 71. verſic. dubium erat*. Ea ratione, quia hujuſmodi Juſpatronatus videtur eſſe gentilitium, in quo omnes, qui eodem gradu ſunt proximiores ſuccedunt in capita, & non in ſtirpes, ut docent *Spada conſil. 9. num. 4. lib. 3.*, *Gabriel. conſil. 196. num. 4. lib. 2.*, *Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 11. num. 123.*, *Capon. diſcept. 233. num. 9. tom. 4. & diſcept. 72. numero 13. tom. 2.*, *Tondut. quæſt. Benef. 32. nu. 4. to. 1.*, *Rot. deciſ. 289. num. 4. par. 5.*
3 *Rec. & deciſ. 46. num. 5. coram Priolo*: Ac proindè cùm quatuor filii Titii, & duo filii Caji ſint in æquali gradu proximiores Teſtatori, unuſquiſque ex illis habet pro virili propriam vocem, ex quo ſequitur, quod Clericus præſentatus à quatuor filiis Titii præſentatus dicatur à majori parte Patronorum, adeòque eſt præferendus alteri Clerico præſentato à duobus filiis Caji, juxta diſpoſitionem *Canon. III.* de quo ſupra *Par. II.*, ibique *Innocent. Abb. Butr.*, *Bero*, *Gonzal. & Fagnan.*, aliique *Doctores ibi relat.*

4 His tamen non obſtantibus cenſeo præſentationem, & nominationem ad præſens Beneficium eſſe faciendam, & regulandam in ſtirpes, & non in capita; Teſtator namque non reliquit Juſpatronatus proximioribus ſuis in genere, & per modum Collegii, & Univerſitatis, ſed reliquit illud ſpecialiter duobus proximioribus disjungendo idem Juſpatronatus, ſeu ejus exercitium in duas voces, unam favore Titii, & alteram favore Caji, & conſtituendo Juſpatronatus lineale; unde filii Titii licèt ad efformandam hujus lineam, & vocem concurrere poſſint in capita; tamen comparativè ad lineam, ſeu vocem Caji concurrere debent in ſtirpes, itaut tantam vocem habere dicantur illi quatuor filii Titii, quantam habent illi duo filii Caji, & conſequenter præſentatus à filiis Titii non dicitur præſentatus à majori parte Patronorum, ſed eſſe in paritate vocum cum præſentato à filiis Caji, *Cardin. de Luc. de jurepatr. diſcurſ. 32. num. 2. & diſc. 33. num. 2.*, *Gratian. diſcept. forenſ. 521. num. 14.*, *Tondut. quæſt. Benefic. cap. 32. numero 6. tom. primo, & capit. 157. numero 3. tom. 2.*, *Rot. deciſ. 294. num. 27. par. 14. Recent.*, & *in Alexanen. Beneficii 11. Aprilis 1712.* §. *Sivè, coram R.P.D. Aldrovando inferiùs legen.*

5 Quod demonſtravit etiam ſubſequuta obſervantia, quæ de plano militare videtur pro excluſione ſimultaneæ præſentatio-

tationis in capita; dum ex ipſo facto Teſtatoris, habetur quod is in prima proviſione Beneficii præſentationem fieri, & expleri mandavit per Titium pro una voce, & per Cajum pro altera voce, qui præſentarunt cum ſubſequuto effectu; In ſecunda etiam proviſione proxima antecedenti præſentatio facta fuit per ſtirpes, & non per capita, dum in ipſa non præſentarunt omnes filii Titii, nec omnes filii Caji. Hujuſmodi autem obſervantia tamquam derivans ex facto Teſtatoris, & tamquam proxima fundationi nimium attendenda venit; & ad normam illius practicandum eſt etiam in præſenti proviſione ejuſdem Beneficii, *Card. de Luc. de jurepatr. diſc.* 60. *num.* 10., *Caren. reſol.* 10. *numero* 3., *Gratian. diſcept.* 521. *num.* 20., *Capon. diſcept.* 233. *num.* 13. *tom.* 4., *Rot. deciſ.* 26. *num.* 14. *& ſeq. coram Otthobon. & deciſ.* 679. *num.* 8. *coram Buratt.*

6 Non obſtat quòd in Jurepatronatus gentilitio, jus præſentandi devolvi ſoleat in capita, & non in ſtirpes: hoc namque procedit, quando Juſpatronatus relictum fuit proximioribus in genere, ac venientibus ad actum præſentationis per ſpeciem Collegii, & Univerſitatis, aut quando fuit conceſſum pro qualibet Familia, tunc enim cenſetur facta conceſſio in capita, & non in ſtirpes, *Capon. diſceptat.* 233. *num.* 12. *tom.* 4., *Tondut. quæſt. Benef.* 32. *num.* 14. *tom. primo*; Secus verò quando relictum fuit non per modum Collegii, & Univerſitatis; ſed ſpecialiter duobus, tunc præſentatio facienda eſt per illos duos tantùm, & per ſtirpes, *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 11. *num.* 127., & expreſsè docent *R. P. D. Anſald. dec.* 52. *num.* 24. *& ſeqq.*, *idem Tondut. ubi ſupra num.* 15.

R. P. D. ALDROVANDO

Alexanen. Beneficii.

Lunæ 11. *Aprilis* 1712.

Obtenta per Franciſcum nova Audientia adverſus Deciſionem coram Me emanatam ſub die 11. Decembris 1711., in qua fuit reſolutum non intrare arbitrium pro retardanda exequtione literis Apoſtolicis pro Præſentato cum derogatione medietati vocum ab Ignatio reportatis hodie illo non comparente Domini non ambigerunt permanere in deciſis.

7 Sive enim agatur de Jurepatronatus gentilitio lineali, ſive etiam mixto ſemper ſubſiſtit fundamentum Deciſionis, Ignatium fuiſſe præſentatum à medietate Patronorum, prout Sanctiſſimo Domino Noſtro expreſſit, quia in Jurepatronatus utriuſque relatæ ſpeciei ſucceſſio fit in ſtirpes, non autem in capita, itaut tantam vocem habeat Ignatius deſcendens à Joſepho filio primogenito Angeli Seraphini Fundatoris, qui eumdem Ignatium fratrem præſentavit, quantam habent quatuor deſcendentes à Thoma alio ejuſdem Fundatoris filio ſecundogenito, qui præſentaverunt dictum Franciſcum, ex adductis in præterita Deciſione §. *Quocirca cum ſeq.* & §. *Cæterum*, & nuper *in Matheranen. Parochialis ſuper pertinentia juriſpatronatus* 11. *Januarii currentis anni* §. *Et tertium coram R. P. D. meo Falconerio*.

8 Abſque eo quòd relevare poſſit Fundatorem in pro œmio Codicillorum expreſſiſſe ſuam voluntatem inſtituendi Eccleſiaſticum Beneficium *de jurepatronatus Laicorum della Famiglia d'eſſo Teſtatore*, & idcirco verſemur potius in Jurepatronatus familiari pro tota Familia in genere per modum unius Collegii conſideratæ, in quo omnes non attenta linea præſentant in capita, prout facit unumquodque Collegium, & Univerſitas unicam habens vocem indiviſibilem.

9 Præfata namque generalitas familiæ in ſuperiori parte prooemiali expreſſa, fuit ſubindè per Fundatorem declarata in parte diſpoſitiva, ubi ipſe manifeſtavit, quod ſub nomine ſuæ familiæ intellexit de ſuis filiis, eorumque hæredum, & ſucceſſorum, quibus in perpetuum reliquit jus nominandi, ibi -- *Il jus eligendi ſia, & habbia da eſſere delli altri ſuoi Figli, & Eredi, e di detto Chierico Aleſſandro, & Eredi, e ſucceſſori di quelli* -- & ideo per hanc ſpecialem declarationem, & expreſſionem perſonarum explicata remanſit antecedens generalitas, ad *Text. in cap. Paſtoralis* §. *Quoniam de reſcript. & in cap. gener.* 34. *de reg. jur. in* 6. *& leg. Sanctio ff. de pœnis*, *Menoch. conſ.* 141. *num.* 26., *Mantic. de tacit. lib.* 6. *tit.* 16. *num.* 4., & 5.;

Adeout jus nominandi diſtinctè, & diviſim relictum fuiſſe cenſeatur unicuique ex filiis pro ſua virili, & æquali portione ad eorum cujuslibet lineas poſtmodum deferenda, ut optimè probant allegati in *deciſ. quæ revidetur* §. *Ignatium*.

10 Nec ſubſiſtere videbatur id, quod rurſus objiciebatur in Memoriali pro nova Audientia, quod nimirum talis ſubſequens expreſſio ſuorum filiorum adjecta fuerit ad excludendos extraneos eamdem Familiæ nuncupationem habentes, & jus nominandi reſtringendum ad deſcendentes ſuos; non autem ad effectum ut Juſpatronatus non reſideret in ſua Familia per modum unius Collegii conſiderata; placuit enim Dominis reſponſio præteritæ Deciſionis §. *Non attento*, quod hoc potuiſſet forſan animadverſionem promereri ſi Fundator vocaſſet in dicta parte proœmiali totam Familiam in genere, in quibus terminis loquitur *Card. de Luc. de jurepatr. diſc.* 54. *num.* 7. & 8.; ſecus autem in præſenti caſu, in quo vocationem reſtrinxerat ad ſuam Familiam effectivam per illa verba --*Famiglia di eſſo Teſtatore*-- quæ cùm præſeferant excluſionem illorum de Familia contentiva, & incluſionem deſcendentium ab eo dumtaxat, indè ſequitur, quod ſucceſſiva filiorum ſuorum ſuorum expreſſio ad alium finem facta dici nequeat quàm ad effectum dividendi exercitium Juriſpatronatus pro numero ſuorum filiorum, pluraque corpora diſtincta inter eorum lineas, & deſcendentias conſtituendi, ad hoc ut in vacationibus quælibet linea, & deſcendentia haberet ſuam vocem, in electione Cappellani, aliàs dicendum foret Fundatorem otioſè, & inutiliter repetere voluiſſe quidquid ſatìs ſuperque præcedenter iam explicaverat, quando potiùs ea facienda eſt interpretatio, quod nullum verbum ſinè operatione, & effectu ſtare debeat, *Rot. coram Gregor. deciſ.* 424. *numero* 6., *Priol. deciſ.* 229. *num.* 10., *Pamphil. deciſ.* 530. *num.* 2., & *in Rec. dec.* 112. *num.* 11. *par.* 6., & *deciſ.* 354. *num.* 35. *par.* 11.

11 Quæ ſanè intelligentia eò magìs amplexa eſt, quia Teſtator in ordine ad Familiam ſuam diſpoſuit de proprietate ipſius Juriſpatronatus, ibi -- *De jurepatronatus della Famiglia di eſſo* -- in ordine verò ad ſuos filios diſpoſuit de ſimplici exercitio, illiuſque fructibus conſiſtentibus in jure nominandi, ibi -- *Il jus eligendi ſia delli ſuoi figli* -- Unde ab eo, quod præſefert diſpoſitio circa Juriſpatronatus proprietatem, trahi non poteſt argumentum ad aliam diverſam, & ſubſequentem diſpoſitionem circa exercitium, & fructus Juriſpatronatus; cùm unus poſſit ſtare ſinè altero, quodque ad unum pertineat jus præſentandi, ſeu nominandi, alter verò habeat Juſpatronatus, *Vivian. de jurepatr. lib. primo cap.* 3. *num.* 31. & *lib.* 5. *capit.* 2. *num.* 2., *Gonzalez ad regul.* 8. *Cancell. gloſs.* 18. *num.* 92. & *gloſs.* 45. §. 2. *num.* 27. & 28., *Seraphin. deciſ.* 456. *num.* 3. & 4., & *in Rec. deciſ.* 809. *num.* 13. *par.* 18., &

12 in ſpecie quod Juſpatronatus poſſit quoad ſubſtantiam, & proprietatem reſidere æqualiter, & in capita in omnibus de Familia, exercitium autem per ſtirpes, ſeu quotas hæreditatis, tradit *Card. de Luc. de jurepatr. diſc.* 61. *num.* 6., *Fraſſo de patronat. reg. tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 61., *Rota in Lauden. Canonicatus* 3. *Martii* 1697. §. *Individuitas coram Eminentiſſimo D. Cardin. dela Tremoille*.

Et ita approbantes in reliquis DD. firmata in alia Deciſione ad quam remiſſivè ſe habuerunt altera tantum &c.

ARGUMENTUM.

Diviſo Jurepatronatus hæreditario in plures voces, ſeu ſtipites Principales; ſi unaquæque vox, ſeu ſtipes Principalis habeat plures ſtipites ſubalternos, ſeu plures hæredes, & Succeſſores, tunc ad hoc ut quis dicatur habere unam ex dictis vocibus unius ex ſtipitibus Principalibus, requiritur, quod omnes ſtipites ſubalterni ſtipitis Principalis, aut major pars eorum comparatione minorum partium eum præſentent.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *In Jurepatronatus hæreditario Patroni hæredes ſuccedunt in ſtirpes, & non in capita.*

2 *Omnes hæredes unius Patroni ſubſtituuntur in locum unius vocis, & pro ſingulari Perſona habentur.*

3 *Quilibet hæres unius Patroni in juribus proceſſionis, & alimentorum ſuccedit in capita, & non in ſtirpes.*

4 *Præſentatio facienda per plures ſtipites ſubalternos unius ex ſtipitibus principalibus regulanda venit ad inſtar præſentationis faciendæ per Collegium, aut Univerſitatem.*

5 *Præſentatio facienda per Collegium, ut dicatur facta, requiritur quod vel omnes, vel major ejus pars præſentent.*

6 *Si ſtipites ſubalterni unius ſtipitis Principalis ſe dividant in æquales partes nulla præſentatio dicitur concluſa.*

7 *Major pars in uno quoque ſtipite ſuffocat, & abſorbet minorem.* Et num.8. & 15.

9 *Renuncians Univerſitatem bonorum, cui eſt annexum juſpatronatus ſi à principio non excipit juſpatronatus à dicta Univerſitate, non poteſt ex poſt facto juri quæſito alterius præjudicium inferre.*

10 *Renunciatio jurispatronatus debet eſſe in implicito ſtatu validitatis, quo uſque judicialiter ſuper illius nullitate pronunciatum fuerit.*

11 *Præſentatio facta ante motam litem ſuper jurepatronatus, ſi lis deperdatur, nequit retractari.*

12 *Patronus non præſentans ex ignorantia pertinentiæ jurispatronatus favore ſui, nullum præjudicium ſibi irrogat.*

13 *Præſentatio facta poſt renunciationem jurispatronatus eſt nullius roboris.*

14 *Voces provenientes à diverſis ſtipitibus nonſunt conjungibiles.*

CASUS III.

FUndator cujuſdam Beneficii duos ſibi inſtituit hæredes Titium nimirum, & Cajum, diviſitque Juſpatronatus, ſeu jus præſentandi in duas voces, quarum unam conceſſit Titio, alteram Cajo. Titius autem poſt ſe tres reliquit hæredes, videlicet A. B. C. & unuſquiſque horum plures etiam habuit hæredes e. g. A. habuit duos, B. alios duos, & C. quinque. Cajus vero, unum inſtituit hæredem e. g. D. qui defuncto ab inteſtato quinque reliquit filios. Vacato Beneficio, quatuor filii D. hæredis Caii præſentarunt quemdam Sacerdotem; è contra duo hæredes A. præſantarunt unum Clericum; duo hæredes B. præſentarunt alium Clericum; & quinque hæredes C. præſentarunt alterum Clericum, qui etiam fuit præſentatus ab uno ex quinque filiis D., quæritur an iſte præſentatus ab hæredibus C. dicatur præſentatus à majori parte, vel ſaltem à medietate Patronorum.

Primo aſpectu apparet præſentatum ab hæredibus C. eſſe præſentatum à majori parte Patronorum, cùm iſte numeret pro ſe ſex voces, quinque nimirum hæredum C. & unum ex quinque filiis D., cæteri verò ſupradicti præſentati numerent pauciores voces; dum duo numerant duas voces pro quolibet, & unus quatuor voces; ex quo ſequi videtur quod Præſentatus ab hæredibus C. ſit ad excluſionem aliorum præferendus, & inſtituendus, juxta diſpoſitionem *Canonis III. Par. II.*, & auctoritates ibi relatas.

At re non in cortice, ſed intrinſecè perpenſa cenſeo dicendum non verificari Præſentatum ab hæredibus C. eſſe præſentatum à majori parte Patronorum, imò exiſtimo eum nullatenus Præſentatum, nec ullam vocem pro ſe numerare poſſe;
1 Quoniam Juſpatronatus ad controverſum Beneficium cùm ſit hæreditarium, & diviſum in duas voces delatas in duos Patronos Originarios nempe Titium, & Cajum, ſequitur quod hæredes uniuſcujuſque ex dictis Patronis ſuccedent in ſtirpes, & non in capita, ut diſponitur ab hoc *Canone*; itaut ad hoc ut quis dicatur præſentatus requiritur quòd habeat omnia, vel majorem partem ſuffragiorum hæredum unius ex dictis Patronis.

Reflectendo autem ad ſingulas ex dictis vocibus clarè apparet Clericum Præſentatum ab hæredibus C. non habere vocem Titii; iſta enim vox repræſentatur à tribus ejus hæredibus, ſeu ſucceſſoribus, ſeu à tribus ſtipitibus ſubalternis; nempe à duobus hæredibus A. pro uno, à duobus hæredibus B. pro altero, & à quinque hæredibus C. pro tertio. Ex iſtis autem ſtipitibus ſubalternis ſolùm ille C., ſeu ſolùm hæredes C. præſentarunt

hunc Clericum, alii verò duo ſtipites, nimirum hæredes A. præſentarunt alium, & hæredes B. præſentarunt alterum Clericum; ac proinde Clericus præſentatus ab hæredibus C. pro ſe numerare non poteſt vocem Titii.

Inconcuſſa eſt enim in jure propoſitio, & à Doctoribus, & Sacra Rota firmata, quod quando Juſpatronatus hæreditarium eſt diviſum in plures voces, ſeu ſtipites Principales, & unaquæque vox, ſeu ſtipes Principalis habet plures ſtipites ſubalternos, ſeu plures hæredes, & ſucceſſores, tunc ad hoc ut quis dicatur habere unam ex dictis vocibus, unius ex ſtipitibus Principalibus, requiritur, quòd omnes ſtipites ſubalterni, ſeu omnes hæredes, & ſucceſſores ſtipitis Principalis, aut major pars eorum comparatione mi-
2 norum partium, eum præſentent. Ratio eſt, quia cùm omnes iſti ſtipites ſubalterni, ſeu omnes hæredes, & ſucceſſores ſtipitis Principalis ſubſtituantur in locum unius vocis, ſeu unius ex Compatronis, omnis numerus eorum pro ſingulari perſona habetur, & licet quilibet ex illis habeat vocem omnium, tamen voces inſimul collectivè, vel major pars eorum producit integram vocem ſtipitis Principalis;ad differentiam jurium Proceſſionis, alimentationis, & defenſionis debitorum Patronis, & hæredibus eorum, quæ poſ-
3 ſunt, & debent producere ſuum effectum diſtributivè, & ſunt penès quemlibet eorum inſolidum,& in capita,ut docent *Lap. in Clemen.Plures de jurepatr. n.1. & ſeqq., ibiq;Vitalin. n.1. 25. & 42., Zabarell.n.3., Imol. num. 7., Ancharan. num.2., Lambertin. de jurepatr. art.25. quæſt.prima par.2. lib.primo num.13., Rota deciſ. 394. num.1. & 2. coram Merlin.*, & in terminis *in Lunen. Sarzanen. Cappellaniæ 18. Aprilis 1687. §.Quæ ſervanda coram R.P.D.Hervavult*, ibi -- *Nunquam enim ſejunctim conſiderandæ ſunt portiones primæ illius vocis, quæ in ſtipitibus ſubalternis, veluti in tranſitu vagantur, ſed tanquam ad terminum cumulativè referri debent ad principalem vocem repræſentatam, eadem inviolabiliter in ea efformanda, ſervata proportione reſpectu Partium, quæ ſervatur reſpectu totius in eo conſiſtens, quòd ſicuti habens tres ex quatuor ſtipitibus ſubalternis, totam vocem ſtipitis Principalis habere dicitur, ſic etiam ſufficiat habere majorem partem cujuslibet illorum; ut tota vox ſubalterni ſtipitis repræſentetur* -- noviſſimè confirmata *in Firmana Beneficiorum 19. Januarii 1711. §. final. coram R. P. D. Lancetta inferiùs legen. num.7.*

4 Itaut præſentatio iſta facienda per plures ſtipites ſubalternos unius ex ſtipitibus Principalibus, ſeu per plures hæredes, & ſucceſſores unius ex Compatronis regulanda veniat ad inſtar præſentationis faciendæ per Collegium, aut Univerſitatem; ſicuti enim præſentatio fa-
5 cienda per Collegium, aut Univerſitatem, ut dicatur facta requiritur, quòd vel omnes, vel ſaltèm major pars illius præſentent, eo quia omnes de Collegio, vel ſaltèm major pars illius repræſentant Collegium tanquam unam perſonam,aliàs ſi ſcindatur in partes æquales,neutra pars repræſentat totalitatem, ſui ipſius, nec ulla præſentatio dicitur facta, aut concluſa à Collegio,aut Univerſitate, ut plenè dixi ſuperiùs *Par. I. Can. V. Caſ. VII. num.8.*; Ita ad hoc ut præſentatio facienda per plures ſtipites ſubalternos unius ſtipitis Principalis, ſeu per plures hæredes, & ſucceſſores unius ex Compatronis, cùm iſti omnes hæredes, & ſucceſſores repræſentant unam vocem Principalem unius ex Compatronis, ad hoc ut dicatur facta, requiritur, quod omnes, vel ſaltèm major pars eorum præſentent, adeout ſi ſtipites ſubalterni ſe dividerent in æquales partes,nulla præſentatio diceretur concluſa, ad *Text. in cap. 1. de his, quæ fiunt à major. part. Capit., Abb.in cap. Poſtulaſtis nu.14. de conceſſ. præben., Lambertin. de jurepatr. lib. 2. par. 2. quæſt. 3. art.6. num.2. in fine, Card. de Luca de Benefic. diſc.3. nu.3., Garz. de Benefic. par.5. cap.4. num.28., Rot. deciſ.148. nu.10. apud Vivian. de jurepatr.*

Propter eamdem rationem idem Clericus præſentatus ab hæredibus C. habere non poteſt vocem Caji, quia cùm ipſe fuerit præſentatus ſolùm ab uno ex quinque filiis D. hæredis ejuſdem Caji, cæteri verò quatuor præſentaverint ſupradictum Sacerdotem; iſte dicitur habere totam vocem Caij,non verò idem Clericus,
7 dum major pars in unoquoque ſtipite ſuffocet, & abſorbeat minorem, *Imol. in hoc Canone num.7., Lambertin. de jurepatron. par.2.*

par.2. lib.primo quæſt.prima art.25. nu.13. & ſeqq., *Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 11. num.135.*,& alii apud *Rot. in ſequenti Deciſione §. final.*; Et conſequenter in hoc caſu inſtituendus venit præfatus Sacerdos, qui ſolus in hac vacatione dicitur legitimè præſentatus, & nullatenùs ſupradictus Clericus.

R.P.D. LANCETTA

Firmana Beneficiorum.

Lunæ 19. Januarii 1711.

TRiangularis quæſtio exorta inter Xaverium Matthæuccium, Gregorium Morronum, ac Nicolaum Calvuccium ſuper adjudicatione Beneficii de Jurepatronatus laicali deciſa fuit coram Me ſub diebus 3. Junii 1709. & 6. dicti menſis 1710. favore Matthæuccii, eoque inſtante pro expeditione, placuit Dominis illam denegare reſpectu Calvuccii, quem iterum audiri demandarunt. Hinc repropoſita hodie cauſa, licèt iſte propria jura pleniori calamo deduxerit. Nihilominùs viſa fuerunt inſubſiſtentia, eo quia reaſſumpto vocum examine agnitum fuit, majorem illarum partem aſſiſtere eidem Matthæuccio, & propterea ſteterunt *in deciſis*.

Retento enim, quod Juſpatronatus in ſuo primordio fuit in tres voces diviſum, ſcilicet in Peregrinum, Federicum; atque Bonfilium, qui in Teſtamento portionem ad ſe ſpectantem reliquit Marchetto, & Rodulpho filiis Federici, itaut in iſtis conſolidatæ fuerint duæ voces, illa nempè Teſtatoris prædicti, ac alia Federici Patris; Verùm quia jus Rodulphi fuit conſolidatum in Auctores, qui præſentarunt Morronum jam excluſum, ex quo unicam vocem tantùm haberet, tota quæſtio iterum redacta fuit ad dignoſcendum quis in hodiernis Collitigantibus majorem partem vocum pro ſe numeraret.

Et ſanè non fuit controverſia inter Partes, quod non ſolùm vox Marchetti in Honuphrium devenerit, ſed etiam dimidia vocis Peregrini ex donatione Urielis ejus Nepotis, quo propoſito benè ſequitur, quod Xaverius habeat unam vocem cum dimidia tanquam præſentatus ab hiis, qui Honuphrio ſucceſſerunt.

Iſtudque aſſumptum ſatis viſum fuit probari ex eo, quòd dictus Honuphrius prole deſtitutus tres ejus ſorores, Eugeniam videlicet, Comitiſſam, ac Nicoloſam ſcripſit hæredes, inter quas Juſpatronatus fratri competens pro æquali portione diviſum extitit, ſed poſtmodùm occaſione ingreſſus in Religionem, Eugenia renunciante omnia ſua bona, & jura ſororibus, integra renunciantis portio pervenit ad dictam Comitiſſam dumtaxat, ut infra probabitur, adeò ut ex tribus partibus Nicoloſa unam ſolam habuerit.

Præfatas autem duas portiones ſpectantes ad Comitiſſam nuptam Matthæuccio nactæ fuerunt ab inteſtato ſuccedentes Clarix, Catharina, & Maria Diana tres ejus filiæ, quarum primæ occaſione dotis ipſiſmet à patre aſſignatæ; ultima verò occaſione ingreſſus in Religionem renunciarunt omnia ſua bona, ac jura tam favore patris, quàm Julii Cæſaris fratris conſanguinei ex alio matrimonio procreati; ex quibus utique ſatìs clarè conſtare viſum fuit Dominis, Xaverium præſentatum à ſupradicto Julio Cæſare habere vocem Marchetti, & dimidiam Peregrini, prout in Honuphrio reſidebat, ſicque majorem partem vocum comparativè etiam ad Calvuccium.

Quod rectè procedit etiamſi ille enumeret pro ſe eam tertiam partem vocis pertinentis ad Nicoloſam, à cujus hærede fuit præſentatus, quia cùm in computatione iſtius vocis agatur inter deſcendentes ejuſdem ſtipitis, ac lineæ, urget
8 ratio, quod vox proveniens à Nicoloſa non ſit conſideranda; Nam remanet ſuffocata; & abſorpta ab aliis duabus partibus conſtituentibus majorem partem in Honuphrio reſidentem perindè ac ſi dicta altera tertia pars in rerum natura haud exiſteret, ut præter adductos in ultima Deciſione hujus cauſæ §. *Et hæc adeò*, tradunt *Lotther. de re benefic. lib.2. quæſt.11. num.136. Vivian. de jurepatron. par.2. lib.12. cap.8. num.1. & 4.*

Nec obſtat, quòd Nicoloſa habere quoque debeat medietatem juris competentis Honuphrio, ex quo Eugenia ſuam vocis portionem ipſi pariter renunciaverit; quoniam renunciatio legitur qui-

quidem favore utriuſque ſororis, ſed tamen conditionaliter præfixo, ſcilicet termino 15. dierum Renunciatariis ad emittendam declarationem ſe paratas eſſe ſubire onera, ac ſolvere debita ejuſdem; addito itidem, quòd in caſu non factæ declarationis totum jus accreſceret alteri.

Unde ſi præfata Nicoloſa de hujuſmodi conditionata renunciatione fuit, mediante judiciali intimatione, & quidem perſonali certiorata, atque ea non obſtante requiſitam declarationem neglexit emittere, utique ob non adimpletam conditionem à ſua poteſtate dependentem factus fuit locus juri accreſcendi favore Comitiſſæ, ut latè apud *Manſ. conſult.* 101. *num.* 11. *& ſeqq. Rota deciſ.* 462. *num.* 1. *par.* 19. *recent. tom.* 2. cùm iſta revera ad præſcriptum ſororis renunciantis omnia acceptaverit, ac ſemper onera perſolvens ſucceſſivis temporibus omnia ejus bona poſſederit, necnon cum bonis jurispatronatus ipſis de ſui natura adhærens, *Rota in Melevitana jurispatronatus* 5. *Julii* 1696. §. *Adeoque*, *&* §. *Minusque*; *& in illius confirmatoria* 5. *Junii* 1697. §. *Sed hoc objectum*, *coram Reverendiſſimo*
9 *meo Decano*. Minimè attenta contraria declaratione modernis temporibus facta ab Eugenia, quia ſi à principio non excepit juspatronatus ab univerſitate bonorum, non potuit expoſt facto juri quæſito alterius præjudicium inferre, ex ponderatis per *Rotam deciſ.* 323. *num.* 14. *par.* 16. *& deciſione* 317. *num.* 35. *par.* 18. *recent. tom.* 1.

Non relevante replicatione, quòd interpellatio ad acceptandum, & declarandum facta fuerit Nicoloſæ per Procuratorem Eugeniæ, de cujus mandato non conſtat, & quòd non probato dolo ejuſdem, nec accedente ſententia Judicis ſuper caducitate, illam, haud quaquam potuerit incurrere. Dixerunt etenim Domini; quod cùm ex parte Nicoloſæ ſit incontrovertibilis ſcientia dictæ conditionalis renunciationis, eo quia ad ejus notitiam judicialiter deducta fuit, mediante interpellatione ad acceptandum ſub lege appoſita à Renunciante cum indicatione ulterius diei, anni, atque Notarii, qui Inſtrumentum confecerat; & quod plus eſt, cum Inſtrumenti actuali exhibitione, ac productione, indè ſequitur, quòd non ſit curandum, ſi non exhibetur mandatum procuræ Eugeniæ, tam ex lapſu tot annorum initium deſumente ab anno 1652. quàm ex dicta jurium productione præſumendum, ut de prima concluſione *Rota coram Emerix jun. deciſ.* 1264. *num.* 3. & de ſecunda *Adden. ad Pamphil. deciſ.* 684. *num.* 14. *&* 17. & quod nec etiam ſit aſſumenda quæſtio de dolo, vel expectanda ſententia Judicis, quando totum fundamentum ſiſtit in eo, quod deficiat conditio, ſinè cujus purificatione nullo modo poterat Nicoloſa jus acquirere, ut præter ſupra adductos in §. *Unde ſi notant*, *Pariſ. conſ.* 8. *num.* 17. *& ſeq. lib.* 3. *& Cravett. conſ.* 170. *num.* 8.

Hinc recurri nequit ad ſubſidiarium remedium reſtitutionis in integrum, quòd aſſerebatur competere poſſe Nicoloſæ adversùs non emiſſam declarationem intrà tempus ab Eugenia præfinitum. Etenim illud non eſt allegabile, niſi poſt obtentam ipſam reſtitutionem, & interim Julius Cæſar in jurium ſuorum exercitio impediri non debet. Maximè cùm res in præſenti non ſit amplius integra, *Odd. de reſtit. in integrum par.* 1. *quæſt.* 43. *artic.* 1. *num.* 40. *Gratian. diſcept. forenſ.* 767. *n.* 45. *& ſeq.*

Prout identidem Domini noluerunt attendere quidquid deducebatur contra renunciationes emiſſas à Clarice, & Catharina illas in primis uti nullas impugnando ob cauſæ falſitatem, atque ulte-
10 rius redarguendo de ineffectuatione; quoniam quod attinet ad nullitatem nimis evidens putarunt, hanc eſſe non poſſe præſentis inſpectionis, utpotè quia ſunt, & eſſe debent in implicito ſtatu validitatis, quouſque judicialiter ſuper illarum nullitate pronunciatum fuerit, plenè *Rot. in Tuden. Parochialis* 9. *Junii* 1700. §. *Ad effectum enim*, *coram R. P. D. meo dell'Olmo*, *& in Melevitana jurispatronatus* 31. *Martii* 1702. §. *Minuſque*, *coram R. P. D. meo Scotto.*

Eoque fortiùs quia de præſenti pendet coram A. C. judicium intentatum ſuper dicta nullitate, adeout proindè debeat expectari terminatio illius judicii per tres conformes. Nec interim eſt in hoc diverſo judicio de ea cognoſcendum ex iis, quæ notantur per *Angel. conſil.* 138.

*ſil.*138.*num.*2. *Rota deciſ.*199. *num.*10. *& ſeq.par.*16.*recent.* Accedente potiſſimùm alia animadverſione, quod etiamſi decla-
11 rarentur nullæ renunciationes, adhuc id minimè deſervire poſſet pro deſtruenda præſentatione facta in perſonam Xaverii, quidquid dicendum eſſet pro futuris vacationibus, cùm illa fuerit expleta priuſquam lis promoveretur, ſicque cum bona fide, quæ ſi eveniente caſu, valebit eximere Julium Cæſarem à reſtitutione fructuum perceptorum, antequam lis introduceretur pari ratione nequit retractari præſentatio, quam ad hunc effectum in fructu juriſpatronatus exiſtere non dubitatur, ut poſt *Calderin. conſ.*19. *in fine*, *de jurepatr. & Vivian. eod. tract. lib.*5. *cap.*2. *num.* 3. firmavit *Rota* in allegata *Tuden. Parochialis* 9. *Junii* 1700. §. *Ad effectum enim*, *coram R. P. D. meo dell'Olmo*.

Quo verò ad ineffectuationem renunciationum deſumptam, ex quo Clarix, & Catharina de anno 1687. præſentaverint, ceſſare viſa fuit ex facto; nam poſſeſſio omnium bonorum in renunciationibus comprehenſorum à die renunciationis ad hæc tempora, & ſic ſpatio 40. circiter annorum ſemper pacificè, & ſinè controverſia permanſit penès renunciatarios, adeout nequeat de effectuatione dubitari, *Rota deciſ.*494. *n.*16. *par.*19. *recent.* ubi concordantes.

In nihilo attento, quod Julius Cæſar in dicta ultima vacatione non præſentaverit; id enim minimè evenit, quia non
12 haberet jus præſentandi, ſed ex quo eidem haud innotuerit juspatronatus ſibi competere vigore renunciationum illud expreſsè non præſeferentium, itaut ex tali ignorantia nullum præjudicium eidem potuerit irrogari, *Rota coram Emerix jun. deciſ.*1320. *num.*13. *& in recent. deciſ.*273. *num.*13.*cum ſeqq. & in Romana Beneficii* 20. *Martii* 1699. §. *Nec refragatur*, *coram R. P. D. meo dell'Olmo.* Et ſatìs ſit tunc temporis præſentaſſe Joannem Antonium Calvuccium alium compatronum, nè Julius Cæſar dicatur amiſiſſe jus præſentandi; nam ubi ſunt plures compatroni, iſti quoad actum præſentationis dicuntur conſocii, & niſi unus, vel aliqui præſentent animo privandi, & ſpoliandi alium, qui ſciat, & acquieſcat, ſemper jus iſtius eſt præſervatum, ut eſt omnium Doctorum, & Tribunalium opinio, de qua apud *Rot. in Mediolanen. Prioratus* 11. *Decembris* 1699. §.*Idque ex ea*, *coram Reverendiſs.meo Decano*, *& in Mediolanen. Beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §.*Secundus aſſurgit caſus*, *cum ſeq. coram R. P. D. meo Anſaldo*.

Tandem non obſtat, quod aſſiſtat dd. Sororibus ultimus ſtatus omnino in beneficialibus, attendendus ex vulgato *Text. in cap. Conſultationibus*, *de jurepatr.* eò quia de anno 1687. præſentaverint;
13 Nam cùm id fuerit geſtum, poſtquam renunciaverant propria jura favore Concepti patris, & Julii Cæſaris fratris, dictæ præſentationes ſunt actus ſpoliativi, & conſequenter nullius roboris, invalidi, & non conſiderandi, *Rota* in citata *Mediolanen. Beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §.*Eoque certius*, *coram R. P. D. meo Anſaldo*.

Itaut ex iſtis non valeat aliquis ſtatus firmari ad effectum admittendi canonicam ſanctionem præallegati *Text. in cap. Conſultationibus*, quæ licèt faveat ultimo ſtatui, tamen non procedit, quando incontinenti conſtat, illum, ut in præſenti hypotheſi eſſe infectum, & quidem non per conjecturas, ac præſumptiones, ſed per publica documenta renunciationum, quæ ſunt tanti roboris, & efficaciæ, ut faciant probationem probatam, atque manifeſtam, necnon poſſeſſorium abſorbeant, quouſque declarentur nulla, & inſubſiſtentia, *Rota in dicta Tuden. Parochialis* 9. *Junii* 1700. §. *Sentiebant*, *&* §. *Siquidem*, *coram R. P. D. meo dell'Olmo*, *& in Pennen.Beneficii ſuper pertinentia* 17. *Martii* 1710. §. *Sed hic non ſiſtit*, *coram R. P. D. meo Aldrovando*.

Ulteriùs apud Dominos in nulla fuit conſideratione, quod in *deciſione coram bonæ mem. Manuel ſub die* 19. *Junii* 1693. §. *final.* edita occaſione ultimi ſtatus, dictum fuerit, Claricem, & Catharinam eſſe excluſas à ſtatuto firmant propter agnatos, adeout cenſeri debeant iſtæ excluſæ à jurepatronatus, & per conſequens illud nec potuerint cedere, vel renunciare. Quandoquidem rectè patet id potius ad quamdam exuberantem rationem, & perfunctoriè inſinuatum; Nàm ſi deciſio ſe fundaſſet in ſtatutaria excluſione nec potuiſſet admittere præſentationem Joannis Antonii Calvuccii uti ve-

venientis jure Nicoloſæ, quæ pariter excluſa remanſiſſet à ſtatuto, ultra quod nec præfatus Joannes Antonius potuiſſet excludere Claricem, & Catharinam vigore ſtatuti, quod utpotè conditum favore dumtaxat agnatorum illum in tali linea minimè exiſtentem comprehendere non poterat, cùm de caſu ad caſum in hac materia nulla detur extenſio, quoties excludere volens non ſit incluſus in ſtatuto, ut omiſſis aliis noviſſimè pluribus cumulatis firmavit *Rota in Spoletana Succeſſionis* 17. *Februarii* 1710. §. *Ratio*, *cum ſeqq.* & ſignanter §. *Intelligendo*, *coram R. P. D. meo Anſaldo.*

Cùm itaque ex hactenus firmatis apertè dignoſcatur, quod major pars vocum iſtius juriſpatronatus ſemper aſſiſtit Xaverio, ſuperfluum putarunt Domini diſquirere de alia medietate vocis procedente à Peregrino per medium Hippolytæ ejus filiæ. Quoniam, licèt dubitari valde poſſet, an hæc integra medietas ſtet favore Calvuccii, cùm in hac jus habere prætendant alii compræſentati, tamen admiſſo quoque citra alicujus præjudicium, quod ad commodum ejuſdem enumerari valeat integra medietas dictæ vocis Peregrini, dixerunt, illum non poſſe concurrere cum Xaverio, qui habet vocem cum dimidia conſolidatam in Honuphrio, ut ſupra probatum fuit, ſubdentes ſolummodò pro coronide, quòd Calvuccius neutiquam valet conjungere hanc dimidiam vocis Peregrini cum altera tertia parte vocis ſpectantis ad Nicoloſam, utpotè quia agatur de vocibus
14 provenientibus à diverſis ſtipitibus, quæ non ſunt conjungibiles, cùm in unoquoque ſtipite tantùm major pars ſuffocet,
15 & abſorbeat minorem, necnon ſeparatam vocem ab altero ſtipite conſtituat, ut in his terminis notant *Lotther. de re benefic. lib.*2. *quæſt.*11. *num.* 135. *Cardin. de Luca de jurepatr. diſc.*32. *num.*4. *& ſeq. Rota in Lunen. Sarzanen. Cappellaniæ* 18. *Aprilis* 1687. §. *Quæ ſervanda*, *coram Reverendiſſimo Hervault.*

Et ita utraque parte acerrimè informante, &c.

ARGUMENTUM.

Patroni duo poſſunt alternativè præſentare nequaquam verò beneficium ſecare in duas partes, itaut unus Patronus ad unam, & alius ad aliam partem beneficii præſentet.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium non patitur ſectionem in ſuis titulis, niſi concurrentibus requiſitis, de quibus* num. 2.

3 *Pro extinguenda lite inter Patronos non poteſt fieri ſectio beneficii.*

CASUS IV.

Titius, & Cajus exiſtentes in poſſeſſione, ſeu quaſi juris præſentandi reſpectivè pro medietate ad beneficium ſub invocatione S.Mariæ, & S.Benedicti, ſitum in Eccleſia A, cum occaſione vacationum ſemper controverſiæ, graviſſimæque lites acciderint, decreverunt proinde ad bonorum beneficialium diviſionem in duas partes æquales devenire, ex iiſque duo beneficia conſtituere, alterum ſub titulo S. Mariæ, alterum verò S. Benedicti firmo remanente ad favorem unius cujusque ex dictis patronis ſuo jure præſentandi, preces à Summo Pontifice ad Sacram Congregationem Concilii remiſſas porrexerunt pro Apoſtolico beneplacito reportando; inde propoſito Dubio -- *An beneplacitum Apoſtolicum ſit concedendum*; negativè reſpon-
1 dendum ſentiebam, ſtudens apud R.P. D. meum Petra; quia in hoc caſu petitur diviſio beneficii, quod in ſuis titulis in integritate conſervari debet, nec pati ſectionem, juxta *Text. in cap. Majoribus, de præbendis*, ibique *Conzal. num.*2. *Barboſ. Lotther. de re benefic. lib.*1. *qu.*28. *num.*55. *& ſeqq.* Et licèt poſſit aliquando fieri ſectio, ut dicitur *in cap. Vacante*, *de*
2 *præben.* Tamen debent quatuor concurrere, & præſertim accretio redditūum, & juſta cauſa, *Lambertin. de jurepatron. lib.*2. *part.*1. *quæſt.*7. *artic.*1.1. 12. *&* 17. *Fagnan. in cap. Perlatum num.* 2. *& ſeqq.* Deficit namque in hoc caſu augmentum reddi-

redditluum, & eò minus concurrit *juſta* cauſa, quæ debet eſſe reſpectu ipſius Eccleſiæ, nempe defectus Miniſtrorum pro Divino Cultu; & neceſſitas Eccleſiæ, non autem ſi cauſa concurrit tantùm pro utilitate Patronorum, etiamſi fiat ad dirimendas lites, quia hoc non importat neceſſitatem Eccleſiæ, ut docuit *Lot. lib.* 1. *quæſt.* 28. *num.* 68. *Rota in Calaguritana Beneficii de Ariola* 14. *Maji* 1593. *coram*
3 *Giptio*. Eoque magìs, quia ut ipſa *Rota* conſiderat pro extinguenda lite inter Patronos, poteſt fieri concordia de alternis vicibus præſentando, non tamen poteſt fieri ſectio beneficii; unde cùm adſit remedium à Jure approbatum, non debet recurri ad ſectionem, ab eodem jure improbatam, quæ importat diſmembrationem non faciendam, niſi concurrente cauſa. Et ita reſolutum fuit à Sac. Congregatione Concilii in cauſa *S. Agathæ Gothorum Diviſionis Tituli Beneficii* 15. *Junii* 1709.

ARGUMENTUM.

Diviſo Jurepatronatus Mixto per Turnum, ſi vacatio Beneficii contingat in Turno debito Patrono Eccleſiaſtico, an intrent Reſervationes Apoſtolicæ.

SUMMARIUM.

1 Lotterius *tuetur Juſpatronatus mixtum in turno Eccleſiaſtici non eſſe obnoxium Reſervationibus Apoſtolicis*.
2 *Contrarium ſuſtinet* Garzias.
3 *Sententia* Lotterii *in theorica licèt ſit probabilior, in praxi tamen eſt ſequenda ſententia* Garziæ.

CASUS V.

Reſervatum fuit Juſpatronatus Beneficii erecti in quadam Eccleſia Cathedrali pro una voce hæredibus Fundatoris, & pro altera voce Capitulo ejuſdem Cathedralis. Convenerunt inter ſe tam hæredes, quàm Capitulum dividere Juſpatronatus per Turnum; ſeu alternis vicibus præſentare, nimirum quòd jus præſentandi in prima vacatione ſpectet ad ſolos hæredes, & in ſecunda vacatione ad ſolum Capitulum; vacato Beneficio in menſe reſervato, & in Turno ſpectante ad Capitulum; Quæritur an illud cadat ſub Reſervationibus Apoſtolicis, adeò ut impetrari, & liberè provideri poſſit à Dataria Apoſtolica?

1 Quæſtio hæc eſt inter Doctores ſatis controverſa; *Lotterius namque de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 10. *num.* 98. erroneùm exiſtimat beneficium, in hoc caſu *cadere* ſub Reſervationibus Apoſtolicis, ea ratione, quia mixtura hæc qualitatis laicalis, & Eccleſiaſticæ non reſidet in ipſo exercitio, & uſu præſentandi, ſed in ipſa proprietate Juriſpatronatus; unde cùm Turnus non dividat hanc proprietatem, quia Juſpatronatus quo ad illam eſt individuum, ut dixi *Part. II. Can. I. & II. in Comment. & in Caſ. I.* ſequitur quòd idem Juſpatronatus, non obſtante Turno, & alternativa inter Patronos laicos, & Eccleſiaſticos conventa, ſemper remaneat mixtum, & conſequenter Reſervationibus Apoſtolicis minimè ſubjectum. *Gonzal. ſuper Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 18. *num.* 12. *Rot. coram Cavaler. deciſ.* 604. *num.* 4. *& deciſ.* 1571. *num.* 4. *coram Coccin. & deciſ.* 171. *coram Peutinger, & deciſ.* 541. *num.* 4. *& ſeq. par.* 2. *rec. & deciſ.* 9. *n.* 30. *coram Anſaldo*, & dicam infra ſuo loco *Part. VI.*, quam ſententiam *Lotterii* approbat *Card. de Luc. de Jurepat. diſc.* 65. *num.* 34.

2 Econtra *Garzias de benef. part.* 5. *cap.* 1. §. 2. *num.* 615., & *Moneta de commut. ult. volunt. cap.* 10. *ſub num.* 286. tuentur vacante beneficio in Turno Eccleſiaſtici illud cadere ſub Reſervationibus Apoſtolicis; eo quia Patroni Laici, & Eccleſiaſtici dividendo Juſpatronatus mixtum per Turnum cenſentur voluiſſe dividere, & ſeparare qualitatem laicalem ab Eccleſiaſtica, & in turno Eccleſiaſtici reddere Juſpatronatus totum Eccleſiaſticum, & quia ceſſat in hoc caſu ratio præjudicii, ob quam Juſpatronatus mixtum non cadit ſub generalibus reſervationibus, dum nullum præjudicium patitur Patronus Laicus, ſi in Turno Eccleſiaſtici beneficium provideatur per Sedem Apoſtolicam; Quoniam proviſio Apoſtolica conſumit in hoc caſu Turnum Eccleſiaſtici, & ſuccedente iterum vacatione beneficii præſentatio ſpectat ad Patronum laicum.

laicum. *Garz.* ubi ſupra, *Vivian. de Jurepat part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 18.

3 Ego verò unà cum *Cardinali de Luca* ubi ſupra cenſeo in theorica eſſe veriorem, & probabiliorem ſententiam *Lotterii*, non ſolùm quia Turnus non dividit mixturam Juriſpatronatus quo ad proprietatem; ſed etiam quia præſentationes, quas facit Eccleſiaſticus in ſuo Turno, non facit eas jure proprio, & privativo tantum, ſed communi etiam nomine Patroni Laici, cùm Turnus in ſubſtantia nihil aliud importet, niſi quòd unus Patronus in uno Turno præſentet perſonam ſibi benè viſam de præventivo conſenſu alterius Compatroni, ac ſi iſte ſe perpetuò obligaſſet qualibet vice adhærere, & conſentire in illam perſonam, quæ ab altero Patrono pro tempore contigerit præſentare.

4 In praxi verò ſequenda, & tenenda eſt ſententia *Garziæ*, quæ fuit amplexa non ſolùm ab aliis Doctoribus, nimirum à *Vivian. de Jurepat par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 18. *Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 17.; ſed etiam in Foro à S. Rota *deciſ.* 362. *num.* 11., *& deciſ.* 383. *num.* 15., *& deciſ.* 432. *num.* 20. *coram Priolo*, *& deciſ.* 9. *num.* 29. *coram R. P. D. Anſaldo.*

ARGUMENTUM.

Si Juſpatronatus pro una voce ſpectet ad duas familias, & pro alia voce ad Monaſterium Regularium, an duæ Familiæ poſſint inter ſe convenire de alternis vicibus præſentando ſinè conſenſu Monaſterii; Et ſi fiat tranſactio ſuper diviſione ſimultaneæ Juris præſentandi per Turnum inter Abbatem ejuſdem Monaſterii, & dictas Familias abſque Beneplacito Apoſtolico, & conſenſu Monachorum, an ipſa ſuſtineatur, & afficiat Succeſſores.

SUMMARIUM.

1 *Præſentatus à majori parte Patronorum venit inſtituendus*; & num. 9.

2 *Patronus diviſionem Juris præſentandi per Turnum facere nequit abſque conſenſu alterius Compatroni*; & num. 15.

3 *Patronus præſentans in ſuo Turno cum ſubſequuto effectu, jus, & vicem ſuam conſumere dicitur.*

4 *Præſentatus ab exiſtente in Turno dicitur habere omnium Patronorum voces.*

5 *Alternativa conditionatè inita inter Patronos remanet in ſuſpenſo, quouſque non ſuperveniat conditio*; & num. 11.

6 *Juſpatronatus ſi pro una voce ſpectet ad duas Familias, & pro altera ad Monaſterium; Duæ Familiæ poſſunt inter ſe convenire de alternis vicibus præſentando abſque conſenſu Monaſterii.*

7 *Tranſactio, ſeu concordia alternis vicibus præſentandi inita inter Patronum Laicum, & Abbatem Monaſterii abſque Beneplacito Apoſtolico, & conſenſu Monachorum, an ſuſtineatur, & afficiat Succeſſores?* Vide ibi, & num. 8.

10 *Patronus ex ultima præſentatione effectuata dicitur conſtitutus in quaſi poſſeſſione præſentandi.*

12 *Quæ ſit differentia inter diſpoſitionem modalem, & conditionalem* Vide ibi.

13 *Alternativa cùm ſit contractus perfici non poteſt niſi ex mutuo contrahentium conſenſu.*

14 *Alternativa exigit ut Jus nominandi ſpectet ad Turnarium, non verò ad Patronum carentem Turno.*

16 *Patronus expleta præſentatione non poteſt quidquam præjudicare Præſentato, vel aliquid de ejus juribus diminuere.*

17 *Filius Compatroni in paritate vocum præfertur extraneo.*

18 *Præſentatus uſurpans propria auctoritate poſſeſſionem Beneficii in vim ſolius nominationis incidit in pœnam* Cap. Avaritiæ de elect. in 6. *ſecus ſi illam apprehendat poſt Inſtitutionem ab Ordinario reportatam.*

CASUS VI.

COmpetit ex lege fundationis Juſpatronatus cujuſdam Beneficii pro una voce duabus diſtinctis Familiis, & pro

pro altera voce cuidam Monaſterio Regularium. Iſtæ duæ Familiæ unanimiter convenerunt inter ſe abſque tamen conſenſu dicti Monaſterii, alternis vicibus præſentare; nimirum ut prima vice Jus præſentandi pro dicta voce ſpectaret ad Familiam A, & ſecunda vice ad Familiam B. Vacato Beneficio illi de Familia A ad formam hujuſmodi concordiæ præſentarunt ad illud unà cum Regularibus dicti Monaſterii idoneum Sacerdotem; per cujus obitum iterum vacato Beneficio, iterum etiam illi de Familia A unà cum eiſdem Regularibus præſentarunt alium Sacerdotem; Econtra illi de Familia B præſentarunt alteram perſonam idoneam, quæ obtinuit à Summo Pontifice Gratiam pro Præſentato cum derogatione alterius medietatis vocum: Quæritur an hujuſmodi Gratia ſit exequenda.

Quòd non ſit exequenda ſuadere videtur animadverſio, quòd Præſentatus ab eis de Familia B. obtinuit hanc gratiam, cum falſa expreſſione, quòd fuerit Præſentatus à medietate Patronorum, quando fuit ſolùm Præſentatus ab eis de Familia B; non verò ab his, & ab illis de Familia A, qui unitim conſtituunt unam ex ſupradictis vocibus à Fundatore relictis, & medietatem Patronorum, ac proinde tamquam ſubreptitia executionem minimè meretur, ſed potius inſtituendus venit alter Præſentatus, qui cùm numeret pro ſe integram vocem Regularium; & medietatem alterius vocis ſpectantis ad utramque ſupradictam Familiam, Præſentatus dicitur à majori parte Patronorum ad *Text. in cap. Quoniam de Jurepat.* de quo ſupra *Part. II. Can. III.* & alias Auctoritates ibi in *Commentario* relatas.

Abſque eo, quòd ſubreptio hæc evitari poſſit ex Alternativa; quoniam iſta videtur nulla, quia fuit inita inter præfatas Familias; irrequiſito penitùs Monaſterio, & abſque hujus conſenſu, qui pro validitate actus requirebatur, dum unus ex Compatronis diviſionem Juris præſentandi per Turnum facere nequit abſque conſenſu alterius Compatroni juxta *Rocc. de Curt. de Jurepat. verb. Jus num.* 11. *Rot. in Hiſpalen. diviſionis ſimultaneæ* 4. *Junii* 1700. §. 1. *coram Eminentiſs. Priolo*, & *in Piſtorien. Beneficii* 27. *Martii* 1716. §. *Alia etiam coram R. P. D. Cerro.*

Sed veritas eſt in contrarium; ſubſiſtit namque quòd Præſentatus ab eis de Familia B ſit Præſentatus à medietate Patronorum; ſiquidem cùm in concordia facta inter utramque Familiam fuerit conventum, ut vox eis relicta alternis vicibus expleretur, planè conſequitur in præſenti vacatione dictam vocem ad Fa-
3 miliam B pertinuiſſe, cùm in proxima præcedenti vacatione illi de Familia A pacificè, & cum effectu præſentando vicem, & jus ſuum conſumpſerint. *Urceol. de Tranſact. quæſt.* 27. *num.* 4. & *ſeqq. Gratian. diſcept.* 65. *à num.* 41. *ad* 45. & *num.* 74. *Rot. deciſ.* 382. *num.* 28. *coram Bich.* & *deciſ.* 65. *num.* 10. *coram Otthobon.* & *in Cracovien. Parochialis* 28. *Junii* 1706. §. *De validitate coram bo. me. Molines*, & *in Gerunden. Juriſpatronatus prima Junii* 1715. §. *Subſiſtit coram R. P. D.*
4 *Lancetta*; Et conſequenter Præſentatus à Familia B exiſtente in Turno habere dicitur integram utriuſque Familiæ vocem juxta *Card. de Luc. de Jurepat. diſc.* 41. *num.* 2. *Rot. deciſ.* 118. *num.* 1. *part.* 18. *rec.*, & *in Valentina Beneficii* 29. *Januar.* 1717. §. *Siquidem coram R. P. D. Falconerio.*

Neque huic tranſactioni, & concordiæ de alternis vicibus præſentando obſtare poteſt defectus conſenſus Monaſterii. Etenim concordia hæc non fuit ſtipulata inter illos de utraque Familia, & Monaſterium; quo caſu certò equidem neceſſarius fuiſſet conſenſus Monaſterii pro validitate tranſactionis, ex auctoritatibus ſuperiùs in contrarium relatis; neque fuit facta inter illos de utraque Familia conditionatè, & ſub conditione conſenſus Monaſterii; dummodo videlicet ap-
5 probaretur à Monaſterio, quo caſu pariter neceſſarius fuiſſet conſenſus ejuſdem Monaſterii, qui quouſque non ſuperveniret, ſemper alternativa remaneret in ſuſpenſo ut tuetur *S. Rota in Piſtorien Beneficii* 27. *Martii* 1716. §. *Non inquam cum ſeq. coram R. P. D. Cerro* hìc im-
6 preſſa; Sed fuit dumtaxat inita inter illos de utraque Familia, & pro rata vocis ſibi ipſis ex diſpoſitione Fundatoris competentis, firma remanente in quacumque vacatione Beneficii altera voce ad dictum Monaſterium ſpectante, unde non eſt cur hujus

hujus conſenſus requiri debeat pro validitate hujuſmodi concordiæ, & tranſactionis.

Pone caſum, quòd fiat tranſactio, & concordia alternis vicibus præſentandi inter dictas Familias, & Abbatem præfati Monaſterii abſque Beneplacito Apoſtolico, & abſque conſenſu Monachorum; Quæro an illa ſuſtineatur, & afficiat Succeſſores?

7 Reſpondendum cenſeo hujuſmodi tranſactionem non eſſe nullam ex defectu Beneplaciti Apoſtolici; quia cùm per eam non alienatur à Monaſterio proprietas Juriſpatronatus, ſed ſolùm concedatur uſus privativè præſentandi dictis Familiis in una vacatione cum certitudine quòd etiam ipſum præſentaret privativè in altera vacatione, non eſt neceſſarium Beplacitum Apoſtolicum, quod ſolùm requiritur, quando alienatur ipſa proprietas Juriſpatronatus, ut ſuperiùs notavi *Part. II. Can. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX. Caſ. IV. num.* 22. non verò quando retenta dicta proprietate Monaſterium, aut Eccleſia aliquid dat, aut facit. *Valeron de Tranſact. tit.* 4. *quæſt.* 11. *num.* 7. *Turricell. de reb. Eccleſ. non alien. cap.* 8. *num.* 17. *Rot. deciſ* 1682. *num* 23. *coram Coccin. & deciſ.* 48. *num.* 25. *& ſeq. p.* 13. *rec.* Neque eſt nulla ex defectu conſenſus Monachorum, ſed venit annullanda ad horum requiſitionem, & inſtantiam; quia cùm Monaſterium, cui competit Juſpatronatus pro una voce non repræſentetur per ſolum Abbatem, nec per ſolos Religioſos, ſed per Abbatem ſimul, & Religioſos, qui ſimul conſtituunt totum Monaſterium ad *Text. in cap. Novit*, *& cap. Quanto de his*, *quæ fiunt à Prælatis*, non poterat Abbas, de per ſe abſque conſenſu Monachorum, hanc concordiam, & tranſactionem ſtipulare juxta *Text. in cap. Ea noſcitur de his*, *quæ fiunt à Prælat. ibique Doctores omnes*; & ſi illam ſtipulaverit, poſſunt Religioſi contempti de nullitate excipere, juxta *Text. in cap. Quòd ſicut de Elect. ibique Gloſſ. in verb. conſentire*;

8 neque afficere valet Succeſſores in Monaſterio, cùm Alternativa non afficiat jure proprio vocatos, niſi ſit inita ex juſta cauſa, de communi omnium Patronorum conſenſu, & cum approbatione Ordinarii ad *Text. in cap. De cætero*, *& cap. Veniens de tranſact. Garz. de Benef. par.* 5. *cap.* 1. *num* 721. *Rot. deciſ.* 300. *num.* 2. *& ſeq. coram Royas*, *& deciſ.* 216. *num.* 10. *par.* 10. *rec.*

R. P. D. CERRO.

Piſtorien. Beneficii.

Ven. 27. *Martii* 1716.

Ad Beneficium ſub titulo SS. Juſti, & Luciæ in Civitate Piſtorien. de Jurepatronatus ab antiquo tempore Sebaſtiani, Franciſci, & Joſephi fratrum de Vergioleſis vacans de menſe Januarii 1707. per obitum Canonici Nicolai de Serpontibus præſentatus fuit Franciſcus Maria de Bellincionis à Philippo de Serpontibus, tamquam Patre, & legitimo Adminiſtratore Jo: Baptiſtæ, & Caroli ſuorum filiorum hæredum Eulaliæ Victoriæ de Vergioleſis eorum Matris, ejuſque præſentationi adhæſit ſucceſſivè Petrus de Bellincionis, utì Procurator Mariæ Lucretiæ filiæ Tancredi de Vergioleſis, ac Monaſterii Sanctæ Catharinæ ex perſona quondam ſororis Mariæ Virginiæ de Vergioleſis, ac pariter utì Procurator ſororis Mariæ Felicis Monialis Sanctæ Luciæ: E contrà verò Angelus de Bajucchis, tamquam Procurator Mariæ Eleonoræ filiæ Philippi Vergioleſi, & Uxoris Cæſaris de Azzanis, obtenta priùs aſſignatione quatuor menſium ad præſentandum, deinde menſe Maji nominavit coram eodem Vicario generali Franciſcum Nicolaum de Barillis, declarando hunc actum explere etiam nomine Caroli, & Joannis Baptiſtæ de Serpontibus, tamquam Patronorum alterius medietatis in vim cujuſdam alternativæ initæ de anno 1705.; Quare orta controverſia inter utrumque Præſentatum coram Ordinario, iſte confirmavit per Sententiam inſtitutionem jam Bellinciono conceſſam, quæ cùm revocata fuerit contrario Judicio Vicarii generalis Archiepiſcopi Florentini, ac rurſus alterius Judicis, cui cauſa per Breve fuerat delegata, provocante tandem Bellinciono ad Rotam, propoſui in Audientia diei ſexta labentis menſis Dubium = *An*, *& cui eſſet adjudicandum Beneficium*, = & illius reſolutio, tunc dilata ad inſtantiam Franciſci de Barillis, hodie

hodie capta fuit ſub reſcripto = *Beneficium eſſe adjudicandum Franciſco Mariæ Bellinciono*;

9 Cùm enim iſte majores pro ſui nominatione numeret Patronorum voces, quidem illorum, qui in quaſi paſſeſſione præſentandi reperiebantur, nedum vigore ſtatuum præcedentium, ſed etiam ultimi, qui ſolùm attenditur in hac materia pro regulanda quaſi poſſeſſione Juriſpatronatus juxta paſſim animadverſa per *Rotam in Cremonen. Beneficii 4. Februarii anni præteriti §. Quandoquidem coram me, & in Caſertana Beneficii 27. Martii ſubſequentis §. Docuit cum ſeqq. coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Scotto*, nullo valido jure potuit illi retardari inſtitutio *ad Text. in cap. Quoniam de Jurepat.*, *Rot. coram Seraph. deciſ. 678. num. 2.*, *& in Bononien. Beneficiorum de Caſtello 12. Decembris 1712.*, *§. Inſtitutio coram R.P.D. meo Criſpo*, *& in Comen. Juriſpatronatus 11. Martii anni proximè elapſi §. fin. coram me*. Eſt namque veluti illius fructus, quo nullatenus privari debet is, qui bona fide in ea reperitur *Rota in Melevitana Juriſpatronatus 31. Martii 1702. §. Minuſque coram Eminentiſſimo Scotto, & in Placentina Parochialis 22. Martii anni præteriti §. Quare cùm nos coram me*.

Quòd verò Franciſcus Maria Præſentatus fuerit à majori Patronorum numero, qui in quaſi poſſeſſione præſentandi ſunt conſtituti in vim ultimi ſtatus, indè patet, quia noſcitur Præſentatus à Maria Lucretia de Vergioleſis eius Matre, & filia Tancredi de Vergioleſis, ac à ſorore Maria Felice Victoria filia Philippi Vergioleſi, & Moniali in Monaſterio Sanctæ Luciæ, nec non à Philippo de Serpontibus, utì Tutore, & Curatore Caroli, & Jo: Baptiſtæ ſuorum filiorum, & hæredum Eulaliæ Victoriæ de Vergioleſis filiæ dicti Philippi, qui omnes in noviſſimo ſtatu anni 1706. preſentarunt Canonicum

10 Nicolaum de Serpontibus. Quapropter cum hic vigore præſentationum hujuſmodi promeruerit canonicè inſtitui, ac Beneficio uſque ad obitum frui, non eſt controvertibile remanere ſic firmatum ultimum ſtatum, ac Patronos conſtitutos legitimè fuiſſe in quaſi poſſeſſione præſentandi *Rot. in Aretina Juriſpatronatus 22. Junii 1701, §. Conſtat coram cl. me. Card. Caprara, & in d. Bononien. Beneficiorum de Caſtello 2. Maji 1712. §. Ex quatuor coram R.P.D. meo Criſpo*.

Verùm ſi ſola quaſi poſſeſſio Patronorum vigore ultimi ſtatus eſſet de per ſe ſufficientiſſima: validiùs valde illa conſtabilitur ex aſſiſtentia ſtatuum antecedentium: nam de an. 1705. Dominicus de Bellincionis fuit inſtitutus in hoc Beneficio ad præſentationem d. Mariæ Lucretiæ filiæ Tancredi, ac d. Mariæ Felicis Monialis, excluſo Canonico Nicolao de Serpontibus præſentato à filiis Mariæ Eulaliæ, ac à Maria Eleonora: Rurſus de an. 1689., quo vivebat Bellus Vergioleſi, qui æquali voce potiebatur una cum Tancredo, & Philippo ejus fratribus inſtitutus fuit Joſeph de Flaſchis veluti nominatus à Bello, ac à filiabus d. Philippi, & ſic vincens Jo: Bellincionum, qui præſentatus fuerat à Maria Lucretia ejus Matre, & filia dicti Tancredi: Et inſuper omiſſis antiquioribus anno 1670., tum Maria Lucretia prædicta, quàm filiæ memorati Philippi præſentarunt Canonicum Honuphrium de Panuzzis cum ſubſequuto effectu inſtitutionis ad excluſionem Præſentati à Curatore dicti Belli tunc abſentis, itaut reſpectu vocum Philippi, & Tancredi, eorumque reſpectivè filiorum fortiùs quaſi poſſeſſio præſentandi corroboratur, dum comperitur ex tot ſtatibus antecedentibus confirmata *Rot. in dicta Bononien. Beneficiorum de Caſtello, §. Hæc juris præſumptio coram R. P. D. meo Criſpo, & 9. Junii 1713.*, *§. Atque hæc coram R. P. D. meo Anſaldo, & in Papien. Rectoriæ 10. Decembris 1714. §. Prædictus coram me*.

Quinimo cùm Franciſcus Maria calculet ſui favore etiam vocem Mariæ Lucretiæ Matris, quæ in ſtatu anni 1689. præſentavit Joannem Bellincionum contradictorem Joſephi de Flaſchis iubindè inſtituti, ac voces filiorum Mariæ Eulaliæ, qui in ſtatu an. 1705. præſentaverant Nicolaum de Serpontibus ſuccumbentem in concurſu Dominici de Bellincionis, quæque ponenda ſunt in calculo, licèt utraque præſentatio effectum ſortita non fuerit ob concurſum majoris partis Patronorum favore alterius Compræſentati, & apta ſunt conſervare non minùs Mariam Lucretiam, quàm filios Mariæ Eulaliæ

liæ in quaſi poſſeſſione præſentandi, ut in ſpecie notavit *Rota in Faventina Parochialis 6. Maji anni præteriti* §. *Tertius coram R. P. D. Lancetta*, libentiùs ei adjudicandum eſt controverſum Beneficium, utpote ſuffulto plenioribus Patronorum ſuffragiis, quàm fuerint Beneficiati anteceſſores, qui nihilò tamen minùs obtinuerunt inſtitui *Rot. in Caſſanen. Beneficii 27. Martii 1713.* §. *Dubitari coram R.P.D. meo Criſpo*, *& in Mediolanen. Beneficii 7. Junii anni proximè efluxi* §. *Militat coram eodem*, *& in d. Faventina Parochialis loco mox allegato*.

Irritis autem conatibus excludi contendebatur à Patronorum numero Maria Lucretia, eò quia non præſentaverit vivente Philippo Patruo, eoque defuncto in duobus ſtatibus annorum 1670., & 1689. filiæ Philippi conſtitutæ eſſent in minori ætate nec ideo habiles ad contradicendum illius præſentationibus: Pertinentia enim prædicta abundè liquet tam ex ſtatibus præcedentibus, dum ejus Pater, cæterique Progenitores ad controverſum Patronatum ſemper præſentarunt, *ut ex datis in Summario Bellincioni à num. 1. ad 4.*, cum quibus concordant ſtatus adnotati in præinſerta arbore, quam ex Judicio Ordinarii lato ſuper ſtatu anni 1670., in quo unà cum filiis, & hæredibus Philippi fuit canonizata Patrona etiam Maria Lucretia filia, & hæres Tancredi, & in illius ſequelam hujuſmodi poſſeſſio confirmata remanſerit ex præſentationibus ejuſdem Mariæ Lucretiæ in recentibus vocationibus annor. 1705., & 1706., inſimul cum filiabus dicti Philippi, ipſiſque nullo modo contradicentibus, quæ unicè ſatìs eſſent, nè exceptio iſthæc attendi debeat in hoc judicio poſſeſſorio *Rot. in Cremonen. Beneficii 14. Maji 1706.* §. *Tanto faciliùs coram Reverendiſs. Kaunitz*.

Quæ cùm ita ſint nullius obſtaculi comperta fuit quædam alternativa inita de anno 1705. inter Mariam Eleonoram, & filios Mariæ Eulaliæ, ad hoc, ut jus præſentandi ad iſtud Beneficium prima vice ſpectaret ad Carolum, & Jo: Baptiſtam de Serpontibus filios dictæ Eulaliæ, eorumque deſcendentes maſculos, & alia vice ad dictam Mariam Eleonoram, ejuſque pariter deſcendentiam maſculinam, adeòut Turnarius de tempore ſui Turni præſentare poſſet ſinè interventu alterius Patroni, perinde ac ſi eſſet unicus Beneficii Patronus, unde arguebant Scribentes pro Franciſco Nicolao, quòd conſumpto in præcedenti vacatione Turno filiorum dictæ Eulaliæ jus præſentandi hodie integrè ſpectet ad Mariam Eleonoram, quæ nominavit eundem Franciſcum Nicolaum de Barillis. Animadverſum namque fuit, memoratam alternativam vel nullis viribus ſubſiſtere, vel ea etiam admiſſa, adhuc eſſe in tuto jura Bellincioni pro aſſequenda Beneficii adjudicatione.

Non inquam dicta alternativa potuit viribus ſubſiſtere: Illa enim præſeferens dumtaxat tractatum habitum ab illis de Serpontibus per epiſtolas cum Maria Eleonora abſente, & Cæſare Azzano ſuo viro ſtipulata legitur ſub ea explicita lege, ibi = *La preſente alternativa non abbia luogo, ſe non quando reſterà, come ſopra, accettata dalla detta Signora Maria Eleonora, e Sig. Ceſare Azzani, e che validamente ſi obblighino à forma della preſente, e*
11 *non altrimente, nè in altro modo*. Unde propterea cùm de tempore vacationis anni 1706. de menſe Aprilis adhuc non ſuperveniſſet requiſitus conſenſus dictæ Mariæ Eleonoræ, nullam potuerat validitatem acquirere, tanquam ob non impletam conditionem, ſub qua alternativa fuerat ſtipulata, quæ actum ſuſpendit uſque ad tempus acceptationis, & ab illo ſolùm incipit obſervantia contractus *Gratian. diſcept. 307. num. 8.*, *Rot. in rec. deciſ. 316. num. 6. par. 16.*, *& deciſ. 215. num. 1. par. 18.*, *& coram R.P.D. meo Anſaldo*, *deciſ. 98. num. 8.*
12 Neglecta prorſus reſponſione, quòd verba prædicta non importent conditionem ſuſpenſivam Turni, ſed modum reſolutivum in caſu, quo illa non fuiſſet acceptata, quia cùm inter diſpoſitionem modalem, & conditionalem ea intercedat differentia, ut conditio impediat effectum perfectionis, modus verò actum reſolvat poſt perfectionem contractus, ut de prima dixit *Rot. coram Coccin. deciſ. 1856. num. 6.*, & de ſecundo eadem *Rot. deciſ. 62. num. 1. part. 18. recent.*, nulla juſta ratione contextus dd. verborum poteſt interpretari pro modo reſolutivo, quan-

quando Contrahentes fuerunt adeò ſoliciti, ut noluerint alternativam locum habere, niſi ubi acceptaretur à Maria Eleonora, ut probant auctoritates ſupra re-
3 cenſitæ, & eſt etiam de Jure, quia cùm alternativa ſit contractus, impoſſibile eſt iſtum perfici, niſi ex mutuo Contrahentium conſenſu, & quouſque non ſupervenit utriuſque conſenſus, ſemper remanet in ſuſpenſo *Bald. in leg. multum intereſt num.* 25. *Cod. ſi quis alter, vel ſibi Rot. in recent. deciſ.* 845. *num.* 2. *part.* 5., *& in Caſtellana Validitatis Concordiæ, ſeu Bipartitæ* 12. *Januarii* 1705. §. *Poſito, & in Cabilonen., ſeu Ordinis Ciſtercien. Juriſdictionis* 3. *Junii* 1709. §. *Minimè coram Reverendiſs. D. meo Molines*.

Quòd clariùs proprio facto comprobavit ipſa Maria Eleonora, quæ in dicta vacatione anni 1706. dum non adhuc dictum alternativæ contractum acceptaverat non ſolùm legi ibidem adjectæ non obtemperavit, permittendo, quòd Turnus ab illa vacatione inciperet in filiis dictæ Mariæ Eulaliæ, ſed contra illius ſubſtantiam devenit ad actum nominationis *pro portione, & rata ad eam ſpectante, & pertinente*, quemadmodum pro eorum portione, & rata nominarunt filii Mariæ
14 Eulaliæ: Quocirca ſicuti ſubſtantia dicti contractus alternativæ, ubi verè fuiſſet ad perfectionem perductus, hoc exegiſſet, ut jus nominandi pro prima vice, ſeu Turno in totum ſpectaret ad filios Mariæ Eulaliæ, nec illa licèt Compatrona, veluti carens Turnò, ullam vocem potuiſſet ſibi aſſerere juxta communiter tradita per *Joann. Andr. in cap. cùm in illis ſub num.* 2. *deprehend. in* 6. *Lambert. de Jurepat. lib.* 1. *par.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 36. *num.* 6., *&* 7., *Gonzal. ad regul.* 8. *gloſſ.* 45. §. 1. *num.* 16., *&* §. 2. *num.* 42., *Rot. in recent. deciſ.* 14. *num.* 2. *part.* 12., *& in Monaſterien. Canonicatus* 11. *Martii* 1707. §. *Fuit ſiquidem coram Eminentiſs. Scotto, & in dicta Placentina Parochialis* 22. *Martii anni præteriti* §. *Subſtulit coram Me*. Ita dum nominare voluit pro ſua rata, & portione contraeundo pacto concordiæ, nunquam dicitur illam ſervare voluiſſe *Rota deciſ.* 262. *num.* 1. *part.* 2. *diverſ., & in Januen. Abbatiæ* 10. *Martii* 1692. §. *Cæterum coram bon. mem. Manuel*, & propria declaratione oſtendit in ea vacatione noluiſſe uti alternativa, aut illi principium dare juxta notata in ſpecie per *Modern. Roman. diſcept. Eccleſ.* 53. *nu.* 20., *Rot. coram Royas deciſ.* 300. *num.* 8.

Alia etiam nullitate ſcatebat ſupradictum Inſtrumentum alternativæ, quia nempe ſuppoſitum fuit jus præſentandi integrè ſpectare ad filios Philippi Vergioleſi, & ſub hoc fundamento fuit alternatim diviſum inter illos de Serpontibus filios Eulaliæ, ac Mariam Eleonoram, quod pœnitùs corruit ex ſupra latè demonſtratis, ubi oſtenſum fuit ad filios dicti Philippi pertinere dimidiam tantùm partem, reſidente alia medietate pœnes Mariam Lucretiam, uti filiam Tancredi;
15 Unde promanat, quòd alternativa facta tantùm inter filios Philippi, qui ſolùm medietate Juriſpatronatus pollebant, nequaquam valeat ſuſtineri, tanquam per deficientiam conſenſus dictæ Mariæ Lucretiæ alterius Patronæ, qui etiam pro actus validitate requirebatur ad firmata per *Rocc. de Curt. de Jurepat. in verbo jus num.* 11., *Marant. reſponſ.* 14. *num.* 53. *tom.* 3., *& reſponſ.* 29. *num.* 24., *& ſeqq. tom.* 5., *Carol. Anton. de Luc. de lin. legal. art.* 24. *num.* 21., *Rot. in Hiſpalen. Diviſionis Simultaneæ* 4. *Junii* 1700. §. 1. *coram Eminentiſs. Priolo*. Abſque eo quòd iſta nullitas poſſit evitari ex quadam nova alternativa inita die 10. Decembris 1707., in qua agnito jure etiam Mariæ Lucretiæ fuit & ipſa admiſſa ad Turnum ſinè præjudicio tamen præcedentis alternativæ reſpectu controverſæ vacationis; Etenim cùm ea evenerit non ſolùm poſt apertam præſentem vacationem, ſed inſuper poſt ſequutam præſentationem Franciſci Mariæ, de qua modo res eſt, neutiquam potuit illi aliquod ex ea præ-
16 judicium irrogari, cùm notiſſimi juris ſit Patronum expleta præſentatione non poſſe quidquam præjudicare Præſentato, vel aliquid de ejus juribus diminuere *Capon. diſcept.* 74. *num.* 16., *Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg.* 72. *num.* 126., *Rot. in Volaterrana Beneficii* 28. *Januarii* 1709. §. *Ex pluribus coram R.P.D. meo Criſpo*.

Tametſi verò ſatìs probata videri poſſit nullitas dictæ alternativæ, nihilominus jura Franciſci Mariæ erant adhuc in tuto etiam omiſſa omni indagine ſuper dicto contractu inito inter filios præfati Philippi;

pi; quandoquidem cùm, ut toties repetitum fuit, iſti non conſtituant niſi medietatem vocum in hoc Jurepatronatus, ac alia medietas omnimodè ſpectet ad Mariam Lucretiam filiam Tancredi, hinc fit conſequens, quòd Franciſcus Maria utì nominatus à Maria Lucretia Matre habere dicatur extra controverſiam medieta-
17 tem vocum, quæ ſola ſufficit, ut tanquam filius Compatronæ in paritate vocum præferatur alteri Contradictori prorſus extraneo juxta æquitatem commendatam à *gloſſ. in Can. neminem diſtin.* 60., *de qua Vivian. de Jurepatr. lib.* 14. *cap.* 2. *num.* 64. *Adden. ad Pamphil. deciſ.* 294. *nu.* 11., *Rot. coram Ubald. deciſ.* 339. *nu.* 7., *& in Alatrina Juriſpatronatus* 15. *Junii* 1705., *&* 7. *Decembris ejuſdem anni coram Eminentiſs. Scotto*, *& in Sorana Juriſpatronatus ſuper Inſtitutione* 27. *Januarii* 1710. §. *Et quatenus coram eodem*, *&* 22. *Januarii* 1712. §. *fin. coram R. P. D.*
18 *meo Falconerio*. Quin gratificatione ei in vocum paritate debita indignum ſe reddiderit, ex quo pendente termino ad appellandum controverſi Beneficii poſſeſſionem nactus fuerit, & proinde inciderit in pœnam *Cap. Avaritiæ de elect. in 6*, quod procedere etiam in Præſentatis ad Beneficia inferiora, dixit *Rota coram R. P. D. meo Anſaldo deciſ.* 95. *num.* 13. Siquidem quidquid ſit, an Franciſcus Maria verè occupaverit Beneficii poſſeſſionem, pœna in dicto Capitulo comminata vindicat ſolùm ſibi locum, ubi Præſentatus in vim ſolius nominationis poſſeſſionem Beneficii propria auctoritate uſurpaſſet, ſecus verò ubi illa apprehendatur, ut in præſenti, poſt Inſtitutionem ab Ordinario legitimè reportatam, ut diſtinguit *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæſt.* 13. *nu.* 13., *&* 14. *Corrad. in prax. Benef. lib.* 4. *cap.* 6. *nu.* 16., *Vivian. de Jurepatr. lib.* 20. *cap.* 8. *nu.* 12., *& ſeqq.*, & firmavit *Rot. in rec. deciſ.* 22. *nu.* 15., *&* 16. *part.* 16.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Ordinato Turno, ſeu alternativa ſuper Jure præſentandi inter Patronos, ſi Præſentatus ab exiſtente in Turno cedat, aut decedat ante Inſtitutionem, an Turnus dicatur conſumptus adeò ut ſit locus Turno favore alterius Patroni.

SUMMARIUM.

1 *Præſentatio ineffectuata an conſumat Turnum?* vide ibi, & num. 2.

2 *Enumerantur modi, quibus evenire poteſt ineffectuatio præſentationis.*

3 *Præſentatio ineffectuata ex eo, quia Præſentatus ceſſerit, aut deceſſerit ante inſtitutionem non conſumit Turnum*, & numer. 7.

4 *Præſentatio ineffectuata ex impedimento injuſtè præſtito ab ipſo Collatore, aut ab altero Compatrono, cui competit ſucceſſivus Turnus, non conſumit Turnum.*

5 *Proviſio Apoſtolica facta in Turno unius Patroni, an illum conſumat?*

6 *Præſentatio ineffectuata ex culpa, & negligentia Patroni Turnarii, an conſumat illius Turnum?*

8 *Auctoritas* Gonzal. ſuper Regul. 8. Cancell. gloſſ. 45. §. 3. num. 12., & Card. de Luc. de Regul. diſc. 4. num. 3., *quo ſenſu procedat?* vide ibi.

9 *Vacante Beneficio in Turno unius Patroni de communi conſenſu ſimul præſentaverint in illo, Turnus illius Patroni non conſumitur.*

10 *Diviſo Jurepatronatus paſſivo inter duo genera Perſonarum per Turnum, ſi in vacatione Beneficii non exiſtat ullus qualificatus de primo genere Perſonarum, ad quod ſpectat Turnus, & præſentatio fiat de Perſona ſecundi generis, per hanc præſentationem Turnus ſecundi generis Perſonarum non conſumitur; imò neutrius*, ut num. 12.

11 *Alternativa, ſeu Turnus dicitur ceſſare, & ſuſpenſus remanere quando non exiſtit ullus de genere Perſonarum paſſivè vocato*, & num. 13.

14 *Conſenſus præſtitus Permutationi Beneficii à Patrono Turnario, conſumit hujus Turnum.*

15 *Collatio Beneficii liberè facta ab Ordinario jure devoluto Perſonæ, cui competit Turnus paſſivæ nominationis, an illum conſumat*, vide ibi, & num 19.

16 *Præſentato à Patrono debetur inſtitutio.*

17 *Præſentatus à Fundatore præferendus eſt Præſentato ab aliis Patronis.*

18 *Vo-*

18 *Vocatio directa à Fundatore, ad unum ex filiis certæ perſonæ, ad alios filios ejuſdem perſonæ non eſt extendenda.*

19 *Ordinarius conferens jure devoluto beneficium Patronale debet obſervare formam in illius fundatione præſcriptam: imò & Summus Pontifex*, & num. 20.

21 *Fraus non debet parere commodum fraudanti.*

22 *Si paſſivè vocatus, cui competit Turnus ſit incapax, ſit locus ſequenti Turno alterius paſſivè vocari.*

CASUS VII.

AD formam hujus *Canonis* diviſum fuit Juſpræſentandi per Turnum, & alternativam inter duos Patronos. Vacato beneficio Patronus exiſtens in Turno præſentavit ad illud quemdam Clericum, qui ante inſtitutionem ab hac vita deceſſit. Quæritur in hoc caſu, an Turnus hujus Patroni dicatur conſumptus, adeò ut ſit locus Turno favore alterius Patroni, vel potiùs primus Patronus poſſit ad novam præſentationem devenire.

Videtur dicendum præſentationem hanc factam à primo Patrono Turnario conſumpſiſſe hujus Turnum, quia ipſa quantum eſt in ſe, eſt actus perfectus, dum fuit facta coram habente inſtituere, & à Præſentato acceptata, adeò ut primus Patronus per eam ufficio ſuo functus eſſe dicatur; & licèt Præſentatus inſtitutionem, & poſſeſſionem beneficii non fuerit conſecutus, hoc non provenit ex aliquo impedimento præſtito ab altero Patrono, cui competit ſucceſſivus Turnus, ſed à caſu accidentali præventivæ mortis ejuſdem Præſentati, qui caſus redundari non debet in præjudicium ejuſdem ſecundi Patroni, & impedire locum Turno illius favore; uti ſentire videtur *Gonzal. ſuper Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 45. §. 3. *num.* 12. ibi = *Si verò Epiſcopus, aut Capitulum collationem alicui fecerit, & poſt illam acceptatam, ante apprehenſionem poſſeſſionis, talis proviſus ceſſerit, aut deceſſerit, tunc jam dicetur collatio effectuata, & Turnus conſumptus*, = & *clarius Card. de Luc. de Regular. diſc.* 4. *num.* 3. ibi = *Secùs autem ubi à Tertio, ut tunc id cadat ſub diverſa regula caſualis ineffectuationis, quæ non impedit Turni conſumptionem, quamvis Proviſus beneficii poſſeſſionem adeptus non eſſet.*

2 Verùm hoc non obſtante contrarium cenſeo tuendum, pro cujus veritatis aſſecutione præſupponendum eſt ineffectuationem præſentationis multipliciter evenire poſſe; Primo nimirum ex caſu accidentali; Secundo ex impedimento præſtito ab altero Compatrono, cui competit ſucceſſivus Turnus, vel ab ipſo Collatore; Tertio ex impedimento præſtito à Tertio; Quarto ex propria culpa ipſius
3 Patroni Turnarii. Si præſentatio ſit ineffectuata ex caſu accidentali, e. g. ex eo, quia Præſentatus ſit defunctus, aut non acceptaverit præſentationem, aut ceſſerit, & renunciaverit præſentationi ante inſtitutionem, ipſa Turnum non conſumit, ſed Patronus Turnarius poteſt iterum præſentare, ea ratione, quia præſentatio dici non poteſt perfecta etiam poſt Præſentati acceptationem niſi donec & quouſque ſupervenerit Inſtitutio Superioris, quæ plenum jus tribuit Præſentato; *Text. in cap. Si electio de elect. in* 6. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 45. §. 3. *num.* 6. & *ſeq. Gratian. diſcept.* 58. *num.* 11. *Tondut. quæſt. benef. par.* 2. *cap.* 3. §. 8.
4 *num.* 37. Si ſit ineffectuata ex impedimento præſtito ab ipſo Collatore eo, quia e. g. injuſtè denegaverit Præſentato inſtitutionem, aut ab altero Compatrono, cui competit ſequens Turnus, tunc etiam Turnum non conſumit, aliàs hujuſmodi impedimentum præſtitum ab altero Compatrono, commodum huic pareret, quòd improbant omnia jura, nè detur occaſio fraudibus *ad Text. in l. nec & dolo ff. de dolo, & in cap. Poſtulaſtis de conceſſ. Præben. Card. de Luc. de Regular. diſc.* 4. *nu.* 3. *Rot. deciſ.* 372. *num.* 17. *part.* 18. *rec.*, & *in Tuſculana Cappellaniæ* 15. *Martii* 1715. §. *Aliàs coram R.P.D. Anſaldo*. Si ſit inef-
5 fectuata ex impedimento præſtito à Tertio e. g. à Summo Pontifice, eo quia ipſe appoſuerit manus conferendo alteri beneficium, tunc pariter non conſumit Turnum, niſi Papa in ſua proviſione, hoc velle declaret, mediante ſpeciali derogatione Juriſpatronatus, ſeu Juris ſpectantis ad Turnarium juxta *Tondut. quæſt. benef. part.* 2. *cap.* 3. §. 8. *num.* 35. & *ſeqq. Gonzal. ſuper Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 45. §. 3. *num.* 8. *Rot. in Vicen. Canonicatus* 18. *Februar*

bruarii 1701. §. *Quoniam coram Eminen-*
6 *tiſs. Tremoille*. Denique ſi ſit ineffectuata ex negligentia, & culpa ipſius Patroni Turnarii, eo quia nec ipſe, nec ejus Præſentatus promoverunt præſentationem, neque inſteterunt coram Ordinario pro inſtitutione, vel quia ſcienter præſentaverit inhabilem, & incapacem, & tunc præſentatio licèt ineffectuata conſumit Turnum, quia cùm ineffectuatio ſit culpabilis Patrono, hujus culpa ſibi, & non alteri Compatrono debet eſſe damnoſa. *Gonzal. ubi ſupra dicta gloſſ.* 45. §. 3. *nu.* 31. *cum ſeqq.*

7 Hoc ſuppoſito; jam patet reſolutio præſentis quæſtionis; ineffectuatio ſiquidem ſupradictæ præſentationis provenit ex caſu accidentali præventivæ mortis Præſentati, unde ex ſupradictis præſentatio illa conſumere non valuit in hoc caſu Turnum primi Patroni, ſed iſte poteſt iterum præſentare, cùm facultas aliquid faciendi non intelligatur conſumpta, niſi factum habeat effectum ſuum. *Merlin. Pignattell. controv. forenſ. tom.* 1. *cap.* 50. *per tot. Gonzal. ubi ſupra num.* 4.

8 Non obſtat auctoritas ejuſdem *Gonzalez*, *& Card. de Luc.* ubi ſupra in contrarium relata; Ille enim loquitur de collatione, quæ per acceptationem perficitur, & plenum jus tribuit ei, ad cujus favorem facta fuit: iſte verò loquitur confusè de jure conferendi, & præſentandi; quinimò alibi *de Præmin. diſc.* 28. *num.* 14. agendo de nominatione, ſupponit tunc per eam conſumi Turnum, quando fuit à Superiore admiſſa.

9 Ad materiam plures hìc annecto caſus, ex quibus agnoſci poteſt, quando Turnus dicatur conſumptus, & quando non. Primus eſt, ſi Jus præſentandi ſit diviſum per Turnum, & Alternativam inter plures Patronos, e. g. A. B. C., & ſuccedente vacatione in Turno Patroni A, omnes Patroni ſimul in ea præſentaverint; Quæro an Turnus Patroni A, in hoc caſu dicatur conſumptus?

Reſpondeo negativè; ut enim Turnus conſumatur, oportet quòd Turnarius præſentet ſolus, ita ut per illius præſentationem evacuetur ejus Turnus, & fiat locus Turno alterius; hìc enim dicitur Turnus, & in hoc conſiſtit Alternativa, *Gonzal. ad Regul.* 8. *gloſſ.* 45. §. 3. *num.* 42. *Rot. deciſ.* 300. *num.* 10. *coram Royas*, *&* *in Salamantina apud Garz. de benef. par.* 5. *cap.* 1. *num.* 709., *& deciſ.* 90. *num.* 2., *& deciſ.* 97. *num.* 2. *coram Otthobon.*, *& in Cracovien. Parochialis* 28. *Junii* 1706. §. *de validitate cor. Reverendiſſ. Molines.* Aliàs ſi præſentat ſimul cum aliis, Turnus dici non poteſt conſumptus pro illo, imò nulli computatur hæc præſentatio, quia nemo gaudet Turno ſuo ſingulariter, & privativè, ſed omnes ſimul dicuntur gaudere jure præſentandi; Unde actus communis nemini ex illis particulariter adſcribi, & computari poteſt. *Text. in cap. Cùm in illis §. Si verò de Præben. in* 6., *& cap. final. verſic. Sive dentur in communi eodem tit. in* 6. *L. nemo ex ſociis*, *ff. pro ſocio*.

10 Secundus caſus eſt; diviſo Jurepatronatus paſſivo inter duo genera Perſonarum, e. g. inter Clericos Familiæ A, & Clericos Familiæ B per Turnum, & Alternativam, ſi in vacatione beneficii non exiſtat ullus Clericus de Familia A, ad quam ſpectat Turnus, & præſentatio fiat de Clerico Familiæ B., per hanc præſentationem an Turnus Clericorum Familiæ A conſumatur.

Reſpondeo per illam præſentationem Turnum Clericorum Familiæ A non conſumi; Ratio eſt, quia licèt in prima vacatione Turnus ſpectet ad Clericos Familiæ A, tamen cùm de tempore vacationis non reperitur ullus Clericus de Familia A, Turnus hujus non poreſt habere locum; & Patronus præſentare poteſt alium ex Clericis Familiæ B; cùm Alter-
11 nativa, ſeu Turnus dicatur ceſſare, & ſuſpenſus remanere, quando non exiſtit ullus de genere Perſonarum paſſivè vocato. *Text. in cap. Abbate de verb. ſignific. in fin. ibiq. Abb. num.* 8., *& in can. In nomine Domini diſt.* 23. *Fagnan. in cap. Cùm dilectus num.* 51. *de conſuetud. Pax Jordan. tom.* 2. *lucubrat. lib.* 10. *tit.* 27. *nu.* 20., *& ſeqq. Garz. de benef. par.* 7. *cap.* 15. *numer.* 12., *&* 14. *Rot. coram Millin deciſ.* 184. *num.* 6., *& ſeqq.* Et conſequenter cùm Clerici Familiæ A utpote non exiſtentes præſentari non valuerint, non fuit conſumptus eorum Turnus, ſed in ſequenti vacatione, ſi exiſtant, ipſis debetur jus paſſivæ præſentationis. *Gloſſ. in dicto cap. Abbate verb. Donec ibidem*, *verſic. Sed pone*, *ibiq. Butr. num.* 23. *Joann. Andr.*

Andr. num. 8. *Zabarell. in* §. *final. num.* 3. *Hoſtien. num.* 16.

12 Imò per dictam præſentationem neutrius, nimirum nec Clericorum Familiæ A, nec Clericorum Familiæ B Turnus conſumitur, quia pro illa vice dicitur præſentatio extraordinaria, ſeu ſubſidiaria extra legem turni, ita & taliter, quod Turnus in ſequenti vacatione pertinere debet ad Clericum Familiæ A. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 45. §. 3. *num.* 37. *& ſeq. Garz. de benef. part.* 5. *cap.* 1. *nu-*

13 *mer.* 243. Urgente ratione, quia impoſſibile eſt, quòd conſumatur Turnus in præjudicium Turnarii, quando hic non exiſtit in rerum natura, cùm non entis nullæ ſint qualitates, & ideo quoties nova ſuccedit vacatio, & reperitur Perſona, quæ antea non extabat, iſta jure quodam poſtliminii conſequitur Turnum ſibi competentem; *Textus in capit.* 2. *de ſupplen. neglig. Prælat. in fin. ibiq. gloſſ. verb. in poſterum Card. de Luc. de Regular. diſc.* 10. *num.* 2. Et ratio ulterior eſt, quia Turnus non conſumitur, niſi quando præſentatio fit favore generis vocati, quæ ſimul habeat effectum, niſi Turnarius ſit in culpa. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 45. §. 3. *nu.* 4. *Rot. in Bononien. Parochiali* 2. *Martii* 1708. §. *Quòd autem*, *&* §. *Etenim coram Eminentiſſimo Priolo*.

14 Tertius Caſus eſt, Diviſo inter Patronos Jure præſentandi per Turnum; ſi Beneficiatus permutet beneficium Patronale cum altero beneficio in Turno unius ex dictis Patronis, & iſte conſentiat permutationi; an hujuſmodi conſenſus conſumat illius Turnum?

Reſpondeo: Affirmativè quia conſenſus ille habetur loco præſentationis, ut docent *Lambertin de Jurepat. lib.* 2. *part.* 1. *quæſt.* 6. *art.* 6. *ſub num.* 20., *&* 22. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 45. §. 3. *numer.* 52. *Rot. deciſ.* 163. *num.* 13. *coram Durand.*, *& deciſ.* 34. *num.* 8. *coram Priolo*, *& in Cremonen Beneficii* 2. *Maji* 1718. §. *Non difficilius coram R. P. D. Lancetta.*

15 Quartus Caſus eſt: Si Fundator dividat Juſpatronatus paſſivum inter diverſa genera perſonarum per Turnum, & Alternativam, e. g. demandet, quòd cappellania, ſive beneficium poſſideatur ordine ſucceſſivo ab uno filio Titii, deinde ab uno filio Caji, & poſtremo ab uno filio Sempronii; ſi ſuccedente vacatione beneficii, & nemine ex vocatis intrà terminum ſtatutum comparente, Ordinarius conferat beneficium jure devoluto, cuidam filio Titii; quæritur an proviſio iſta facta ab Ordinario jure devoluto conſumpſerit Turnum ſpectantem ad unum filium Titii, ſeu potius ſuccedente iterum vacatione beneficii, iterum etiam obtinere debeat dictum beneficium alter filius ejuſdem Titii.

Hujuſmodi caſus diſputatus fuit in *Sacra Rota*, cui placuit definire, proviſionem illam liberè factam ab Ordinario jure devoluto, conſumpſiſſe Turnum ſpectantem ad unum filium Titii. Rationem verò ita definiendi deſume ex ſequenti Deciſione.

R. P. D. ANSALDO

Tuſculana Cappellaniæ.

Ven. 15. *Martii* 1715.

IN iiſdem Tabulis, in quibus de anno 1679. pro ultima vice datum fuerat Petro de Magiſtris de bonis ſuis diſponere, tres erigi, ſuiſque ſumptibus dotari Eccleſiaſticas Cappellanias in Eccleſia Patrum Scholarum Piarum mandaverat ſub ea lege, ut non priùs facultas nominandi Cappellanos relicta pro una voce iiſdem Patribus, & pro Altera Conſervatori Civitatis ad effectum deduceretur, quàm conſumptæ eſſent per Turnum omnes illæ nominationes perſonarum, quas ordine ſucceſſivo inſtituendas Teſtator ipſe voluerat, videlicet poſt Paulum Criſpum, Joſephum Butium, & Joannem Bernardinum de Blancis, quos in primos Cappellanos deſignaverat = *Abbino da ſuccedere ordine ſucceſſivo*, *ſecondo che per ſcala da me ſono nominati gl'infraſcritti*, *cioè Bernardino Buzj*, *Gio: Paolo Manna*, *il Sig. Pietro Galoppi &c.*, *Paolo Antonio Ferri &c.*, *un figlio del Sig. Pietro Arigoni*, *un figlio del Sig. Gioſeppe Buzj*, *un figlio del Sig. Giulio Pelli*, *ed un figlio*, *che naſcerà da Maria*, *e Fauſtina Buzj* (ſunt verba ipſa à Teſtatore prolata) quibus omnibus conſumptis fieret tandem locus nominationi Patrum, & Conſervatoris, non tamen effrenatæ, ac omninò liberè, ſed = *Con queſta condizione però*, *che li*

ſoggetti da nominarſi, *voglio*, *che ſiano del mio ſangue*, *e più proſſimi al mio parentato &c.*, *ordinando*, *che da queſta elezione reſtino ſempre eſcluſi li foraſtieri &c.*, ut ipſe Teſtator proſequebatur.

Cùm autem per obitum Pauli Antonii Ferri vacaſſet de anno 1712. altera ex memoratis Cappellaniis, ac ad eam, ſub ſuppoſito, quòd nullus alius de deſignatis à Teſtatore inſtituendus amplius ſupereſſet, unanimi Patronorum, nempe Patrum, & Conſervatoris voce nominatus extitiſſet Andreas Butius, hujus inſtitutioni ſe oppoſuerat illico Joannes Auguſtinus Pellius utì filius Julii, ac ſub prætextu certæ, & expreſſæ nominationis de eo factæ à Teſtatore ibi = *Un figlio del Sig. Giulio Pelli*, inſtitutionem petierat, unde quæſtione ad Pro-Vicarium Generalem Tuſculanum delata, prodierat tandem ſententia Cappellaniam Joanni Auguſtino adjudicans; à qua cùm provocaſſet Andreas, mihique commiſſionem dirigi curaſſet propoſito idcirco hodie conſueto dubio, *An nempe*, *& cui ſit adjudicanda Cappellania*; *eam Domini adjudicandam eſſe Andreæ Butio* jurementò cenſuerunt.

16 Docebat enim, ſe unicè à Patronis omnibus præſentatum, adeòque ei tantùm beneficii adjudicatio omni jure debita videbatur, ut monet *Rot. in Marſicen. Beneficii* 1. *Februarii* 1709. §. *Illi enim coram R. P. D. meo Falconerio*, *in Camerinen. Beneficiatus* 10. *Maji* 1709. §. 1. *coram Reverendiſs. D. meo Molines Decano*, *& in Civitatis Caſtelli Canonicatus* 12. *Martii* 1714. §. *Ratio fuit coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore*.

17 Et quamvis Joannes, ſe uti filium Julii Pelli, ac idcirco expreſsè per Teſtatorem vocatum præferendum fore contenderet quibuſcumque aliis per Patronos nominatis juxta *Text. in cap. Si poſtquam* 13., *& cap. Dudum* 14. *cap. Cùm in Eccleſia* 25. *de præbend. in* 6. *in l. Si unum in Familia* §. 1. *ubi Doctores ff. de legat.* 2., quos in propoſito refert, & ſequitur *Rot. in Barchinonen. Beneficii* 2. *Decembris* 1701., *&* 24. *Martii* 1702. *coram bon. mem. Card. Caprara in Melphiten. Cappellaniæ* 4. *Julii* 1698. §. *Quapropter*, *& in Corduben. Cappellaniæ* 26. *Martii* 1596. §. 1. *in fine*, *necnon in Terulen. Beneficii* 25. *Junii ejuſdem anni coram Muto*.

18 Nihilominus animadvertebant DD., quòd jus illud paſſivum unius ex filiis Julii Pelli conſumptum, ac evacuatum remanſerat uſque de anno 1709., quo Franciſcus Xaverius alter ex filiis ſæpedicti Julii unam ex memoratis Cappellaniis fuerat jam aſſequutus, unde ceſſaverat obligatio alium inſtituendi, cùm in unum tantùm ex dictis filiis vocatio Teſtatoris directa fuerit, adeóque ad alios filios non extendenda ex regula *Text. in l. Boves* §. *Hoc ſermone ff. De verb. ſignific. Cravett. conſ.* 151. *n.* 9. *verſ. non obſtat*, *& conſ.* 180. *n.* 2. *in fin.*, *& n.* 3. *Rot. cor. ſa. me. Gregorio dec.* 433. *n.* 7., *& cor. Ubald. dec.* 325. *n.* 7., *ac cor. Penia dec.* 1066. *n.* 3.

Sentiebant quidem reſponſionis efficaciam, ac veritatem Scribentes pro Joanne Auguſtino, ſed eam declinare, ſe poſſe blandiebantur, proponendo DD. animadverſionem in facto, quòd Turnus tunc filio Julii competens conſumptus quidem dici ad ſummum valuiſſet, quoties Franciſcus Xaverius ejus frater aſſequutus fuiſſet aliam Cappellaniam ex judicio, ſeu diſpoſitione Fundatoris, ſed cùm eam inſtitutionem recognoverit à gratia Eminentiſs. Epiſcopi Tuſculani, qui eidem collationem tamquam de devoluto largitus fuerat, attento lapſu 15. menſium, quo eadem Cappellania vacaverat, nemine unquam ex vocatis comparente, ſeu pro inſtitutione inſtante, ac idcirco illa proviſio ex jure diverſo, ſeu ex diverſa cauſa profluerit, dici propterea nequeat conſumptum jus illud, quod à ſola diſpoſitione Teſtatoris derivare debebat.

19 Verùm nullius penitùs relevantiæ viſa extitit illa reflexio; Non latebat enim eoſdem *Dominos* illa juris cenſura, qua cavetur, quod ubi Juſpatronatus paſſivum certo perſonarum generi relictum ſit, quamvis ad Ordinarios aliquando proviſio devolvatur, valent equidem ea vice jure devoluto Beneficium illud conferre, ſed tamen tenentur ſervata forma in fundatione Beneficii præſcripta unum ex paſſivè vocatis inſtituere, ut tradunt *Garz. de Benefic. par.* 10. *cap.* 3. *num.* 42. *Caren. reſolut.* 159. *nu.* 4. *Rebuff. in prax. benefic. tit. de devolut. nu.* 4. *cum duobus ſeqq. Lara de anniverſar.*, *& Cappellan. cap.* 10. *n.* 27.

Lotter.

Lotter. de re benefic. lib. 2. *quæſt.*24. *n.*62., *&* 63. *Gonzal.ad Regul.*8. *Cancell. gloſſ.*46. *num.*33., *& Monacell. in formul. for.Eccleſiaſt. par.* 1. *tit.* 2. *num.* 13.

Quod ipſe etiam met Summus Ponti-
20 fex obſervat in Beneficiis ad Sedem Apoſtolicam devolutis, nullum unquam præjudicium inferens perſonis in fundatione paſſivè vocatis, ut obſervat *Caſtropal. Oper. Moral. tom.* 2. *tract.* 13. *de benefic. diſp.* 2. *punct.* 1. *num.* 17. *Rot. coram Bich. deciſ.*189. *num.* 17., *& ſeqq.*, *& in re. deciſ.* 121. *num.*7. *par.* 17. *in d. Barchinonen. Beneficii* 2. *Decembris* 1701. §. *Nec attendendum*, *&* 24. *Martii* 1702. §. 1. *coram cl. me. Card. Caprara*, *&* 26. *Martii* 1703. §. *fin. coram R. P. D. meo Lancetta*, *necnon in Vicen. Beneficii* 17. *Febr.* 1713. §. *Præterea coram R. P. D. meo Aldrovando*.

Unde ſi Ordinarius tenetur conferre etiam in caſu devolutionis Beneficia paſſivè vocatis, ſi Franciſcus Xaverius talis erat, & Cappellaniam ab Ordinario fuerat aſſequutus, pernecesſè dicendum eſt Ordinarium legem Teſtatoris, licèt ab eo non expreſſam unicè impleviſſe, & conſequenter proviſionem illam ab ejuſdem Fundatoris diſpoſitione emanaſſe, cum quælibet proviſio ſemper intelligatur facta, prout de jure, & in eo modo ſuſtineatur, quo de jure fieri debebat, ut advertit *Rot. in Alerien. Parochialis* 28. *Novembris* 1692. §. *Non refragante coram bo. me. Muto*, *&* 27. *Februarii* 1696. §. *Neque relevat coram Reverendiſs. D. meo Molines Decano impreſſ. poſt Remocamp. de Coadjutor. deciſ.* 11., *& deciſ.* 12. *utrobique n.* 6., *& deciſ.* 1030. *num.* 7., *necnon deciſ.*1046. *num.* 8., *& ſeqq. utraque coram Emerix jun.*

Inutili remanente Joannis Auguſtini replicatione, quod Ordinarius, nec expectare, nec requirere teneatur qualificatos, quibus Beneficia petendi cura incumbit; Quoniam ea procederent ſi ageretur de ſalvanda proviſione ab Ordinario facta in eſtraneum jure devoluto, ubi nemo ex qualificatis intra ſtatutum terminum non comparuiſſet, qui non eſt caſus noſter, dum comparuerat Franciſcus Xaverius paſſivè vocatus, Beneficiumque fuerat aſſequutus, ut dixerit *modern. Roman. in ejus diſcept. Eccleſiaſt.*12. *num.*59., & diſtinguit *Rot. in d. Vicen. Beneficii* 17. *Februarii*. §. *fin. coram R. P. D. meo Aldrovando*.

Aliàs maximum illud oriretur abſurdum, de quo Scribentes pro Andrea conquerebantur, quòd poſſet qualificatus eveniente vocatione ſibi debita Beneficii omittere petitionem Inſtitutionis in termino ad præſentandum dato, ejuſque artificiosè expectata devolutione proviſionem, Jure devoluto reportare, ut ita, non redacta ſubinde ad actum conſumptione ejus Turni in alia futura vacatione alterius Beneficii proviſionem ex beneficio turni, adhuc in ejus ſenſu vigentis in fraudem ſucceſſivè vocatorum, vel futurorum Patronorum, ut in caſu reportare
21 valeret; Talis enim conſpiratio, ac fraus, ac apertiſſimus dolus commodum illud pareret, quod improbant omnia jura, nè detur occaſio fraudibus, & ſignanter *in l. Nec & dolo ff. de dolo*, *& Rot. in dec.*372. *num.* 17. *par.* 18. *rec.*, *ac deciſ.* 14., *& deciſ.* 229. *num.* 8. *coram Benincaſa*.

Minimè pariter proficiente, quod de tempore vocationis prædictæ Cappellaniæ, ſcilicet de anno 1707. reperiretur paſſivè vocatus Hieronymus Arrigonus, prælativè ad unum ex filiis Julii Pelli, adeóque nulla culpa adſcribi valuerit eidem Franciſco Xaverio, ſi in tempore ad præſtandum indulto, ipſe non comparuerit, ac pro ejuſdem Cappellaniæ adjudicatione inſteterit; Quoniam cùm idem
22 Arrigonus ex defectu Clericatus foret incapax, & acquieviſſet, ut in facto verificabatur, ſemper verum erat, quòd Turnus eo tempore competebat uni ex filiis dicti Julii, ut docet *Card. de Luc. de Jurepat. diſc.* 20. *num.*6. Cùm, ſublato primo, locus ſequenti in gradu aperiatur, ut proſequitur *Rot. in deciſ.* 443. *num.*17. *coram Merlin. deciſ.* 52. *num.* 15. *inter hactenus impreſſas coram Me*, *& in Florentina Canonicatus* 12. *Martii* 1706. §. *Eo enim ipſo*, *coram R. P. D. meo Lancetta*.

Sublato debili nimis Turni præſidio, adhuc ſibi adjudicandam Cappellaniam, de qua agitur, clamabat Jo: Auguſtinus, tamquam de genere Fundatoris prælativè ad Andream, qui ſimpliciter affinis, & extraneus aſſerebatur, ita mandante litera fundationis ſuperiùs recenſita, ibi nempe = *Con queſta condizione però, che li Soggetti da nominarſi voglio, che ſiano del mio*

mio ſangue, e più proſſimi al mio parentato &c., ordinando, che da queſta elezione reſtino ſempre eſcluſi li foraſtieri.

Sed inutiliter cùm allegatam illam proximioritatem, nullatenus in facto juſtificare valuiſſet; ultra enim, quod idem Jo: Auguſtinus minimè probaverat ejus deſcendentiam ab Amita Fundatoris, niſi per depoſitionem duorum Teſtium, de hoc anno tantùm, & pendente per conſequens lite, ac abſque partis citatione examinatorum, ac teſtari ſatagentium de deſcendentia antiqua ipſis omnino incognita, neque umquam in anteriori inſtantia idem Jo: Auguſtinus ſe de Teſtatoris ſanguine facere ſomniaverit, adeóque dictis Teſtibus, nulla penitùs fides adhibenda ſit *ex vulgatis*, data (citra ullam tamen veritatem) illa etiam conjunctione, adhuc nullam deducere valebat proximioritatem; Æquè enim, & Andreas ſanguine cum Teſtatore conjunctus, imò in gradu proximior apparebat. Hujuſmodi enim conjunctio Andreæ deducebatur ex eo, quod ipſe eſt filius Joſephi, qui fuerat filius Franciſci Butii, dictumque Franciſcum, ipſemet Fundator in conſanguineum agnoverat, cum quodam legato in teſtamento honorando; Et licèt eumdem pro affine nuncupaſſet, palpabilis tamen in nuncupatione error detegebatur, nec veritatem obnubilare valebat, quæ erat, quod Joſeph Pater Andreæ foret conſanguineus Fundatoris.

Quo denique Andreas haberet ſolam Patronorum nominationem, ut ei objiciebatur, non verò doceret de ejus acceptatione, & præſentatione coram Ordinario peracta, ex facto penitùs in reſponſione Andreæ dilucidato diluebatur, dum & acceptatio, & præſentatio pleniſſimè juſtificabatur.

Et ita &c. utraque &c.

ARGUMENTUM.

An Patroni Laici, ſive Eccleſiaſtici cogi poſſint per Superiorem ad dividendum Jus præſentandi per Turnum, ſeu Alternativam.

SUMMARIUM.

1 *Refertur ſententia* Felini.

2 *Nemo invitus cogitur ſtare in communione.*

3 *Proviſio in caſu diſcordiarum inter Patronos, aut paritatis vocum devolvitur ad Papam.*

4 *Uſufructuarii quando invicem ſe impediunt in perceptione uſusfructus, Judex tenetur eos cogere ad diviſionem alternis vicibus.*

5 *Fæudum communiter poſſeſſum à pluribus Fratribus, ſi iſti ſint diſcordes, dividi debet quo ad exercitium, ſeu uſum illius.*

6 *Jus Tutelæ ſi oriantur diſcordiæ inter Tutores dividi debet quo ad ejus exercitium, & adminiſtrationem.*

7 *Electores ſi in electione diſcordant, Judex cogere eos debet ad concordiam.*

8 *Exercitium Jurium Parochialium ſpectans ad duos Parochos ſuper domo ſita in confinio duarum Parochiarum in caſu diſcordiæ eſt dividendum per alternativam.*

9 *Exactio ſubſidii charitativi ſuper una, eademque Eccleſia competentis duobus Epiſcopis eſt dividenda per alternativam inter eos in caſu diſcordiarum. Idem eſt in perceptione redditaum Eccleſiæ duobus Epiſcopis communis, ſi inter eos oriantur diſcordiæ* & num. 10., & 29.

11 *Jus percipiendi candelam in die Purificationis B. Mariæ Virginis competens pluribus Patronis dividi debet per Turnum in caſu diſcordiarum.*

12 *Jus conferendi Eccleſiam competens duobus Epiſcopis ad evitandas diſcordias dividi debet per Turnum, & alternativam,* & num. 19.

13 *Sententia* Lambertini *docentis non poſſe Patronos cogi à Superiore ad diviſionem Juris præſentandi per Turnum, & alternativam, eſt verior.* Limitatur, ut num. 15.

14 *Ex diviſione ſimultaneæ Juris præſentandi, ſæpè ſæpiùs, vel eædem, vel majores inſurgunt diſcordiæ.*

16 *Concordia inita inter Epiſcopum, & Patronum in una vacatione liberè conferendi beneficium, & in altera vacatione, conferendi illud ad præſentationem Patroni, an ſit confirmanda?*

17 In

17 *In diviſione Juris præſentandi per Turnum requiritur omnium Patronorum conſenſus*.

18 *In re communi melior eſt conditio prohibentis*.

19 *Statutum, ſive pactum Juri communi adjectum efficit, ut non liceat fieri, quod aliàs de jure ſinè pacto liceret*.

21 *Collatio beneficiorum ſimultanea an ſit communio, ſeu ſocietas ſimplicis jurisdictionis*.

22 *Proviſio beneficiorum per ſimultaneam collationem facta an ſit magìs proficua Eccleſiæ, quàm turnaria*.

23 *Examinantur auctoritates in contrarium allatæ*, & num. 24.

25 *Patroni Eccleſiaſtici an cogi poſſint ad diviſionem Juris præſentandi per Turnum*, & num. 26.

27 *Devolutio beneficii eſt remedium à jure præſcriptum ad tollendas diſcordias Patronorum*.

CASUS VIII.

Quæſtionem aggredior ſatìs controverſam inter Doctores, nimirum, *An Patroni cogi poſſint à Superiore ad diviſionem Juris præſentandi per Turnum, ſeu Alternativam?* Quam examinandam ſuſcepi ex commiſſione mei Præceptoris, & quam credo ab eodem etiam juxta ſuum ſenſum examinatam, & impreſſam in ejus Tractatu de *Controv. Patronorum*.

1 Tuetur *Felinus in cap. Prudentiam de offic. delegat. num. 5. circa finem*, poſſe Patronos inter ſe diſcordantes in præſentando ad inſtantiam aliquorum ex illis cogi à Superiore ad dividendum Jus præſentandi per Turnum, & alternativam ibi = *Pro quo facit gloſſa prima in fin. in cap. 1. de Jurepat. ubi gloſſa dicit, quòd ſi Patroni diſcordant, poſſunt compelli, ut præſentent alternis vicibus*.

Cujus opinio innixa videtur in eo principio, quod nemo invitus cogitur ſtare in communione *ad Text. in l. in re communi ff. de ſervit. Urban. præd. §. ultim.*, *& in l. ſi non 2 . §. ſi centum, ibiq. gloſſ. in verb. communionem ff. de condit. indebit. Alex. conſ. 25. num. 6. lib. 5. Gomez. var. reſol. tom 2. cap. 3. num. 14., & cap. 5. num. 6. Rot. deciſ 50. num. 1. coram Buratt.*, *& deciſ. 298. num. 9. par. 18. rec.* Et in ea ratione, quia cùm Patroni quando diſcordant in præſentando, & ſcinduntur in partes æquales, tunc unus dicatur impedire alterum, quo minùs liberè gaudeat fructu ſui Juris præſentandi, dum

3 proviſio in caſu diſcordiarum inter Patronos, aut in caſu paritatis votorum devolvitur ad Papam juxta *Text. in cap. Poſtulaſti §. Ad quod breviter de conceſſ. præbend. Card. de Luc. de beneſ. diſc. 1. nu. 31. & diſc. 28. nu. 16. Rot. deciſ. 702. par. 4. diverſ.* juſtum, & rationabile eſt, ut ipſi cogantur à Superiore ad dividendum jus præſentandi per Turnum, & alternativam, dum nullum remedium ad eas ſedandas, vel evitandas aptius eſt, quàm diviſio, ut probat *Gonzal. in cap. ſi Epiſcopus num. 3. de Parochiis*, *& Urceol. conſult. forenſ.* 72. *num.* 8., *& ſeq.* Eodem

4 modo, quo ubi duo uſufructuarii invicem ſe impediunt, quo minùs liberè uſumfructum percipere valeant, Judex tenetur cogere eos ad diviſionem alternis vicibus, & annis, cùm ſit iniquum alterum ex facto alterius in bonis communibus ſentire incommodum, & privationem juxta *Text. in l. æquiſſimum ff. de uſufructu, & in l. 7. §. cùm de uſufructu ff. com. divid. Tiraquell. de Primog. quæſt. 15. opin. 5. num. 1. Urceol. conſult. forenſ. 72. nu. 19., & ſeqq. Gratian. diſcept. 552. num. 37.*

Neque eſt in jure novum, quòd diviſio Juris quoad ſubſtantiam alioquin indiviſibilis, coactivè ordinetur quoad exercitium à Superiore; hoc enim patet pluri-

5 bus exemplis. Et primo in feudo, quod licèt ſit de ſui natura indiviſibile, illud tamen ſi à pluribus fratribus communiter in ſolidum poſſideatur, dividi poteſt, imò debet, ſi dicti fratres ſint diſcordes, quoad exercitium, ſeu uſum illius, & diviſio fit à Judice non quidem quoad juriſdictionem, & dignitatem; ſed quoad commoditatem Adminiſtrationis, & quoad exercitium ipſius Juriſdictionis, utendo ſcilicet ea alternis temporibus, indiviſo manente feudo, ad tradita per *Abbatem in cap. final. verſic. final. de re judicat. Bart. in l. inter Tutores num. 6. ff. de adminiſtrat. Tutor. Jaſon. in l. Stipulationes non-dividuntur num. 13. verſic. tamen adminiſtratio ff. de verbor. obligat. Roland. conſ. 9. nu. 32. lib. 2. Pariſ. conſ. 69. nu. 13. lib. 2. Soccin jun. conſ. 79. num. 6., & 7.*

lib.

lib. 1. Ramon. conſ. 24. num. 29., & ſeqq. Alex. conſ. 25. per tot., & ſignanter nu. 7., & 11. lib. 5. Ruinus conſ. 19. nu. 18. lib. 1., & Urceol. conſult. for. 72. num. 23. Tyraquell. de Primogen. quæſt. 27. opin. 5. nu. 5. Curt. jun. de feud. par. 4. quæſt. 3. limit. 9., & Antonell. de temp. legal. lib. 2. cap. 105. num. 17. Pignattell. conſult. 12. num. 62., 69., & ſeqq. tom. 5., & Boer. deciſ. 5. n. 2. Fontanell. de pact. nuptial. clauſul. 4. gloſſ. 7. par. 2. nu. 18., ubi teſtatur id pluries fuiſſe judicatum in Senatu Cataloniæ *Gratian. diſcept. forenſ. 552. num. 38. diſcept. 675. num. 6., & ſeqq. Perez. de Lara de anniverſ., & Cappellan. lib. 1. cap. 17. num. 5.. & 6., & Rot. coram Cæſare de Graff. dec. 3. per tot. de re judicat.*

6 Secundò: In Jure tutelæ, quod licèt ſit indiviſibile, ut habetur in *l. Tutor. 3. de adminiſtr. Tutor.*, illius tamen adminiſtratio, & exercitium Judicis officio dividi debet, ſi exoriantur diſcordiæ, etiam nonnullis Tutorum invitis juxta Theoricam *Bartol. in d. l. inter Tutores in fine ff. de adminiſtrat. Tutor., quam ſequuntur Alex. d. conſ. 25. num. 7. lib. 5. Roland. conſ. 80. num. 37., & alii. apud Urceol. conſult. 72. num. 24.*

7 Tertiò: In terminis Electorum, qui in electione diſcordant, & perſiſtunt in paritate votorum habemus punctualiſſimam *gloſſ. in Can. obeuntibus diſtinct. 63. in verb. nunc ergo quæritur*: Quæ firmat Judicem eos cogere debere ad concordiam, cujus doctrinam refert, & ſequitur *Tyraquell. de primogen. quæſt. 17. in princip. num. 18.*

8 Quartò: Si duo Parochi communiter poſſidentes domum ſitam in confinio duarum Parochiarum diſcordant in ſimultanea adminiſtratione Sacramentorum, & aliorum jurium Parochialium, exercitium horum jurium eſt inter illos dividendum per alternativam, ut ſignanter docet *in cap. 1. de Paroch. Franch. n. 4. his verbis: Tale exercitium dividi alternis vicibus puta, quod uno anno recipiat ab uno Sacramenta, & Divina audiat, & alio anno ab alia &c. eodem modo dividi ſepulturam familiæ alternis vicibus = Ancharan. num. 3., & latiùs Geminian. num. 3. circa finem, Anania in cap. 1. de ſepultur. num. 14. in fine, & iterum Ancharan in cap. cum quis num. 3. de ſepult. in 6. Barboſ. in d. cap. 1. num. 5. de Parochiis, Tyraquell. de Jur. primogen. quæſt. 17. opin. 5. num. 7. Pignattell. conſult. Canon. 12. num. 63. verſic., & huc idem vergit tom. 5. Card. de Luc. de Paroch. diſc. 33. num. 4.*

9 Quintò: Si una, eademque Eccleſia ſit communis duobus Epiſcopis, & hi contendant inter ſe ſuper ſimultanea exactione charitativi ſubſidii ambobus ſimultaneè competentis, debet Metropolitanus eos compellere, ut dictum ſubſidium alternis vicibus exigant. *Azor. inſtitut. moral. par. 2. lib. 9. cap. 14. litt. C. verſic. Quid dicendum ibi = Ambos Epiſcopos concordare debere, ut alternis vicibus ſubſidium exigant, quod ſi convenire renuant, tunc Jure poterit Archiepiſcopus præcipere, ut conveniant = Barboſ. de poteſt. Epiſcop. par. 3. alleg. 87. num. 53., & de Jur. Eccleſ. univerſ. lib. 3. cap. 121. num. 34. Bellincin. de charitativ. ſubſid. quæſt. 52. per tot., Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 45. §. 1. nu. 29., & Ventrigliol. in prax. par. 2. annot. 25. §. 1. num. 29., & de juriſdiction. Archiepiſcop. cap. 149. num. 6.*

10 Sextò: In eodem caſu Eccleſiæ duobus Epiſcopis communis, ſi iſti non conveniunt in perceptione redditυum dictæ Eccleſiæ, Superioris officio compelli debent, ut alternis annis redditus percipiant juxta doctrinam *gloſſ. in cap. 1. de Paroch. in verb. deputetur. ibi = Quod ſi non conveniant inter ſe alternis annis redditus percipiant* = quam ſequuntur ibi communiter *Hoſtien. nu. 5. verſic. Ut alterius; Joann. Andr. nu. 4., Butr. nu. 8., Zabarell. num, 4. in fine, & magis punctualiter idem Butr. in cap. ſuper eo de Paroch. nu. 4. ibi = Ordinabit Archiepiſcopus, quod Epiſcopi convicini alternis vicibus ea utantur, percipiendo redditus alternis annis*, & comprobat *Tyraquell. de primogenit. qu. 17. opin. 5. num. 4.*

11 Septimò: Si Fundator Eccleſiæ juſſit dari ſibi tamquam Patrono quot annis Candelam in feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, & eo mortuo plures filii illius hæredes inter ſe contendant ſuper habenda Candela, quæ ad omnes eorum pertinet tamquam Patronos inſolidum, Judex debet ordinare, ut alternis annis per Turnum illam accipiant, ut fuit deciſum in *Sacro Regiò Conſilio Neapolitano apud. Vincen. de Franch: deciſ. 85. nu. 1., & 4. in fine, ibique Amendol. num. 15., & Carol.*

Carol. Anton. de Luca ad prædictum de fraud. deciſ. 160. *n.* 58. *verſic. excitata fuit quæſtio*; *Lara de Anniverſ. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 6. *Gratian. diſcept.* 675. *n.* 7.

12 Octavo denique in caſu, quo una Eccleſia ſita ſit in confinio duarum Diœceſum, & ſit de collatione ſimultanea duorum Epiſcoporum. Si enim illi duo Epiſcopi non conveniant in Regimine, & collatione Eccleſiæ, Metropolitanus eos cogere debet, ut alternis vicibus de Eccleſia diſponant, juxta *Gloſſ. in can. licet in regulis* 16. *q.* 3. ibi = *Si diſcordant in Eccleſiæ diſpoſitione, ſuperioris erit officium in hac parte, ut alternis annis diſponant* = *Innocen. in cap. ſuper eo de Paroch. n.* 2. *ibiq. Zabarell. n.* 7. *Hoſtien. n.* 7. *Joan. Andr. num.* 2. *Abb. in cap. final. n.* 5. *de ſent. & re judic.*

13 Contrariam tamen ſententiam tenuerunt *Rocch. de Curt. de jurepat. verb. jus n.* 11. *in fin. Lambertin. eodem tract. lib.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 36. *num.* 9. quam cenſeo veriorem, & magis conformem diſpoſitioni hujus *Canonis*, Iſte enim concedit Patronis liberam facultatem præſentandi alternis vicibus, ibi: *Poſſe liberè convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præſentando*; Si igitur Patroni ſive Laici, ſive Eccleſiaſtici ex approbatione, & conceſſione Clementis V. liberè dividere debent jus præſentandi per turnum, & alternativam non video, quo jure dici poſſit, quod ſuperior cogere valeat ad hanc diviſionem juris præſentandi cæteros Patronos diſſentientes ad inſtantiam aliquorum; ea maximè urgenti ratione, quod in re communi, uti eſt jus præſentandi communiter competens Patronis, melior ſit conditio prohibentis ad *Text. in cap.* 56. *de reg. jur. in* 6.

Nec ratio evitandi diſcordias inter Patronos poteſt eſſe cauſa ſufficiens coactivæ diviſionis ſimultaneæ præſentationis. Quia in primis hujuſmodi diviſio ſimultaneæ non eſt tutum remedium diſſipandi diſcordias Patronorum, dum ex-
14 perientia ſæpe ſæpius monſtravit, quòd vel eædem, vel fortè majores inſurgant amaritudines in ordine ad ipſam diviſionem, ſive conventam alternativam, quemadmodum his eiſdem verbis teſtatur *Rota in Wormatien. Canonicatus* 14. *Martii* 1707. §. *Adhuc coram R.P. D. Anſaldo*; deinde in caſu earumdem diſcordiarum inter Patronos, jam ſatis proviſum fuit à jure canonico *in cap.* 3. *& in cap. cum autem de jurepat.*, mediante videlicet devolutione ad ſuperiorem, ac proinde ſtante hoc remedio ordinario, & à lege præſcripto, Judex convertere ſe non debet ad extraordinarium coactivæ diviſionis jurispræſentandi per Turnum. Et hanc ſententiam ſecuti ſunt *Vitalin. in hoc Canone num.* 4. *& ſeqq. Spada conſ.* 8. *n.* 7. *verſic. nec obſtat cum ſeqq. lib.* 2. *Marant. reſponſ.* 14. *n.* 53. *tom.* 3. *& reſponſ.* 29. *num.* 24. *& ſeqq. tom.* 2. Et amplexa eſt etiam S.Rota in *Hiſpalen. diviſionis ſimultaneæ*, ubi reſpondetur auctoritatibus, & rationibus contrariis, uti legi poteſt in ſequenti *deciſione*.

15 Limitat tamen illam *R.P.D. Anſaldus*, nunc meritiſſimus S.Rotæ Decanus in *Annot. ad deciſ.* 18. *n.* 18. in caſu quo ſimultanea pariat intolerabile præjudicium alteri ex compatronis, tunc enim, ſubdit compatronum reluctantem cogi poſſe ad ineundam diviſionem.

16 Quæro hìc. Si pendente lite inter Epiſcopum, & Patronum ſuper qualitate beneficii, nimirum ſi Epiſcopus prætendat beneficium eſſe liberæ collationis, Patronus verò eſſe juriſpatronatus; fiat concordia inter ipſos, qua ſtatuatur, quod Epiſcopus in una vacatione beneficii illud liberè conferat, in alia verò vacatione conferat illud ad præſentationem Patroni, an hujuſmodi concordia ſit confirmanda?

Reſpondeo *affirmativè* dummodo magìs præponderent rationes, & jura Patroni, quam Epiſcopi; Ut fuit ſenſus Sacræ Congregationis Concilii in *Ceneten. confirmationis concordiæ* 18. *Auguſti* 1703. Ubi cum ad ſedandas lites, & controverſias exortas inter Epiſcopum prætendentem non nullarum Parochialium collationem prævio concurſu ad ſe pleno jure ſpectare, & Comites de Coll'alto aſſerentes ad ipſos pertinere Juspatronatus, ac proindè Epiſcopum abſque concurſu, & prævio examine dumtaxat inſtituere debere Parochos ab ipſis nominandos; iidem Epiſcopus, & Comites amicabiliter ſtatuerint quod impoſterum inter ipſos ſervanda ſit regula alternativæ, itaut dictæ Parochiales in ſucceſſivis vacationibus una vice debeant eſſe liberæ col-

collationis Epiſcopi pro tempore, prævio concurſu ad formam Sac. Concilii Tridentini, & abſque ulla præſentatione, alia verò vice ad præſentationem dictorum Comitum ſinè concurſu, reſervato examine, & inſtitutione ad favorem ejuſdem Epiſcopi; diſputatum fuit: *An ſit concedendum Beneplacitum Apoſtolicum ſuper confirmatione concordiæ, de qua agitur in caſu &c.* Cui S. Congregatio reſpondit: *Affirmativè ſi Sanctiſſimo placuerit, ſalvis reſervationibus, & affectionibus Apoſtolicis.*

R. P. D. PRIOLO.

Hiſpalen. Diviſionis ſimultaneæ

Veneris 4. *Junii* 1700.

INter plurima dubia ſpeciali commiſſione à Congregatione Particulari avocata, & iterùm ad noſtrum Tribunal remiſſa inter Reverendiſſimum Archiepiſcopum, & Capitulum, hodie contigit ſermo ſuper diviſione ſimultaneæ collationis Beneficiorum, & quamvis aliàs ſub die 11. Februarii 1697. coram R.P.D. meo Muto dictum fuerit, & deinde per ſententiam pronunciatum non eſſe locum diviſioni, ſequendo formam Commiſſionis dedi ex integro Dubium, *An eſſet locus diviſioni Simultaneæ*, & DD. *negativè* reſponderunt, quia talis diviſio de jure improbatur, ut ex *cap. querimoniam de Jurepatr.*, & quamvis poſteà Clemens V. *in Clementina plures eod. tit.* benigniter indulgendo permiſerit Patronis volentibus hanc facultatem dividendi; talis facultas non eſt trahenda uſque ad coactionem,
17 quia unus ex Compatronis, cæteris reluctantibus, dictam diviſionem facere non poteſt, ſed requiritur omnium conſenſus, & in hanc ſententiam conveniunt communiter, *DD.* & præcipuè *Lambert. de Jurepatr. lib.* 1. *quæſt.* 2. *princ. art.* 36. *num.* 9. *cum ſeqq. Bonifac. de Vitalin. in d. Clement. plures n.* 4. *& ſeqq. Berous in cap.* 1 *n.* 77. *de jurepatr. Spad. conſ.* 8. *num.* 7. *verſ. nec obſtat cum ſeqq. Marant. reſp.* 14. *num.* 53. *tom.* 3. *& reſp.* 29. *num.* 24. *& ſeqq. tom.* 2. *Rocc. de Curt. de jurepatr. verb. jus n.* 11. *circa med.* Ac præter auctoritates militat ratio; nam cùm talis proviſio ſit extraordinaria, & facultativa, requiritur conſenſus omnium intereſſe habentium, quia
18 in re communi melior eſt conditio prohibentis ad *Text. in cap.* 56. *de reg. jur. in* 6., & in præciſis terminis tradunt *Bonifac. de Vitalin. in d. Clement. plures n.* 4. *& ſeqq. & Zabarell. ibidem n.* 1. *verſ. & ut faciliùs*, & generaliter *in Bononien. Expenſarum* 14. *Februarii* 1698. §. *Et fortiùs coram Me*. Quapropter cùm talis diviſio petatur ſolùm ab Archiepiſcopo, renuente Capitulo jure meritò permitti nequit.

Et tantò magis in caſu præſenti non eſt concedenda, quia uſque de anno 1261. recuperata à Maurorum tyrannide, opera B. Ferdinandi Regis Catholici Civitate Hiſpalen., & reſtituta ad priſtinum ſuæ Cathedralitatis Dignitatem Eccleſia, in ejus nova coordinatione Raymundus ſaltèm ad iſtum effectum primus Antiſtes de conſilio, & conſenſu Capituli per fundamentale Statutum, ſicut tali etiam nomine canonizatum fuit ab Urbano VIII. in ſuo ſpeciali Brevi inter alia ordinavit, quòd collationes Canonicatuum, portionum, & dimidiarum portionum ſimultaneè fiant per Archiepiſcopum, & Capitulum, ac pro ſua inviolabili validitate, & obſervantia hoc Statutum habet præſidium confirmationis Apoſtolicæ, obſervantiam quatuor, & ultra ſeculorum, & repetitum juramentum omnium Epiſcoporum quotquot à dicto Raymundo præfuerunt, nam ex eadem lege quilibet Archiepiſcopus in ſuo ſolemni ingreſſu jure jur. tenetur promittere, & promittit illius obſervantiam, ut ex pluribus documentis datis per Capitulum, inter quæ legitur etiam illud præſentis Reverendiſſimi Archiepiſcopi.

Et quamvis tale Statutum non prohibeat diviſionem, maximam tamen illi facit reſiſtentiam, & multò magis, ut Capitulum invitum illam acceptare debeat, quia & ſi nihil ultra, quam quod de jure eſt, importet, attamen cùm ſimultanea adeò enixè præcipiatur, & per tam longum tempus obſervata fuerit, ſaltèm pro meliori bono illius Eccleſiæ accipienda venit, neque eſt ita de facili abroganda, & bene applicatur quod aliàs dixit *Rot. coram Ludoviſ. dec.* 529. *num.* 13. 14. *& coram ſa. mem. Alex. VIII. dec.* 115. *num.* 11. quod Statutum, ſive pactum juri communi adjectum

19 ctum efficit, ut non liceat fieri, quod aliàs de jure ſine pacto liceret, prout neque Sum. Pontifices ſimilibus Statutis derogare ſolent, & in ſpecie ſa. me. Urbanus VIII. ad ſedandas diſcordias inter Cardinalem Borgiam de eo tempore Archiepiſcopum, & Capitulum, eo quia in collationibus intendebat uti privilegio per eumdem Summum Pontificem Cardinalibus conceſſo, ut ex Reg. Cancel. de anno 1626. edita declaravit, prædictam Regulam Capitulum Hiſpalen. non comprehendere, ea ratione, quia Statuto in fundatione Eccleſiæ hujuſmodi edito per regulam prædictam nullo modo cenſeri debet derogatum *Sum. Capituli n.3. litt. D.* cui declarationi Cardinalis acquievit, & iterùm per actum ſolemnem promiſit Statuta Eccleſiæ ſervare, & hæc nova promiſſio fuit per alterum ſpeciale Breve Urbani confirmata *Sum. capituli n.4.* itaut vix dari poteſt, quod majus firmitatis robur habere videatur, quàm præſens Statutum, & ſimultanea collatio.

Fatentur iſta omnia validiſſima fundamenta Scribentes pro Archiepiſcopo, ſed illa declinare conantur, inſtando, quod ipſi non petunt diviſionem materialem bonorum Eccleſiæ, ſeu Beneficiorum, quæ ſunt individua, ſed tantùm exercitii, quod commodè dividi poteſt, non obſtante Statuto, ſeu lege prohibente diviſionem, ut communiter tenent DD. ſequendo *Jaſ. in l. ſtipulationes non dividuntur num.13. verſ. tamen adminiſtratio ff. de verb. oblig.*, & in terminis jurispatrotus tradit *Card. de Luca de benef. diſc.1. num.4. & de jurepatr. diſc.41. n.2. Pignattell. conſult.12. num.65. tom.5. Gonzal. ad reg. Cancell. gloſſ.45. §.1. n.58. cum ſeqq.* attenta illa univerſali ratione, quod cùm ſocietas ſit mater diſcordiarum, ad illas evitandas diviſio rationabilis videtur, quod rationabilitate præmiſſa, conſiderando hanc ſimultaneam collationem, utì quamdam communionem, & ſocietatem Juriſdictionis, quia conferre Beneficia eſt effectus Juriſdictionis, ut ex *Gloſſ. in cap. novit. de offic. delegat. ubi Panormit. num.3. & in cap. tranſmiſſa de elect. & cap. dilectus de offic. ordin. in verb. de lege Juriſdictionis ubi Fagnan. n.3. Barboſ. de poteſt. Epiſc. par.1. tit.1. cap.1. num.11. & Gonzal. ad reg. Cancell. §.42. procem. n.27. Selva de Beneſ. quæſt.40. n.1.* magis urgebant arguendo, quod etiam ſocius cogi poſſit ad diviſionem, allegando quamplures auctoritates, & primo, quod nemo cogi poteſt ad perſeverandum in communione, & ſecundò extendenda hanc coactivam etiam ad controverſam ſimultaneam collationem ex *Gloſſ. in Can. obeuntibus diſt.63. in verb. nunc ergo quæritur*, & *ex cap. cum ab eo de ſepult. in 6.* cujus occaſione dicunt DD. quòd ſi detur

20 contentio inter duos Parochos communiter poſſidentes Domum ſitam in confinio ſuorum Parochianorum, circa ſimultaneam adminiſtrationem jurium Parochialium, tale jus, quamvis per ſe individuum, tamen, quoad exercitium, quod ſit dividendum inter eoſdem per alternativam, ut ſignanter docent ibidem *Franch. num.4. & Ancharan. num.3.* & latius *Geminian. n.7. circa finem, & Anan. in cap.1. de ſepult. n. 14. in fin. & idem Ancaran. in cap.1. de ſepult. in 6. Pignattell. conſult.12. num. 73. verſ. & huc item vergit tom.5. Card. de Luc. de Paroch. diſc.33. n.4.* item exemplo duorum Epiſcoporum ambobus ſimultaneè competente exactione charitativi ſubſidii ab eadem Eccleſia dicunt DD. quod Metropolitanus eos compellere debet, ut dictum ſubſidium alternis vicibus exigant *Azor. inſtit. mor. par.1. 2. lib.9. cap.14. litt. B. verſ. quid dicendum*, & *Barboſ. de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg.87. num.53. & de jur. Eccleſ. univerſ. lib.3. cap.21. num.34. Bellincin. de Charit. ſubſid. quæſt.52. per tot. Gonzal. ad reg. Cancell. gloſ. 45. §.1. num.29. Ventrigl. in prax. par.2. adnot. 25. num. 29. & de juriſdict. Archiep. cap. 149. n.6.* item de redditibus unius Eccleſiæ ad duos Epiſcopos ſpectantibus, quatenus non conveniant, Superioris Officio compelli debent, ut alternis annis illos percipiant, juxta *Gloſſ. in d. c.1. de Paroc. in verſ. deputetur*, ibique tradunt *Hoſtien. n.5. verſ. ut alternis, & Jo. Andr. n.4. Butr. n.8. Zabarell. n.4. in fin.* & magis præciſè idem *Butr. in cap. ſuper eo n.4. eodem tit. de Paroch. & Tiraquell. de primog. quæſt.17. opin.5. n.4.* Et demùm in caſu præciſo ſimultaneæ collationis ponderarunt *Gloſſ. in Can. licèt in reg.16. q.3. in verb. convenit* in qua ſuppoſito caſu unius Eccleſiæ ſitæ in Confinio duarum Diœceſum, cujus diſpoſitio, ſeu

ſeu collatio erat communis inter duos Epiſcopos convicinos, dicitur, quod ſi diſcordent in diſpoſitione, ſuperioris erit officium in hac parte, ut alternis annis diſponant, quam *gloſ.* ſequuti ſunt multi *DD.*, & ſignanter *Innoc. in cap. ſuper eo de Paroch. n.4. ibique Hoſtien. n.7. & Joan. Andr. num.2. & Zabarell. num.7. & Abb. in cap. fin. num. 5. de ſent. & re judic. Alex. conſ. 25. n.3. verſ. nam gloſa lib.5. Bellincin. de charit. ſubſid. q.52. n.3. Tiraquell. de primog. d.quæſt.17. opin.5. num.3. Vivian. de jurepat. lib.3. cap.7. n.6.& 10.*, & auctoritatem ſuperioris *Lambert. de jurepatr. lib.2. par.2. q.4. art.6. n.2.* extendit etiam uſque ad coactionem, & cum eo concordant *Ventrig. de juriſd. Archiep. cap.149. n.6. & in prax. for. par.2. adnot. 25. num.29. Antonell. de jur. & oner. Cler. lib.2. par.6. cap.17. n.60. & Gonzal. ad Regul. Cancell. gloſ.45. §.1. n.57. & ſeqq.*, quem refert, & ſequitur *Lezzan. in Turr. David. cap.5. n.298.*

Verùm reaſſumendo à principio objectum, etſi collatio beneficiorum ſimultanea dicatur quædam communio, ſeu ſocietas, non eſt tamen ſimplicis juriſdictionis, quia jus conferendi non ſemper à ſola ju-
21 riſdictione procedit, ſed ab aliis etiam titulis, ut obſervat *Garz. de benef. par.5. cap.4. num.1. Gonzal. ad Regul. Cancell. gloſ.21. num.34. Rot. in rec. dec.92. d. n.8. par. 5. & in Leodien. juriſdict. 11. Aprilis 1698. §. Pariter non obſtant, coram Reverendiſs. D. meo Decano*, & propterea quamvis ſimultanea dicatur ſocietas, non dependet abſolutè ab arbitrio ſociorum, itaut pro illius diſſolutione ſufficiat diſſenſus unius, ſed dicitur ſocietas de jure, vel Statuto, ſive Epiſcopus, & Capitulum conſtituant unum corpus miſticum, ſivè conſiderentur uti inſervientes Eccleſiæ, vel adminiſtratores jurium illius, ſive Beneficia dicantur erecta ex bonis communibus. Quapropter inapplicabiles ſunt termini ſimplicis Societatis, & ita corruunt pro majori parte auctoritates exadversò allegatæ, uti tractantes, ſive de communione bonorum, ſivè de ſociis feudalibus, ſive de uſufructuariis, quia in iſtis permitti poteſt diviſio bonorum, vel exercitii rei etiam indiviſibilis, in præſenti autem procedendum eſt cum terminis illarum ſocietatum à jure, vel Statuto introductarum, quæ reſpiciunt non ſimpliciter Sociorum commodum, ſed principaliter publicam utilitatem, nempe Univerſitatis, vel Eccleſiæ, quod faciat, ut inter Epiſcopum, & Capitulum major ſit conjunctio, quàm inter ſocios cujuſcumque alterius juriſdictionis, ut notant *Pering. in nov. meth. jur. Canon. ad tit. de off. ordin. n.52. verſic. notandum ſecundò, & Card. de Luc. de benef. diſc.28. num.18. & ſeqq.*, & ideo nonniſi ex juſta cauſa, & cum omnium conſenſu, ac ſuperioris auctoritate dari poteſt diviſio etiam quoad exercitium, ut diſtinguendo firmat *Abb. conſ. 82. ſub num.10. verſ. ego tamen lib.1.* quem ſequuntur *Felin. in cap. quæ in Eccleſia n.91. verſ. 2. limitat de conſtit. & in cap. prudentiam col.2. verſ. & quod liceat de offic. de legat. Afflict. in cap.1. §. Præterea tit. quibus mod. feud. amit. Marſil. ſingul.9. Corradin. conſ. 62. col. 2. verſ. 2.* licet aliàs actum eſſet de communitatibus, & ſimilibus ſi omnia ad ſingularitatem ex voluntate unius reduci poſſent.

Nec dubitari poteſt, quin proviſio beneficiorum per ſimultaneam collationem facta reſpiciat magìs utilitatem Eccleſiæ,
22 quam privatam collatorum, & ſit illi magìs proficua, quàm turnaria, quia cùm in ſimultaneà tanta ſit vox Epiſcopi, quanta totius Capituli, & quamvis Prælatus nominet eum, cui beneficium conferre intendit; concluſio, ſeu perfectio collationis dependet à Capitulo, ſupponendum eſt, quod Epiſcopus, qui tenetur ſuam collationem ſubjicere approbationi Capituli, meliorem ſemper proponat, & viceverſa credibile non eſt, Capitulum velle aptum, & idoneum rejicere, quando à tali rejectione nullum ſentiret commodum, quia collatio ob paritatem votorum devolvitur ad S. Sedem ex notis juribus, & talis modus conferendi ſpecialiter introductus eſt in Cathedralibus, ut meliores earumque ſervitio magìs aptos, & idoneos Præbendaros ſortiantur, quia ſicut Eccleſia Cathedralis cæteris præeminet dignitate, ita illius Canonici, & Portionarii aliis præſtare debent virtute, & exemplo; In turnaria autem proviſione cùm iſta dependeat ab arbitrio unius tantum, faciliùs intrat affectio, & minùs conſideratur utilitas Eccleſiæ, nam quandoque propter affectionem

nem nominantur perſonæ minùs aptæ ſervitio Eccleſiæ, & nè talis diviſio fiat, multum facit exemplum memorabile relatum per *Hoſtienſ. in cap. gravè n.3. de præbend.* de nonnullis Canonicis Argentinis, qui inter ſe convenerant ſuper diviſione ſimultaneæ, eumque allegando comprobat poſt *Gonzal. ad reg. Cancell. gloſ.*4. *n.*73. *Franc. de Eccleſ. Cathedr. cap.*22. *n.*106., quo edocti Epiſcopi, & Canonici nunquam deſiderare deberent hanc diviſionem, nè aliquando eorum cauſa idem evenire poſſet in præjudicium propriæ Eccleſiæ.

Sed præter utilitatem Eccleſiæ concurrit etiam alia particularis ratio, nam cùm Epiſcopus, & Capitulum continuò in Divinis Officiis convenire ſoleant, in tali myſtico corpore non eſt introducendus aliquis Canonicus qui ſit, uni, vel alteri infenſus, vel inviſus, ut omnia membra perfecta organizatione inter ſe correſpondeant, & in ſervitio Eccleſiæ promptè ſuam operam præbeant. Et quia hæc omnia ſecuriùs adimplentur per ſimultaneam collationem, ab iſta non eſt de facili recedendum.

Deinde deveniendo ad examen illarum auctoritatum, quæ aliquam ſaltèm apparentem relationem habent cum caſu præſenti, primo ponendi ſunt ad partes illi
23 DD. qui tantum dicunt, quod tale exercitium collationis ſimultaneæ dividi poteſt, quia hoc uſque à principio admiſſum fuit *ex Clem. plures de Jurepat.*, & tantùm impugnatur coactiva diviſio ad quam probandum neque ſatis ſunt auctoritates, & exempla deducta *ex d. Can. obeuntibus diſt. 63. in verb. nunc ergo quæritur*, *&* *ex d. cap. cum ab eo de Sepult. in 6.*, *& demum ex gloſſ. in alio Can. licèt in regul. 16. qu.3.* omnia enim hæc valde diverſa ſunt à caſu ſimultaneæ collationis, & ratio quoque decidendi in nihilo convenit; motivum enim dubitandi, tam apud Gloſſatores, quàm apud DD. fuit, quod non minùs Epiſcopi, quàm Parochi habebant Jus certum, & ſeparatum exercendi propria Juria in Eccleſia, vel domo ſita in confinio, ſeu exigendi charitativum ſubſidium, & redditus, & tantum contentiones, & ſcandala in exercitio oriebantur, quia, vel adminiſtratio Sacramentorum poterat negligi, vel duplici onere in exigendo gravari Eccleſia, vel Populus; neque iſta ullum aliud remedium habere poterant, quam per diffinitivam Judicis ſententiam, quæ non ſolùm longum tempus requirebat, ſed etiam incertitudinem exitus involvebat ob incertitudinem probationum, & ideo rectè proviſum fuit quod per alternativam ex Jure exercerentur, & exactiones fierent. At in caſu noſtro jus conferendi uſque à principio ſimultaneæ utrique Parti traditum fuit, & ſemper ita practicatum, & propterea ceſſante ſimilitudine cauſæ dubitandi, ceſſat etiam ratio ita decidendi, & quando adeſt remedium à Jure præſcriptum, ut infra in ſpecie de ſimultanea collatione demonſtrabitur, non eſt recurrendum ad extraordinarium, & arbitrarium.

24 *Gonzal. ad reg.*8. *gloſ.*45. §. 1. *num.*57., *& ſeqq.* loquitur præcisè in caſu ſimultaneæ, ſed tantum promovet quæſtionem; An iſta dividi poſſit, & in affirmativam inclinat, juxta communem opinionem, ſed non firmat, quod renuente una parte per alteram, ſeu per Judicem illa cogi poſſit ad diviſionem, & quamvis in codicibus ultimæ impreſſionis legantur illa verba *Imò ad hoc compelli poſſunt* nullum in eis fieri poteſt fundamentum, quia illa appoſita ſunt referendo opinionem illorum DD., qui in caſu ſupra allegato charitativi ſubſidii tenent, Epiſcopos ſuper exactione litigantes compelli poſſe ad concordiam, & ideo neque dici poteſt iſta opinio Auctoris, neque eſt applicabilis præſenti diſputationi ſimultaneæ diviſionis, ac in eodem ſenſu ſunt *Card. de Luca*, & alii abunde citati, qui non faciunt ad cauſam.

Agnoſcentes Defenſores Archiepiſcopi, quod nullum habent Doctorem neque judicatum, quod in caſu ſimultaneæ collationis dicat eſſe locum coactivæ diviſioni, ſe convertunt ad debilitandas auctoritates, tam in præcedenti deciſione R. P. D. mei Muti, quàm in præſenti laudatas, aſſerendo; quod allegata *Clementina Plures* procedit tantum in caſu Patronorum Laicorum, cum quibus Eccleſiæ mitiùs procedit, nè retrahantur à fundationibus, & dotationibus beneficiorum, & quia iſti cogi non poſſunt ad concordandum, ideo ad tollendas diſcordias, ut faciliùs Eccleſiæ provideantur, ſicut etiam *ex gloſ. in d. Can.*

d. Can. licèt permittit eiſdem diviſionem; Et quando iſta non ſufficiant, alia ſuccedunt graviora remedia, *ut in cap. 2., & 3. de Jurepat.* At in Patronis Eccleſiaſticis,
25 in quibus non militat eadem ratio fundationis, & dotationis, & ſubjacent omninò ordinationibus Ordinarii, ſuperflua eſt facultativa diviſio conceſſa *in dicta Clementina Plures*, quia ad iſtam cogi poſſunt iterum præcedendo cum ſuppoſita auctoritate *alleg. Can. obeuntibus diſt. 63.*, & hanc diſtinctionem comprobant auctoritate *Lamb. in lib. 2. part. 2. quæſt. 4. art. 6. nu. 4., & in eadem quæſt. 4. ſequentis art. 7. nu. 2. in fin.*, & prætendunt, quod præcedentem ſuam opinionem limitet, & declaret etiam *Felin. in cap. prudentiam de offic., & poteſt. Jud. deleg. num. 5., & in cap. quæ in Eccleſiarum de conſtitut. nu. 90.*
26 Sed talis prætenſa diſtinctio habet reſiſtentiam facti, nam paſſim etiam Patroni Eccleſiaſtici dividunt inter ſe exercitium Juris præſentandi, & conferendi, ſicut, & pro obtinenda tali diviſione allegatum fuit exemplum plurium Eccleſiarum Cathedralium Hiſpaniæ, ac Patriarchalium hìc in Urbe, & contra eoſdem militat pariter alterum remedium devolutionis, & propterea talis coactio inſinuata per DD. ad alios effectus eſt referibilis, nempe vel ad concordiam, quæ intelligi debet pro illa vice tantùm, ut ex *d. gloſ. in Can. obeuntibus*, vel ad caſus longè diverſos à diviſione ſimultaneæ, prout quoque *Lamber. loc. cit.* loquitur in diverſis terminis, ut colligitur ex quæſtione, quæ principaliter examinatur *in d. art. 6.* ad quàm omnia alia ibidem contenta referri debent, neque ita de facili dicendum eſt, quod aliquis Doctor, & præcipuè iſte in hac materia adeò inſignis ſe contradicat, vel corrigat, quando idem Doctor hoc non dicit. Nec majus pondus meretur dictum *Felini* quia nec materiam Juriſpatronatus, ſeu ſimultaneæ collationis examinat, & tantùm ad caſum diviſionis Juriſdictionis dicit, quod etiam Patroni compelli poſſunt *alleg. text. in d. Clement. Plures*, qui pariter, ut ſupra demonſtratum fuit, ad rem noſtram non facit ultra quod etiam tanquam loquens contra communem, reprobatur, *à Rocco de Curt., & Lambert.*, & obſervat *dec. coram R. P. D. mei Muti, §. Et minus*, & ſolùm quoad diviſionem Juriſdictionis fuit approbatus *à Rota coram Achill. de Graſſ. dec. 3. de ſent., & re judic.*

Minus attendi debet, quod ſi allegati caſus non conveniunt in ſimilitudine dubitandi, habent tamen cauſam generalem, nempe motivum tollendi diſcordias; & procurandi utilitatem Eccleſiæ, quia quamvis dicatur, hæc ſimultanea collatio à principio laudabilis, & juri communi conformis, tamen prætenditur, quod tractu temporis, degeneraverit in abuſum, & quod evaſerit catena, & frenum Epiſcoporum, eo quia Prælati, ut poſſent habere pacificam collationem beneficiorum, cœperint claudere oculos, & indefenſa relinquere Jura propriæ dignitatis cum reliquis contra laudabilem ſtylum Curiæ per Defenſores Archiepiſcopi ſuppoſitis, quæ prorsùs fuerunt valde diſſona auribus noſtri Tribunalis, in quo ſolent tantùm virtute, & ingenio jura partium defendi, & impugnari, & maximè quando ſuppoſita non ſolùm ſunt injurioſa Capitulo, & ipſemet Archiepiſcopo, & omnibus aliis ejus prædeceſſoribus, verum etiam in facto omnino inſubſiſtentia. Quis enim credere poteſt, quod omnes Præſules, qui in adeò inſigni Eccleſia præfuerunt pietate, & doctrina venerabiles in collationibus beneficiorum, non ad utilitatem Eccleſiæ, & merita providendorum proſpexerint, ſed potius ut ſuis gratificare poſſent, curaverint ſibi Capitulum benevolum reddere cum præjudicio propriæ Dignitatis, & Juriſdictionis, quodque Canonici odio potius, & vindicta, quam Juſtitia moti ſint ad denegandum conſenſum, quod de Jure in adeò inſigni, & religioſo Capitulo ſublata quacunque umbra æmulationis potiùs præſumi deberet juſta, & rationabilis cauſa denegati conſenſus *per text. in l. ſabinus ff. comm. divid. Vegg. conſ. 88. num. 23. circa fin. Felin. de ſocietat. cap. 28. num. 21. cum ſeqq. Rot. deciſ. 450. coram Dunozett., & in rec. deciſ. 113. nu. 7. par. 19.*

Sed non minùs incredibile, quam inſubſiſtens eſt partis aſſumptum, nam ab anno 1261., à quo ſeculo ſecundùm initium habuit hæc Metropolitana Eccleſia, ut ſupra dictum eſt, de facili quiſquis præfigurare ſibi poteſt quot Archiepiſcopi ad illam ordinati fuerint uſque in præſens, & ta-

& tamen tantùm inter tres dantur diſcordiæ, & lites nempe inter Cardinalem de Caſtro de anno 1584., Cardinal. Borgiam de anno *1633.*, & modernum Archiepiſcopum, quo verò ad collationes per Capitulum datus fuit *in Summ.* longiſſimus Catalogus iſtarum complectens ſpatium 150. annorum, in quo videntur quod, duabus exceptis, reliquæ omnes concorditer factæ ſunt, & ſuum effectum habuerunt, & quod obſervatione dignum eſt inter iſtas quamplures ſunt de tempore, quo lites ardebant inter Cardinales de Caſtro, Borgiam, & Capitulum, ſicut ex ſeptem vacationibus, quæ obvenerunt, tres fuerunt concorditer factæ, quæ cùm impugnari non poſſint, contra charitatem interpretantur, nè factæ à Canonicis, Judicibus apparerent ſemper diſſentientes, vel ad complacendum Miniſtris in Urbe reſidentibus, quia gratìs hoc dicitur, & ſinè ulla juſtificatione, quando talis diſſenſus non ſolùm permiſſus eſt à jure, ſed etiam commendatur, quia ita diligentiori examine non minùs, quoad utilitatem Eccleſiæ, quàm quoad qualitates concurrentium beneficia conferuntur aliàs inutilis fuiſſet introductio ſimultaneæ in Cathedralibus Eccleſiis ſi Canonici clauſis oculis, conſentire deberent, & conſenſus eſſet ſolùm pro forma, ut optimè ſcripſit S. Leo ad Anaſtaſium relatus *in Can. ſi fortè 26. diſtin.63. ibique Gloſſ. in v. diviſerint*, *&* *S. Gregorius in Can. nec novum 7. quæſt.1.*

Et tantò minùs iſtæ ſuppoſitæ diſcordiæ, quatenus adeſſent, juſtam cauſam præbere poſſunt abrogandi hanc ſimultaneam collationem, quia Summi Pontifi-
27 ces illas conſiderando aliud remedium, nempe devolutionis præſcripſerunt, ut videre eſt *in cap. 2. de conceſſion. præbend.* & quando habetur remedium ordinarium, & à lege præſcriptum, Judex non debet ſe convertere ad extraordinarium, quia ſi Summi Pontifices voluiſſent permittere alternativam, hoc utique feciſſent, ſed utiliùs duxerunt imponere pœnam devolutionis, & ſumma quidem ratione, nàm devolutio eſt verè remedium, quoniam pro illa vice tantum, vel tollit diſcordias inter Epiſcopum, & Capitulum, vel inter patitatem meritorum confertur Beneficium illi, quem utilitas Eccleſiæ, vel aliqua alia circumſtantia magìs dignum conſiderare facit. Alternativa verò non eſt remedium, ſed deſtruit ſimultaneam quod nunquam admitti poteſt à Judice, qui eſt quidem interpres, ſed tamen debet eſſe Cuſtos legum, ut relatis *Rocco de Curte*, *& Lambert.*, comprobat *dec. R.P.D. mei Muti §. Præterea auctoritates*.

Et hanc veritatem agnoverunt quoque ſcribentes pro Archiepiſcopo, quia in reſponſionibus ſe reſtrinxerunt ad petendam hanc alternativam, durantibus litibus tantum, ſed neque in hoc exaudiri potuerunt, quia ſi neque diſcordiæ ex eadem collatione derivantes juſtam Cauſam diſſolvendi ſimultaneam præbent, quomodo concedi poterit ex aliis controverſiis à diverſis Cauſis, nempe juriſdictionis, & ſimilium emanantibus, nam pro denegatione diſſolutionis in omnibus caſibus ſemper militat illa præcipua ratio, quod utilitas publica ipſius Eccleſiæ prævalere debet commodo, & utilitati privatæ ipſorum conferentium *Lotter. de re benef. lib.2. quæſt.21. n.33. Franceſ. de Eccl. Cathedr. cap.22. n.16.*

Prout neque exempla aliarum Eccleſiarum ad hoc faciendum inducere poſſunt, quia cum de illorum principio, ſeu Cauſa non conſtet, dicendum eſt, quod intervenerit conſenſus utriuſque Partis, juſta Cauſa, & auctoritas ſuperioris, quia ſemper quod factum eſt ſupponitur factum proùt de jure eſt faciendum.

Nec Capitulum reſiſtit huic diviſioni ex ſolo motivo ſe opponendi petitioni Archiepiſcopi, quando aliàs eidem eſt valde favorabilis, quia in collatione ſimultanea Capitulum præſtat ſolùm ſimplicem conſenſum, in alternativa autem haberet in ſua vacatione liberam collationem, Capitulum enim materiali commodo præferre vult vel utilitatem Eccleſiæ, vel proprium honorificum Jus, cùm valde eidem decorum ſit allegare illud ſpeciale Breve obtentum ſub Urbano VIII. ſupra allegatum, & quamvis ex diviſione exercitii non tollatur ſimultanea, quia collationes fiunt utriuſque nomine, ut probat *Card. de Luca de benef. diſc. 29. num. 19.* attamen cùm indultum ſpecialiter ſe fundet in ſtatuto Eccleſiæ præcipiente ſimultaneam collationem, valde diſputabile eſſet;

ſet; ſi ceſſante cauſa Capitulum amiſiſſet Jus illud; propter quam illi conceſſum fuit, & ſola poſſibilitas ſufficit ad cohoneſtandum diſſenſum Capituli, ultra quod non eſſet etiam condemnandum Capitulum, ſi diſſentiret à tali diviſione ex ſolo motivo, ut ſibi conſervaret benevolos Archiepiſcopos ſub hac ſpe faciliùs obtinendi conſenſum ab eiſdem nominatis cùm hoc tendat ad confovendam concordiam, non autem ad deſtructionem Eccleſiæ, & Dignitatis Archiepiſcopalis, quia in dubio ſemper eſt facienda benigna interpretatio.

Et demum, præter hæc omnia eſſet valde conſiderabile intereſſe Summorum Pontificum, quibus præjudicari non poteſt, nam admittendo alternativam ceſſarent omnes devolutiones ob diſcordiam, ſeu paritatem votorum in corpore Juris reſervatæ, & ſi ex hoc ſolo motivo *Rota cor. Millin. dec.* 179. non approbavit concordiam initam inter Epiſcopum, & Canonicos, quanto minùs poteſt hodie approbare diviſionem ſimultaneæ reſiſtente Capitulo contra omnia juris principia.

Et quia hoc motivum reſponſionem non habet, ad illud evitandum ſcribentes pro Archiepiſcopo immemores, quod in principio reſtrictus facti, & Juris dixerunt quod de tempore illorum Prælatorum, qui Jura hæc Dignitatis tueri voluerunt omnia Beneficia fuerunt collata per S. Sedem Jure devoluto, itaut nullam pacificam collationem ſperare potuerint, in fine admiſerunt, quòd tales devolutiones rariſſimè eveniunt, ac proinde allegatum præjudicium Summorum Pontificum non eſſe conſiderabile. Quapropter pro coronide concludendum eſt, vel tales diſcordiæ rariſſimas devolutiones produxerunt, prout de facto uſque nunc apparet, & juſtam cauſam non poſſunt præbere cogendi Capitulum ad præſtandum conſenſum pro petita diviſione, vel illam ordinandi per Judicem, etiam ipſo Capitulo renuente, vel devolutiones frequentes ſunt, & præjudicium Summorum Pontificum erit valde conſiderabile, & nunquam per Judicem permittendum.

Et ita, utraque Patre audita, reſponſum fuit &c.

IN CANONES
DE JURE-PATRONATUS
Deſumptos ex Concilio Tridentino.

COMMENTARIA.
PARS QUINTA.
CANON I.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. VII. Cap. XIII.

PRæſentati, ſeu electi, vel nominati à quibuſvis Eccleſiaſticis Perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nuntiis, ad quævis Eccleſiaſtica Beneficia non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujuſvis Privilegii, ſeu conſuetudinis etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: Et nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit, quo minus examen ſubire teneatur. Præſentatis tamen electis, ſeu nominatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis generalium Studiorum exceptis.

COMMENTARIUM

Ex hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

Præsentati ad quæcunque Beneficia à Patronis Ecclesiasticis, non debent institui ab ordinario, niſi prius ab eo examinentur; Exceptis præſentatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis generalium Studiorum = Ità *Barboſ. hic, & de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.72. n.176. & 117. Vivian. de Jurepat. part.2. lib.6. cap.5. n.129. Lambertin. de jurepat. lib.2. par.1. quæſt.11. art. 3. num.1. & ſeqq. Gonzal. ſuper regul. 8. gloſſ. 4. num.84. & ſeqq. Garz. de Benefic. par.9. cap.3. n.5. & 15. Franciſcus Palma conſult. 95. n.14. Rota in Friſingen. Decanatus 27. Junii 1708. §. Clara, coram bo. me. Molines*. Sacra Congregatio Concilii in *Brixien. 20. Octobris 1592. lib.7. D. pag.72.* Hoc idem ſtatuitur ab eodem Concilio *in cap.9. ſeſſ.25. de reform.*, de quo infra *Can. XII.*

Ratio autem hujus concluſionis eſt, quia Epiſcopus in Beneficiis Patronalibus non habet liberam electionem Perſonæ ſibi bene viſæ, ſed tenetur inſtituere ad præſentationem Patronorum, qui cùm poſſint de facili errare in præſentando inhabiles, & indignos, ideo ante inſtitutionem debet Præſentatos à Patronis examinare, nè præfigatur in his beneficiis indignus, aut minus idoneus.

Quoad hanc concluſionem ſequentes examinantur caſus.

ARGUMENTUM.

Præſentati ad Beneficia ſimplicia Juriſpatronatus ante inſtitutionem an examinari debeant ab Ordinariis Locorum ſive ſint Præſentati à Patronis Eccleſiaſticis, ſive à Laicis.

SUMMARIUM.

1 *Incluſio unius eſt excluſio alterius.*

2 *Sacri Canones in materia juriſpatronatus magis favent Laicis, quàm Eccleſiaſticis.*

3 *Univerſitates inter corpora Eccleſiaſtica recenſentur.*

4 *Referuntur Doctores, qui tuentur* Canonem *hunc loqui ſolùm de præſentatis à Patronis Eccleſiaſticis.*

5 *Concilium Tridentiuum in hoc* Canone *an procedat ſolùm quando præſentatio fit eorum aliis, quam Epiſcopo, ſeu quando inſtitutio ſpectat ad inferiorem,* & n.15.

6 *Præſentatus ad beneficia ſimplicia ſive à Patrono Laico, ſive à Patrono Eccleſiaſtico ſe ſubjicere tenetur ante inſtitutionem examini proprii Epiſcopi*, & n.9. & 16. Et quare? Vide n.7. Amplia, ut n.19.

8 *Referuntur Doctores ſentientes Præſentatos ad Beneficia ſimplicia etiam à Patronis laicis, eſſe examinandos.*

10 *Concilium Tridentinum in hoc* Canone, & in cap.9. ſeſſ. 25. *comprehendit præſentatos à Patronis Laicis*, & num.12. 13. & 14.

11 *Diſpoſitio exprimens unum caſum non excludit alium ſimilem.*

17 *In Beneficiis Curatis requiritur examen rigoroſum, & pro forma; etiam ſi Beneficia curata ſint de jurepatronatus laicali,* ut num.18.

20 *Notoria idoneitas non eximit Promotum ad curam Animarum à ſpeciali examine.*

CASUS I.

Vacato quodam Beneficio ſimplici de jurepatronatus Laicali fuit à Patrono ad illud præſentatus Clericus A; quæritur an ad effectum obtinendi inſtitutionem teneatur præfatus Clericus ſe ſubjicere examini Epiſcopi, & ab eo recipere approbationem.

Multæ quidem, & non ſpernendæ animadverſiones ſuadent Clericum hunc ſe ſubjicere examini Epiſcopi minimè teneri; Etenim *Canon* ſupradictum non inducit neceſſitatem examinis in Præſentatis, & nominatis à Patronis Laicis, ſed ſolùm in Præſentatis à Patronis Eccleſiaſticis; ſiquidem animadvertendo ad verba Concilii, iſtud optimè agnoſcens præſentatio-

tionem fieri poſſe à Patronis tam Eccleſiaſticis, quam Laicis, mentionem dumtaxat fecit de Præſentatis à Patronis Eccleſiaſticis, ergo non poteſt extendi ad caſum noſtrum, in quo agitur de Præſentato à Patrono Laico, cùm noſtrum non ſit legem, vel Canonem ultra caſum ſuum extendere *argum. l. ſi vero §. De viro ff. ſolut. matrim. Fagnan. in cap. ſi quis de foro compet. n.72.* immo illum excludit ex
1 regula comuniter recepta, quod incluſio unius ſit excluſio alterius; de qua Text. *in l. cum Prætor ff. de judic. cap. nonne bene dicimus de præſumpt. Surd. conſ. 262. num.14. Gob. conſult. dec.48. n.29. Mantic. de tacit. & ambig. lib.5. tit.7. n.27. tom.1.* Neque videri debet extranea, & repugnans hujuſmodi differentia, quam facit idem Concilium inter præſentatum à Patrono Eccleſiaſtico, & præſentatum à Patrono Laico, dum nemini latet in hac
2 materia jurispatronatus Sacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas magìs favere Laicis, quàm Eccleſiaſticis, ut præcipuè habemus in reſervatione inducta ex regula nona Cancellariæ, quæ comprehendit ſolùm Beneficia jurispatronatus Eccleſiaſtici, non autem Laicalis, ut patet, & probat *Gemin. in cap. unic. in fin. de jurepat. in 6. Covarr. practic. quæſt. cap.36. ſub n.5. Gonzal. gloſſ.18. num.13. Rot. dec.574. per tot. par.1. diverſ.*

Inſuper Concilium in hoc *Canone* excipit Præſentatos ab Univerſitatibus, ſeu collegiis generalium ſtudiorum, ibi = *Præſentatis tamen, electis, ſeu nominatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis generalium Studiorum exceptis.* Exceptio hæc videtur ponere in claris, quod Concilium loquitur tantummodò de præſentatis, & nominatis ab Eccleſiaſticis Perſonis; Uni-
3 verſitates enim inter corpora Eccleſiaſtica recenſentur; Unde vidimus quod Innocentius Tertius *in cap. quamvis de Procurat.* Univerſitati Pariſienſi conceſſit poſſe litigare per Procuratorem, non niſi quia juxta leges Gallicas non poterat quis per Procuratorem litigare, niſi gratiam à Rege obtinuiſſet, & Univerſitas Pariſienſis, quæ erat Eccleſiaſtica, noluit hanc gratiam poſtulare à Cancellaria Regis, ſed à Summo Pontifice, ut notavit *Jan. à Coſta in Comment. ad cap. cum Martinus de conſtit.* Poſito autem quod exceptio loquatur de Perſonis Eccleſiaſticis, de Perſonis etiam Eccleſiaſticis regula loqui debebat, cum exceptio juxta vulgata jura debeat eſſe de regula.

4 Et ità in puncto interpretando præſentem *Canonem* docent *Spada conſ.76. n. final. tom.2. Campanill. in diverſ. jur. Canon. rub. 5. cap. 3. n. 6. Maſſobr. in prax. habend. concurſ. reg.10. dub.1. num.2. Garz. de benef. par.9. cap. 5. ſub n.9.* ibi = *ſolùm loquitur in Præſentatis, ſeu electis, vel nominatis à Perſonis Eccleſiaſticis* = *Salgad. de reg. protect. p.3. cap.9. num.186.*, ibi = *Qui Textus loquitur dumtaxat, ut vides in Electis, ſeu Præſentatis, aut nominatis ab Eccleſiaſticis Perſonis ad ſimplicia Beneficia* = *Card. de Luc. in annot. ad Concil. Trident. diſc.11. n.31.*, ibi = *Ad alicujus Univerſitatis, vel corporis, aut reſpectivè Perſonæ Eccleſiaſticę nominationem, vel electionem conferendæ ſint, quorum praxis nimis rara eſt in Italia, frequens autem in Hiſpania, præſertim in Diœceſi Calaguritana, & frequentior in Germania* = Et quòd hæc ſit differentia inter *cap.18. ſeſſ.24. de reform.*, de quo infra *Can. IX.* & hunc *Canonem*, quod illud loquatur de Eccleſiis Parochialibus, ad quas ſive Laici, ſive Eccleſiaſtici præſentent, & quod iſte diſponat de nominatis, ſive electis à Perſonis Eccleſiaſticis ad alia beneficia non curata, adnotavit *Pyringh. ad lib.3. Decretal. tit. 38. de jurepat. ſect.5. §.4. ſub n.132. in fin.*, ibi = *Cæterum ad Epiſcopum etiam pertinet examinare literaturam, mores, & vitam eorum qui præſentantur ad Eccleſias Parochiales à Patronis, ſive Laicis, ſive Eccleſiaſticis per deputatos in Synodo examinatores, alioquin eorum inſtitutio irrita eſt, juxta Concilium Tridentinum ſeſſ.24. cap. 18. de reform., & ſeſſ.7. cap.13. de reform. ſtatuitur, ut præſentati, electi, vel nominati à quibuſvis Eccleſiaſticis Perſonis ad quævis Eccleſiaſtica Beneficia non inſtituantur, nec confirmentur, nec admittantur niſi fuerint prius à Locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: præſentatis tamen, & electis ſeu nominatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum exceptis.*

5 Fortiùs animadvertendo, quod nos ſumus in caſu omiſſo per Concilium Tridentinum, quoniam iſtud in præſenti *Canone* loquitur de præſentatis coram aliis quàm Epiſcopo, ſeu quando inſtitutio ſpe-

ſpectat ad inferiorem; illa namque particula *A* ante verbum *quibuſvis* mendosè legitur appoſita in quam pluribus Codicibus, dum deeſt in codice Bibliothecæ Vaticanæ, ubi ſolùm legitur = *Præſentati, ſeu electi, vel nominati quibuſvis Eccleſiaſticis Perſonis* = Igitur Concilium non comprehendit caſum noſtrum, in quo agitur de Præſentato coram Epiſcopo; ſeu quando inſtitutio ſpectat ad Epiſcopum, non verò ad inferiorem; ut teſtatur, & tuetur *Fagnan. in cap. accepimus de ætat. & qualit. n.31.*, ibi = *Quæſtio hæc diſcutienda eſt juxta terminos juris communis; nam Concilium d. cap.13. loquitur in caſu, quo præſentatio, electio, vel nominatio fit aliis, quàm Epiſcopo; & ſic quando confirmatio, vel inſtitutio ad alium, quam Epiſcopum pertinet, ſecundùm quem ſenſum abundat illa præpoſitio A, quæ ante verbum* quibuſvis, *in aliquibus codicibus mendosè legitur impreſſa, quæ tamen non habetur in codice Bibliothecæ Vaticanæ &c. Nos autem verſamur in caſu, quo Præſentatio, ſeu nominatio fit Epiſcopo, ad quem jus inſtituendi, ſeu confirmandi pertinet, qui caſus à Concilio omittitur.*

6 At his non obſtantibus, cenſeo quemcumque Præſentatum ſive à Patrono Eccleſiaſtico, ſive à Patrono Laico ad beneficia ſimplicia teneri ſe ſubjicere examini proprii Epiſcopi, qui nullum Præſentatum inſtituere debet niſi præcognita illius idoneitate tam circa mores, quàm circa doctrinam, & qualitates à Jure communi, aut ex lege fundationis requiſitas; ita enim præſcriptum fuit ab Innocentio Tertio *in cap. ad hæc de offic. Archidiac.*, ubi Summus Pontifex diſpoſuit neminem eſſe in Beneficiis præficiendum niſi priùs examinetur, ibi = *Ut qui beneficiis Eccleſiaſticis præficiedi fuerint à ſuo priùs examinentur Archidiacono* = Et quidem

7 non ſolùm ob rationem ſuperiùs *in Commentario* perpenſam, videlicet nè præfigatur in beneficiis indignus, vel minus idoneus; verùm etiam quia Beneficia, & Eccleſiæ ſe habent reſpectu Epiſcopi illius Diœceſis, ubi ſunt fundata, ad inſtar Filiarum, adeò ut ſicuti Pater carnalis, quando vult propriæ Filiæ dare Sponſum debet examinare, & recognoſcere qualitatem Sponſi; ità Pater Spiritualis, ſive Epiſcopus antequam inſtituat præſentatum in Beneficio inquirere debet de ejus qualitate; ut optimè conſideravit quidam canoniſta relat. per *Gloſſ. in cap. ſi fortè de elect. & electi poteſt. verb. ſcientiæ*, ibi = *Dicit Jo. ubi nil facere habeo cum homine, præſumere debeo illum dignum: ſed ubi ſibi dare volo filiam meam, ideſt Eccleſiam in Sponſam; debeo inquirere de dignitate Sponſi.*

8 Quam diſpoſitionem dicti Summi Pontificis Canoniſtarum omnium Principis, non ſolùm amplexi ſunt antiqui Canoniſtæ præſertim *Anania in d. cap. ad hæc n.1.*, ibi = *Nec ordinatio, nec beneficiorum collatio debet fieri, niſi præcedat diligens examinatio* = *Butrius n.1.*, ibi = *Item examinatio promovendorum ad beneficia, qui primo examinantur ab ipſis* = Verùm etiam eam ſequuti ſunt prætereos in *Commentario* relatos, quam plurimi alii Doctores, & præcipuè *Abbas conſ.76. num.2. lib.2.*, ibi = *Præſentatio enim perſonalis non requiritur ad alium finem, niſi ut ſuperior, qui habet inſtituere, poſſit illum examinare ad finem approbandi, vel reprobandi* = *Rebuff. in prax. benef. tit. de præſent. & inſtit. n.10.*, ibi = *Non debet Epiſcopus recipere præſentatum ab uno, ſeu altero ante examinationem &c. alioquin damnationem ſibi incurrit, & tenetur Eccleſiæ læſæ damnum ſarcire &c. Sed quidam ex noſtris carnales Epiſcopi Præſentatos ſinè examine recipiunt maximè cum à mulieribus præſentantur, & ad mulierum preces omnes paſſim recipiunt, ſed væ illis cùm rationem reddent* = *Card. Laurea in Epit. Canon. in verb. Beneficiati quoad examen*, ubi eam ampliat etiam ſi adeſſet contraria conſuetudo, ibi = *Ad Beneficia præſentati à quocumque etiam à Legatis Papæ examinandi ſunt ab ordinario de ſufficientia, idoneitate &c. non obſtante conſuetudine contraria etiam ab immemorabili* = *Monacell. formul. legal. 1. tit. 15. n. 22. par.2. Pignatell. conſult.82. num.21. & ſeq. tom.9. Rot. deciſ. 272. n. 3. par. 8. rec. Tondut. quæſt. benef. tom.1. cap.33. n.14.*

9 Non obſtat quod præfatus *Canon* loquatur ſolummodo de præſentatis à Perſonis Eccleſiaſticis; Quoniam etiam per hypotheſim, admiſſa ſententia *Fagnani in cap. accepimus de ætat. & qualit. num.31.* nimirum quod Concilium ibi non comprehendat præſentatum à Patrono Laico co-

coram Epiſcopo, ſed quod iſte caſus omittatur à Concilio; non proindè ſequitur quod præſentatus à Patrono Laico non debeat ſe ſubjicere examini proprii Epiſcopi, quia licèt iſte caſus omittatur à Concilio, ſemper tamen verum eſt quod remaneat ſub diſpoſitione juris communis; juxta quam, ut ſupra vidimus, neceſſarium eſt examen in quocunque præſentato; & tuetur idem *Fagnan. ubi ſupra n.32.*

10 Sed re intrinſecè, & non in cortice verborum perpenſa, revera Concilium comprehendit etiam caſum præſentati à Patrono Laico coram Epiſcopo; Siquidem quamvis in hoc *Canone* loquatur de præſentatis à Perſonis Eccleſiaſticis; tamen non loquitur de his taxativè ad excludendos præſentatos à Patronis Laicis, ſed demonſtrativè ad includendum caſum magìs dubitabilem; Etenim cum Perſonæ Eccleſiaſticæ, maximè Nuncii Sedis Apoſtolicæ ob peritiam, quam habent SS. Canonum, præſumantur præſentare habiles, & idoneos, poterat dubitari an ab eis præſentati eſſent examinandi; & hoc non obſtante noluit Concilium confidere eorum peritiæ, ſed decrevit, ut præſentati ab illis ſubjicerentur examini propriorum ordinariorum, à fortiori igitur dicendum eſt voluiſſe, ut examinentur præſentati à Patronis Laicis, qui facilè ſolent in hac materia errare præſentando minus idoneos, & in quibus non eſt tanta ſcientia SS. Canonum, quanta eſt in perſonis Eccleſiaſti-
11 cis, ut in terminis, quod diſpoſitio exprimens unum caſum non excludat, immo includat alium ſimilem, & ex identitate, aut majoritate rationis annexum dixerunt *Alexand. conſ.75. n.4. verſic. & ibi dicit lib.5. Menoch. conſ.197. n.83. verſic. non obſtat primo. Barboſ. axiom.120. n.12. & 16. Rot. deciſ. 2007. n.16. cor. Coccin.*

12 Quod clarius declaravit idem met Concilium *in cap.9. ſeſſ.25. de reform.*, de quo infra *Can. XII.*, ubi examini ordinariorum ſubjecit quoſcunque Præſentatos ad beneficia ſimplicia, nulla facta diſtinctioni inter præſentatos à Patronis Eccleſiaſticis, & præſentatos à Patronis Laicis; dando facultatem Epiſcopis repellendi præſentatos à Patronis, ſi idonei reperti non fuerint, ibi = *Ad hæc liceat Epiſcopo præſentatos à Patronis, ſi idonei non fuerint, repellere* = quod fieri non poſſet, niſi Epiſcopus examinaret præſentatos à quibuſcunque Patronis; cùm abſque examine reperiri, & recognoſci non poteſt habilitas, vel inhabilitas præſentati.

13 Quin urgeat reſponſio, quod Concilium in dicto *cap. 9.* relativè ſe habeat ad ea, quæ præcedenter ſtatuerat ibi = *juxta alias ſtatuta ab hac S. Synodo examinentur* = Bis autem in præcedentibus idem Concilium de examine diſpoſuerat, primo videlicet in *cap. 13. ſeſſ. 7. de reform.*, & ſecundo in *cap. 18. ſeſſ. 24. de reform.* Hinc ergo fit, quod quando Concilium in *cap. 9.* ſe refert in hac materia examinis ad præcedentia ſtatuta, talis relatio, quo ad beneficia ſimplicia erat directa, ad *cap. 13.*, & quo ad Parochiales ad *cap. 18.*, ut in puncto firmat *Rota dec. 10. num.2. par. 2. diverſ.* ibi = *Quantum verò ad cap. 9. nec illud obſtat quia licèt loquatur generaliter de omnibus beneficiis Jurispatronatus, quatenus refert ſe ad alia ſtatuta, relatio, quo ad beneficia de Jurepatronatus Curata, debet fieri ad cap.18., quo verò ad beneficia patronata ſimplicia fieri debet ad cap.13. ſeſſ. 7. de reform.* = Unde cùm in *cap. 13.* Concilium ſolùm loquatur de Præſentatis ad beneficia ſimplicia à Perſonis Eccleſiaſticis, & in *cap. 18.* loquatur de Præſentatis ad beneficia Curata; ſequitur, quod etiam in dicto *cap. 9.* comprehendat hujuſmodi Præſentatos; non verò Præſentatos à Patronis Laicis.

14 Hujuſmodi namque intelligentia eſt omnino inſubſiſtens; etenim Concilium in dicto *cap. 9.* quando loquitur de Præſentatis coram Epiſcopo à Patronis in genere, nullam relationem facit ad præcedenter ſtatuta; ſed abſolutè dicit, quod liceat *Epiſcopo, Præſentatos à Patronis, ſi idonei non fuerint, repellere*; & conſequenter abſolutè de novo ibi decernit examen horum Præſentatorum; & ſolùm relativè ſe habet ad præcedenter ſtatuta, quando mentionem facit de Præſentatis coram Inferiore; ſeu quando inſtitutio ſpectat ad Inferiorem ibi = *Quod ſi ad Inferiores Inſtititio pertineat, ab Epiſcopo tamen, juxta aliàs ſtatuta ab hac S. Synodo examinentur.*

15 Denique ſubſiſtere non videtur, quod aſſeritur à *Fagnano* ubi ſupra in contrarium

rium relato §. *Fortius*, quod Concilium in hoc *Canone* loquatur in caſu, quo præſentatio, aut nominatio fit aliis, quam Epiſcopo, ex eo, quod in nonnullis codicibus deſit particula *A*; quaſi quod hæc verba *quibuſvis Eccleſiaſticis Perſonis* ſint in caſu dativo, non in ablativo. Tum quia in omnibus ferè codicibus Concilii adeſt illa particula *A*; tum quia illi, in quibus deeſt, ſunt mendoſi; quod evidenter dignoſcitur, ex quo in poſtrema parte hujus canonis ſubduntur, hæc alia verba = *Præſentatis tamen electis, ſeu nominatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum exceptis*. = Notanda eſt quippe illa particula *Ab*; cujus vigore ſequitur, quod in prima parte hujus *Canonis*, in qua dicitur *Præſentati, ſeu electi, vel nominati à quibuſvis Eccleſiaſticis Perſonis, etiam & Sedis Apoſtolicæ Nuntiis*, nunquam poſſint ſtare hæc verba in dativo, ſed in ablativo, etiam ſi per impoſſibile legerentur ſinè particula *A*. Et ita definitum fuit à S. Rota in ſequenti deciſione.

R. P. D. MOLINES DECANO

Friſingen. Decanatus.

Mercurii 27. *Junii* 1708.

CUm Martinus Conſtante præſentatus à Sereniſſimo Duce Bavariæ ad Decanatum Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Monachii, Curam Animarum annexam habentem, reportaſſet à Capitulo inſtitutionem ſinè præcedenti examine, & approbatione Celſiſſimi, & Reverendiſſimi D. Epiſcopi, & Principis Friſingen. ſui Ordinarii, is poſt paternas reiteratas monitiones, illi factas, ut eidem examini ſe ſubjiceret, eum ſemper renuentem vocavit in Judicium coram A. C. mediante Monitorio ſuper obſervatione, & executione *cap.* 9. *ſeſſ.* 25. *de Reformat.* Sac. Concilii Tridentini, & Bullæ ſa. me. Gregorii XIII. *la* 18. in ordine, & ſententiam per contradictas obtinuit, & in ejus ſequelam litteras in forma expedivit.

Habuit adverſùs hoc Judicatum Martinus recurſum ad Sanctiſſimum, eidem exponendo, quod juſtis detentus impedimentis coram A. C. comparere, ſuaque Jura deducere non valuerit: Qua de re petiit, & obtinuit, cauſam huic Sac. Tribunali ex integro delegari, & bo. me. R. P. D. Muto committi. In cujus locum ego ſubrogatus dedi dubium = *An præſentatus ad Decanatum Eccleſiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ Monachii teneatur ſe ſubjicere examini Reverendiſſimi D. Epiſcopi, & ab eo recipere approbationem in caſu* = quod hodie diſputatum fuit affirmativè reſolutum.

16 Clara quippe, & rotunda eſt diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini in *cap.* 13. *ſeſſ.* 7. *de reform.* præcipiens, quod Præſentati, ſeu electi, vel nominati ad quævis Eccleſiaſtica Beneficia non confirmentur, vel admittantur etiam prætextu cujuslibet Privilegii, & conſuetudinis etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati; Proindeque cùm Ordinarius Martini ſit Reverendiſſimus Epiſcopus, & Princeps Friſingen., palam eſt, quod ante inſtitutionem ad prædictam dignitatem Decanalem oportebat illius examini ſe ſubjicere, & approbationem recipere, ut inhærendo dicto Sacri Concilii decreto, & Sacrorum Canonum cenſuræ tradunt *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 1., 2., & 3., & *quæſt.* 25. *num.* 52., & *quæſt.* 33. *num.* 69., *Barboſ. de offic.*, & *poteſt. Epiſcop. allegat.* 72. *num* 176. *ubi alii concordantes*.

17 Et eo magìs præcedere debebat dictum examen, quia Decanatus hujus Collegiatæ habet annexam Curam Animarum totius Cleri ejuſdem Eccleſiæ Collegiatæ ex præſcripto illius fundationis factæ à ſa. me. Alexandro VI. datæ in *Summario num.* 1. Reverendiſſimi Epiſcopi; In Beneficiis autem Curatis alio Sac. Concilio Tridentini decreto in *dicto cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de Reformat.*, & *ſpeciali Conſtitut.* 33. *ſa. me. Pii V.* requiritur ſolemne, & rigoroſum examen, & quidem pro forma; adeòut nec per Ordinarium remitti valeat, & ubi ſinè illo ſequeretur inſtitutio, ea nullius efficaciæ, & valoris dijudicatur, perindè, ac ſi facta non eſſet, ex pluribus, quos referunt, & ſequuntur *Garz. de benef. par.* 9. *cap.* 2. *nu.* 19. *Adden. ad Gregor. deciſ.* 34. *nu.* 5., *Barboſ. de offic.*, & *poteſt. Epiſcop. allegat.* 72. *nu.* 120.

Quæ quidem Conciliaris diſpoſitio locum obtinet etiamſi Beneficium Curatum eſſet

18 eſſet de Jurepatronatus laicali, qualis eſt controverſus Decanatus, ut literaliter ſtatuitur in *dicto cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de reform.* ex verbis ibi = *Quod ſi Juriſpatronatus laicorum fuerit, debeat qui à Patrono præſentatus erit ab eiſdem deputatis, ut ſupra, examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit admitti* = & comprobant *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 6. *à num.* 34. *ad* 47. *Rota coram Priol. deciſ.* 2. *num.* 9. Prout etiam militat eadem Conciliaris cenſura, tametſi inſtitutio Beneficii Curati non ſpectaret ad Ordinarium, ſed ad Collatorem inferiorem, quia adhuc iſte inſtituere nequit ad ipſum Præſentatum ſinè præcedenti examine, & approbatione Epiſcopi, ut ſubdit decretum in *dicto cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* ibi = *Cùm verò Inſtitutio ab alio, quàm Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem Inſtitutio ſpectat*; Id quod etiam præcipitur in Conſtitutione Gregorii XV. *la* 18., & tradunt *Garz. de re benef. quæſt.* 9. *cap.* 3. *à nu.* 5., *Lotter. eodem tract. lib.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 33. *Rot. cor. Ludov. deciſ.* 34. *nu.* 7.

Nec probabile viſum fuit aſs. Privile-
19 gium Pontificium à Martino (ut ajebant defenſores Epiſcopi) vociferatum, quod ſcilicet Præſentati ad Beneficia Patronalia Sereniſſimæ Domus Bavariæ ſint exempti ab onere, & ſervitute examinis Epiſcoporum. Donec enim ſub oculis non ſubjicietur hujuſmodi aſs. prærogativa, inhærendum eſt decreto Sacri Concilii Tridentini *in dicta ſeſſion.* 7. *de reformat. cap.* 13., in quo, ut præfertur nominati ad beneficia quæcunque ſubjiciuntur examini Ordinarii, non obſtantibus quibuſcunque Privilegiis; Sicque aſs. Privilegium Domus Bavaricæ, quatenus adeſſet, ut efficax ſit, continere deberet expreſſam derogationem huic Sac. Concilii Tridentini diſpoſitioni, alterique loquenti de Beneficiis Curatis *in cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de reform.* Quibus Papæ non ſolent derogare, & potiſſimè quoad Beneficia Curata, cùm in Privilegiis exemptionum conceſſis Regularibus, aliiſque Communitatibus Eccleſiaſticis Cura Animarum, illiuſque adminiſtratio nunquam ab Epiſcopis ablatæ fuerint, ut latè firmatum fuit *in una Firmana Juriſdictionis* 3. *Martii* 1703. *per totam coram Me*.

20 Poſtremò nec Martinus declinare valet controverſum examen ſub obtentu, quod ſit notoriè capax dictæ dignitatis utpotè licentiatus in Sacra Theologia, & alia vice ab Ordinario Friſingen. approbatus ad Curam Animarum; Quia notoria idoneitas non eximit Promotum ad Curam Animarum à ſpeciali examine, quoties iſtud requiritur pro forma, nec examen expletum pro una Cura ſufficit pro altera, ut teſtantes de communi tradunt *Gonzalez ad regulam* 8. *Cancellariæ gloſſ.* 4. *num.* 101., *Garz. de Benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 103., *Ricc. in prax. for. Eccleſiaſt. deciſ.* 414. *par.* 8. *nu.* 37., *Vivian. de Jurepat. lib.* 13. *cap.* 8. *nu.* 14., *Adden. ad Buratt. deciſ.* 34. *nu.* 50.

Et ita unica &c.

ARGUMENTUM.

An examen Præſentati ad beneficium ſimplex requiratur pro forma, ita ut ſi Præſentatus inſtituatur abſque examine, Inſtitutio ſit nulla.

SUMMARIUM.

1 *Verbum* Examinentur, *de ſui natura inducit formam.*
2 *Formæ defectus vitiat actum.*
3 *Examen Præſentati ad beneficium ſimplex coram Epiſcopo non requiritur pro forma.*
4 *Præſentatus ad beneficium ſimplex coram Epiſcopo ſi ſit notoriè idoneus poteſt validè inſtitui abſque novo examine.*
5 *Examen, quando eſt de forma, non poteſt omitti, etiam ſi ageretur de notoriè idoneo.*
6 *In Præſentatis ad Parochiales; vel coram aliis, quam Epiſcopo, ſeu quando inſtitutio ſpectat ad Inferiorem, examen requiritur pro forma.*
7 *Cappellanus non tenetur ad applicationem Miſſæ, quando celebratio fuit demandata ſolùm pro commodo, & ſatisfactione certarum Perſonarum.*

CA-

CASUS II.

AGnoſcens quidam pius Teſtator homines cujuſdam Terræ tum ob penuriam Sacerdotum, tum ob difficultatem accedendi ad Eccleſiam Parochialem tempore hyberno, multoties, & præſertim diebus feſtivis Sacrificio Miſſæ carere; pietate motus fundavit auctoritate Ordinarii in dicta Terra Cappellaniam, ſeu Beneficium ſimplex; onere injuncto Cappellano celebrandi quotidie Miſſam pro eorundem hominum devotione, & commoditate. Vacata hujuſmodi Cappellania, fuit ad illam Præſentatus, quidam Sacerdos idoneus, & notus Epiſcopo, qui illum inſtituit abſque ullo prævio examine; ac ei injunxit etiam onus applicandi Miſſam pro anima Fundatoris, acriter renuente, & contradicente eodem Sacerdote; Quæritur proinde

Primo; *An hujuſmodi inſtitutio facta ab Epiſcopo abſque ullo examine Præſentati ſuſtineatur?*

Secundo; *An præfatus Cappellanus teneatur non ſolùm ad celebrationem, ſed etiam ad applicationem Miſſæ pro anima Fundatoris?*

Quo ad primum dicendum videtur ſuſtineri non poſſe in hoc caſu Inſtitutionem factam ab Epiſcopo abſque ullo examine Præſentati; quoniam examen tum quo ad mores, tum quo ad literaturam, & alias qualitates de jure communi, vel ex lege fundationis neceſſarias pro conſecutione beneficii, antequam Præſentatus inſtituatur requiri videtur pro forma à Concilio Tridentino, non ſolùm in hoc *Canone*, ſed expreſſiùs *in cap. 9. ſeſſ.* 25., de quo infra *Can. XII.*, dum Concilium ibi mandat Præſentatum examinari ab Epiſcopo per
1 verbum illud imperativum = *Examinentur* = quod de ſui natura inducit formam ſub pœna nullitatis actus, & non ſufficit, quod aliàs fuerit examinatus, & approbatus ab alio Ordinario, juxta *Maſſobr. in prax. haben. concurſ. requiſit.* 10. *dub.* 1. *num.* 1., *& ſeqq.* ibi = *Dubitatur primo an examen requiratur in ſimplicibus beneficiis, breviter concludamus diſtinguendo, quòd ſi beneficium eſt collativum, ſive liberæ collationis, tunc ſive collatio ſpectet ad Epiſcopum, ſive etiam ad Inferiorem examen non eſſe neceſſarium &c. Si verò ſit Jurispatronatus, ſive neceſſariæ inſtitutionis &c. tunc adeò neceſſarium eſt examen, ut ſi omittatur Inſtitutio propterea ſit penitus nulla* = *Barboſ. ad Concil. ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *num.* 75. *Vivian. de Jurepat. lib.* 6. *cap.* 5. *nu.* 129. *Pignatell. conſult.* 82. *num.* 22. *tom.* 9. ob quam rationem Præſentatum tenetur ſe perſonaliter exhibere intrà quadrimeſtre, aut ſemeſtre coram Epiſcopo, cùm examen ſit perſonale, & fieri non poſſit per Procuratorem, ut teſtatur *Barboſ. de offic., & poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 72. *num.* 117. ibi = *Melior ergo ratio eſt, quia Præſentati debent ab Ordinario examinari an ſint idonei, tam in Parochialibus, & Curatis, quàm in ſimplicibus ex Trident. ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 13., *quod examen cùm perſonale ſit, & per Procuratorem fieri non poſſit, neceſſariò ſequitur Præſentatos teneri ſe Epiſcopis perſonaliter exhibere* = *Monacell. formul. legal.* 1. *tit.* 15. *num.* 22. *par.* 2. Ac proinde non ſervata hac forma, ſeu inſtituto præſentato ad beneficium ſimplex abſque examine, inſtitutio erit nulla; cùm formæ
2 defectus vitiet actum ad *Text. in cap. Cum dilecta de reſcript. ibique Felin. nu.* 6., *Bellett. diſquiſit. Cleric. par.* 1. §. 4. *num.* 44.

3 Sed his minimè attentis, contrarium cenſeo de Jure procedere? Etenim Concilium Tridentinum licèt in hoc *Canone* exigat examen in Præſentatis ad beneficia ſimplicia à quibuſcunque Patronis coram Epiſcopo, ſeu quando Inſtitutio etiam ſpectat ad Epiſcopum, tamen illud non exigit pro forma, adeò ut ſi omittatur ab Epiſcopo, Inſtitutio ſit nulla, dum ibi non appoſuit Decretum irritans, & clauſula annullativa prout requiritur ad effectum, ut examen dicatur de forma juxta doctrinam *Maſſobr. in prax. haben. concurſ. requiſit.* 5. *dub.* 15. *num.* 3., *& ſeqq.* ibi = *Concludamus quod examen tunc requiratur de forma, quando appoſitum eſt Decretum irritans, ſive clauſula annullativa &c. nam Decretum irritans, & clauſula annullativa inducit formam* = *Bellett. diſquiſit. Clerical. par.* 1. §. 4. *num.* 41.

4 Et quidem quod examen in hoc Canone non requiratur de forma, eſt ferè omnium Doctorum ſententia, docent enim iſti, quod Præſentatus coram Epiſcopo ad beneficium ſimplex ſi ſit notoriè dignus, vel aliàs approbatus validè inſtitui poſſit

poſſit ab Epiſcopo ſinè examine, & quòd non ſit de novo examinandus, ut tradunt *Fagnan. in cap. Accepimus de ætat., & qualitat. num.* 31., *Bellett. diſquiſit. Clerical. par.* 1. §. 4. *num.* 43., *Monacell. formul. legal.* 1. *tit.* 115. *nu.* 22. *par.* 2., *Barboſ. de offic., & poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 72. *num.* 118. *R.P.D. Anſald. deciſ.* 70. *num.*6. *tom.* 1. Si igitur Præſentatus coram Epiſcopo notoriè idoneus, vel aliàs approbatus instituí poteſt abſque novo examine, ſequitur quòd idem examen in Præſentatis ad beneficia ſimplicia coram Epiſcopo non ſit de forma, dum ſi eſſet de forma, non poſſet omitti, etiam ſi ageretur de notoriè idoneo, juxta *Garz. de benef. par.* 9. *cap.* 3. *num.* 10. ibi ≔ *Unde cùm dicta examinatio, & approbatio requiratur pro forma, non poterit omitti, quantumvis Præſentatus ſit notoriè idoneus* ≔ Et patet in Parochialibus, in quibus, quia examen eſt de forma, omitti non poteſt, etiam ſi Providendus ſit notoriè dignus. *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæſt.*31. *nu.*134., *Nicol. reſol. can. lib.* 3. *tit.* 5. *num.*17.

6 Hinc non obſtant quæ ſuperiùs in contrarium objiciebantur, procedunt namque in Præſentatis ad Parochiales, vel in Præſentatis coram aliis, quàm Epiſcopo; ſeu quando institutio ſpectat ad Inferiorem; in his quippe examen requiritur pro forma, cum Concilium *in cap.* 18. *ſeſſ.* 24., *& cap.* 9. *ſeſſ.* 25. mandet eos examinari, ſub pœna nullitatis actus; ut de Præſentatis coram Inferiore præter auctoritates exadversò allatæ docent *Garz. de benef. par.* 9. *cap.* 3. *nu.* 5. ibi ≔ *Et ſi Institutio ad Inferiores Epiſcopo pertineat, Præſentati debent priùs ab Epiſcopo examinari, & approbari, aliàs institutio ab Inferioribus facta erit nulla* ≔ *Pax Jordan lucubrat. lib.* 10. *tit.* 9. *num.* 26. ibi ≔ *Imò ſi ad Inferiorem pertineat Institutio, examen erit de forma, & omnino neceſſarium, in ſumma igitur quando Præſentatio pertinet ad Perſonas Eccleſiaſticas, vel mixtim ad ipſas, & ad ſæculares. Item quando Institutio ſpectat ad Inferiores Epiſcopo non ſolùm in Patronatu Eccleſiaſtico, vel mixto, ſed etiam in Laicali requiritur pro forma examen Ordinarii aliàs collatio redditur nulla* ≔ Non verò procedunt in Præſentatis ad beneficia ſimplicia coram Ordinario, utì eſt caſus noſter, dum in his, ut vidimus non requiritur à Concilio in hoc *Canone* examen pro forma; ſed ſi ſint notoriè idonei, validè instituí poſſunt ab Ordinario, abſque alio examine.

Deſcendendo autem ad ſecundum dubium, facit pro applicatione, quod Miſſa ſit applicanda pro Fundatore, licèt ipſe applicationem non expreſſerit juxta auctoritates, & reſolutiones Sac. Congregationis Concilii ſuperiùs relatas *Par. II. Can. XXVII. Caſ. XIII. num.* 1.

7 Contrarium tamen in hoc caſu verius exiſtimo; ex verbis namque Fundatoris clarè apparet ipſum demandaſſe Miſſæ celebrationem pro devotione, & commoditate hominum cujuſdam Terræ, ex quo ſequitur præſcripta celebratio, non verò applicatio, ut in terminis fundationis Cappellaniæ cum onere quotidianæ celebrationis quadam hora determinata, *acciò molti occupati da' negozj poſſino andare a ſentirla, ed in ſpecie li ſcolari, quando eſcono dalla ſcuola*: reſpondit S. Congregatio Concilii in *Collen. applicationis Sacrificii* 17. *Decembris* 1679. *lib.* 40. *Decret. fol.*4., Et in terminis Cappellaniæ erectæ cum onere perpetuæ celebrationis Miſſæ, *all'ora, che dalla Dama Superiora del Monaſtero di S. Orſola gli ſarà preſcritta, e deſignata per il commodo delle ſue Monache*: reſpondit eadem S. Congregatio in *Tricaſtinen. applicationis Sacrificii* 8. *Auguſti* 1711. *lib.*61. *Decret. fol.*332, & 358., & denique in terminis Cappellaniæ fundatæ cum onere celebrationis Miſſæ pro ſatisfactione, & commodo Monialium cujuſdam Monaſterii; noviſſimè reſolutum fuit ab eadem S. Congregatione *in Mantuana Applicationis Sacrificii* 19. *Novembris* 1718. Et licèt quando demandatur celebratio Miſſæ regulariter intelligatur cum applicatione, hoc tamen limitatur, quando aliter conſtat de mente Fundatoris; ut dixi dicta *Part. II. ubi ſupra*.

C A N O N II.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XIV. Cap. XII.

NEmo etiam cujuſvis Dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſecularis, quacumque ratione, niſi Eccleſiam, Beneficium, aut Capellam, de novo fundaverit, & conſtruxerit, ſeu jam erectam, quæ tamen ſinè ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, Juſpatronatus impetrare, aut obtinere poſſit, aut debeat. In caſu autem fundationis, aut dotationis, hujuſmodi Inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſervetur.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima -- JUSPATRONATUS ACQUIRI NON POTEST, NEC DEBET NISI EX FUNDATIONE, CONSTRUCTIONE, AUT DOTATIONE ECCLESIÆ, SIVE BENEFICII DE PROPRIIS BONIS FUNDATORIS.

Secunda -- IN LIMINE FUNDATIONIS, SEU DOTATIONIS, INSTITUTIO RESERVARI DEBET EPISCOPO, ET NON ALTERI INFERIORI.

1 Confirmat hìc Concilium, quod ſtatutum fuit *in Can. I.*, *II.*, *III.*, *&* *IV.*, quos ſuperiùs *Part. I.* expoſuimus, & *in Can. XXVIII.*, de quo diximus *Part. II.*, & ſolùm ſuperaddit, quod in futurum acquiri non poſſit Juſpatronatus, niſi ex tribus illis cauſis Fundationis, Conſtructionis, & Dotationis; & quod à Fundatoribus reſervari non debeat in limine fundationis, conſtructionis, aut dotationis Jus inſtituendi alteri, quàm Epiſcopo; Agnoſcentes enim ſapientiſſimi illi Patres, quantùm ſit præjudiciale Juribus Epiſcopi, quòd Laici, & etiam Eccleſiaſtici acquirant Juſpatronatus Eccleſiarum, & Beneficiorum in propriis Diœceſibus exiſtentium ex Privilegio, aut ex alio titulo merè gratuito, & quòd Jus inſtituendi reſervetur à Fundatoribus; aliis, quàm Epiſcopis; ad conſulendum horum indemnitati, optima ratione reſtrinxerunt originem acquirendi Juſpatronatus in futurum ad ſolas ſupradictas tres cauſas, & prohibuerunt Patronis de cætero reſervare Jus inſtituendi alteri, quàm Epiſcopo. Quam Conciliarem diſpoſitionem ſequuti ſunt *Monach. in cap. unic. de Major.*, *&* *obed. in 6. num.* 4. ibi = *Beneficiorum Inſtitutio de jure ſpectat ad Diœceſanum, quod non valet infringi per ſtatutum, aut voluntatem Teſtatoris, etiam ſi in Fundatione hoc caveretur* = *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 8. *nu.* 3., *Barboſ. hìc nu.* 2., *&* 18., *&* *de offic.*, *&* *poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 72. *nu.* 176., *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 56., *&* *cap.* 5. *nu.* 45., *&* 65., *Ventrigl. in prax. tom.* 2. *annot.* 1. §. 1. *nu.* 13., *&* §. 3. *nu.* 39., *&* *ſeqq.*

Quod attinet ad Primam Concluſionem jam multos examinavi Caſus *Par. I.* ubi ſupra, quos ibi legere poteris, hìc addo ſequentes, ad utramque Concluſionem ſpectantes.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Habens jus nominandi Puellas dotandas, ſi ex bonis à Teſtatore pro earumdem Puellarum dote relictis fundetur, & conſtruatur Eccleſia, an loco juris nominandi Puellas acquirat jus nominandi Rectorem ejuſdem Eccleſiæ.

SUMMARIUM.

1 *Conſenſus Epiſcopi eſt cauſa efficiens Juriſpatronatus.*
2 *Ultimus ſtatus in beneficialibus attenditur.* Limita ut n.*6.*
3 *Habens jus nominandi Puellas non acquirit juſpatronatus Eccleſiæ; ſi hæc fundetur, aut conſtruatur de bonis à Teſtatore relictis pro dote dictarum Puellarum*, & num.8.
4 *Conſtruens, aut dotans Eccleſiam de propriis bonis, & expenſis; ſi de his ab aliquo reintegratur; Reintegrans, & non ipſe acquirit juſpatronatus.*
5 *Conſenſus Epiſcopi nequit facere Patronum eum, qui non fuit fundator, conſtructor, aut dotator Eccleſiæ*, Et quare? Vide ibi.
7 *Epiſcopus inſtituens in Eccleſia libera Rectorem ad præſentationem alicujus, ſibi ipſi, & non ſucceſſori præjudicat.*

CASUS I.

IN ultimo, quo deceſſit elogio, quidam pius Teſtator hæredem ſuum nominavit proprium filium, cui præ cæteris piis legatis injunxit, quod annuatim quinque dotalia ſubſidia ſcutorum quinquaginta pro qualibet diſtribueret totidem Puellis ab ipſo nominandis; Commutatum, ac applicatum fuit auctoritate Apoſtolica ad preces hæredis hujuſmodi legatum in erectionem Eccleſiæ; & in limine hujus fundationis fuit ab Epiſcopo tunc temporis reſervatum juſpatronatus favore ejuſdem hæredis; qui in ſucceſſivis vacationibus Eccleſiæ præſentavit ad illam Rectorem cum ſubſequuto effectu, vacata nuper eadem Eccleſia; modernus Epiſcopus prætendit eam non eſſe ſubjectam Juripatronatus, & ad ſe liberè ſpectare quæro proindè an hujuſmodi Eccleſia ſit Patronalis, vel potiùs liberæ collationis.

Suadet qualitatem Patronalem hujus Eccleſiæ reſervatio Juriſpatronatus facta ab Epiſcopo in limine fundationis favore præfati hæredis, titulo quidem non merè gratuito, ſed quodamodo oneroſo, dum Eccleſia fuit fundata, conſtructa, & dotata de bonis, ad quæ hæres ex diſpoſitione Teſtatoris habebat jus nominandi Puellas dotandas, undè juſtum erat, quod Epiſcopus, loco juris nominandi has Puellas, reſervaret hæredi jus præſentandi Rectorem Eccleſiæ, quæ reſervatio, conſen-
1 ſus, & approbatio Epiſcopi, cum ſit cauſa efficiens juriſpatronatus, nulli dubium eſſe poteſt quin reddat Eccleſiam Patronalem, juxta *Rot. in Vaden. Canonicatus* 30. *Junii* 1704. §. *Enim verò cor. Rmo Molines, & in Lucana Beneficii* 26. *Junii* 1709. §. *Inſuper cor. R.P.D. Falconerio*: & alias Auctoritates ſupra relatas. *Part. II. Can. I. & II. Caſ.* 7. *n.* 10.

2 In idem collimat ultimus Status hujus Eccleſiæ, ſiquidem hæc in ultima vacatione fuit ab Ordinario proviſa non liberè, ſed ad præſentationem ſupradicti hæredis cum ſubſecuto effectu, qui ſtatus clarè demonſtrat Eccleſiam eſſe juriſpatronatus, non verò liberæ collationis, dùm ſi fuiſſet liberæ collationis; ordinarius, qui non ſolet eſſe facilis in declarandis, ſeu contra proprium commodum canonizandis juribus laicorum, non inſtituiſſet ibi Rectorem ad ullius præſentationem ad tradita per *Felin. in cap. Eam te num. fin. de reſcript. Federic. de ſen. conſ.* 434. *lib.* 2. *Mareſcott. var. reſol. lib.* 1. *cap.* 55. *num.* 15. *& ſeq. Rot. in Caputaquen. Cappellaniæ* 27. *Junii* 1718. §. *Fundationis coram R.P.D. de Herrera*, & alias auctoritates, quas refert, & ſequitur *Rot. in Mediolanen. Beneficii primo Aprilis* 1707. *coram R.P.D. Anſaldo impreſſ. Par.* 2. *Can.* 22. 23. *&* 24. *Caſ.* 4. *n.* 10.

3 His tamen non attentis exiſtimo Eccleſiam hanc eſſe liberæ collationis; Hæres namque præfatus nihil de proprio contribuit pro fundatione, & conſtructione ejuſdem Eccleſiæ, ſed ipſa fuit fundata, conſtructa, ac dotata de bonis à ſupradicto Teſtatore relictis ad effectum dotandi nonnullas Puellas, & auctoritate Apo-

Apoſtolica commutatis in erectionem Eccleſiæ; & licet hæres ratione hujuſmodi commutationis, & erectionis amiſerit jus nominandi annuatim dictas Puellas dotandas, tamen hoc jus non eſt conſiderabile ad acquirendum jus patronatus Eccleſiæ, ad quem effectum requiritur fundatio, conſtructio, vel dotatio Eccleſiæ de propriis bonis,& expenſis, ut apertis verbis diſpoſitum fuit in hoc *Canone*, qui originem acquirendi juſpatronatus unicè reduxit ad has tres cauſas, & optimè explicant, & firmant *Corradin.in prax. benef.lib.*2. *cap.* 15. *num.*19. *Rot. dec.*383. *n.*4. *&* 403. *n.*5. *&* 413. *num.*4. *cum ſeqq. coram Peutinger.* Et quidem requiritur
4 fundatio, conſtructio, vel dotatio de propriis bonis, & expenſis, pro quibus fundans, conſtruens, aut dotans aliundè non reintegretur; nam ſi quis una cum altera Perſona expenderet de proprio plures pecunias pro conſtructione Eccleſiæ, & deindè à dicta perſona reintegraretur de expenſis, ſeu ei reſtituerentur pecuniæ expenſæ; hæc altera perſona, quæ ex propriis bonis reintegravit conſocium de expenſis, & non ille eſſet Patronus, & acquireret juspatronatus, quia ipſe in hoc caſu diceretur nihil de proprio contribuiſſe, ut in ſpecie reſolutum fuit à S. Rota *in Bituntina juriſpatronatus* 28. *Novembris* 1704. §. *Sed etiam coram bo. me. Eminentiſſimo Caprara*, ibi = *Sed etiam ex eo, quod cum Franciſcus alter ex fratribus dicti Fundatoris expendiſſet de proprio plures pecunias in conſtructione Monaſterii, idem Fundator ei reliquit in dicto ſuo Teſtamento medietatem cujuſdam prædii ſub ea lege, & conditione, quod ipſe Franciſcus nullo modo petere poſſet, omnes, & ſingulas pecunias per ipſum expenditas in conſtructione, & reparatione Monaſterii &c.*, *& cum in actu ſic diſponendi fuerit præſens idem Franciſcus, qui ſe contentum declaravit, &c. utique bene colligitur Antonium unicè fundaſſe Monaſterium, & Franciſcum nihil de proprio contribuiſſe* =.

Abſque eo quod quicquam officiat conſenſus, & reſervatio juriſpatronatus, facta ab Epiſcopo favore hæredis in limine fundationis Eccleſiæ: talis namque
5 conſenſus, & reſervatio non poteſt facere Patronum ex Privilegio aliquem, qui non fuerit conſtructor, fundator, vel dotator Eccleſiæ ex ſupradictis bonis erectæ, quoniam nequit Epiſcopus rei Sacræ ſervitutem imponere ſinè legitima cauſa in præjudicium Eccleſiæ, ſuorumque ſucceſſorum, ac etiam S. Sedis Apoſtolicæ, quæ per dictum juspatronatus privaretur ſuo jure conferendi dictam Eccleſiam in menſibus reſervatis. *Vivian. de jurepat. lib.*1. *cap.*2. *n.*45.

6 Minuſque meretur attendi ultimus ſtatus, quia iſte utpote promanans à dicta reſervatione juriſpatronatus nulliter facta ab Epiſcopo, & ſic à titulo infecto, nullius eſt roboris, & inſtitutio Rectoris facta ab Epiſcopo in hac Eccleſia; ad præſentationem præfati Hæredis inefficax eſt pro canonizanda qualitate patronali; quia cùm agatur de judicanda qualitate, ſeu natura beneficii, attendendum non eſt quid per ordinarium ſinè cauſæ cognitione recenter actum fuit, ut optimè animadvertit *Rota in Caputaquen. Cappellaniæ* 27. *Junii* 1718. §. *final. cor. R. P. D. de Herrera*; Et ipſa inſtitutio, quamvis
7 præjudicet ipſi Ordinario inſtituenti, nullum tamen damnum gignere valet ſucceſſori, qui prætendit Eccleſiam non eſſe ſervam, ſed liberæ collationis. *Rot. in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis* 1707. §. *Eoque certius, &* §. *Tertius, cor. R.P.D. Anſaldo dicta Part.*2. *ubi ſupra impreſſ.*

8 Et ità reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Syracuſana Collegiatæ*, ubi cum ab Epiſcopo prævia reſervatione Beneplaciti Apoſtolici fuiſſet erecta Collegiata quatuor dignitatum, & duodecim Canonicorum de bonis à quodam pio Teſtatore relictis ad effectum dotandi annuatim nonnullas Puellas, nominandas à Confraternitate, nuncupat. *S. Maria la Nova*, cum reſervatione juriſpatronatus favore ejuſdem Confraternitatis, loco juris nominandi dictas Puellas ſupplicatum fuit pro confirmatione, aut nova erectione hujuſmodi Collegiatæ; propoſito proindè dubio = *An ſit locus confirmationi erectionis Collegiatæ, & quomodo in caſu &c.* reſponſum fuit die 18. *Feb.*1713. = *Negativè, ſed eſſe concedendam novam erectionem juxta modum, & ad mentem* =.

Quæ reſolutio confirmata etiam fuit in omnibus *die* 13. *Aprilis* 1715.

AR-

ARGUMENTUM.

Fundator in limine fundationis Beneficii an poſſit reſervare jus inſtituendi inferiori habenti juriſdictionem ordinariam.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur Doctores tuentes poſſe in limine fundationis Beneficii reſervari Inſtitutionem inferioribus.*

2 *Inſtitutio, non obſtante, quod ſit reſervata inferiori, adhuc ſpectat ad Epiſcopum.*

3 *Epiſcopus non poteſt diſpenſare in Canone Concilii Generalis.*

4 *Jus inſtituendi conſiderari poteſt reſervatum inferiori pluribus modis; & qui ſint iſti modi*; Vide ibi.

5 *Concilium non prohibet, nec tollit jus inſtituendi reſervatum inferioribus in fundationibus præteritis ſecutis ante Concilium.*

6 *Probibet tamen reſervari inſtitutionem ſimplici inferiori in futuris fundationibus de conſenſu Epiſcopi; ſecus de conſenſu, & beneplacito Apoſtolico*; ut n.7.

8 *Non probibet reſervari inſtitutionem inferiori habenti juriſdictionem quaſi Epiſcopalem*, & num.9.

10 *Quod inſtitutio ſpectet ad Ordinarium, & non ad alium ſimplicem inferiorem procedit in Beneficiis collativis, ſecùs in Cappellaniis merè laicalibus.*

CASUS II.

QUidam Abbati habenti Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in propria Abbatia reſervatum fuit à Fundatore in limine fundationis Beneficii A de conſenſu Epiſcopi jus inſtituendi; quæritur an hujuſmodi reſervatio ſuſtineatur?

1 Facit pro validitate reſervationis juris inſtituendi favore dicti Abbatis communis ſententia nonnullorum Doctorum, qui floruerunt tàm ante, quàm poſt Concilium, expreſsè tuentes, poſſe in limine fundationis Benefici apponi conditionem quod inſtitutio ſpectet ad inferiorem, ità enim docent *Abbas in cap. cum dilectus de conſuetud. n.5.*, ibi = *Nota quinto &c. quod Epiſcopus poteſt in fundatione Eccleſiæ ad petitionem Patroni transferri in alium jus confirmandi Prælatum illius Eccleſiæ* = *Lambertin. de jurepat. lib.1.p.1. quæſt. 9. art. 1. n.96.*, ibi = *Limita, & tertio hanc tertiam concluſionem procedere, ſcilicet Patronum in limine fundationis poſſe apponere conditiones etiam contra jus commune de conſenſu Epiſcopi, quando illæ conditiones referantur ad perſonam capacem, puta quod inſtitutio pertineat ad inferiorem Prælatum* = *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſ. par.3. alleg.72. num.178. in fin.*, ibi = *Et ideo in ipſa fundatione conditionem apponi poſſe quòd inſtitutio ſpectet ad inferiorem de conſenſu Epiſcopi* = *Card. de Luc. de jurepat. diſc. 64. n. 32.*, ibi = *Cùm ex lege fundationis, vel ex conſuetudine, vel Privilegio, aut alio jure, id pertinere etiam poſſit ad inferiorem, puta ad capitulum, vel ad aliquam Dignitatem, ſeu Canonicum, quin imò etiam ad Prælatum Regularem, quamvis agatur de Beneficio Sæculari* = *Palma Nep. alleg.159. num.30. tom.2. Rot. deciſ. 382. num. 2. coram Dunozett. & deciſ.110. n.4. 18. & 19. coram Bich. & deciſ.80. n.2. cor. Merlin.*

È contra facit clara, & literalis diſpoſitio S. Concilii Tridentini in hoc *Canone*, ubi expreſsè prohibet reſervari jus
2 inſtituendi aliis, quam Epiſcopo; immò *Felinus in cap. cum venerabilis de exception. num.32. & ſeq.* docet quod non obſtante quod inſtitutio eſſet reſervata inferiori, adhuc ſpectaret ad Epiſcopum, ibi = *Eſt enim regulare, quod proviſio Eccleſiarum, quæ ſubſunt plebibus, vel aliis Eccleſiis inferioribus ſpectat ad Epiſcopum &c. etiam ſi Fundator Eccleſiæ ordinaret quod inſtitutio ipſius non ſpectaret ad Epiſcopum, ſed ad inferiorem* = Minimè attento quod inſtitutio fuerit reſervata in limine fundationis favore inferioris de conſenſu Epiſco-
3 pi, quia Epiſcopus non poteſt minuere jus Epiſcopale in præjudicium ſucceſſorum, nec poteſt diſpenſare in Canone Concilii Generalis. *Ventrigl. in prax. p.2. annot.1. §.3. n.45.*

4 Pro reſolutione tamen hujus quæſtionis ſciendum eſt jus inſtituendi conſiderari poſſe multipliciter reſervatum favore inferioris; Poteſt namque eſſe reſervatum Primò, in fundationibus Beneficiorum præteritis, & factis ante Concilium;

lium; Secundò, in fundationibus Beneficiorum futuris poſt Concilium favore ſimplicis inferioris de conſenſu ſolius Epiſcopi. Tertiò; in fundationibus futuris poſt Concilium favore ſimplicis inferioris de conſenſu, & beneplacito Apoſtolico. Quartò, in fundationibus futuris poſt Concilium favore inferioris habentis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.

5 Concilium Tridentinum in hoc *Canone* non prohibet, nec tollit jus inſtituendi reſervatum inferiori in fundationibus præteritis ſequutis ante Concilium, quia ibi mentionem non facit de præteritis reſervationibus juris inſtituendi favore inferiorum, & conſequenter illas comprehendere nequit, cùm de natura conſtitutionis ſit non tranſire ad præterita, niſi faciat mentionem de præteritis. *Gloſſ. in cap. ex frequentibus de inſtit. in configurat. caſus in fin.*, ſed tales reſervationes ſunt ſervandæ, & inferior, cui ex lege fundationis, aut privilegio, aut ex immemorabili competit ante Concilium jus inſtituendi, poterit inſtituere, & in hoc jure continuare. *Garz. de benef. par.9. cap.3. num.19. verſ. decima*, *Ventrigli. in prax. part.2. annot. 1. §.3. n.44. Bertachin. vot. deciſ. 199. n.5. S. Cong. Concilii in Civitatis Caſtelli Canonicatuum 31. Martii 1685. & in Vulteranen. juris inſtituendi 3. Auguſti 1686. Burgen. juris inſtituendi 20. Decembris 1687. Rot. in Burgen. juris inſtituendi 23. Junii 1690. coram bo. me. Molines poſt Monacell. par.2. dec.22. n.5.*

6 Prohibet tamen reſervari inſtitutionem tam auctorizabilem, quam collativam ſimplici inferiori, non habenti juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in futuris fundationibus Beneficiorum etiam de conſenſu Epiſcopi; juxta *Fagnan. in cap. cum Eccleſia Vulterana de elect. num.32. Vivian. de jurepat. lib.12. cap.3. num.9. Ventrigl. in prax. part.2. annot. 1. §.3. n.40. Bertachin. ubi ſupra n.5. Rot. dicta deciſ. 22. n.4. 6. & ſeqq. poſt Monacell. par.11.* & dixi ſuperiùs *Par.2. Can. XXVII. Caſ.3. num.28.*

7 Non prohibet reſervari jus inſtituendi favore ſimplicis inferioris in futuris fundationibus de conſenſu, & beneplacito Apoſtolico; ut tradunt *Corradin. in prax. benef. lib.4. cap.3. num. 26. Garz. de benef. par.9. cap.3. num.19. verſ. undecima*; *Piton. diſcept. Eccleſ.22. n.42.*

8 Neque prohibet reſervari in futurum idem jus inſtituendi inferiori habenti juriſdictionem quaſi Epiſcopalem de conſenſu Epiſcopi, ut teſtantur *Corrad. ubi ſupra Fagnan. in cap. cum Eccleſia Vulterana de elect. num.32.*, ibi = *Et S. Cong. ejuſdem Concilii interpres conſulta, an in juribus patronatus, quæ poſt Concilium acquiruntur, reſervari poſſit inſtitutio alteri, quàm Epiſcopo, reſpondit non poſſe in Eccleſiis etiam exemptis, niſi rector illius ordinaria fungeretur juriſdictione* = *Ventrigl. in prax. par.2. annot.1. §.3. num.42.*, ibi = *Ampliatur &c. ut nec etiam in Eccleſiis exemptis poſſit reſervari jus inſtituendi in jurepatronatus alteri inferiori, quam Epiſcopo, niſi Rector prædictæ Eccleſiæ fuerit ordinarius, ordinariaque fungatur juriſdictione, tunc enim poteſt illi reſervari inſtitutio* = *Bertachin. vot. dec.199. n.4. Rot. dicta dec.22. n.8. poſt Monacell. ubi ſupra par.11.*

9 Quod clarè colligitur etiam ex duobus ſubſequentibus capitibus ejuſdem Concilii; diſponitur enim in *cap. 18. ſeſſ. 24. de reform.*, de quo infra *Can.X.*, quod Epiſcopus debeat ex concurrentibus ad Parochialem eligere digniorem, quem Patronus præſentet habenti inſtituere, quando inſtitutio ſpectat ad alium, quam ad Epiſcopum, ibi = *Cùm verò Inſtitutio ab alio, quàm ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat* = Et in *cap.9. ſeſſ. 25. de reform.* de quo infra *Can.XII.* præcipitur, quod inſtituendi ab inferioribus ſint ab Epiſcopo examinandi, ibi = *Quod ſi ad inferiores inſtitutio pertineat, ab Epiſcopo tamen &c. examinentur: alioquin inſtitutio ab inferioribus facta irrita ſit, & inanis* = Ergo Concilium præſupponit poſſe inferiores inſtituere, adeóque in hoc *Canone* non prohibet, nec tollit jus inſtituendi quibuſcumque inferioribus; ſed ſolùm inferioribus illis juriſdictione Epiſcopali carentibus; firmo remanente jure inſtituendi apud illos inferiores, quibus ante Concilium fuit jus inſtituendi reſervatum, vel apud illos inferiores, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; Et in hoc ſenſu procedunt omnes auctoritates ſuperiùs allatæ §. *Facit*.

Ex quibus jam patet affirmativa reſolutio

lutio præſentis quæſtionis; cùm jus inſtituendi fuerit in caſu præſenti reſervatum in limine fundationis Beneficii de conſenſu Epiſcopi inferiori habenti Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Cæterùm quod inſtitutio ſpectet ad Ordinarium, & non ad alium ſimplicem inferiorem procedit in Beneficiis collativis, ſecùs in Cappellaniis merè Laicalibus; reſpectu namque harum fundator non ſolùm poteſt reſervare plenam, & liberam diſpoſitionem ſimplici inferiori; verùm etiam ipſiſmet Laicis, eis relinquendo electionem, ſeu deputationem, ſeu proviſionem, ſeu poſitionem Cappellani, cum prohibitione nè ordinarius, aut alius ſuperior ſe ſe intromittat; juxta ſuperiùs deducta *Par.2. Can.4. 5. 6. 7. & 8. Caſ.3. n.1.*

CANON III.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XIV. Cap. XIII.

NOn liceat præterea Patrono cujuſvis privilegii prætextu aliquem ad Beneficia ſui juriſpatronatus, niſi Epiſcopo loci ordinario, ad quem proviſio, ſeu inſtitutio ipſius Beneficii, ceſſante privilegio, jure pertineret, quoquomodo præſentare: aliàs præſentatio, ac inſtitutio, forſan, & ſecutæ, nullæ ſint, & eſſe intelligantur.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

PRÆSENTATIO FIERI DEBET CORAM ORDINARIO HABENTE INSTITUERE, ALIAS IPSA, ET INSTITUTIO INDE SECUTÆ, SUNT NULLÆ = Quam concluſionem probant etiam *Roch. de Curt. de jurepat. verb. honorificum num.76. & 81. Lambertin. eodem tract. lib.2. par.2. quæſt.4. art.1. n.1. & art.4. n.2. Vivian. eodem tract. lib.8. cap.7. num.1. Lotter. de re benef. lib.2. quæſt.6. num.33. Card. de Luc. de jurepat. diſc.64. num.31. Rot. deciſ.2. num.9. coram Priolo, & deciſ.889. num.1. coram Merlin.*, & deduxi ſuperiùs *Par.2. Can.4. 5. 6. 7. & 8. in Comment. Concluſ. quarta.*

I. Ratio hujus Concluſionis deſumitur hìc ex *Canone I.* quia nimirum Epiſcopus debet examinare, & inquirere an Præſentatus ſit idoneus, quod fieri non poteſt, niſi præſentetur, & exhibeatur coram ipſo; Quod procedit ſive inſtitutio ſpectet ad Epiſcopum, ſive ad inferiorem; cum hac tamen differentia, quod ſi inſtitutio ſpectat ad Epiſcopum; præſentatio eſt coram eo facienda, tum quoad effectum inſtitutionis, tum quoad effectum examinis; ſi verò ſpectat ad inferiorem, præſentatio eſt coram eo facienda quoad effectum examinis dumtaxat *Garz. de benefic. par.9. cap.3. n.19. verſ. duodecimo Lotter. de re benef. lib.2. d. quæſt.6. n.33. Barboſ. hìc num.1.*

Ultra caſus ſuperiùs examinatos *Par.I. Can.V.*, ſequentia hìc diſſeruntur:

ARGU-

ARGUMENTUM.

Sede Epiſcopali vacante Præſentatio fieri poteſt coram Vicario Capitulari, Quid ſi Vicarius Capitularis ſit nulliter electus, an Præſentatio facta coram ipſo ſuſtineatur?

SUMMARIUM.

1 *Vicarius Capitularis, Sede Epiſcopali vacante, quamvis non poſſit conferre beneficia liberæ collationis, poteſt tamen inſtituere Præſentatos; & Patronus poteſt coram ipſo validè præſentare*; & num.2. & 5.

3 *Vicarius Capitularis, ſi inſtitutio ſpectet ad inferiorem, poteſt Præſentatum examinare.*

4 *Capitulum per mortem Epiſcopi ſuccedit in juriſdictione Epiſcopali.*

6 *Præſentatio facta coram Vicario Capitulari nulliter electo eſt nulla, & non ſuſtinetur.*

7 *Major pars Capituli, ſi eligat non Doctorem, nec licentiatum in jure Canonico in Vicarium Capitularem, electio eſt nulla*; & num.11. Amplia, ut n.8.

9 *Electio Vicarii facta per vota publica non ſuſtinetur.*

10 *Electio Vicarii Capitularis facta à minori parte Capituli, eſt nulla*, & n.11.

CASUS UNICUS.

PAſtore viduata Eccleſia Cathedrali A, eodem tempore, quo vacabat Beneficium B, de jurepatronatus; fuit convocatum Capitulum pro electione Vicarii Capitularis, in quo intervenerunt viginti ſex Capitulares, quorum quindecim elegerunt per vota publica in Vicarium Primicerium, qui non erat in jure canonico, nec Doctor, nec Licentiatus. Alia verò undecim ſuffragia Archidiaconus J. U. Doctor reportavit; Orta lite ſuper validitate, vel nullitate harum electionum; Patronus hoc interim exiſtimans Archidiaconum, utpotè Doctorem eſſe verum, & legitimum Vicarium Capitularem præſentavit coram ipſo ad dictum Beneficium vacans quemdam Clericum idoneum; quæritur an hujuſmodi præſentatio ſuſtineatur?

1 Primo aſpectu affirmativè reſpondendum videtur; Vicarius namque capitularis Sede Epiſcopali vacante, quamvis non habeat facultatem conferendi Beneficia liberæ collationis, cùm hæc ſint reſervata, Sedi Apoſtolicæ vigore Regulæ Secundæ Cancellariæ, & Conſtitutionis D. Pii V. *Bullar. nov. in ordine la* 55. ea ratione, quia libera collatio beneficiorum non eſt actus juriſdictionis neceſſariæ, & contentioſæ, ſed juriſdictionis voluntariæ, in qua per mortem Epiſcopi non ſuccedit Capitulum, juxta *Gemin. in cap.1. num.7. de inſtit. in 6. Imol. in cap. illa nè ſede vacante n.1. & 5. ibiq. Butr. n.1. Fagnan. in cap. cum olim de ma. & obed. n.34. Lotter. de re Benef. lib.1. quæſt. 21. n.34. & lib.2. quæſt.2. n.5. Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.4. cap. ultim. num.46. Rot. deciſ.* 590. *n.4. cor. Buratt. & in Abulen. Cappellaniæ 26. Januar.* 1715. §. *Reſervatio, & §. Proindeque coram Eminentiſſimo Scotto, & in alia Abulen. Cappellaniæ 28. Junii* 1715. §. *Multoque minus, coram R. P. D. Anſaldo.*

2 Poteſt nihilominus conferre Beneficia patronalia, & conſequenter Patroni validè præſentare poſſunt coram Vicario Capitulari, & iſte validè, ac legitimè Præſentatos Sede Epiſcopali vacante inſtituere valet, quia collatio ad præſentationem Patronorum, ſeu inſtitutio eſt actus juriſdictionis neceſſariæ, cum propter præſentationem à Patrono factam differri non poſſit, in qua defuncto Epiſcopo ſuccedit capitulum ad tradita per *Gonzal. in cap.2. nè Sede vacante num. 5. ibiq. Fagnan. n.15. & ſeq. Barboſ. n.5. Lambertin. de jurepat. p.2. lib.2. quæſt.2. art.6. num.2. & ſeq. Garz. de benf. par.5. cap.7. num.54. & ſeqq. Vivian. de jurepat. lib.12. cap.2. n.10. Antonell. de Regim. Eccleſ. cap. ultim. lib.4. §.4. n.48. Ventrigl. in prax. par.2. annot. 1. §.3. n.37. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.3. alleg. 72. n.183. Rot. deciſ. 32. n.7. coram Millin., & in Segobien. Canonicatus 9. Martii* 1705. §. *Non refragantibus, cor. Eminentiſs. Scotto.*

3 Quin imò Vicarius Capitularis Sede Epiſcopali adhuc vacua, ſi inſtitutio ſpectet

ad

ad inferiorem, poteſt præſentatum examinare; *Gemin. in cap. etſi capitulum de inſtit. in 6. n.3. ibiq. Paſſerin. n.3.*

Minimè obſtante quod Concilium prohibeat in hoc *Canone* præſentationem fieri alteri, quam Epiſcopo loci, ad quem
4 inſtitutio jure pertinet; quia cùm per mortem Epiſcopi ſuccedat Capitulum in juriſdictione Epiſcopali, Capitulum, ſeu ejus Vicarius habetur loco Epiſcopi, & præſentatio facta coram Vicario Capitulari reputatur, ac ſi eſſet facta coram Epiſcopo, *ad Text. in cap. cum olim de ma. & obed. ibiq. Abb. Anan. Gonz.al. Barboſ. n.3. Fagnan. in cap.2. nè Sede vacante num.8. Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.5. n.23. & diſc.11. n.30. & diſc.64. n.33. de jurepat. Rot. dec.346. n.2. par.1. rec.*

His tamen non obſtantibus cenſeo in caſu præſenti præfatam præſentationem factam à Patrono coram Archidiacono in Vicarium Capitularem, ut ſupra electo
5 non ſuſtineri. Quoniam vera quidem eſt, ac incontravertibilis regula quod Patronus Sede Epiſcopali vacante poſſit validè præſentare coram Vicario Capitulari, & quod iſte Præſentatum inſtituere valeat; ita enim docent non ſolùm Auctoritates ſuperiùs relatæ *n.2.*; ſed expreſsè etiam ſancitur à Bonifacio VIII. *in cap. etſi Capitulum de inſtit. in 6.* ibi = *Etſi Capitulum Sede vacante Beneficia, quæ ad collationem Epiſcopi pertinent, conferre non poſſit: Præſentatos tamen à Patronis poteſt admittere, ſi ſint idonei, & eos inſtituere in beneficiis, ad quæ fuerint præſentati; Licet ad Epiſcopum ſi ſupereſſet admiſſio, & inſtitutio hujuſmodi pertineret* = *ibique Gloſſ. Gemin. n.2. Paſſerin. n.1.* Difficultas ſtat in
6 illius applicatione, dum ipſa procedit in Vicario electo ad formam Concilii *cap. 16. ſeſſ.24. de reform.*, non verò in caſu, quo Vicarius capitularis ſit nulliter, & invalidè electus; hoc enim caſu ſicuti taliter electus eſt illegitimus, & nullam habet juriſdictionem, ita Præſentatio facta coram ipſo erit nulla, & illegitima.

In præſentiarum Archidiaconus, coram quo fuit facta præſentatio à ſupradicto Patrono, fuit nulliter, & invalidè electus in Vicarium Capitularem; Convocato namque Capitulo poſt mortem Epiſcopi; major pars capitularium elegit in Vicarium Primicerium, qui non erat qualificatus ad formam Concilii ubi ſupra, ſcilicet non erat nec doctor, nec licentiatus in jure Canonico, adeóque nulliter illum eligit *Garz. de benef. par.5. cap.7. n.9. Pignattell. conſult.34. n.2. & 4. tom.8. Barboſ. ad Concil. ſeſſ.24. cap.16. num.26. Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.4. cap. ultim. §.5. n.53. S. C. C. in Cotronen.* 8. *Junii* 1595. Maximè cum in Capitulo
8 aderant plures Capitulares graduati, & Doctores, tunc fortius ſi eligatur in Vicarium Canonicus non Doctor, nec licentiatus electio eſt nulla, ut tuentur *Garz. ubi ſupra num.12. Ventrigl. in prax. par.2. annot.15. §.2. n.11. & ſeqq. Card. de Luc. ad Concil. diſc.31. n.10. Monacell. formul. legal.10. tit.16. n.13. tom.2. pag.* 254. & S.Cong.Concilii *in Tarraconen. menſe Febr.* 1590. decrevit = *Electionem eſſe nullam ſi ex gremio Capituli prætermiſſo Doctore, alius quantumvis antiquior eligatur, facultatumque eligendi devolvi ad Metropolitanum, vel vicinorem* = *Et in Lancianen.* 18. *Auguſti* 1668. cenſuit = *Deveniendum eſſe ad novam electionem Vicarii Capitularis, eo quod jam electus non eſt doctor, qualis in Capitulo adeſt, juxta præſcriptum Concilii* = *Et in Tricaricen. anni* 1592. declaravit = *Electionem Vicarii non Doctoris à Capitulo Sede vacante factam eſſe nullam, ſi alii extra Capitulum Doctores idonei, ut proponitur, exiſtebant* =.

9 Inſuper dictus Primicerius fuit electus per vota publica, & ſic nulliter; ſiquidem, quàmvis *Antonell. de Reg. Eccleſ. lib.4. cap. ultim. §. 5. n. 58.* ſentiat, non eſſe neceſſarium, quod electio Vicarii Capitularis fiat per vota ſecreta; hodie tamen prævaluit contraria opinio, juxta quam dicta electio facienda eſt per vota ſecreta, & facta per vota publica eſt nulla juxta *Nicol. in floſcul. verſ. Vicarius capitularis n.55. & in lucubrat. utriuſque juris par. 2. lib. 1. tit. 6. ſub n. 14. verſ. limitatur quarto. Pellegrin. in prax. Vicar. par.1. ſect.4. ſubſect.1. n.8. Monacell. in formul. for. Eccleſ. tit.1. formul.2. n.11. p.1.*, & noviſſimè S. Congregatio Concilii, me ſtudente apud R. P. D. meum Petra in *Alexanen. Vicarii Capitularis* 17. *Decembris* 1712. declaravit nullam electionem Vicarii Capitularis factam votis publicis, & apertis.

10 At ex eo quod præfata electio facta

per majorem partem Capituli in perſona Primicerii ſit irrita, non proindè ſequitur quod ſit valida, & concluſa electio Archidiaconi in Vicarium facta à minori Parte; Etenim quod eligente majori parte non idoneum, & inhabilem, totum jus conſolidetur in minori parte, procedit in caſu, quo electio competat pluribus utì univerſis, quia in hoc caſu, cum jus eligendi reſideat penès Univerſitatem, vel penès majorem partem univerſitatis, attenditur ſolùm quod ſit à majori parte, non curato eo, quod ſit à minori. *Lambertin. de Jurepat. lib.2. par.3. q.4. art.5. n.1. Rot. deciſ.568. n.2. par.2. rec.* Et ita
11 reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Acernen. Vicarii Capitularis* 23. *Febr.* 1709. ubi cum major Pars Capituli elegerit in Vicarium non Doctorem, & minor pars deputaverit alium Laurea doctoratus inſignitum, S. Congregatio declaravit *neutram electionem ſuſtineri*; cui conſimilis fuit altera reſolutio in *Nazarena Electionis Vicarii Capitularis* 11. *Septembris* 1717., ubi cum ex viginti ſex Capitularibus, quindecim, elegerint non Doctorem; & undecim, alium Doctorem, in jure Canonico, cenſuit *neutram electionem ſuſtineri, & facultatem eligendi devolutam eſſe ad viciniorem*. Si igitur præfatus Archidiaconus fuit nulliter electus in Vicarium Capitularem, ſequitur quod præſentatio coram ipſo facta ſit nulla, & non ſuſtineatur.

CANON IV.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXI. Cap. VII.

CUm illud quoque valdè curandum ſit, nè ea, quæ ſacris miniſteriis dedicata ſunt, temporum injuria adoleſcant, & ex hominum memoria excidant, Epiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati transferre poſſint Beneficia ſimplicia, etiam juriſpatronatus, ex Eccleſiis, quæ vetuſtate, vel alias collapſæ ſint, & ob eorum inopiam nequeant inſtaurari, vocatis iis, quorum intereſt, in Matrices, aut alias Eccleſias locorum eorumdem, ſeu vicinorum, arbitrio ſuo: atque in eiſdem Eccleſiis erigant Altaria, vel Cappellas, ſub eiſdem invocationibus: vel in jam erecta Altaria, vel Cappellas transferant cum omnibus emolumentis, & oneribus prioribus Eccleſiis impoſitis; Parochiales verò Eccleſias, etiam ſi juriſpatronatus ſint, ità collapſas, refici, & inſtaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuſcumque, ad eaſdem Eccleſias quomodocumque pertinentibus, qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis, ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione,

& con-

& contradictione remota. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad matrices, ſeu viciniores Eccleſias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quàm alias Eccleſias dirutas in profanos uſus non ſordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

COMMENTARIUM

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima -- Ecclesia, si sit collapsa, et ob ejus inopiam, nequeat instaurari, Beneficia simplicia Jurispatronatus ibi fundata, vocatis Patronis, transferri possunt ab Episcopo etiam uti Sedis Apostolicæ delegato ad Ecclesiam matricem, aut ad aliam Ecclesiam vicinam cum eisdem emolumentis, et oneribus ≓.

Secunda -- Ecclesia Parochialis Jurispatronatus, si sit collapsa, refici debet ex ejus fructibus, et si isti sint insufficientes, cogi possunt Patroni, et in horum defectum Parochiani ad illam reficiendam, et si omnes sint egeni, transferri debet ad Ecclesiam matricem, aut ad aliam viciniorem ≓. Quas probant etiam *Lambertin. de Jurepat. lib.3. art.2. quæſt.7. n.7. Surd. conſ.62. num.1. & ſeqq. A Moſtaz de Cauſ. piis lib.5. cap.6. n.17. & ſeqq. & cap.12. n.52. Barboſ. hic, & de offic. & poteſt. Epiſcopi par.3. alleg.66. n.8. & ſeqq. & de Paroch. cap.13. num.1. & ſeqq. Tondut. quæſt. Benef. p.1. cap.38. n.10. & ſeqq. & cap.39. num.5. & par.3. cap.129. n.15. Ventrigl. in prax. tom.2. annot. 18. §. unic. n.6. & 10. cum ſeqq. Lotter. de re benef. lib.1. quæſt.11. n.77. Caren. reſol. 248. n.1. & ſeqq. Solorzan. de Jur. Indiar. lib.3. cap.23. num.9. Pignatell. conſult. 60. num.1. & ſeqq. tom.8. Bellet. diſquiſit. Clerical. par.1. tit. de cleric. debit. §.14. num.11. Rot. deciſ.67. n.4. 6. 10. cum ſeqq. & deciſ.407. n.2. & ſeqq. coram Emerix Jun. & in Leodien. Reſtaurationis Turris Navis Eccleſiæ 18. Febr.1709. §. Vindicatis, coram R.P.D. Criſpo, & in Savonen. Reſtaurationis Parochialis Eccleſiæ 8. Martii 1709. cor. Eminentiſſimo Scotto*. Superiùs impreſſ. *Par.I. Can.IV. Caſ.XI. num.12.*

1 Statuit hìc Concilium translationem beneficiorum tam ſimplicium, quàm Parochialium de Jurepatronatus, in caſu, quo Eccleſia, ubi dicta Beneficia ſunt fundata, ſit collapſa; Ratio ita ſtatuendi fuit nè ea, quæ ſacris miniſteriis dicata ſunt, temporum injuria adoleſcant, & ex hominum memoria excidant: & ut Chriſti fideles videntes indemnitati juris fundatorum ſatìs eſſe proviſum in caſu, quo Eccleſiæ ſint collapſæ, ſic magìs alliciantur ad eas fundandas, vel conſtruendas. Decrevit tamen remedium hujuſmodi tranſlationis eſſe ſubſidiarium, nimirum in caſu, quo Eccleſia collapſa nullatenùs refici poſſit, ac præſcripſit formam eam reficiendi; Primò enim voluit, ut reficeretur ex redditibus, & fructibus ipſius Eccleſiæ, ea clara ratione, quia cum fructus, & redditus iſti ſint deſtinati ad reparationem, & reædificationem Eccleſiæ, refectio, & reparatio eſt ex eis facienda. Si verò Eccleſia Parochialis patronata ſit pauper, & non habeat unde reficiatur, aut reparetur, tunc reparari, & refici debet à Patrono, quia inter Eccleſiam, & Patronum eſt reciproca obligatio, ſicuti itaque Eccleſia dat Patrono jus honorificum præſentandi, & eum alit in caſu inopiæ, ut diximus ſupra *Par.1.*, ſimiliter Patronus tenetur eam reficere, & reparare, ſi propter inopiam ſuis expenſis non poſſit reparari. Si autem tam Eccleſia, quàm Patronus nimia præmantur egeſtate, Parochiani contribuere debent pro refectione, & reparatione Eccleſiæ, quia pertinet ad horum ſpiritualem utilitatem Eccleſiam, à qua ſacramenta, & pabulum ſpirituale recipiunt, habere.

Quoad has concluſiones infraſcripti examinantur Caſus.

ARGUMENTUM.

Eccleſia Parochialis de Jurepatronatus minans ruinam in aliqua ejus parte, & anguſta ob populi numeroſitatem, ſi ſolo æquatur ab Epiſcopo, cujus expenſis ſit reficienda?

SUMMARIUM.

1 *Ædificia ſuam habent ætatem.*
2 *Patronus in ſubſidium tenetur reparare, & reficere Eccleſiam Patronalem collapſam, aut minantem ruinam,* & num. 11. Intellige, ut ibi. Amplia, ut num. 3., & 12.
3 *In Refectione, & reparatione Eccleſiæ ſervanda eſt conſuetudo,* & num. 9.
4 *Parochus, ſi velit adſtringere Patronum, aut Parochianos ad reparationem, aut refectionem Eccleſiæ an, & quando teneatur probare hujus paupertatem;* & numer. 5., & 6.
7 *Eccleſiæ demolitio, aut ruina provenire poteſt ex duplici principio.*
8 *Ruina, & demolitio Eccleſiæ, aut domus Parochialis ſi proveniat à Principio voluntario, ſeu ex aliquo damno dato, eſt reficienda, vel reparanda expenſis damnificantis.*
9 *Si procedat à Principio neceſſario; ſecluſa conſuetudine, reficienda eſt ex redditibus Eccleſiæ, aut ab illis perſonis, quæ percipiunt decimas, & emolumenta in Fabricam conferenda;* & num. 10.
13 *Epiſcopus cogere poteſt Patronum, vel Parochianos ad reparationem, vel refectionem Eccleſiæ, etiam ſi iſti ſint exempti ab ejus juriſdictione.*
14 *Si tam Eccleſia Parochialis, quàm Patronus ſint pauperes, Eccleſia, aut domus Parochialis refici debet à Parochianis.* Amplia ut num. 15.
16 *Paramenta, Pluvialia, Calices, Patenæ &c. reficienda ſunt, juxta ordinem à Concilio hic præſcriptum.*
17 *Idem eſt ſervandum ſi Eccleſia ſit polluta, & indigeat reconciliatione.*
18 *Eccleſia Parochialis de Jurepatronatus minans ruinam in aliqua parte ejus muri, ſi ſolo æquatur ab Epiſcopo, reficienda eſt expenſis Epiſcopi, non verò Patroni,* & num. 20.
19 *Patronus ex eo quod aliquando contribuerit pro reparatione, an teneatur idem contribuere in poſterum.*

CASUS I.

1 CUm ædificia ſuam habeant ætatem, & durationem, ut pluribus Doctorum, ac Poetarum teſtimoniis probat *Gonzal. in cap. 1. de Eccleſ. ædific. num. 5.* ſæpè ſæpiùs contingit, quòd ob eorum vetuſtatem collabantur, vel proxima ſint ruinæ. Ita accidit Eccleſiæ Parochiali A de Jurepatronatus, quæ ob ejus antiquitatem ruinam minabatur in una ex præcipuis ejus partibus muri. Epiſcopus in viſitatione de conſenſu majoris partis Parochianorum, diſſentiente tamen Patrono, demandavit demolitionem hujus Eccleſiæ, non ſolùm ob ruinam, quam minabatur, verùm etiam quia ſibi videbatur anguſta ob populi numeroſitatem, ac decrevit illam refici in loco commodiori, ac forma ampliori expenſis Patroni, eo quod dicta Eccleſia habita ratione ad tempus antiquum eſt pauper, & non habet fructus ſufficientis pro ejus reædificatione, & quia multoties Patronus illam reparavit, cui decreto acriter contradixit, idem Patronus exiſtimans ſe ad hanc refectionem minimè teneri; Quæritur quibus expenſis hujuſmodi Eccleſia ſit reficienda, ac reædificanda?

Videtur reſpondendum quod ſit reficienda, ac reædificanda expenſis Patroni; Fructus namque, ac redditus hujus Eccleſiæ Parochialis, habito reſpectu ad tempus antiquum, vix aſcendunt ad ſcuta triginta inſufficientia quidem nè dum pro reparatione Eccleſiæ, ſed etiam pro ipſamet congrua ſuſtentatione Parochi; quo caſu clara, & literalis eſt diſpoſitio hujus
2 *Canonis*, quod data inſufficientia reddituum Eccleſiæ Parochialis de jurepatronatus; onus illam reparandi, ac reficiendi incumbat Patrono ibi = *Qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes Patronos &c. omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant* = quam ſequuntur *Gonzal. in cap. 1. de Eccleſ. ædific. num. 8. in fin. Amoſtaz. de cauſ. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 19., & ſeqq.,*

ſeqq., Bellett. diſquiſit. clerical. par. 1. §. 14. *num.* 11., *Sperell. deciſ.* 67. *num.* 10., *& ſeqq.*, *& deciſ.* 68. *num.* 11., *& ſeq.*, *Panimoll. deciſ.* 6. *adnot.* 8. *nu.* 14., *& ſeqq.*, *Ventrigl. in prax par.* 2. *annot.* 18. §. *unic. nu.* 15., *Barboſ. de Paroch. par.* 1. *cap.* 13. *nu.* 8., *& de offic.*, *& poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 64. *num.* 16.

3 Fortius animadvertendo quod Patronus multoties reparavit hanc Eccleſiam Parochialem, ex quo ſequitur, quod teneatur etiam nunc illam reparare, ac reficere, dum quando adeſt conſuetudo legitimè, & laudabiliter introducta reficiendi Eccleſiam, illa venit obſervanda, & illæ Perſonæ, quæ conſueverunt reficere Eccleſiam, aut partem illius, e. g. quæ conſueverunt inſtaurare Tabernaculum, reparare Organum, dealbare Eccleſiam, conficere feneſtras, Campanas, extruere pavimentum &c. tenentur ad horum omnium refectionem, & reparationem. *Surd. conſ.* 62. *lib.* 1. *nu.* 16. *Tondut. quæſt. benef. cap.* 38. *num.* 9. *& cap.* 39. *num.* 6. *tom.* 1. *Pignattell. conſult.* 60. *nu.* 4. *& ſeq. tom.* 8. *Sperell. deciſ.* 67. *nu.* 38. *Amoſtaz. de cauſ. piis tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 75. *Barboſ. de Paroch. par.* 1. *cap.* 13. *num.* 12. *in fin.*

Non obſtat auctoritas *Lambertini expreſsè ſententiis lib.* 3. *quæſt.* 7. *art.* 2. *nu.* 5., quod Patronus nullatenus teneatur ad refectionem, & reparationem Eccleſiæ ibi = *Tu adverte quod ejus verba tangunt duo membra, primum eſt an Patronus teneatur ad refectionem Eccleſiæ, & clarum eſt, quod non &c. Beneficiatus tenebitur illam reparare* = quem ſequitur *Surd. conſ.* 62. *nu.* 6. *lib.* 1. ibi = *Et adeò verum eſt, quod Rector Eccleſiæ tenetur eam reficere, ut procedat etiam ſi Eccleſia habeat Patronum, quia & ſi Patronus curare debeat Eccleſiam, tamen Clericus inſtitutus tenetur eam reparare* = Quia illa procedit de jure communi, ſecùs hodie poſt Concilium Tridentinum.

Neque relevat oppoſitio, quòd paupertas hujus Eccleſiæ Parochialis non probatur de tempore præſenti, ſed ſolùm habita ratione ad tempus antiquum, unde Epiſcopus ſi prætendat, quòd Parochus non teneatur reficere Eccleſiam, ſed quod factus ſit caſus remedii ſubſidiarii contributionis videlicet à Patrono faciendæ; Parochus onus habet probandi paupertatem de tempore præſenti; Tale
4 ſiquidem objectum non videtur alicujus roboris, & momenti, cùm ad eruendam veritatem duo caſus ſint diſtinguendi; Primus eſt quando Parochus prætendit ſe non habere congruam ſuſtentationem, & ſic ſe non eſſe obligatum ad reparationem Eccleſiæ, nulla facta probatione paupertatis. Secundus caſus eſt quando Parochus quidem prætendit ſe de præſenti non habere congruam ſuſtentationem, & per conſequens concurrere non poſſe ad reædificationem, allato tamen aliquo documento, ex quo evidenter deprehendatur, quod ſaltèm de antiquo tempore redditus Eccleſiæ Parochialis non erant tales, ut Parocho ſufficerent ad victum. Primo caſu procedit aſſumptum, quod ſit onus Parochi firmiter probare, ſi vult adſtringere Patronum, aut Parochianos ad reparationem, vel refectionem, ſe eſſe pauperem, & non habere ſummam à ſacris Canonibus taxatam
5 pro ſuis alimentis. Secundo verò caſu res aliter ſe habet, vigore ſiquidem antiquæ probationis de jure præſumitur, quod præcedens paupertas continuet de tempore præſenti, cùm communis experientia doceat, quod bona Eccleſiaſtica tractu temporis mutentur non in melius, ſed in pejus, & ita ſi Patronus, aut Populus habet intentionem ſe eximendi ab onere ſubſidiario ſolvendi pro Eccleſiæ reparatione, aut reædificatione, contrarium probare debet, utì diſtinguunt communiter Doctores in *cap. ex parte de ſcrutin. in ordine facien.* ſignanter *Jo. Andr. nu.* 17. *Butr. nu.* 13. *Zabarell. ſub num.* 3. ibi = *Item præſumitur pauper, ideſt non dives, quia eſſe divitem eſt facti, & facta non præſumuntur, poſt quam autem probatum eſt ſemel de talibus, ſemper ſic præſumitur, niſi contrarium probetur* = *Pacion. de probat. lib.* 1. *cap.* 54. *num* 27. ibi = *Solebam aliquando diſtinguere hoc modo, nam aut de paupertate præterita non conſtat niſi ex naturali conjectura, quòd quilibet naſcatur nudus, & tunc magìs communis opinio eſt, ut ea non ſufficiat ad faciendum, quod de præſenti quis ſit pauper, ut diximus, & in hoc caſu veriſſima eſt opinio Bald. Ancharan. & ſequacium, qui dicunt ex paupertate præterita non præſumi paupertatem præſentem, aut ultra naturalem nuditatem, conſtat*

ſtat etiam per probationem facti, *quòd quis de præterito fuit pauper*, *& tunc poteſt obtinere opinio Alberic. & aliorum*, *ut ſcilicet*, *qui fuit ſemel ab antiquo pauper*, *adhuc præſumatur eſſe pauper* ≔ eandem diſtinctionem firmat *Mant. conſult.389. num. 9. & ſeq.*

6 Poſita hac diſtinctione, paupertas præfatæ Eccleſiæ Parochialis non fuit probata in caſu præſenti mediante ſimplici præſumptione, ſed mediante poſitiva facti demonſtratione; ad tramites ergo ſupradictarum Doctrinarum infertur non pertinere ad Parochum in præſenti demonſtrare, quod non habeat congruam ſuſtentationem; ſed Patronus eſt ille, qui ſi contendit ſtatum Parochialis Eccleſiæ fuiſſe mutatum, præciſam habet neceſſitatem deducendi fundamenta hujus mutationis, nimirum quod mediantibus novis fundis, noviſque augmentis redditus Eccleſiæ Parochialis excreverit.

At his non obſtantibus cenſeo in hoc caſu ſupradictam Eccleſiam demolitam, & collapſam eſſe reædificandam, & reficiendam expenſis Epiſcopi; non verò Patroni, pro cujus veritatis aſſecutione præſuponendum eſt, ruinam, ſeu demolitionem Eccleſiæ, aut Domus Parochialis provenire poſſe à principio voluntario, ſcilicet ex negligentia Rectoris Eccleſiæ, vel ex aliquo damno dato; & à principio neceſſario, nimirum temporum injuria, caſu, alluvione, aut tempeſtate.
7

8 Si ruina, & demolitio Eccleſiæ, aut Domus Parochialis provenit à principio voluntario, ſeu ex aliquo damno dato, eo quia fuit ab aliquo deſtructa, & diruta, tunc Eccleſia refici debet expenſis illius, qui damnum dedit, aut ex cujus incuria, & negligentia Eccleſia collapſa eſt, ea dictante naturali ratione, quòd quis puniendus ſit in eo, in quo deliquit; imò ipſi hæredes, & ſucceſſores damnificantis, & deſtruentis Eccleſiam tenentur eam reficere, & reparare, quia hæredes tenentur ſolvere omnia debita Teſtatoris, ſive proveniant ex actione perſonali, ſive à delicto, ita enim expreſsè ſancitur *in Can. ſi quis 17. quæſt. 4.* ibi ≔ *Si quis Eccleſiam igne combuſſerit*, *quindecim annis pœniteat*, *& eam ſedulò reſtituat* ≔ Et in cap. Quiſquis 17. quæſt. 4. §. fin. ibi ≔ *Si qui Monaſteria*, *vel loca Deo dicata*, *& Eccleſias infringant*, *& depoſita*, *vel alia qualibet inde abſtrahant damnum novies componant* ≔ *Text. in cap. fin. de ſepult. Gonzal. in cap. 1. de Eccleſ. ædific. num. 7. prope fin. Amoſtaz. de cauſ. piis tom.2. lib.5. cap.6. nu.2. & 16. Ventrigl. in prax. par.2. annot. 18. §. unic. nu. 38.*

9 Si ruina, & demolitio Eccleſiæ, aut Domus Parochialis provenit à principio neceſſario, nimirum Terræmotu, alluvione, caſu, tempeſtate, temporum injuria &c. tunc recurrendum eſt primariò ad conſuetudinem legitimè præſcriptam, & illæ Perſonæ, quæ conſueverunt reparare, aut reficere Eccleſiam, cogendæ ſunt ad illius refectionem, & reparationem juxta Auctoritates ſuperiùs relatas *num.3.* Secluſa hujuſmodi conſuetudine Eccleſia, aut Domus Parochialis refici debet juxta graduationem, & ordinem à Concilio in hoc *Canone* præſcriptum, nimirum primò, deducta priùs congrua ſaltèm naturali, & neceſſaria pro Parocho, & adminiſtrantibus Eccleſiæ: ex redditibus, & fructibus ipſius Eccleſiæ, ſi ſint ſufficientes, aut ab illis Perſonis, quæ percipiunt Decimas. *Surd. conſ. 62. nu. 1. & 8. cum ſeqq. lib. 1. Gonzal. in cap. 1. de Eccleſ. ædific. num. 3. Bellett. diſquiſit. Clerical. par. 1. §.14. nu. 1. Barboſ. de Paroch. par. 1. cap. 13. nu. 1. & ſeq. & de offic. & poteſt. Epiſcopi par. 3. alleg. 64. nu. 4. Amoſtaz. de cauſ. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. nu. 17. Pignattell. conſult.60. num.2. Sperell. deciſ.67. num.1. & deciſ.68. num. 4. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 18. §. unic. num. 6. & num. 11. & ſeq. Tondut. quæſt. benef. cap. 38. num. 10. & ſeqq. & cap. 39. nu. 5. tom. 1. Rot. deciſ. 48. nu. 22. coram Bich. & deciſ. 407. num. 1. & ſeq. coram Emerix.*

10 Et refici debet ab illis Perſonis, quæ percipiunt emolumenta in fabricam conferenda, ut reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Sabinen. reſtaurationis Eccleſiæ 17. Aprilis* 1706. ubi quia Communitas Terræ Tarani vigore cujuſdam tranſactionis percipiebat funeralium emolumenta in fabricam conferenda, fuit decretum ad ipſam ſpectare onus reparationis Navis orientalis Eccleſiæ S. Mariæ à Terræmotu valde concuſſæ, non obſtante quòd in dicta Eccleſia plures aderant Cappellæ, quæ ad diverſos particulares Patronos pertinebant.

11 Si

11 Si verò iſti fructus, & redditus, deducta priùs dicta congrua, ſint inſufficientes pro reædificatione, & reparatione Eccleſiæ; eo quia Eccleſia ab initio non fuerit ſufficienter dotata de omnibus neceſſariis, tum ad luminaria, veſtimenta ſacra, congruam Parochi ſuſtentationem, tum etiam ad fabricæ conſervationem, & reparationem, prout fieri conveniebat. *Amoſtaz. de cauſ. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 18. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par. 3. alleg. 64. num. 2.* vel ex eo, quia fructus, & redditus Eccleſiæ fuerint caſu, & furtuito deperditi, tunc Patronus tenetur contribuere ad reparationem, & refectionem Eccleſiæ, vel ſolus, vel unitim cum aliis participantibus de fructibus ejuſdem Eccleſiæ ſi adſint, ut expreſsè diſponitur ab hoc *Canone* ibi = *Qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt omnibus opportunis remediis ad prædicta cogant* = & tradunt omnes auctoritates ſuperiùs relatæ nu. 2. quibus addo Rot. *in Savonen Reſtaurationis Parochialis Eccleſiæ 8. Martii 1709. coram Eminentiſs. Scotto ſuperiùs impreſſ. Par. I. Can. IV. Caſ. XI. num. 21.* Secus ſi inſufficientia redditum proveniret ex incuria, & culpa Rectoris, nimirum ex eo quia ipſe alienaverit, donaverit, aut dilapidaverit pecunias, & bona Eccleſiæ ab initio à Patrono ſufficienter aſſignata, tunc enim Patronus non tenetur reficere Eccleſiam, ſed Rector debet de proprio Eccleſiam reſarcire, ad *Text. in cap. ſtatuimus 12. quæſt. 2. Turricell. de reb. Eccleſ. non alienan. cap. 16. num. 12. Rot. de-*
12 *ciſ. 222. par. 4. diverſ.* Et quidem Patronus tenetur reficere, & reparare Eccleſiam etiam ſi in limine fundationis fuiſſet appoſitum pactum, quod corruente Eccleſia, dos revocetur, quia hujuſmodi pactum etiam de conſenſu Epiſcopi appoſitum non valet; *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæſt. 6. art. 4. num. 12. Bellet. diſquiſit. Cleric. par. 1. §. 15. num. 16.*
13 Et Epiſcopus poteſt eum cogere ad reædificationem, & reparationem intrà terminum competentem ſub pœna privationis jurispatronatus, etiam ſi Patronus eſſet exemptus à juriſdictione Epiſcopi; quia exempti cogi poſſunt per Epiſcopum ad hujuſmodi reædificationem, quacumque appellatione remota, & non obſtante exemptione, ut diſponitur à Concilio in hoc *Canone*, & in cap. 8. ſeſſ. 7. de reform. ibi = *Locorum Ordinarii Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur &c appellationibus, privilegiis, conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitùs excluſis* = & docent *Amoſtaz. Sperell. Ventrigl. ubi ſupra.*
14 Quod ſi tam Eccleſia Parochialis quàm Patronus ſint pauperes, & careant ſufficientibus facultatibus, tunc Eccleſia, aut Domus Parochialis refici, & reparari debet à Parochianis; & Epiſcopus poteſt eos cogere per cenſuras, aut ſubtractionem Sacramentorum, ac eis imponere contributionem, & collectam juxta proportionem facultatum, quas poſſident in Parochia, etiam ſi ſint forenſes, dummodo
15 in Parochia poſſideant bona, & pro majori parte anni ibi morentur, divina audiant, & Sacramenta perficiant; & etiam ſi Parochianus eſſet de proximo à dicta Parochia diſceſſurus; quia ut bene advertunt *Sperell. deciſ. 67. num. 51. Bellett. diſquiſit. cleric. par. 1. §. 14. num. 7.*, cum onus iſtud ſit de præterito, non poteſt Parochianus in præjudicium Eccleſiæ domicilium mutare. Vel Epiſcopus deſignare valet Perſonas ad petendas Eleemoſynas per Civitatem, & alia loca circumvicina pro ædificatione Eccleſiæ; vel applicare fructus ſuperfluos; & ſuper excedentes alterius Eccleſiæ, quia ſi iſti de jure erogari debent in pauperes, à fortiori erogari poterunt in ædificationem Eccleſiæ pauperis; neque hoc eſſet contra *Extrav. ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alienan.*; quia hæc procedit reſpectu bonorum immobilium, vel mobilium, quæ ſint pretioſa, & ſervari poſſunt, non verò reſpectu rerum mobilium, & fructuum ad alienationem expoſitorum; juxta *Text. in cap. de his de Eccleſ. ædific. & in cap. ſi Epiſcopus de offic. ordin. in 6.*, & diſpoſitionem Concilii in hoc *Canone*, & latè proſequuntur *Pirhing. in jus Canon. tom. 3. lib. 3. tit. 48. de Eccleſ. ædific. n. 14. & ſeqq. Gonzal. in cap. quicumque n. 7. eod. tit. de Eccleſ. ædific. Salgad. de protect. reg. p. 3. cap. 5. n. 9. Anto-*

Antonell. de regim. Eccleſ. lib. 1. *cap.* 2. §. 4. *per tot. Amoſtaz de cauſ. piis tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 35. 50. 62. *&* 64. *Surd. conſ.* 62. *n.* 19. *lib.* 1. *Pignattell. conſult.* 60. *n.* 2. *&* 6. *cum ſeq. tom.* 8. *Sperell. deciſ.* 67. *n.* 8. *& ſeqq. & deciſ.* 68. *n.* 4. *& ſeq. Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 18. §. *unic. num.* 16. *&* 19. 21. 23. *& ſeq. Tondut. quæſt. benef. cap.* 38. *n.* 5. *tom.* 1. *Bellett. diſquiſit. cleric. par.* 1. §. 14. *num.* 6. *Barboſ. de Paroch. p.* 1. *cap.* 13. *n.* 6. *& de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 64. *n.* 6. *&* 10. *Rot. in Savonen. Reſtaurationis Parochialis Eccleſiæ* 8. *Martii* 1709. *coram Eminentiſſimo Scotto ſuperius impreſſ. Par. I. Can. IV. Caſ. XI. num.* 14., & fuit reſolutum à S. Congregatione Concilii in *Melphien. congruæ* 27. *Junii* 1711., ubi ex defectu redditruum Eccleſiæ, fuit condemnata Univerſitas Terræ Barilis ad ampliationem Eccleſiæ Parochialis, illamque reddendam capacem Populi ipſius Eccleſiæ, & in *Aliphana Reparationis Cathedralis Eccleſiæ* 21. *Auguſti* 1717., ubi cum tectum Cathedralis Eccleſiæ, & feneſtræ vitreis ſpecularibus muniri indigerent, attenta tenuitate reddituum Menſæ Epiſcopalis, & Cleri, fuit declaratum Eccleſiam eſſe reparandam ſumptibus communibus Epiſcopi, & Univerſitatis per modum proviſionis, & ſinè præjudicio jurium partium.

16 Quæ dicta ſunt de Eccleſia, & Domo Parochiali, procedunt quoque in acceſſoriis ejuſdem Eccleſiæ, Paramenta namque etiam, Pluvialia, Ornamenta, Calices, Patenæ, luminaria reficienda, & reparanda ſunt expenſis Eccleſiæ, ſi redditus habet ſufficientes, ſi vero habeat redditus inſufficientes, tunc aut Patronus conſtituit ab initio ſufficientem dotem, & reficienda ſunt expenſis Rectoris, aut dedit dotem inſufficientem, & tunc Patronus tenetur, & compelli poteſt ab Ordinario, ut infra terminum competentem provideat Eccleſiam de neceſſariis ſub pœna privationis Juriſpatronatus. *Surd. dicto conſ.* 62. *num.* 4. *lib.* 1. *Tondut. quæſt. benef. cap.* 39. *n.* 9. *tom.* 1. *Sperell. dicta deciſ.* 68. *num.* 11. *& ſeqq. Ventrigl. in prax. p.* 2. *annot.* 18. §. *unic. n.* 2. Inſuper ſi Eccleſia
17 ſit polluta, & indigeat reconciliatione, tunc reconciliatio facienda eſt in primis expenſis ejus, qui Eccleſiam violavit; ſed ſi iſte ſit incognitus, aut non ſit ſolvendo, facienda eſt expenſis Parochi, etſi iſte non poſſit id præſtare, facienda eſt expenſis Parochianorum: & ſi iſti quoque ob inopiam non poſſint, in ſubſidium tenetur Epiſcopus, & non Patronus. *Sperell. dicta deciſ.* 68. *n.* 19.

18 Præſuppoſita hujuſmodi doctrina, ac theorica communiter à Doctoribus admiſſa, in caſu præſenti ruina, ac demolitio Eccleſiæ Parochialis A de Jurepatronatus non provenit à Principio neceſſario; ſed à principio voluntario, nimirum ex damno dato per Epiſcopum, qui illam demolivit, & ſolo æquare fecit, dum murus Eccleſiæ, qui ruinam minabatur, poterat commodè, per Patronum reparari, abſque neceſſitate demoliendi Eccleſiam; unde juxta *auctoritates* ſuperiùs transcriptas *num.* 8. refici debet, & reædificari expenſis Epiſcopi, qui damnum dedit, non verò Patroni.

19 Non obſtat quod Patronus aliàs contribuerit pro reparatione, aut refectione Eccleſiæ, quia cum ad id devenerit prævia declaratione ſe id facere ex mera liberalitate, & non ex debito, nulla indè oritur obligatio idem contribuendi in poſterum *Rot. deciſ.* 407. *n.* 7. *coram Emerix jun. & dec.* 545. *n.* 3. *par.* 3. *rec.*

20 Et ità in ſimili caſu me ſtudente apud R. P. D. meum Petra reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Senogallien. Reædificationis Eccleſiarum* 23. *April.* 1712. ubi demandata fuit ædificatio novæ Eccleſiæ in ſitu commodiori Villis Aprici, & Calceroni, ſumptibus Epiſcopi, qui renuentibus nonnullis Parochianis demoliri fecit binas Eccleſias, in quibus alternatim unus Parochus curam Animarum obibat.

An autem in reædificatione novæ Eccleſiæ quis utì poſſit cœmentis, & materialibus antiquis? Vide quæ dixi *Par. I. Can. IV. Caſ. III. n.* 7.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Eccleſia Parochialis de Jurepatronatus collapſa, ſi reædificari non poſſit, eſt transferenda ad Eccleſiam Matricem, ſeu viciniorem; & ſi tractu temporis de novo reędificetur, an ſit reportanda ad locum antiquum?

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia Parochialis de Jurepatronatus collapſa, ſi nullatenus reædificari poſſit, validè transfertur ad Eccleſiam Matricem, ſeu viciniorem.*

2 *Refertur reſolutio S. Congregationis Concilii in* Spoletana Parochialitatis 22. Junii 1686., & 26. Febr. 1695.

3 *Eccleſia Parochialis collapſa, ſeu Parochialitas translata ad Eccleſiam viciniorem ab hac removeri, & reportari ad locum antiquum non poteſt.* Amplia, ut n.8.

4 *Parochus curam Animarum, exercere, ac reſidere tenetur in ſua Eccleſia Parochiali, & in domo Parochiali, & non alibi*, ut n.5. & 10.

6 *Eccleſia diruta, & prophanata amittit conſecrationem, & omnia jura Eccleſiæ.*

7 *Eccleſia reædificata in ſitu, ubi antiqua collapſa permanebat, non dicitur antiqua, ſed nova Eccleſia.*

9 *Translatio ſubrogat Eccleſiam novam antiquæ in omnibus ejus juribus, qualitatibus, & prærogativis.*

10 *In dicta* Spoletana Parochialitatis die 16. Novembris 1715. *fuit receſſum à deciſis.*

CASUS II.

PÆnitus collapſa à Terræmotu Eccleſia Parochiali A de Jurepatronatus exiſtente in Cacumine Montis, ad quam tempore præſertim hiemali difficilis erat acceſſus, cùm ipſa refici nequiret ob ejus reddituum inſufficientiam, & inopiam Patroni, ac Parochianorum; fuit translata de conſenſu Rectoris, & omnium intereſſe habentium ad Eccleſiam ſimplicem B in planicie collocatam, ubi totus ferè Populus curæ morabatur. Tractu temporis reperta in quadam parte muri ejuſdem Eccleſiæ collapſæ B. Virginis Icone, ex continuis oblationibus, & eleemoſynis Fidelium fuit ibi reædificata nova Eccleſia, cum Domo ſatis commoda pro Cappellano, cum eleemoſynis collectis ſtipendiato; Modernus Parochus aeris amænitate, & ſalubritate, ac oblationum dulcedine allectus removere intendit Eccleſiam Parochialem, ab Eccleſia ſimplici B, & illam reportare ad Eccleſiam in culmine Montis de novo ædificatam; quæritur proindè.

Primò. *An translatio dictæ Eccleſiæ Parochialis collapſæ ad Eccleſiam ſimplicem B ſuſtineatur.*

Secundò. *An eadem Eccleſia Parochialis ſit reportanda ad locum antiquum, ſeu ad Eccleſiam noviter ædificatam.*

1 Quod attinet ad primum, pro validitate translationis venit reſpondendum; Eccleſia namque Parochialis A à Terræmotu funditus ferè collapſa; ob ejus Patroni, ac Parochianorum inopiam, & paupertatem reædificari non poterat; validè igitur ab Epiſcopo, ejus Parochialitas, ſeu cura Animarum translata fuit ad Eccleſiam ſimplicem B viciniorem; cùm Eccleſia Parochialis, quando nullo modo reparari, ac refici valeat, ſit demolienda, prophananda, ibique Crux erigenda, & ad Matricem, ſeu viciniorem Eccleſiam transferenda, juxta litteralem diſpoſitionem hujus *Canonis* quam ſequuntur *Amoſtaz de Cauſ. piis tom.2. lib.5. cap6. n.64. Pignattell. conſult.60. num.19. tom.8. Sperell. deciſ. 67. n. 14. Ventrigl. in prax. par.2. annot.18. §. unic. n.27. & ſeq. Barboſ. de Paroch. par.1. cap.13. n.11. & de offic. & poteſt. Epiſcopi par.3. alleg. 64. num.19.*, & juxta ſenſum S. Congregationis Concilii in *Aquilana unionis, ſeu translationis Parochialium 9. Aprilis* 1712., ubi binis Eccleſiis Parochialibus à Terræmotu collapſis, cum ob tenuitatem reddituum ſingularum Eccleſiarum; & ob notam Parochianorum paupertatem, unaquæque earum refici non valuerit, fuit permiſſa earumdem unio, & translatio ad Eccleſiam ex communibus redditibus de novo erigendam.

2 Quod verò ſpectat ad ſecundum dubium videtur dicendum, quod dicta Ec-

cleſia Parochialis, ſeu Parochialitas tranſlata ad Eccleſiam ſimplicem B ſit reportanda ad locum antiquum, ſive ad Eccleſiam noviter ædificatam; ità namque deciſum fuit à S. Congregatione Concilii in *Spoletana Parochialitatis* 22. *Junii* 1686. *&* 26. *Februar.* 1695., ubi collapſa Eccleſia Parochiali ſub invocatione S. Michaelis Archangeli in culmine Montis apud Villam Lapidiam exiſtente, fuit ejus Parochialitas translata ad Eccleſiam confraternitatis S. Bernardini; Quoniam verò fidelibus concurrentibus ad B. Virginis Iconem in antiqua Parochiali depictam cum abundanti eleemoſynarum copia, ædificium præmemoratæ Eccleſiæ S. Michaelis decore inſtauratum, & manſiones contiguæ decenter conſtructæ fuerunt; prætenſionem Parochus excitavit ſuper jure exercendi animarum curam in Eccleſia noviter ædificata, atque habitandi domum annexam; cui S. Congregatio reſcripſit *Competere Parocho jus exercendi curam Animarum, cæteraſque functiones Parochiales in dicta Eccleſia S. Michaelis Archangeli reſtaurata, ac habitandi, domum contiguam, illiuſque commoditate fruendi, non obſtante concordia inita inter Parochum, & Parochianos die* 4. *Junii* 1689. *miniſtrandi Sacramenta functioneſque Eccleſiaſticas explendi in Eccleſia S. Bernardini.*

3 At hoc non obſtante cenſeo dicendum Parochialitatem dictæ Eccleſiæ Parochialis A collapſæ removeri non poſſe ab Eccleſia B, eamque reportari ad Eccleſiam

4 noviter ædificatam; quoniam Parochus tenetur reſidere, & functiones Parochiales peragere, nec non curam animarum exercere in ſua Eccleſia Parochiali, qualis eſt Eccleſia B, ad quam cura Animarum, & Parochialitas translata fuit; ibique continuata per multi temporis ſpatium ad *Text. in cap.* 2. *de Paroch. & cap.* 1. *ad audientiam de Eccleſ. ædific. Barboſ. de Paroch. cap.* 11. *n.* 3. *& cap.* 12. *n.* 10. *Monacell. formul. Eccleſ. par.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *n.* 68. *& par.* 1. *tit.* 12. *form.* 7. *num.* 10. Ac reſidere tenetur in Domo propriæ Ec-

5 cleſiæ Parochialis, non autem alibi juxta *Fagnan. in cap. extirpandæ* §. *Si verò n.* 12. *& ſeqq. de præben. Garz. de benef. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 179. *Barboſ. de Paroch. par.* 1. *cap.* 8. *n.* 1. *& ſeqq.*

Non obſtat Eccleſiam A fuiſſe antiquam Parochialem, quia in præſentiarum non eſt amplius Parochialis, ſed Eccleſia

6 ſimplex. Tum quia fuit diruta, & profanata, quo caſu amiſit conſecrationem, & omnia jura Eccleſiæ ad *Text. in Can. propoſuiſti de conſec. Eccleſ. Abb. in cap.* 2. *n.* 5. *de nov. oper. nunc.* Et licèt poſt detectam

7 Imaginem Beatiſſimæ Virginis in muro Eccleſiæ dirutæ, nova à fundamentis extructa fuit Eccleſia ex Eleemoſynis, tamen hæc non dicitur antiqua Eccleſia, quæ profanata remanſit, ſed nova, non obſtante, quod ædificium factum fuerit in ſitu, ubi antiqua Eccleſia permanebat, ut tradunt *Abb. in d. cap.* 2. *n.* 5. *de nov. oper. nunc. ibique Innoc. n.* 2. *Jo. Andr. n.* 3. *Pignattell. conſult.* 39. *n.* 1. *tom.* 10.

8 Tum etiam quia cura Animarum fuit translata à dicta Eccleſia A, ad Eccleſiam B, ubi totus Populus Curæ habitat non proviſionaliter, & ad tempus; quo caſu eſſet locus reportationi Parochialitatis ad Eccleſiam antiquam, ſed perpetuò propter impoſſibilitatem reædificationis ejuſdem Eccleſiæ provenientem ob ejus Patroni, ac Parochianorum inopia, propter commoditatem, & neceſſitatem Populi, & ad hujus inſtantiam; dum antiqua Eccleſia Parochialis erat incommoda Populo, utpotè poſita in cacumine montis, ad quam tempore hyemali difficilis erat Parochianis acceſſus, & incommodum erat Parocho deſcendere à Monte ad deferendum Viaticum, & aſſiſtendum infirmis: Quæ translatio Curæ fuit in multorum annorum ſpatio obſervata; Quo caſu prima Eccleſia remanet ſimplex, nec poteſt amplius ibi exerceri Cura, & reponi Parochialitas ad merum arbitrium Parochi virtute translationis,

9 quæ ſubrogat Eccleſiam novam antiquæ in omnibus ejus juribus qualitatibus, & prærogativis juxta *Gloſſ. in Can. ex hoc diximus verb. deſtructa* 16. *q.* 7. *Text. in Can. tribus de conſecr. diſt.* 1. *Rebuff. in prax. benef. tit. de translat. Epiſc. num.* 11. 16. *&* 19. *Rot. coram Seraph. deciſ.* 1149. *num.* 16. Et reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Æſina Translationis Eccleſiæ Parochialis* 7. *Decembris* 1709. ubi translata Animarum Cura, & Sacramentorum adminiſtratione, quæ exercebatur in Eccleſia Parochiali S. Jacobi Loci

Loci Caſtri Plani, ſive ob ejuſdem Eccleſiæ ruinam, ſive ob aliam cauſam ad Eccleſiam S. Sebaſtiani ad Communitatem dicti Loci pertinentem, & ſub ortis nonnullis diſſentionibus inter dictam Communitatem, & Curatum, recurſum habuit eadem Communitas ad Sacram Congregationem pro remotione Parochiæ ab Eccleſia S. Sebaſtiani, ejuſque repoſitione in antiqua Parochiali S.Jacobi; diſputato proindè inter cætera dubio = *An Epiſcopus teneatur removere Parochiam ab Eccleſia S. Sebaſtiani Patronali Communitatis, & illam reportare ad antiquam Parochialem Eccleſiam S. Jacobi* = reſponſum fuit = *Negativè*.

10 Nec adverſatur reſolutio ejuſdem Sacræ Congregationis in dicta *Spoletana Parochialitatis*, quia repropoſita hujuſmodi Cauſa *die* 16. *Novembris* 1715., me ſtudente apud R. P. D. meum Petra, receſſum fuit à deciſis, ac inſuper definitum quod Parochus teneatur reſidere in Eccleſia S. Bernardini.

CANON V.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXII. Cap. XI.

SI quem Clericorum, vel Laicorum, quacumque is Dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiaſticæ, ſeu cujuſvis ſæcularis, vel regularis Beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum, juriſdictiones, bona, cenſus, ac jura etiam feudalia, & emphyteotica fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut Laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, nè ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiù ſubjaceat, quamdiù juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, pervenerint, Eccleſiæ, ejuſque adminiſtratori, ſive beneficiato integrè reſtituerit, ac deindè à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi ejuſdem Eccleſiæ Patronus fuerit, etiam jurepatronatus, ultra prædictas penas, eo ipſo privatus exiſtat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & uſurpationis hujuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat,

nec non quibuſcumque beneficiis privatus ſit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui ordinarii arbitrio ſuſpendatur.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

PATRONUS SIVE LAICUS, SIVE ECCLESIASTICUS QUACUMQUE DIGNITATE PRÆFULGEAT ETIAM IMPERIALI, VEL REGALI USURPANS JURA, BONA, SEU FRUCTUS ECCLESIÆ PATRONALIS, VEL IMPEDIENS NE AB IIS, AD QUOS JURE PERTINENT, PERCIPIANTUR, EST TAMDIU EXCOMMUNICATUS, QUAMDIU EADEM BONA RESTITUAT ILLIS, AD QUOS SPECTANT, ET EST EO IPSO PRIVATUS JUREPATRONATUS = Quam concluſionem probant etiam *Fagnan. in cap. Extirpandæ de præben. n.8. Capon. diſcept.* 134. *n.*42. *tom.*3. *Marant. reſponſ.*21. *num.*10. *& ſeqq. lib.*2. *Ventrigl. in prax. p.*1. *annot.*26. §. *unic. num.*5. *Vivian. de jurepat. par.*3. *lib.*15. *cap.*2. *num.*13. *Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.*11. *n.*32. *& diſc.*23. *num.*1. *& de jurepat. diſc.*12. *num.*7. *& de legitim. diſc.*37. *n.*7. *Pignattell. conſult.*82. *n.*23. *tom.*9. *R. P. D. Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolic. VIII. Gregorii IX. num.*58. *cum ſeqq. tom.*2. *pag.*545. *Barboſ. hic num.*13. *Rot. deciſ.* 220. *n.*36. *in fin. par.*17. *rec. & in Cracovien. Parochialis Kyenſis* 4. *Febr.* 1705. §. *unicum, coram bo. me. Caffarello, &* 20. *Januarii* 1706. §. *Nec, coram bo. me. Omaña*, & adeſt Bulla *in Cœna Domini*.

1 Approbat, atque confirmat hìc Concilium id ipſum, quod ſtatutum fuit in *Canone IV.* de quo ſupra *Par.I.*, & in *Can.XXVII. Par.II.*, ubi ſimilem concluſionem in *Commentario* deduximus. Ratio autem ità decernendi per Concilium fuit, indemnitas Eccleſiarum; nimirum ut ſic Patroni ſpiritualibus armis excomunicationis, & privationis juriſpatronatus perterriti ſe abſtinerent ab uſurpatione, & occupatione jurium, bonorum, & fructuum Eccleſiarum, beneficiorum, & aliorum locorum piorum. Eamdem prohibitionem Patroni nè ſe ingerat in perceptione fructuum, ac adminiſtratione bonorum Eccleſiæ, vel Beneficii, cujus Patronus exiſtat, repetit Concilium *in cap.*3. *ſeſſ.*24., de quo infra *Can. VII. & in cap.*9. *ſeſſ.*25. de quo pariter infra *Can.XII.*

Quoad hanc Concluſionem ſequentes differuntur Caſus.

ARGUMENTUM.

Patronus percipiens, & poſſidens bona, & fructus Eccleſiæ Patronalis titulo conductionis an ſit excommunicatus, & privatus Jurepatronatus?

SUMMARIUM.

1 *Patronis an ſit prohibitum per triennium conducere bona, & fructus Eccleſiæ Patronalis*. & num. 3. & 4.

2 *Patronus poſſidens bona Eccleſiæ Patronalis titulo conductionis non incidit in pœnas excommunicationis, & privationis Juriſpatronatus*. Et quare. Vide ibi

4 *Qualibet Perſona extranea conducere poteſt per triennium bona Eccleſiæ Patronalis*. Ampia ut ibi

5 *Concilium* in cap. 9. ſeſſ. 25. *non comprehendit poſſeſſionem, & perceptionem fructuum beneficiorum Patronalium legitimam, ſed ſolùm illam, quæ eſt violenta, injuſta, potentialis, & auctoritativa*; ut num. 6.

CASUS I.

Rector Eccleſiæ Patronalis A locavit per triennium omnes fundus, & bona ad ipſam Eccleſiam ſpectantia, pro annua reſponſione ſcutorum centum Patrono, qui annuatim colebat dictos fundus, & bona, ac ab eis percipiebat, & colligebat uvas, triticum, fænum, & omnes

nes alios fructus, punctualiter ſolvendo. Rectori dictam annuam reſponſionem; Quæritur an idem Patronus dicatur in hoc caſu incurſus in pœnas à Concilio in hoc *Canone* comminatas.

1 Videtur reſpondendum affirmativè prohibitum eſt enim Patronis non ſolùm uſurpare, & occupare bona, & fructus Eccleſiæ Patronalis, verùm etiam & illa conducere, dum tam in hoc *Canone*, quam *in cap. 9. ſeſſ. 25. de reform.* generaliter Concilium decernit Patronos nullatenus, nullave cauſa, & occaſione ſe ingerere in perceptione fructuum beneficiorum, ut expreſsè tuentur *Fagnan. in cap. Extirpandæ de præben. nu.9. Pignatell. conſult.82 num. 24. tom. 9. R. P. D. meus Petra in Comment. ad Conſtit. ſeptimam Gregorii IX. num. 65. tom. 2. pag. 546.*

2 At contrarium veriùs de jure cenſeo tuendum; ſiquidem ad hoc, ut Patronus incidat in pœnas excommunicationis, & privationis jurispatronatus hìc comminatas, non ſufficit quæcumqne poſſeſſio, & occupatio, ſed requiritur, quod occupatio, & poſſeſſio bonorum, & reddituum Eccleſiæ per ſe, vel alium ſit doloſa, fraudulenta, ac malitioſa, cùm ſinè dolo, & malitia non detur culpa; juxta *Fagnan. in dicto cap. Extirpandæ de præben. num. 11. Pignattell. ubi ſupra num. 24. Rot. in Cracovien Parochialis Kyenſis 4. Febr. 1705. §. Cum, coram R. P. D. bo. me. Caſſarello* ibi = *Cùm nec qualibet bonorum Eccleſiaſticorum occupatio inducat privationem, niſi proveniat ex dolo, & maltia* = *Et 20. Januar. 1706. §. Nec, coram bo. me. Omanna* ibi = *Cùm de cætero non qualibet ſimplex occupatio eamdem privationis pœnam inducat, ſed ea dumtaxat, quæ jam fuiſſet pro doloſa ab ipſamet parte, vel in judicio canonizata* =

In caſu præſenti, in præfato Patrono nullus eſt dolus, nec malitia, ſed bona fides, tum quia videns quotidie locari bona Eccleſiæ perſonis extraneis; prudenter credere potuit, quod etiam ſibi locari

3 potuerint; tum quia juxta ſententiam *Barboſæ ad Concil. cap. 9. ſeſſ. 25. num. 76. & in cap. Præterea il 2. nu. 5. de Jurepat.* non eſt prohibitum Patronis bona Eccleſiæ patronalis ſaltèm per triennium conducere.

4 Quam quidem *Barboſæ* ſententiam puto veriorem; Etenim quælibet Perſona extranea conducere poteſt bona, & fructus Eccleſiæ Parochialis per triennium *Garz. de benef. par. 2. cap. 1. num. 2. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 1. §. 1. num.7. ibiq. Carol. Anton. de Luc. n. 2.* imò etiam ultra triennium ſinè Beneplacito Apoſtolico: ſi in limine fundationis Eccleſiæ, ſive beneficii fuiſſet à Fundatore expreſsè appoſita conditiò, quod bona locarentur ad longum tempus ſinè ſolemnitate Beneplaciti; *Pacion. de locat. cap. 14. §. 6. num. 19.* Ergo etiam, & Patronus poterit conducere eadem bona, & fructus, & quidem à fortiori, dum utilius eſt Eccleſiæ locare bona, & fructus Patrono, qui ob ejus intereſſe præſumitur habere majorem affectionem, & attentionem, ut bona ipſa conſerventur, & non deteriorentur, quam cuilibet alteri Perſonæ, quæ, ut experientia docet, ſolùm attenta in perceptione fructuum ex bonis locatis, & conductis, nihil ei intereſt, ſi bona, & fundus in fine triennii deteriorentur.

5 Non obſtat, quòd verba Concilii *in cap. 9. ſeſſ. 25.* de quo infra *Can. XII.* ſint generaliſſima, eo quod decernat ibi Concilium, quod Patroni in perceptione fructuum, proventuum, quorumcunque beneficiorum patronalium *nullatenus, nullave cauſa, vel occaſione ſe ingerant*; Quoniam illa verba non percutunt perceptionem, poſſeſſionem, & adminiſtrationem fructuum eorumdem beneficiorum legitimam, & à legitimo titulo provenientem. Sic videmus, quod licèt Concilium dicat, quod Patroni nullatenus, nullave cauſa, vel occaſione percipiant fructus Eccleſiæ, non per hoc eis prohibet percipere, & poſſidere fructus ſuperfluos, & ſuperexcedentes in caſu inopiæ; nec percipere, & adminiſtrare fructus procuratorio nomine, nimirùm in caſu, quo Rector beneficii conſtitueret Patronum procuratorem ad exigendos, adminiſtrandos, & percipiendos fructus in caſu ejus abſentiæ; nec denique exigere cenſum communem cum Eccleſia; videlicet ſi Patronus habeat cenſum communem cum Eccleſia, & ſe ingerat in illo, ipſum integrè exigendo, ſi portionem ad Eccleſiam ſpectantem reſtituat, non per hoc eſt excommunicatus, nec privatus jurepatronatus; quia hæc exactio non eſt fraudulenta, ſed pro-

provenit à jure ſibi competente. *Fagnan. in dicto cap. Extirpandæ de præben. nu.* 11. *Pignattell. conſult.* 82. *nu.* 24. *tom.* 9. Sed
6 percutunt perceptionem, poſſeſſionem, & adminiſtrationem fructuum, ac bonorum beneficiorum patronalium violentam, injuſtam, potentialem, & auctoritativam, perinde ac ſi diceret, quod Patroni in perceptione fructuum nullatenus, nullave cauſa, vel occaſione violenter, potentialiter, aut auctoritativè, ſe ingerant. *Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.* 23. *nu.* 3.

ARGUMENTUM.

Patronus, qui ſit etiam Rector Eccleſiæ Patronalis an alienare poſſit hujus bona ob remuneranda merita erga ipſam Eccleſiam præſtita cum Beneplacito Apoſtolico, & quando hoc ſit concedendum?

SUMMARIUM.

1 *Alienatio bonorum Eccleſiæ facta à Patrono, qui ſit etiam Rector ejuſdem Eccleſiæ ob juſtam gratitudinem, & meriti remunerationem erga Eccleſiam præſtiti eſt Beneplacito Apoſtolico confirmanda*; & num. 7. & 9.

2 *Enumerantur quamplurimi Caſus, quibus Sedes Apoſtolica concedere ſolet Beneplacitum Apoſtolicum alienandi jura, bona, & res Eccleſiæ*; & num. 3. 4. 5. & 6.

8 *Prælatus, ſeu Rector alienare poteſt res Eccleſiæ pro remuneratione meritorum.*

10 *Rector Eccleſiæ Patronalis una cum conſenſu Patroni an reducere poſſit fructus cenſus conſignativi ad Eccleſiam ſpectantis abſque Beneplacito Apoſtolico?*

CASUS II.

INſtitutus in Præpoſitura de Jurepatronatus erecta in Eccleſia Cathedrali A quidam Patronus ad præſentationem ſui ipſius per viam precum obtinuit ſe, ſuoſque futuros ſucceſſores in eadem Præpoſitura decorari à quodam ſupremo Principe titulo primi Equitis in ejus Aula; ob tanti beneficii memoriam, idem Patronus in dicta Præpoſitura inſtitutus, ex hujus redditibus aſcendentibus ad annua ſcuta mille decrevit, ut perpetuis futuris temporibus, Præpoſiti ſolverent ſcuta centum quotannis Capitulo dictæ Eccleſiæ Cathedralis, onere injuncto Canonicis, ut celebrarent unam Miſſam qualibet hebdomada pro Anima præfati Principis; Quæritur an hujuſmodi alienatio annuorum ſcutorum centum ex fructibus Præpoſituræ facta à dicto Patrono favore Capituli, ſupradicto onere huic adjecto, ſit Beneplacito Apoſtolico confirmanda?

1 Reſpondendum cenſeo affirmativè; ſiquidem non eſt abbreviata manus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, dum in multis caſibus, urgente neceſſitate, & utilitate concedi ſolet ab ipſa Beneplacitum Apoſtolicum alienandi jura, bona, & res Eccleſiæ, ut pluribus exemplis patet.

2 Et primo, ſi Eccleſia in caſu, quo hæres primo inſtitutus decedat ſinè filiis, ſit ſubſtituta à Teſtatore in tota ejus hæreditate, cum facultate illam alienandi, & vendendi, & cum onere Rectori injuncto, ex retractu ejus venditionis, celebrandi tot Miſſas pro Animabus Purgatorii, & hæres primò inſtitutus exiſtens in ætate valida, florida, & apta filios procreandi, volens eximere eamdem hæreditatem à vinculo ſubſtitutionis in caſu ejus præmorientiæ ſinè liberis, ſi ineat concordiam cum Rectore dictæ Eccleſiæ, qua promittat celebrari facere ſummam Miſſarum trium millium e. g. infra annum; & Rector Eccleſiæ abdicet, & renunciet omni, & cuicumque juri ſibi in futurum competen. ſuper hæreditate prædicta, hujuſmodi concordia, eſt Beneplacito Apoſtolico confirmanda; uti fuit confirmata prævio voto S. Congregationis Concilii in *Januen. Beneplaciti* 5. *Septembris* 1711.

3 Secundo, conceditur à Sede Apoſtolica facultas alienandi bona Eccleſiæ ad effectum reſtaurandi domum ad ipſam Eccleſiam ſpectantem, quando domus inevitabilem minatur ruinam, & quando ex illius reſtauratione evidens provenit utilitas, eo quia Eccleſia recipiat ex illius reſtauratione majorem annuam penſionem, ut ſimilis facultas conceſſa fuit à S. Congregatione Concilii in *Bononien. facultatis alienandi* 9. *Aprilis* 1712.

4 Tertio, ſi Abbas, aut Monaſterium habeat

beat homines ſibi ſubjectos, & obnoxios tali ſervitute, ut ipſis decedentibus abſque prole, & abſque præcedenti diſpoſitione bonorum inter vivos, eorum hæreditates ſpectent ad idem Monaſterium; ſi inter ipſos, & Monaſterium fiat concordia, qua dicti homines promittant ſolvere Monaſterio quolibet anno certam, & congruam pecuniarum ſummam, & è contra Monaſterium promittat liberare dictos homines ab hac ſervitute; hujuſmodi concordia eſt confirmanda Beneplacito Apoſtolico cum clauſula *ſi in evidentem*, & cum aliis clauſulis ſolitis, utì de facto fuit confirmata ab eadem S. Congregatione *in Gebennen. Beneplaciti* 19. *Auguſti* 1713.

5 Quarto; ſi Eccleſia A e. g. habeat multa bona in uno dominio, ubi exiſtit Eccleſia B; & hæc habeat multa alia bona in altero dominio, ubi exiſtit Eccleſia A; poteſt inter ipſas fieri tranſactio, & concordia, qua permutentur ad invicem præfata bona, ſi ex promiſcua horum ſituatione partim in uno, & partim in altero ex dictis dominiis, grave damnum eædem Eccleſiæ patiantur, & hujuſmodi concordia Apoſtolico eſt digna Beneplacito, juxta ſenſum prædictæ S. Congregationis *in Bayonen. & Pampilonen. Beneplaciti* 13. *Martii* 1717. Ubi cùm Epiſcopus, & Capitulum Bayonenſis Eccleſiæ plurima bona in ſuperiori Navarra ſub dominio Catholici Hiſpaniarum Regis haberent; & è converſo ad Priorem, & Conventum Regularium S. Auguſtini Monaſterii Roncevallis Pampilonen. Diœceſis diverſa jura, & bona in Navarra inferiori ſub dominio Chriſtianiſſimi Galliæ Regis ſpactarent; evenit, ut utraque Eccleſia occaſione bellorum, quæ inter dictos Reges ſuperiori ſæculo exarſerunt, plures paſſa ſit in ſuis reſpectivè bonis confiſcationes, & invicem jure belli ad repreſalias devenerit; Hinc Partes ſaluberrimum inierunt conſilium deveniendi ad tranſactionem, in qua ut cauſa malorum omnium promiſcua ſituatio bonorum partim in uno, & partim in altero ex dominiis præfatis removeretur, Epiſcopus Bayonenſis, & Capitulum ceſſerunt Priori, & Canonicis Roncevallis omnia ea bona; & jura (excepta juriſdictione Epiſcopali quo ad ſpiritualia) quæ habebant ſub dominio Catholici Regis; Et viceverſa dicti Prior, & Canonici ea ceſſerunt Epiſcopo, & Capitulo, quæ ad ipſos in dominio Chriſtianiſſimi Regis ſpectabant; Quæ concordia fuit ab Eminentiſſimis Patribus ubi ſupra confirmata juxta Votum Eminentiſſimi Barberini, de quo ipſe fuit ab eadem S. Congregatione requiſitus.

6 Quinto, ſi bona aſſignata Cappellaniæ cum onere Miſſarum concedantur alicui ad meliorandum, nè ex continua eorumdem bonorum deterioratione de die in diem numerus Miſſarum decreſcat, hujuſmodi conceſſio eſt Beneplacito Apoſtolico confirmanda, utì reſolutum fuit à præfata S. Congregatione in *Ulyſſiponen. Beneplaciti* 31. *Julii* 1717. *ea tamen conditione, ut omiſſa per annum celebratione Miſſæ quotidianæ bona unà cum meliorantis favore operis pii liberè devolvantur.*

7 Ergo etiam & ſupradicta alienatio annuorum ſcutorum centum ex redditibus Præpoſituræ facta à Patrono, qui etiam eſt Præpoſitus dictæ Eccleſiæ Cathedralis favore hujus Capituli, onere huic adjecto celebrandi qualibet hebdomada unam Miſſam pro Anima memorati Principis erit Beneplacito Apoſtolico confirmanda. Ratio eſt quia hujuſmodi alienatio fuit facta à dicto Patrono ex cauſa meritorum, nimirum ob remunerandum meritum, & beneficium Tituli primi Equitis, quo dictus Supremus Princeps Præpoſituram decoravit, adeóque alienatio dicitur utilis,

8 & digna, ut confirmetur, cum Prælatus, ſeu Rector alienare poſſit res Eccleſiæ pro remuneratione meritorum *ad Text. in cap. Conſenſus de reb. Eccleſ. non alienan. ibiq. Barboſ. num.* 4. *& in Authen. Licentiam C. de Epiſcopis, & Clericis. Tiraquell. in l. Si unquam verb. Donatione largitus num.* 27. *Gratian. diſcept.* 818. *num.* 34. *tom.* 5. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 4. *alleg.* 95. *num.* 62. *Turricell. de reb. Eccleſ. non alienan. cap.* 18. *num.* 17. Ut in

9 ſimili caſu reſcripſit ſæpe dicta S. Congregatio Concilii in *Strigonien.* 17. *Decembris* 1718. me ſtudente apud R.P.D. Lambertinum, ubi cùm Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Archiepiſcopus Strigonienſis obtinuerit à Sacra Cæſarea Majeſtate perpetuis futuris temporibus Archiepiſcopos Strigonienſes decorari titulo, & dignitate Principum

cipum Sacri Romani Imperii, non ut ſibi conſuleret, cum Principis Sacri Romani Imperii titulum à ſuo ſanguine obtinuerit, ſed ut Eccleſiam ſuam, ſuoſque in Archiepiſcopatu Succeſſores novis cumularet honoribus, ob tanti Principis beneficentiam aliquatenus remunerandam decrevit, ut ex redditibus Menſæ Archiepiſcopalis aſcendentibus ad annuos ſexaginta mille circiter florenos Rhenenſes, ſolverentur quotannis in perpetuum ab Archiepiſcopis Strigonienſibus mille floreni Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ, ea impoſita lege, ut Canonici celebrare deberent ſingulis menſibus duas Miſſas ſolemnes, alteram nempe pro incolumitate Domus Auſtriacæ, alteram pro refrigerio, & ſuffragio Animæ ſuæ, ita tamen ut ex Miſſis pro incolumitate Domus Auſtriacæ celebrandis, duæ eſſent votivæ de Venerabili Euchariſtiæ Sacramento cum ejuſdem expoſitione, & ut eo tutius hæc pia voluntas executioni mandaretur, addidit, quod in hypoteſi, in qua ſui in Archiepiſcopatu Succeſſores prædictos mille florenos ſolvere recuſarent, liberum eſſet Capitulo ſinè juris ſtrepitu, eorum ſatisfactionem conſequi ex nonnullis decimis ad Menſam Archiepiſcopalem ſpectantibus, nullo alio adhibito judicio, quam duorum Nobilium Comitatus Nitrienſis; Supplicavit proinde pro Apoſtolica confirmatione, unde propoſito dubio in S. Congregatione = *An ſit locus confirmationi Apoſtolicæ* = reſcriptum fuit = *Affirmativè juxta modum*.

10 Quæro hìc an Rector Eccleſiæ Patronalis unà cum conſenſu Patroni reducere poſſit fructus cenſus conſignativi ad Eccleſiam ſpectantis abſque Beneplacito Apoſtolico?

Affirmant *Card. de Luc. de alienat. diſc. 6. num. 5. & diſcept. 14. num. 4. & ſeq. de cenſib. & in conflictu legis obſervat.* 201. *Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. in prax. par. 1. annot. 1. §. 2. num. 4. R. P. D. meus Petra ad Conſtit. Apoſtolic. tom. 1. fol.* 138. *num.* 88. *Monacell. tom. 4. in ſupplem. ad tom. 2. fol.* 151. *num.* 146. *& ſeqq.*

Negant verò *Ricc. deciſ. Cur. Archiep. Neapolitanæ deciſ.* 134. *part. 1. idem reſol.* 37. *part. 2. nu. 4. de Marinis reſol. jur. cap. 6. num. 10. & ſeq. tom. 1. Barus in ſuo Torcular. Juris reſol.* 100. *per tot Ventrigl. in prax. par. 1. annot. 1. §. 2. num. 6.*

Quam ſententiam negativam amplexa eſt S. Congregatio Concilii in *Senogallien. Cenſuum.* 2. *Julii* 1718. ubi cum quidam Hypolitus ab Officialibus Confraternitatis SS. Sacramenti reductionem obtinuerit fructuum duorum cenſuum ad rationem quatuor pro centenario abſque Apoſtolico Beneplacito, reſcripſit infraſcriptis dubiis, videlicet; Primo = *An Reductio fructuum cenſus ſinè Beneplacito Apoſtolico ſuſtineatur in caſu &c. & quatenus negativè* = Secundo = *An ſit locus revalidationi, & confirmationi contractus Reductionis tam pro præterito, quàm pro futuro* = Ad Primum = *Negativè in caſu, de quo agitur* = Ad Secundum = *Negativè quo ad præteritum, reſervato jure Hippolyto, agendi contra Priores, qui reduxerunt cenſum, & quo ad futurum arbitrio Eminentiſſimi Epiſcopi* =

ARGUMENTUM.

Patronus alienans bona Eccleſiæ Patronalis contra expreſſam prohibitionem Fundatoris ſub pœna caducitatis, an, & quando privetur Jurepatronatus, & fiat locus ſubſtitutioni favore alterius vocati?

SUMMARIUM.

1 *Patronus alienans bona Eccleſiæ contra expreſſam prohibitionem Fundatoris ſub pœna caducitatis eſt privatus Jurepatronatus, & factus eſt locus ſubſtitutioni alterius vocati*; & num. 21. & 26. Amplia ut num. 2. Intellige, ut num. 8. & 20.

2 *Scientia prohibitionis alienationis an ſit cauſativa doli?*

3 *Quod Patronus habuerit ſcientiam prohibitionis alienandi ſibi à Fundatore injunctæ, ex quibus colligatur?* Vide ibi, & num. 4. & 5.

6 *Papa non ſolet derogare fundationibus Beneficiorum præſertim in præjudicium vocatorum.*

7 *Derogare fundationi, & commutare volunta-*

luntatem Fundatoris, eſt de reſervatis Papæ.

8 *Patronus alienans bona Eccleſiæ in hujus utilitatem, & commodum, & urgente neceſſitate, non privatur jurepatronatus, nec fit locus ſubſtitutioni favore alterius vocati, non obſtante prohibitione Fundatoris ſub pœna caducitatis.*

9 *Prohibitio alienationis bonorum Eccleſiæ non comprehendit alienationem neceſſariam, & utilem eidem Eccleſiæ.* Amplia ut num. 10. & 11.

12 *De requiſitis neceſſariis ad incurrendam pœnam caducitatis, & alias pœnas à jure, vel ab homine inflictas*; & num. 13. 14. & 15.

16 *Beneplacitum Apoſtolicum operatur, ut alienatio ſuſtineatur non obſtante quacumque prohibitione Fundatoris.*

17 *Beneplacitum Apoſtolicum obtentum à Patrono ſuper alienatione prævia narrativa prohibitionis Fundatoris, non eſt ſubreptitium.*

18 *Dolus, & malitia quando dicantur deficere in Patrono alienante.* & num. 19.

22 *Prohibitio alienandi Eccleſiam, ſive Cappellam unà cum ſuis juribus comprehendit non ſolùm Eccleſiam materialem, verùm etiam hujus prædia, & bona dotalia.*

23 *Sub prohibitione alienandi Eccleſiam cum ſuis juribus non comprehenditur juſpatronatus, quod non eſt jus Eccleſiæ, ſed Patronorum.*

24 *Ceſſa, ac renunciata à debitore, tota hæreditate, in qua adſint Eccleſia, hujus Domus, & juſpatronatus, favore Creditorum; an, & quando in hos translata dicantur Eccleſia materialis, hujus Domus, ac juſpatronatus.* & num. 25.

27 *Juſpatronatus eſt quid diſtinctum ab hæreditate, & non venit nomine hæreditatis.*

28 *Prohibitio alienationis ſub pœna caducitatis adjecta in inſtrumento fundationis beneficii, & ratificata in teſtamento, ineſſe dicitur in eodem teſtamento.*

29 *Jus nominandi poteſt eſſe penès unum de familia, quantumvis juſpatronatus inſit penès hæredes ejuſdem familiæ.*

CASUS III.

PRohibuit quidam pius Fundator ejus Filio primogenito, cui reſervavit juſpatronatus Eccleſiæ A, alienare hujus bona, ſub pœna caducitatis à jurepatronatus favore ſecundogeniti; Non obſtante hac prohibitione Patronus primogenitus prævio conſenſu Rectoris, ac obtento priùs Beneplacito Apoſtolico cum expreſſione hujuſmodi prohibitionis, alienavit nonnulla bona minùs utilia, & fructifera pro reparatione Eccleſiæ, quæ inevitabilem minabatur ruinam; Hinc ſecundogenitus prætendit eſſe factum locum ſubſtitutioni contraventionali favore ſui ipſius, & ad ſe ſpectare juſpatronatus; Quæro proinde, an primogenitus Patronus ſit privatus in hoc caſu jurepatronatus, adeò ut factus ſit locus ſubſtitutioni favore ſecundogeniti?

Prima conſideratione reſpondendum videtur affirmativè, Patronus namque directè contravenit non ſolùm diſpoſitioni hujus *Canonis* ſtrictè ei ſub pœna privationis jurifpatronatus occupare, uſurpare, & alienare bona Eccleſiæ prohibentis; verùm etiam ipſimet voluntati Fundatoris, dum alienavit bona Eccleſiæ Patronali per eum aſſignata; Unde poſita 1
expreſſa, & rigoroſa prohibitione alienandi ſub pœna caducitatis, manifeſtè ſequitur, quod Patronus privatus remanſerit jurepatronatus, & factus fuerit locus ſubſtitutioni contraventionali favore ſecundogeniti, ad quem proinde in hoc caſu ſpectabit juſpatronatus, non expectata morte primogeniti alienantis, quem ſicuti in ipſo momento alienationis Fundator pro mortuo ad effectum retinendi juſpatronatus reputavit, illius propterea exiſtentia impedire non poterit, quin ad ſubſequentem vocatum propter ejus contraventionem æquè, ac in caſu obitus ſucceſſio devolvatur ad *Textum expreſſum in l. Peto luci* 71. §. *Fratre hærede inſtituto, & l. Cùm Pater* 79. §. *Libertis ff. de Legat.* 2. & tradunt *Actolin. reſol. forenſ.* 100. *num.* 54. *&* 76. *Ciarlin. controv.* 43. *num.* 6. *& ſeqq. Rot. deciſ.* 313. *num.* 19. *par.* 10. *& deciſ.* 205. *nu.* 2. *& ſeqq. par.* 15. *rec. & deciſ.* 702. *nu.* 1. *coram Emerix. jun. & in Romana Primogenituræ de Cardellis* 16. *Mar-*

16. *Martii* 1711. §. *Inficiari coram R.P.D. Criſpo*, *& in Romana, ſeu Lucana Primogenituræ de Carminatis* 9. *Aprilis* 1717. §. *Rectè coram R.P.D. Cerro*, & in noſtris terminis, *in Romana Fideicommiſſi* 22. *Februarii* 1717. §. *Præfatus coram R. P. D. Cerro* inferiùs hic impreſſ. *confirmata* 25. *Junii ejuſdem anni* §. *Præceptum coram eodem*, *&* 22. *Junii* 1718. §. *Conformitas coram R.P.D. Criſpo*.

2 Ponderato præſertim quòd hujuſmodi alienatio videtur doloſa, dum fuit facta à Patrono prævia ſcientia prohibitionis alienandi ſibi à Fundatore injunctæ cum caducitatis comminatione; quæ ſcientia videtur cauſativa doli, quia eo ipſo, quod Patronus egit contra legem à Fundatore præſcriptam, & ſibi cognitam diſſipando bona Eccleſiæ Patronalis, quæ integrè erant conſervanda, id ſemper doloſè factum eſſe præſumitur. *Rot. deciſ.* 203. *n.*1. *&* 2. *par.* 6. *rec. & in Romana Primogenituræ de Albericis* 3. *Julii* 1702. §. *Minuſque refragante*, *&* §. *Cum etenim coram R.P.D. Anſaldo*, *& in Carpentoraten. Fideicommiſſi* 26. *Junii* 1709. *coram bo. me. Caffarello*, *& in dicta Romana Primogenituræ de Cardellis* 16. *Martii* 1711. §. *Attamen*, *coram R.P.D. Criſpo*.

3 Quod autem Patronus haberit ſcientiam dicti præcepti, ſatìs colligitur ex eo, quia ipſe in actu præſentationis Rectoris Eccleſiæ produxit in Cancellaria Epiſcopali inſtrumentum fundationis, ex qua ſola productione excluſa remanet ignorantia, & validum inducitur argumentum plenæ, & individuæ ſcientiæ de omnibus contentis in inſtrumento producto. *Rot. in dicta Carpentoraten. Fideicommiſſi* 26. *Junii* 1709. §. *Et eo libentius coram bo. me. Caffarello*, *& in Romana Legatorum* 9. *Junii* 1709. §. *Nec excuſari*, *coram Card. Vi-*
4 *cecomite*. Reſultat eadem ſcientia ex depoſitione etiam nonullorum Teſtium, qui teſtantur ſe noluiſſe emere dicta bona ad Eccleſiam ſpectantia, eo quia audiverint ex diſpoſitione Fundatoris eſſe prohibita alienari; ſi igitur talis prohibitio erat nota extraneis, multò magìs veriſimile eſt, quòd fuerit nota dicto Patrono. *Rot. deciſ.* 152. *n.*13. *coram Cavaler.* Ad idem
5 conducit impetrata licentia alienandi, ex qua inducitur ſcientia prohibitionis in alienante. *Alex. conſ.*4. *n.*20. *verſ. idem ſi appareret lib.* 2. *Curt. ſen. conſ.*73. *n.*14. *Rot. dicta deciſ.*152. *num.* 14. *& ſeq. coram Cavaler.*

Neque ab hac devolutione, ac caducitate Patronum excuſare poteſt Beneplacitum Apoſtolicum deſuper obtentum;
6 hoc enim videtur ſubreptitium, quia Papa nunquam ſolet derogare fundationibus beneficiorum, præſertim in præjudicium vocatorum *Rot. deciſ.*114. *num.*26. *par.*9. *rec.* Minùſque eamdem excuſationem cauſare valet conſenſus Rectoris præſtitus ſuper dicta alienatione, quia Rectores Eccleſiarum nequeunt diſſipare, & alienare bona Eccleſiaſtica, neque derogare voluntati, ac menti Fundatorum,
7 cum derogare fundationi, & commutare voluntatem Fundatoris ſit de reſervatis Papæ *ad Text. in Clement. quia contingit de Relig. domib. Rot. d. dec.* 114. *num.*22. *par.*9. *rec.*

8 Præmiſſis tamen non obſtantibus ſentio in hoc caſu Patronum non eſſe privatum jurepatronatus, & conſequenter nec eſſe factum locum prætenſæ devolutioni, ſeu ſubſtitutioni contraventionali favore Secundogeniti. Quoniam Patronus alienavit præfata bona Eccleſiæ Patronalis non in proprium commodum, nec in utilitatem alicujus Perſonæ extraneæ; Sed in utilitatem, & commodum ejuſdem Eccleſiæ; non voluntariè, ſed urgente maxima neceſſitate, nimirùm pro reparatione Eccleſiæ, quæ inevitabilem minabatur ruinam; non propria auctoritate, ſed cum conſenſu Rectoris, & Beneplacito Apoſtolico, quo caſu non cenſetur ei prohi-
9 bita hujuſmodi alienatio; dum prohibita per Fundatorem alienatione bonorum Eccleſiæ, licèt cenſeatur prohibita alienatio voluntaria in propriam, vel alterius commoditatem, tamen talis prohibitio non præſumitur comprehendere alienationem favorabilem, & utilem Eccleſiæ, & quæ fit ad hujus commodum, neceſſitatem, & utilitatem, ea ratione quia in quacumque diſpoſitione, non eſt ſpectanda formula, ſeu figura verbòrum, ſed ſubſtantia veriſimilis voluntatis; certum eſt in caſu præſenti, ubi alienatio fuit facta urgente maxima neceſſitate Eccleſiæ, ſeu pro neceſſaria illius reparatione, ſi viveret Fundator, illam approbaret, igitur prohibita per ipſum alienatione præſumitur

mitur veriſimiliter ſub tali prohibitione comprehendere noluiſſe alienationem neceſſariam, & utilem Eccleſiæ, ut expreſsè docent *Angel. de Peruſ. conſ.7. n.4.* ibi = *Et alienationes neceſſariæ nunquam ſub prohibitione includuntur* = *Roman.conſ.* 107. *n.2.* ibi = *Illud eſt clarum, quod Teſtatoris diſpoſitio alienationem certæ rei prohibens favore certarum perſonarum alienationem ſub ſe neceſſariam non includit* = *& conſ.* 219. *n.* 8., ibi = *Hoc primo probatur ex regula dicente quod quæcumque generalis alienationis prohibitio non includit in ſe neceſſariam alienationem* = *Tiraquell. de retract.* §.1.*gloſſ.*14. *n.*11. *Roderic. de annuis reddit. lib.* 2. *quæſt.* 15. *n.*81. *Gratian. diſcept.*108. *n.*3. *& diſcept.* 949. *n.*2. *Card. de Luc. de Fideic. diſc.*157. *n.*7. *Turricell. de reb. Eccleſ. non alienan. cap.*9. *n.*7. *Rot. dec.* 114. *n.*30. *par.*9. *rec.*

10 Quòd procedit etiam ſi fuiſſet à Fundatore prohibitum alienare bona Eccleſiæ etiam cum beneplacito Apoſtolico. *R.P.D. meus Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolic.* 1. *Leonis ſect.* 4. *num.* 47. *tom.*1. *pag.*102. Et etiam ſi fuiſſet in limine fun-
11 dationis prohibita alienatio etiam in melius, & utilis Eccleſiæ; quia alienatio, de qua agitur non ſolum eſt utilis, ſed etiam neceſſaria; quæ non præſumitur comprehenſa ſub prohibitione alienationis dumtaxat utilis.

Sed etiam per hypoteſim admiſſo, & nunquam conceſſo, quod talis prohibitio comprehendat etiam alienationem faciendam, ad commodum, & utilitatem Eccleſiæ, adhuc præſens alienatio bonorum Eccleſiæ,facta à Patrono,cauſare non poteſt caducitatem, & prætenſam devolutionem Juriſpatronatus favore ſecundogeniti.

12 Ad hoc enim, ut alienatio bonorum Eccleſiæ cauſare valeat in alienante pœnam caducitatis, aut alias pœnas ab homine, vel à jure in *Extrav. ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alienan.*, & in hoc *Canone* inflictas, requiritur primò, actus, per quem dominium transferatur, adeout ſi Patronus promitteret e. g. vendere, aut venderet bona Eccleſiæ, & non traderet illa bona, non diceretur incurſus in pœnas caducitatis, ſeu privationis Juriſpatronatus,nec excommunicationis,quia licèt venditio ſit cauſa transferendi dominium, tamen non concludit actum translationis, qui perficitur in traditione rei; *Ventrigl. in prax. par.*1. *annot.*1. §.4.*n.*16. Inſuper ſi alienaret eadem bona ſub conditione, nimirum *ſi, & in quantum de jure poſſum*; *ſi Sanctiſſimo placuerit &c.* non ſequuta adhuc traditione, hæc alienatio non cauſaret devolutionem, & caducitatem à Jurepatronatus, quia alienatio facta ſub conditione, non dicitur alienatio, ex quo pendente conditione ſtat in ſuſpenſo, itaut talis contractus conditionalis ſit reſolutus ipſo jure, ſi conditio non evenerit. *Gratian. diſcept.* 949. *n.*5. *&* 9. *tom.* 5. Aut ſi generaliter hypothecaret bona Eccleſiæ, quia cùm tractetur de puniendo; verbum *Alienationis* accipitur ſtrictè, & propriè, ſeu pro translatione dominii. *Fagnan. in cap. nulli de reb. Eccleſ. non alienan. n.*30. *& ſeq. & n.*36. *Ventrigl. ubi ſupra n.*20. Secundò requiri-
13 tur quòd bona, quæ alienantur, reperiantur ſub dominio Eccleſiæ, nam ſi Patronus alienet bona Eccleſiæ non incorporata, pœnæ non habent locum, *Lotter. de re benef. lib.*3. *quæſt.*26. *n.*16. *& ſeqq. Ventrigl. ubi ſupra num.*17. Tertiò, quòd
14 alienatio fiat inconſulto Summo Pontifice. *Fagnan. in d. cap. nulli de reb. Eccleſ. non alienan. n.*12. *Lotter. ubi ſupra n.*30. *Ventrigl. ubi ſupra n.*18. Quartò requiri-
15 tur dolus, vel malitia. *Card. de Luc. de alienat. diſc.*51. *num.*4. *&* 7. *& n.*9. *& de fideic. diſc.*154. *n.*3. *& diſc.*155. *n.*2. *&* 5. *& diſc.*157. *n.*5. *Rot. deciſ.* 70. *num.*1. *poſt Bonden. collect. legal. tom.*1. *& deciſ.* 491. *n.*1. *coram Merlin. & deciſ.* 14. *n.*15. *poſt Merlin. de legitim.*

In caſu præſenti licet adſit primum, & ſecundum requiſitum; cùm fuerint alienata à Patrono bona Eccleſiæ incorporata, & translatum horum dominium; deficit tamen tertium requiſitum, dum fuit in hac alienatione obtentum ab eodem Patrono Beneplacitum Apoſtolicum,
16 quod operatur, ut alienatio ſuſtineatur non obſtante quacumque prohibitione Fundatoris. *Turricell. de reb. Eccleſ. non alienan. cap.*9. *n.*2., ibi = *Secundus eſt effectus, ut alienatio facta contra prohibitionem Fundatoris, quæ regulariter eſt nulla, concurrente Beneplacito Apoſtolico, ſeu vero, ſeu præſumpto, ſuſtineatur, non obſtante quacumque prohibitione in fundatione ap-*

poſita = *Rot. deciſ.* 114. *n.* 9. *par.* 9. *rec.*

17 Nec Beneplacitum Apoſtolicum in præſentiarum dici poteſt ſubreptitium, utì in contrarium ſuperiùs aſſerebatur, quia fuit à Patrono impetratum prævia, expreſſione, & narrativa dictæ prohibitionis Fundatoris, qua non obſtante Summus Pontifex conceſſit facultatem alienandi præfata bona, quod ſufficit ad excludendam ſubreptionem, quæ tunc ſolùm diceretur adeſſe ſi fuiſſet occultata, ſeu riticita Papæ voluntas Fundatoris prohibitiva alienationis, ea ratione, quia ſi Papa hanc enixam voluntatem Fundatoris ſciviſſet, Beneplacitum non conceſſiſſet, aut difficiliùs *Turricell. de reb. Eccleſ. non alienan. cap.* 9. *n.* 4. *R.P.D. meus Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolic.* 1. *Leonis ſect.* 4. *n.* 48. *tom.* 1. *pag.* 102. *Rot. dicta deciſ.* 114. *num.* 18. *& ſeqq. p.* 9. *rec.*

18 Deficit etiam quartum requiſitum, nimirum dolus, ſive malitia, quia Patronus alienavit bona prædictæ Eccleſiæ cum Beneplacito Apoſtolico, & lege permittente, dum permittitur à jure alienare bona pro reparatione neceſſaria Eccleſiarum, & cum credulitate, quod ſi Fundator viveret, hanc alienationem approbaret, quod ſufficit ad eum excuſandum à dolo, & malitia, *Card. de Luc. de alienat. diſc.* 51. *n.* 4. *Rot. deciſ.* 81. *n.* 3. *coram Cavaler.* Præterea alienatio hæc facta ab eo-

19 dem Patrono, eſt neceſſaria, & utilis Eccleſiæ, ſeu cedit in hujus evidentem neceſſitatem, utilitatem, & commodum, quæ utilitas, & neceſſitas operatur in alienante bonam fidem, & excludit dolum, & malitiam. *Card. de Luc. de alienat. diſc.* 51. *n.* 9., ibi = *Ideoque ubi Eccleſiæ utile negotium geratur, id redolet bonam fidem, & excludit dolum, & malitiam* = *& diſc.* 157. *n.* 8. *de fideic.*, ibi = *Vel ſinè dubio id ſufficit ad excuſandum à pœna, dum conſtat prudenter illum geſtum eſſe, ac bono animo faciendi rem utilem* = Ac proindè etiam ſi admittatur, quod ſæpe dicta Fundatoris prohibitio, hanc alienationem etiam percutiat; adhuc tamen Patronus dici non poteſt caducatus à Jurepatronatus, nec factus locus ſubſtitutioni favore ſecundogeniti.

20 Hinc non obſtat Deciſio S. Rotæ in *Romana Fideicommiſſi coram R.P.D. Cerro*, unà cum aliis auctoritatibus ſuperiùs in contrarium prò ratione dubitandi allatis; ipſa namque *Deciſio*, & omnes aliæ Auctoritates procedunt in alienatione bonorum Eccleſiæ facta à Patrono contra expreſſam prohibitionem Fundatoris, voluntariè, abſque neceſſitate, & ad proprium, vel aliorum commodum, non verò in alienatione facta urgente Eccleſiæ neceſſitate, & in hujus utilitatem, ſive commodum; ut inferiùs legenti patebit.

R. P. D. CERRO

Romana Fideicommiſſi

Lunæ 22. *Februarii* 1717.

FRatres de Cia ſub fundamento diſtractionis Cappellæ erectæ à Franciſco Cia in Eccleſia Sanctæ Mariæ *del Piſciarello* Terræ Poli, ac aliorum bonorum, quæ pro cautela illius Dotis à dicto Franciſco fuerant relicta, putantes ad eorum commodum apertum fuiſſe non minùs Fideicommiſſum reſtitutorium, quàm contraventionale ordinatum ab eodem Teſtatore occaſione erectionis dictæ Cappellaniæ petierunt ſud die 29. Aprilis anni proximi elapſi à me proponi dubium = *An danda eſſet immiſſio*, = quod cùm reſolvi tunc non potuerit ob ſuffragiorum paritatem, in Audientia diei 22. Junii ſubſequentis, deciſum fuit ſub reſponſo negativo: Quapropter admiſſi ad beneficium novæ Audientiæ hodie omnem reſtrinxerunt conatum ad ſolum Fideicommiſſum contraventionale, ac propterea agnoſcendo DD. illud rectè de per ſe ſtare poſſe, ſecluſo etiam Fideicommiſſo reſtitutorio, ut aliàs monuit *Card. de Luca de Fideic. diſc.* 143. *ſub n.* 5, ſedulò examinatis rationum momentis, quæ pro illo Actoribus patrocinabantur, diſcedendo à priori opinione receſſerunt à deciſis.

Præfatus enim Franciſcus in erectione dictæ Cappellaniæ cum conſtitutione determinatæ Dotis, pro qua ſpecialiter hypothecavit duas domos, & generaliter omnia, & univerſa Bona ita præcepit = *Item detto Signor Fondatore eſpreſſamente prohibiſce a tutti li ſuoi Eredi, e Succeſſori in infinitum Patroni pro tempore di poter in alcun*

alcun tempo mai vendere, alienare, impegnare, o in qualſivoglia altro modo diſtraere la detta Chieſa, e Cappella con altre ſue ragioni ſotto pena di caducità dal commodo di detta ſua Eredità da incorrerſi ipſo jure, & ipſo facto per qualſivoglia preteſto, e cauſa anche quì non eſpreſſa &c. e venendo il caſo (il che Dio non voglia) che alcuno di detti ſuoi eredi &c. in avvenire mai per alcun tempo aveſſe tale intenzione di alienare &c. in tal caſo la detta alienazione s' intenda nulla &c. e quello, che averà tal temerità di fare tal alienazione &c. in tal caſo decadi dal commodo di detta Eredità ipſo jure, & ipſo facto, come in effetto da adeſſo per allora lo diſſeredita, e non abbia alcun titolo, nè azione alcuna ſopra la detta ſua Eredità, ed altro, che ſi contiene nella preſente fondazione, ed in luogo ſuo ſucceda, debba, e vadi, e cadi nell' altro più proſſimo della Linea, Agnazione, e Parentela di detta Deſcendenza della Caſa Cia ⩵.

21 Quamobrem cùm in Teſtamento deinde confecto, ratificato, ac approbato Inſtrumento dictæ Fundationis hæredem ſcripſerit Lucam Fratrem, dùm iſte grandi contracto ære alieno in ſuos Creditores alienavit tam Cappellam, quàm duas Domos ſpecialiter obnoxias oneri ejus Dotis unà cum omnibus aliis Bonis hæreditariis pari modo pro cautela Dotis hypothecatis, ſtatim factus fuit locus ſubſtitutioni contraventionali favore Actorum uti Proximiorum de Linea, Agnatione, & Parentela non expectata morte Alienantis, qui ſicuti in ipſo momento alienationis privatus legitur omni commodo, & jure ſuper prædicta hæreditate, ita illius exiſtentia nequaquam impedit quo minùs ad ſubſequentes in gradu ob ejus contraventionem ſucceſſio devolvatur, ut probant *Peregrin. de Fideicom. art. 14. num.8. Ciarlin. controv. 43. num.6. & ſeqq. Capon. diſcept.373. num.10. Rota Lucen. apud Balduccium ad Ramon. deciſ.36. num. 2. & ſeqq. lib.2. Rota noſtra in rec. deciſ.205. n.2. part.15.*, *& in Cavallicen. Bonorum 16. Junii 1704. §. Ex quibus coram bon. mem. Caſſarello, & in Romana Domus, ſeu Palatii 2. Decembris 1707. §. Viſa etenim, coram bon. mem. Omaña, & 4. Februarii 1709. §. Deſcendendo, cor. Eminentiſſimo Scotto, & in Romana Primogenituræ de Cardellis 16. Martii 1711. §. Inſiciari, coram R.P.D. meo Criſpo.*

Nec incurſus caducitatis ſic à Teſtatore comminatæ evitari poſſe videbatur ex ea reſponſione, cum qua pertranſit deciſio, quæ revidetur §. *Attamen*, quod nempe præceptum de non alienando reſtrictum fuerit ad Eccleſiam tantùm materialem, id confirmando verbis illis ⩵ *Nè tampoco farvi Convento* ⩵ quaſi iſta Eccleſiæ ſolummodo materiali congruere debeant; Etenim aſſumptum iſtud undi-
22 que ſubvertitur ab amplitudine verborum, quibus dicta prohibitio concepta fuit, ibi ⩵ *detta Chieſa, o Cappella con altre ſue ragioni* ⩵ Prædicta enim jura, quæ eodem modo cadunt ſub præcepto de non alienando ſicut, & ipſa Cappella, ſeu Eccleſia, hanc reſtrictionem non admittunt, ſed æquè illorum nuncupatione comprehenduntur etiam prædia, & bona dotalia, in quibus præcipuè conſiſtere dicuntur jura ipſius Eccleſiæ ad *Text. in leg. quid aliud 86. ff. de verb. ſignifi. Barboſ. App. 134. num.10. Simon. de Præt. de interpræt. ultim. volunt. lib.2. ſolut. 4. numer.39. Rota coram Ninot. dec. 28. num.9.* Quemadmodum experimur in unione, quæ ubi facta legatur de Eccleſia cum ſuis juribus translata per ea dicitur Eccleſia cum ſuis bonis *Lapus alleg. 139. n.10. & ſeqq. Rota coram Emerix Jun. deciſ. 786. num. 2. & in rec. deciſ. 10. num.2. part.14. & deciſ. 49. num.8. par.15. & deciſ. 321. n.2. par. 19.* Prædicta enim verba ⩵ *nè tampoco farvi Convento* ⩵ ſtant ampliativè, nec tollunt præcedentem inhibitionem generaliter expreſſam de non alienando Cappellam cum ſuis juribus, cùm ſpecies non reſtringat genus, ſed addita cenſeatur gratia majoris declarationis juxta Doctrinam *Bartol. in leg. quæſitum 12. §. Si quis fundum, ſub n.11. & ſeqq. ff. de fund. inſtruct. Gratian. diſcept.692. n.5. Rota coram Emerix junior. dec. 1272. n.8.*

Atque ex ea univerſalitate verborum
23 tollitur aliud objectum quod verba illa ⩵ *Con altre ſue ragioni* ⩵ verificari poſſint in jure honorifico patronatus; Præterquam quod enim nulla congrua ratio eſſet aſſignabilis cur prædicta jura Cappellæ potius verificari debeant in ſolo jure patronatus, nec æquè complectantur cætera bona dotalia ejuſdem Cappellæ, quando eorum generalitas poteſt utrum-

utrumque comprehendere per ea, quæ advertit *Rota coram Pro patruo meo dec.*28. *num.*12. *& cor. Benincaſ. dec.* 144. *nu.*10. *& in rec. dec.*251. *n.*16. *par.*19. Attamen excluditur in univerſum iſta interpretatio, quia cùm verba illa = *con altre ſue ragioni* = ſint ſignificativa dominii favore Eccleſiæ, cui annectuntur juxta monitum *Text. in leg. quintus*, §. *Argento ff. de auro, & argento legat.*, non poſſunt ullo pacto adaptari juri patronatus, cujus Eccleſia non eſt domina, quodque propterea dicitur jus proprium Patronorum, non verò Eccleſiæ, ut tradunt *Barboſ. appell.*124. *n.*31. *Lambertin. de jurepatronatus lib.*1. *par.*2. *quæſt.*7. *art.*1. *n.*5. *verſ. non venire*, *Vivian. eodem tract. lib.*1. *cap.*2. *n.*2.

At ubi pro incurſu caducitatis expoſceretur effectiva alienatio Cappellæ, ſeu Eccleſiæ materialis, ac juriſpatronatus, nec iſta revera deficeret; Nam cùm fun-
24 dator in erectione dictæ Eccleſiæ reſervaverit ſibi, ejuſque hæredibus manſionem cum mobilibus in eadem Eccleſia, nec non ſtabulum, ibi = *Ad effetto, che dette ſtanze con detti Mobili, e rimeſſa le poſſi ſempre godere detto Signor Fondatore &c., e dopo di ſe, i ſuoi eredi, e ſucceſſori, e percio proibiſce eſpreſſamente, che detti Mobili, e robbe non ſi poſſino mai vendere &c.* = eo ipſo quòd Lucas primus hæres ceſſit, & renunciavit generaliter favore Creditorum = *Omnia, & ſingula ejus Bona ſtabilia, Mobilia, Semoventia, Jura, Credita, & actiones quaſcumque in quovis loco poſit. & exiſten. & ad ipſum quomodolibet ſpectan. & pertinen. &c.*, = cum omnibus, & ſingulis eorum juribus, jam diſtraxiſſe cenſetur tam Eccleſiam materialem, quæ reſpectu ædificii ejuſque ſitus, & ornamentorum dicitur eſſe in hæreditate prophana, & in hominum commercio, ut teſtantur *Salgad. Labyrinth. credit. par.*3. *cap.*5. *num.*48. *Loter. de re benefic. lib.*2. *quæſt.*4. *n.*14. *Card. de Luca de jurepatr. diſc.* 53. *num.*3. *& in Miſcell. Eccleſ. diſc.*28. *num.*12. *& de Præemin. diſc.*40. *num.*9., quam prædictas manſiones unà cum mobilibus, quæ veluti ipſius Eccleſiæ partes erant affectæ hypothecæ Creditorum, & expoſitæ illorum concurſui ad tradit. per *Rebuff. in leg. verbum* 181. *verſ.* 14. *ff. de verb. ſignific. cum aliis per Rot. in Firmana Juriſdictionis ſuper reſervatis* 15. *Aprilis* 1701. §. *Non officiente*, *coram Reverendiſſ. Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Quinimo ipſum Juſpatronatus, quod in vim memoratæ ceſſionis adeò amplæ de
25 omnibus Bonis, & juribus tranſlatum dicitur in Creditores tametſi nulla de eo facta fuerit ſpecialis mentio, ut tenent *Vivian. de jurepatronatus lib.*4. *cap.*4. *n.*16. *&* 17. *Rota coram Bich. deciſ.*15. *num.*4. *& coram Benincaſ. dec.*90. *num.*6. *& in Urbanien. Canonicatus* 23. *Januarii* 1697. *cor. Reverendiſſ. dell'Olmo, &* 20. *Junii* 1698. *coram bon. mem. Pio impreſſ. apud modernum Romanum diſcept. Eccleſ.* 4. *num.* 84. *&* 95.

Minuſque caducitas valet excuſari ex eo quod dicta alienatio facta à Luca interpretanda ſit excluſivè ad bona illa, quæ ſub pœna caducitatis alienari prohibebantur. Sumendo ſic interpretationem benignam pro actu licito, ut excludatur illicitus; Etenim concluſio iſta tollitur à circumſtantia facti, dum Lucas ante generalem ceſſionem omnium bonorum, & jurium uſque de anno 1712. alienavit in ſpecie unam ex Domibus aſſignatis pro fundo, & dote Cappellaniæ, alteram verò ejuſdem Cappellæ domum dotalem diſtraxit in generali ceſſione omnium bonorum, in cujus ſequelam incluſit iſtam domum mediante indicatione, quæ fit per cedentem bonis, de qua *Scanerol. de Viſit. Carcerat. lib.*3. §.9. *cap.*7. *num.*2., & demum concluſio allegata in objecto non applicatur in noſtra hypotheſi, ubi fundator jura Cappellaniæ, quæ alienari prohibuit, non reſtrinxit ad certa tantum bona, ſed extendit ad univerſa, ac ad jura hæreditaria, quæ generaliter hypothecare declaravit pro cautela dotis Cappellaniæ tam in inſtrumento fundationis, quàm in Teſtamento, in quibus terminis, cùm prohibitio omnia complectatur, non intrat interpretatio eximendi ab actu alienationis bona prohibita, attenta deficientia diſtinctæ ſpeciei bonorum liberorum, & prohibitorum, *Bich. dec.*426. *num.*7. *par.*2. *diverſ.* Atque ideò
26 cùm Lucas univerſa bona alienaverit, nullo juſto colore excuſari queit ab inflicta pœna, cùm inſtitutus cenſeatur ſub conditione reſolutiva de non alienando, & hæres tamdiù deſignatus, quamdiù bona

na hæreditaria non alienaſſet ad *Text. in leg. ſi legatum ff. de adimen. legat. Tancrediti conſult.* 10. *n.*46. *& ſeqq. Theſaur. dec.*270. *n.*20. in modum, ut ſecuta contraventione, lex ipſa ſtatim exequi dicatur voluntatem defuncti transferendo hæreditatem in ſubſtitutum *Ciarlin. controv.* 126. *numero* 54. *& ſeqq. cum aliis per Rot. in dicta Romana Primogenituræ de Cardellis* 16. *Martii* 1711. §. *In altera, cor. R.P.D. meo Criſpo*.

Cùm verò inexcuſabilis undique reddatur incurſus Lucæ in caducitatem, omninò irrelevanter ea reduci prætendebatur ad nudam amiſſionem jurispatronatus, quaſi fundator, hæreditatis appellatione, loqui intellexerit de ſolo jurepatronatus; Intellectui enim iſti nimis adverſatur litera Inſtrumenti ex pluribus locis deſumpta juxta quam non ſemel, ſed pluries expreſſit ſe caducitatem imponere ab univerſa hæreditate, ibi = *Sotto pena di caducità dal commodo della ſua eredità da incorrerſi ipſo jure, & ipſo facto, come in effetto da adeſſo per allora lo diſſeredita, e non abbia alcun titolo, nè azione alcuna ſopra la detta ſua eredità* = Quapropter de directo deſtrueretur dicta litera, ubi pro hæreditate intelligendum ſit Juſpatronatus ob nimis patentem diverſitatem inter unam, & alteram intercedentem, cùm hæreditas ſit quid univerſale continens omnia bona, & jura Teſtatoris *leg. nihil aliud* 24. *& leg. hæreditatis appellatio* 119. *& leg. hæreditatis appellatione* 138. *ff. de verb. ſignif.*, jus verò pa-
27 tronatus ſit quid perſonale, ac ab hæreditate penitùs diſtinctum *Lambert. de jurepatronatus lib.*1. *par.*2. *quæſt.* 5. *art.*14. *num.*6. *Rota in Mantuana Beneficii impreſſ. apud eumdem Romanum diſcept. Eccleſ.*14. *n.*32. *& in Balneoregien. Beneficii* 21. *Januarii* 1707. §. *Qualitas, cor. Reverendiſſimo Kaunitz*. Potiſſimum ubi non agitur de fundatore rudi, & idiota, ſed ſagaci, experto, utpotè Beneficiato Baſilicæ Lateranenſis, quique propterea præſumitur quod ſciverit quid appellatione hæreditatis, quidve nuncupatione jurispatronatus contineretur ad hoc, ut unum pro alio non uſurpaverit, prout pro interpretandis Teſtamenti verbis indagandum eſſe monuit *Card. de Luca de fideicomm. diſc.*58. *ſub n.*2. *verſ. in propoſito igitur in fine, Gobbius conſult.*150. *n.*32. *&* 33. *Rota in d. Romana Domus, ſeu Palatii* 31. *Januarii* 1710. §. *Nihil adverſante, coram R.P.D. meo Criſpo*.

Et de facto in ſuo proprio ſenſu fundatorem intellexiſſe nomen hæreditatis demonſtrat ſuperior pars Inſtrumenti fundationis, in qua mentionem fecit de duabus Domibus aſſignatis in fundum Cappellaniæ, ibi = *Che le ſuddette Caſe con tutti gl' altri ſuoi Beni, che laſcerà nella ſua Eredità* = cum una pars diſpoſitionis declaret quid appellatione hæreditatis ſenſerit fundator in altera *Mantic. de Conject. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 5. *& ſeqq. Rot. dec.*647. *n.*34. *par.*19. *recent.*, *& in Sulmonen. jurispatronatus* 21. *Januarii* 1715. §. *Hæcque intelligentia, coram R.P.D. meo Falconerio*.

Parumque relevat quod, ſicuti in erectione Cappellaniæ fundator non inſtituerat ſibi hæredem univerſalem, ità dijudicandum non ſit voluiſſe infligere pœnam privationis totius hæreditatis, quæ regulare eſt quod nec dari, nec auferri poſſit niſi per teſtamentum; Huic enim objecto occurrunt pariter verba ejuſdem teſtamenti, in quo præfatus Franciſcus ratificavit, & explicitè approbavit fundationem Cappellaniæ = *Con tutti li patti, proibizioni, obblighi, & altro contenuti, & eſpreſſi nell' Iſtromento di eſſa fondazione, quale in tutto, e per tutto, ratifico, approvo, & accetto, e voglio, che ſe gli dia la ſua piena eſecuzione nel modo, e forma, che in eſſo, e per tutto ſi contiene* = ac propte-
28 rea, cùm prohibitio alienationis ſub pœna caducitatis ab integra hæreditate adjecta legatur in memorato Inſtrumento fundationis utì ratificata in teſtamento deſuper condito, ineſſe dicitur in eodem teſtamento, ac ſi in iſto fuiſſet expreſsè repetita, idque ex vi relationis, quæ efficit, ut relatum ita ineſſe dicatur in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, ut unica ex utroque quodammodo fiat diſpoſitio ad *Textus expreſſos in leg. aſſe toto* 77. *de hæred. inſtit. col. ſi ita ſcripſero* 38. *ff. de cond. & demonſtrat.*, *& leg. inſtitutio* 10. *ff. eodem, Capon. diſcept. forenſ. cap.* 100. *lib.*2. *Manſius controv.* 315. *n.*28. *Rot. in recent. dec.*87. *n.*4. *par.*15. *& in Romana, ſeu Reatina Fideicommiſſi* 2. *Decembris* 1697. §. *Hæc enim argumenta, &* 23. *Janua-*

nua-

nuarii ejuſdem anni §. *At hujuſmodi, coram Eminentiſſimo Cardinali de la Tremoille, & in Reatina Fideicommiſſi de Vincentinis* 14. *Martii* 1701. §. *Neque, coram Card. Scotto*.

Cujus relationis vis minùs rectè declinari contendebatur ſub reſpectu diverſitatis Perſonarum, quæ invitantur in teſtamento, ab illis, quæ vocatæ noſcuntur in inſtrumento fundationis, cum in iſto jus nominandi ad Cappellaniam relictum fuerit Hieronymo filio Lucæ, quando in teſtamento Lucas reperitur hæres ſcriptus in omnibus bonis, & in univerſa hæreditate, qui vocatus non legebatur in fundatione Cappellaniæ: Quandoquidem, licèt Lucas non fuerit invitatus ad jus nominandi in fundatione Cappellaniæ, non idcircò argui rectè poterat non fuiſſe ei relictum juſpatronatus, nec fuiſſe in fundatione vocatum; Fundator enim declaravit velle Cappellaniam erigere = *Per sè, ſuoi Eredi, e Succeſſori di qualſivoglia ſorte in infinitum &c. della Caſata, e Famiglia Cia in perpetuo* = Unde, cùm ſit
29 extra controverſiam Lucam fuiſſe primum hæredem inſtitutum in teſtamento, ſit indè conſequens fuiſſe itidem vocatum ad dictum juſpatronatus, quod ſi jus nominandi fuit relictum Hieronymo filio Lucæ, hoc nil aliud infert, niſi quod fundator diſtinxerit juſpatronatus à jure nominandi, quod tamquam effectus juriſpatronatus benè ſtare poteſt penès unum de familia, quantumvis juſpatronatus inſit penès hæredes ejuſdem familiæ, ut in ſpecie advertunt *Vivian. de jurepatronat. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 31. *& lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 3. *Gonzal. ad regul. Cancell. gloſſ.* 18. *num.* 92. *Rot. coram Seraphin. dec.* 456. *n.* 3. *&* 4., *& in recent. dec.* 809. *num.* 13. *par.* 18. *& in Alexanen. Beneficii* 11. *Aprilis* 1712. §. *fin. cor. R.P.D. meo Aldrovando*.

Et ita utraque &c.

CANON VI.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXIII. Cap. XVIII.

CUm Adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad Mundi voluptates ſequendas, & niſi à teneris annis ad Pietatem, & Religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfectè, ac ſinè maximo, ac ſingulari propemodum Dei Omnipotentis Auxilio Diſciplina Eccleſiaſtica perſeveret, Sancta Synodus ſtatuit, ut ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque majores Eccleſiæ pro modo facultatum, & Diœceſis amplitudine, certum Puerorum ipſius Civitatis, & Diœceſis, vel ejus Provinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc propè ipſas Eccleſias, vel alio in loco convenienti ab Epiſcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Eccleſiaſticis Diſciplinis inſtituere teneant; In hoc verò Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint, ac legere, & ſcribere competenter noverint, & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos Eccle-

cleſiaſticis Miniſteriis perpetuò inſerrituros; Pauperum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præſeferant Deo, & Eccleſiæ inſerviendi. Hos Pueros Epiſcopus in tot Claſſes quot ei videbitur diviſos, juxta eorum annum, ætatem, ac in Diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum, partim, cùm ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet, partim in Collegio erudiendos retinebit, alioſque in locum eductorum ſufficiet, itaut hoc Collegium Dei Miniſtrorum perpetuum Seminarium ſit. Ut verò in eadem Diſciplina Eccleſiaſtica commodius inſtituantur, Tonſura ſtatim, atque habitu clericali ſemper utentur, Grammatices, Cantus, computi Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum Artium Diſciplinam diſcent, Sacram Scripturam, Libros Eccleſiaſticos, Homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, ac Cæremoniarum Formas ediſcent. Curet Epiſcopus, ut ſingulis diebus Miſſæ Sacrificio interſint, ac ſaltèm ſingulis Menſibus confiteantur peccata, & juxta Confeſſoris Judicium ſumant Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Cathedrali, & aliis locis Eccleſiæ diebus Feſtis inſerviant. Quæ omnia, atque alia, ad hanc rem opportuna, & neceſſaria Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum, & graviorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eaque ut ſemper conſerventur, ſæpiùs viſitando operam dabunt. Dyſcolos, & incorrigibiles, ac malorum morum Seminatores acriter punient, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes: quæcumque ad conſervandum, & augendum tam pium, & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligentèr curabunt; Et quia ad Collegii Fabricam inſtituendam, & ad mercedem Præceptoribus, & Miniſtris ſolvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios ſumptus certi redditus erunt neceſſarii ultra ea, quæ ad inſtituendos, vel alendos pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis, & locis deſtinata,

quæ & ipſo huic Seminario ſub eadem Epiſcopi cura applicata cenſeantur, iidem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero Civitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum, alterius verò ad Clerum pertineat ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis, & Capituli, & quarumcumque Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, & Prioratuum, cujuſcumque Ordinis, etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & Hoſpitalium, quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem juxta Conſtitutionem Concilii Viennenſis, quæ incipit, *Quia contingit*, & Beneficiorum quorumcumque etiam Regularium, etiamſi juriſpatronatus cujuſcumque fuerint, etiamſi exempta, etiamſi nullius Diœceſis, vel aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & Hoſpitalibus, & aliis quibuſvis locis Piis etiam exemptis, annexa, & ex Fabricis Eccleſiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumque aliis Eccleſiaſticis redditibus, ſeu Proventibus, etiam aliorum Collegiorum, in quibus tamen Seminaria diſcentium, vel docentium ad Commune Eccleſiæ bonum promovendum actu non habentur, hæc enim exempta eſſe voluit, præterquam ratione reddituum, qui ſuperflui eſſent ultra convenientem, ipſorum Seminariorum ſuſtentationem, ſeu Corporum, vel Confraternitatum, quæ in nonnullis locis Scholæ appellantur, & omnium Monaſteriorum non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad Laicos, ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolvi ſolent, & milites cujuſcunque militiæ, aut ordinis, pertinentibus, Fratribus Sancti Joannis Hieroſolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam, vel portionem detrahent, & eam portionem ſic detractam, nec non Beneficia aliquot ſimplicia cujuſcumque qualitatis, & Dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones nuncupatas etiam ante vacationem, ſinè Cultus Divini, & illa obtinentium præjudicio, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt, quod locum

ha-

habeat etiamſi Beneficia ſint reſervata, vel affecta, nec per reſignationem ipſorum Beneficiorum, uniones, & applicationes ſuſpendi, vel nullo modo impediri poſſint, ſed omninò quacumque vacatione, etiamſi in Curia effectum ſuum ſortiantur, & quacumque Conſtitutione non obſtante. Ad hanc autem portionem ſolvendam Beneficiorum, Dignitatum, Perſonarum, & omnium, & ſingulorum ſupra commemoratorum poſſeſſores, non modò pro ſe, ſed pro Penſionibus, quas aliis forſan ex dictis fructibus ſolverent, retinendo tamen pro rata, quid quid pro dictis Penſionibus illis erit ſolvendum, ab Epiſcopo Loci per Cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia juris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio Brachii Sæcularis, quibuſvis quoad omnia, & ſingula ſupradicta Privilegiis, Exemptionibus, etiamſi ſpecialem derogationem requirerent, conſuetudine etiam immemorabili, quavis Appellatione, & Allegatione, quæ Executionem impediat, non obſtantibus. Succedente verò caſu, quo per uniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter Seminarium ipſum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc Portio ex ſingulis Beneficiis, ut ſupra detracta, & incorporata ab Epiſcopo, prout res ipſa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur; Quod ſi Cathedralium, & aliarum majorum Eccleſiarum Prælati in hac Seminarii erectione, ejuſque conſervatione negligentes fuerint, ac ſuam Portionem ſolvere detrectaverint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum, & Superiores Synodus Provincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat, & ut quamprimum hoc ſanctum, & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, ſtudioſè curabit; Rationem autem reddituum hujus Seminarii Epiſcopus annis ſingulis, accipiat, præſentibus duobus à Capitulo, totidem à Clero Civitatis deputatis.

COMMENTARIUM

EX hoc Canone ſequens ad materiam deducitur concluſio.

EPISCOPUS IN SUA DIOECESI PROPE ECCLESIAM CATHEDRALEM, VEL IN ALIO LOCO CONVENIENTI INSTITUERE DEBET SEMINARIUM, PRO CUJUS MANUTENTIONE, ET NECESSARIA SUSTENTATIONE DETRAHERE POTEST CUM CONSILIO DEPUTATORUM EX FRUCTIBUS BENEFICIORUM JURISPATRONATUS PORTIONEM ALIQUAM, ET ILLAM SIC DETRACTAM APPLICARE, ET INCORPORARE SEMINARIO = Quam concluſionem probant etiam *Ventrigl. in prax. benef. par.2. annot.29.§. unic. num.12. & 24. Fraſſ. de Patronat. Reg. tom.2. cap.61. n.25. Criſpin. de la Viſita Paſtoral. par.2. §.31.*, & generaliter in omnibus beneficiis ſequuntur *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.3. alleg.77. num.1. Card. de Luc. in annot. ad Concil.diſc.25. n.3. Pignattell. conſult. 58. num.13. tom.3. & conſult.13. num.10. tom.8. & conſult.81. n.11. tom.9. Monacell. formul. legal.10. tit.16. num.22. par.2. R.P.D. meus Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolic. II. Urbani VI. num.28. in fin. tom.4. pag.347. Rot. deciſ.491. n.16. coram Peutinger.*

1 Animadvertens Sacrum Concilium, quàm ſit utilis Reipublicæ Litterarum cognitio, liberaliumque artium diſciplina, inſequendo veſtigia Textus in *Can. neceſſaria 12. q.1.*, ubi demandatur conſtitui Clauſtra Clericorum juxta Eccleſiam, ibi = *Neceſſaria etenim res exigit, ut juxta Eccleſiam Clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent. Itaque omnibus unum ſit Refectorium, ac Dormitorium, ſeu cæteræ Officinæ ad uſus Clericorum neceſſariæ; Miniſtri verò poſt Epiſcopum ſuper eos eligantur, quorum vita, atque doctrina illos potius exornet, quàm dehoneſtet* = Ac Textus *in cap.1. de Magiſtris*, ubi præcipitur providendam eſſe unamquamque Eccleſiam Cathedralem de Magiſtro, qui pauperes Clericos gratìs doceat; prudentiſſimè, ac optima ratione injunxit hic omnibus Epiſcopis, & Archiepiſcopis erigere in propriis Diœceſibus Seminarium pro bona, & exemplari educatione, & eruditione Adoleſcentium, pro bono publico Diœceſum, & Eccleſiarum ſervitio, ac pro dicto cultus augmento; Præcipitque ibi introducere Juvenes, & Adoleſcentes tam Pauperes, quàm divites, annorum ſaltèm duodecim, de legitimo matrimonio natos, Clericali Tonſura initiatos, bonæ famæ, & indolis ſpem eos Eccleſiaſticis Miniſteriis perpetuò inſervituros afferentis, qui addiſcere debeant Grammaticam, Cantus, Computos Eccleſiaſticos, aliarumque bonarum artium diſciplinam, frequentare Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſaltèm ſingulis menſibus, quotidiè Sacrificium Miſſæ audire, & diebus Feſtis Cathedrali inſervire, juſſitque etiam ibi introducere Rectorem, Magiſtros, Præfectos, qui regere, docere, ac vigilantiam habere debeant ſuper dictis Juvenibus, & Adoleſcentibus. Pro manutentione verò, ſuſtentatione, ac conſervatione hujuſmodi Seminarii permiſit Epiſcopis inter cætera taxare etiam Beneficia juriſpatronatus, vel unire beneficia ſimplicia eidem Seminario, per cenſuras Eccleſiaſticas, aut alia juris remedia cogendo Rectores beneficiorum contribuere Seminario in caſu renitentiæ. Cordi igitur ſit omnibus Epiſcopis hoc conciliare decretum in propriis Diœceſibus exequi, ut ſic Spirituales Operarii in vinea Domini idonei, beneque inſtructi haberi valeant.

Quoad hanc Concluſionem ſequentes examinantur Caſus.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Erecto per Epiſcopum Seminario pro Clericis Diœceſis, & pro Nobilibus, an in illud introduci poſſint Clerici tam Civitatenſes, quàm Territoriales, & an ad probandam Nobilitatem requiſitam, concedi poſſit uni ex Collegialibus facultas cogendi Teſtes renuentes ſe ſubjicere examini, per cenſuras Eccleſiaſticas.

SUMMARIUM.

1 *Erecto Seminario pro Clericis Diœceſis A. non ſolùm in eo recipi poſſunt Clerici Civitatenſes, ſed etiam Territoriales ejuſdem Diœceſis.*

2 *Clerici in Seminario admiſſi examinari debent ab Epiſcopo*; Amplia ut ibi.

3 *Rector Regularis Seminarii adminiſtrare debet redditus illius cum participatione, & conſenſu Epiſcopi, & huic de adminiſtratis rationem reddere.*

4 *Epiſcopus, vel Vicarius Capitularis ſede vacante cum aſſiſtentia Deputatorum viſitare poteſt Seminarium, quoties voluerit.*

5 *Referuntur motiva ſuadentia fore concedendam Collegiali facultatem cogendi per cenſuras Teſtes examinandos ſuper puritate ſanguinis Juvenis in Seminarium introducendi, in hypoteſi, in qua nolint ſe examini ſubjicere.* & num. 6. & 7.

8 *Facultas cogendi per cenſuras Teſtes renuentes ſe ſubjicere dicto examini fuit denegata Collegiali à S. Congregatione Concilii.*

9 *Licentia habendi proprium Oratorium in Collegio concedi ſolet, per S. Congregationem Concilii.*

CASUS I.

Erectum fuit Seminarium à quodam Epiſcopo, illudque commiſſum fuit curæ quorumdam Patrum, inter cætera diſpoſuit idem Epiſcopus, quod in eo recipiantur, & admittantur Clerici Diœceſis A, qui ſint Nobiles, qui teneantur probare coram Ordinario puritatem ſuæ originis abſque ulla macula Maurorum, Judæorum, vel Hæreticorum, & inſuper quod de hac eadem Nobilitate, & puritate ſanguinis, unus ex Collegialibus à Collegio electus inquirere debeat, examinando Teſtes. Introductus, ac admiſſus fuit in dicto Seminario quidam Clericus Territorialis præfatæ Diœceſis A, qui fecit coram Ordinario probationem puritatis ſui ſanguinis; Collegialis verò à Collegio electus volens facere ſecundam probationem de hac eadem puritate; id exequi minimè potuit, quia Teſtes coram ipſo inducti ſe ſubjicere examini renuerunt. Hinc quæritur.

Primo; *An præfatus Clericus Territorialis ſit in hoc caſu legitimè admiſſus, & introductus in Seminarium?*

Secundò; *An Collegiali debenti facere ſupradictam ſecundam probationem ſuper puritate ſanguinis concedi debeat facultas cogendi Teſtes, ſe ſubjicere examini renuentes per cenſuras Eccleſiaſticas?*

1 Quoad primum ſentio prefatum Clericum Territorialem, prævia probatione puritatis ſui ſanguinis fuiſſe lugitimè admiſſum, & introductum in hoc Seminarium; Quin obſtet, quod ipſe non ſit de Civitate, quia erecto Seminario pro Clericis Diœceſis A, non ſolùm in eo recipi poſſunt Clerici Civitatenſes, ſed etiam Territoriales ejuſdem Diœceſis; *Card. de Luc. de Juriſdict. diſc.* 97. *ſub num.* 4. *Capyc. Galeott. controv.* 20. *num.* 5. *& ſeqq. lib.* 2. *Rot. deciſ* 188. *num.* 3. *& deciſ.* 327. *num.* 12. *par.* 17. *rec.* & in ſimilibus terminis reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii *in Romana, ſeu Nonantulana* 11. *Septembris* 1717. ubi demandata inſtitutione Collegii Matthæi in Urbe, per bo. me. Card. Matthæjum, tunc Abbatiæ Nonantulæ poſſeſſorem cum onere = *Quòd ſi adfuerint aliqui idonei, qui recipi inſtarent de dicta Abbatia Nonantulæ, recipian-*

cipiantur uſque ad numerum duorum in dicto Collegio = Cùm in Bulla Pauli V. ſuper erectione dicti Collegii hæc habeantur = *Ita tamen ut unus, vel duo ex Nonantulæ, & unus ex Lamularum Terris Nullius Diœceſis Provinciarum Bononien. & Urbinaten. reſpectivè oriundi, ſi qui adeſſent &c. Romanis præferentur, dummodo idonei, & acceptabiles forent* = Hinc Promotor Fiſcalis cum conſona Teſtamento Bullæ diſpoſitio non videatur, ſupplicavit Sanctiſſimo, ut declararet, admittendos eſſe in dicto Collegio non ſolùm Populares Terræ Nonantulæ, ſed totius Territorii ad Abbatiam ſpectantis; Unde propoſito dubio = *An ex teſtamento Cardinalis Matthæi debeant admitti in Collegio ab ipſo inſtituendo Alumni ex Terra tantùm Nonantulæ, ſeu potius ex dicta Terra, & quocumque alio loco de Territorio Abbatiæ Nonantulæ ſubjecto* = Reſponſum fuit = *Negativè quo ad primam, & affirmativè quo ad ſecundam partem* =

2 Qui Clerici ſive Territoriales, ſive Civitatenſes in Seminario admiſſi, & recepti examinari, & approbari debent ab Epiſcopo, etiam ſi eorum nominatio ſpe-
3 ctet ad Rectorem Regularem, qui exigere, & adminiſtrare debet redditus Seminarii cum participatione, & conſenſu Epiſcopi, & huic de adminiſtratis rationem
4 reddere; Ac Epiſcopus nec non etiam Vicarius Capitularis ſede vacante quoties voluerit, cum aſſiſtentia Deputatorum viſitare poteſt Seminarium tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, ut reſcripſit eadem S. Congregatio in *Viglevanen. Seminarii* 27. *Januarii* 1714. ubi erecto per Epiſcopum Seminario, ac commiſſo curæ Patrum Congregationis Somaſchæ, cum onere, quod perpetuo in eo alerentur viginti Alumni, qui eſſent ad cantum habiles, laudandi à Cantoribus, & Manſionariis Cathedralis, eorumque duodecim nominari deberent à ſucceſſoribus Epiſcopis, reliqui verò octo à Rectoribus pro tempore ejuſdem Congregationis, diſputata fuerunt infraſcripta dubia. I. *An omnes Alumni Seminarii ſint eligendi per Epiſcopum? Et quatenus negativè*. II. *An illi octo nominandi per P. Rectorem ejuſdem Seminarii indigeant examine, & approbatione Epiſcopi, ut admittantur? in caſu &c.* III. *An exactio redditunm aſſignatorum pro alimonia Alumnorum ſpectet privativè ad Epiſcopum, illorumque adminiſtratio ad eumdem Epiſcopum cum conſilio Deputatorum Seminarii, excluſo Rectore Seminarii? Et quatenus negativè*. IV. *An ſaltèm adminiſtratio, & exactio facienda ſit per dictum Rectorem, cum participatione tamen, conſenſu, & mandato Epiſcopi pro tempore, in caſu &c.* V. *An PP. Somaſchenſes teneantur reddere rationem de adminiſtratis Epiſcopo cum aſſiſtentia Deputatorum Seminarii? in caſu &c.* VI. *An liceat Epiſcopo cum aſſiſtentia, ut ſupra, quoties voluerit, viſitare Seminarium tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus? in caſu &c.* VII. *An idem cum aſſiſtentia, ut ſupra, licitum ſit Capitulo, ſeu Vicario Capitulari, ſede vacante? in caſu &c.* VIII. *An Magiſtri miſſi à Congregatione Somaſchenſi ad ſervitium Seminarii pro Grammatica, Rhetorica, & Caſibus Conſcientiæ, debeant examinari, & approbari ab Epiſcopo in caſu &c* IX. *An hoc ipſum tempore ſedis vacantis ſpectet ad Capitulum, ut ſupra? in caſu &c.* X. *An PP. Somaſchenſes teneantur reddere rationem de annuis libris 3256. pro toto tempore, quo in Seminario non fuerunt Alumni, & cui, ac quibus remediis cogi poſſint? in caſu &c.* XI. *An iidem teneantur reſtituere pro eodem tempore, quo Seminarium remanſit clauſum, proventus pro eorum manutentione, & ſalario aſſignatos? in caſu &c.* XII. *An PP. Somaſchenſibus, ultra præfixum numerum viginti Alumnorum liceat in Seminario recipere alios Convictores de aliena Diœceſi? in caſu &c.* = Quibus reſcriptum fuit, ad primum *Negativè*, Ad II. *Cenſuit indigere approbatione Epiſcopi*; Ad III. *Negativè*, Ad IV. V. VI. & VII. *Affirmativè*, Ad VIII. & IX. *Negativè*; Ad X. *Affirmativè Epiſcopo, ac per eum cogendos eſſe juris remediis*; Ad XI. *Negativè*, Ad XII. *Affirmativè de licentia Epiſcopi*.

Deſcendendo autem ad ſecundum dubium, plura motiva ab R.P.D. meo Lambertino S. Congregationis Concilii Secretario doctiſſimè in folio excitata in una *Bononien.*, de qua infra, ſuadent dicto Collegiali eſſe concedendam facultatem cogendi per cenſuras Eccleſiaſticas Teſtes ſe ſubjicere examini renuentes, ad effectum faciendi ſecundam probationem ſuper puritate ſanguinis ejus, qui fuit admiſſus, & introductus in hujuſmodi Seminarium. 5 Pri-

5 Primum eſt, quod officium Teſtes examinandi inutile quodammodo videtur, & fruſtratorium ſi eo fungens officio facultatem non habet Teſtes cogendi, in hypotheſi, in qua recuſent ſe examini ſubjicere, cumque cenſura ſit ſubſidiarium pro coactione remedium, hinc ſequitur decens eſſe, & maximoperè conveniens, quod à Summo Pontifice detur Collegiali facultas Teſtes examinandos cogendi per cenſuras, in hypotheſi, in qua nolint ſe examini ſubjicere, & in qua aliud aptius non ſuppetat remedium.

6 Secundum eſt, quod ſæpè ſæpiùs in praxi occurrit, ut in caſu renitentiæ Teſtium examinandorum, vel non poſſit haberi recurſus ad Ordinarium, vel recurſus ad eumdem ſit inutilis, tum quia Teſtes aliquando degunt in Locis ab eo loco admodum remotis, in quo degit Ordinarius, tum quia ſæpiùs Ordinarii recuſant aſſiſtentiam, & opem præſtare Collegiali examinanti, ut examinare valeat Teſtes, qui ſe nolunt examini ſubjicere, & tandem quia inter hos Teſtes ſæpè ſæpiùs aliqui reperiuntur, qui ſunt ab Ordinarii juriſdictione exempti; Ad hæc ergo incommoda avertenda, videtur, ut Collegiali inquirenti detur modo prædicto facultas Teſtes per cenſuras cogendi.

7 Tertium eſt, quod conſimilium conceſſionum non deſunt exempla; Julius etenim Tertius, Paulus Tertius, & Paulus Quartus conceſſerunt, ut ille, qui juxta ſtatuta Toletanæ Eccleſiæ probationes recipere debet pro his, qui ad illam ſunt admittendi, Teſtes cogere poſſit per cenſuras. Hoc ipſum fuit conceſſum à Clemente Octavo Collegio Majori de Alcalà, ut conficiens proceſſum ſuper qualitatibus Collegialium, Teſtes compellere poſſit per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas; Binæ tandem aliæ reperiuntur Urbani Octavi conceſſiones pro Collegio Valliſolitano S. Crucis, & pro Collegio Salamantino S. Bartholomæi; Unde non eſt cur Seminarium etiam ſupradictum non ſit conſimili privilegio decorandum.

8 Sed his omnibus minimè obſtantibus placuit Sacræ Congregationi Concilii in *dicta Bononien.* 5. *Junii* 1717. *&* 21. *Maji* 1718. ubi ſimile dubium diſputabatur, denegare præfato Collegiali hujuſmodi facultatem, eo præcipuè ſub obtentu, quod inconveniens videbatur facultatem ſimplici Collegiali præſtare erigendi Tribunal, & cenſuras decernendi, & eo, quia per ſpatium trium, & ultra ſæculorum facta fuerat ſecunda probatio ſuper puritate ſanguinis abſque eo, quod extraordinarium prædictum remedium cenſurarum fuerit exiſtimatum neceſſarium.

Quæro hìc, an dicto Seminario, ſeu Collegio concedi valeat licentia habendi Oratorium privatum, ut in eo Miniſtri, & Sacerdotes poſſint Miſſas celebrare, & Sacramenta adminiſtrare Convictoribus, Domeſticis, atque Diſcipulis.

9 Reſpondeo *affirmativè*; Concedi namque ſolet hujuſmodi licentia habendi Oratorium in Collegio, cum rectæ Juventutis æducationi nimis conferre videatur, quod Alumni Collegiorum ad publicas non accedant Eccleſias, ut in illis Sacramenta recipiant; ut patet exemplis tum Seminarii Romani, tum Collegii Clementini, & Collegii Capranicenſis, hìc in Urbe, quæ gaudent privilegio Oratorii, in quo Patres Societatis JESU, & Patres Congregationis Somaſchæ, ac Rectores, & Præfecti, qui reſpectivè præſident adminiſtrationi Seminarii, & Collegiorum, Miſſas quotidiè celebrant, & in quibus Sacramenta adminiſtrantur Convictoribus, atque Domeſticis; & utì ſimilis licentia noviſſimè conceſſa fuit à S. Congregatione Concilii in *Sutrina Oratorii* 11. *Junii* 1718., ubi ſupplicantibus Presbyteris Doctrinæ Chriſtianæ Terræ Roncilionis habere Oratorium in eorum Collegio, ubi nè dum ipſi habitant unà cum Convictoribus, ſed ad quod ulterius alii accedunt diſcipuli, quos erudiunt, ad tramites proprii, quod profitentur, inſtituti, pro Miſſis ibi celebrandis, ac Sacramentis Convictoribus adminiſtrandis, fuit reſcriptum, pro gratia Oratorii privati, cum conditione tamen, ut in illo non miniſtrent Populo Sacramenta, non habeant Sepulturam, non retineant Campanas publicas, nec eleemoſynas quærant pro Miſſis in eo celebrandis, & ulterius licere Presbyteris plures Miſſas qualibet die, & etiam Feſtis ſolemnioribus in dicto Oratorio celebrari, & Sacramenta in eo Convictoribus, Diſcipulis, & domeſticis, hoc eſt illis, qui actu degunt in Collegio, &

illi

illi inſerviunt adminiſtrare, excepta Communione Paſchali.

ARGUMENTUM.

Epiſcopus, ut validè taxare poſſit beneficia Juriſpatronatus ad effectum contribuendi neceſſitatibus Seminarii, quæ requirantur? hujuſmodi Taxa qualis, & quanta eſſe debeat? Et an Beneficia Juriſpatronatus uniri valeant Seminario?

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopus taxare poteſt beneficia Juriſpatronatus pro neceſſitatibus Seminarii*: & num. 3. Amplia, ut ibi; Limita, ut numer. 2.

4 *Enumerantur requiſita neceſſaria ad hoc, ut Beneficia Patronalia validè taxari poſſint ab Epiſcopo*. & num. 7. 8. 13. 15. & 16.

5 *Ceſſante neceſſitate Seminarii, in totum, vel in partem; in totum, vel in partem ceſſare etiam debet Taxa beneficiorum*.

6 *Seminarium eſt reintegrandum ad fructus beneficiorum vigore Brevis Apoſtolici, alicui Collegio addictorum, ſi ceſſet neceſſitas hujus Collegii*.

8 *Capitulum ſolvere debet Taxam Seminario, de fructibus Præbendarum, aut Beneficiorum ſibi unitorum, non verò de diſtrubutionibus quotidianis, & aliis emolumentis incertis*, & num. 9.

10 *Epiſcopus conſtringere poteſt Abbatias, Prioratus cujuſcumque Ordinis, & Hoſpitalia ad contribuendum* Seminario. Intellige ut ibi

11 *Religio Hieroſolymitana eſt exempta à contributione Seminarii*.

12 *Monachi Cœleſtini non tenentur contribuere Seminario*.

13 *Cappellania merè laicalis, aut legatum Miſſarum, ſeu dotium non tenetur contribuere Seminario*; & num. 14.

17 *Taxa Beneficiorum Patronalium facta abſque conſilio Deputatorum non ſuſtinetur*.

18 *Quantitas Taxæ ſolvendæ Seminario qualis eſſe debeat; & quo tempore ſit ſolvenda*? Vide num. 19.

20 *Diminutis fructibus Beneficiorum juriſpatronatus. Taxa etiam eſt proportionabiliter diminuenda*.

21 *Beneficia juriſpatronatus uniri non poſſunt Seminario abſque conſenſu Patronorum*.

22 *Alia Beneficia ſimplicia uniri poſſunt Seminario, ſed pro illorum unionis validitate, multa requiruntur; & quæ ſint hujuſmodi requiſita*. Vide ibi; & num. 24. 25. & 26.

27 *Seminarium quando dicatur erectum*?

28 *Unita auctoritate Apoſtolica Abbatia ſpectante ad Eccleſiam Collegiatam Seminario cum omnibus ſuis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, adjacentiis, hujuſmodi Unio, quid comprehendat? & an illius vigore regimen, & manutentio ejuſdem Eccleſiæ, necnon deputatio Sacriſtæ, & aliorum Miniſtrorum, ſpectet ad Superiores Seminarii*? Vide ibi, & num. 29. 30. 31. 43. 44. Amplia ut num. 41. & 42.

32 *Unio quando dicatur ſubjectiva*? Vide ibi, & num. 35.

33 *Unio ſubjectiva, an, & quæ jura transferat in Eccleſiam, ſeu Seminarium, cui Beneficium unitur*. Vide ibi, num. 34. 39. & 40.

36 *Declaratio nihil de novo addit, ſed ſimpliciter oſtendit, quid per antea factum erat*.

37 *Erecta Abbatia in Collegiatam cum præſervativa jurium Abbatiæ, non diminuuntur in aliquo jura Abbatiæ, nec Abbatum pro tempore juriſdictio*.

38 *Ut in mutatione ſtatus Eccleſiæ extinguantur juriſdictio, & privilegia alicujus, quid requiritur*?

45 *Seminarium ſentiens onus, & incommodum expenſarum, & manutentionis Miniſtrorum, ſentire quoque debet commodum deputationis eorumdem*.

46 *Unita Abbatia ſpectante ad Eccleſiam Collegiatam Seminario, hujus Superiores non tenentur eligere Miniſtros de gremio Capituli*.

CA-

CASUS II.

ERexit quidam Epiſcopus in propria Diœceſi Seminarium, & pro ejus ſuſtentatione taxavit inter cætera duo Beneficia Patronalia in ſcutis ſex; abſque conſilio Deputatorum, Rectores hujuſmodi Beneficiorum renuunt ſummam taxatam Seminario contribuere, eo ſumpto motivo, quod non fuerit per Epiſcopum in taxandis his Beneficiis adhibitum conſilium Deputatorum; Quæritur an Taxa Seminarii in ſcutis ſex ſuper dictis Beneficiis in hoc caſu ſuſtineatur?

1 Videtur reſpondendum affirmativè; poteſt namque Epiſcopus vigore facultatis ſibi in hoc *Canone* tributæ taxare Beneficia juriſpatronatus, & hæc tenentur contribuere Seminario, etiam ſi ſint poſſeſſa à Prælatis Domeſticis Summi Pontificis juxta ſenſum S. Congregationis Concilii
2 in *Ceſenaten. Taxæ Seminarii* 19. *Aprilis* 1704., dummodo in limine eorum fundationis ſecutæ poſt Concilium non fuerit de conſenſu Ordinarii appoſita conditio, ut ad nulla onera teneantur; dum ſi talis conditio fuerit à Fundatore appoſita, vel fuerit expreſsè cautum, quod neque Seminario contribuere debeant, tali caſu Beneficia juriſpatronatus, ad hujuſmodi contributionem minimè tenerentur, ut reſolutum fuiſſe à S.Congregatione Concilii teſtatur *Pignattell. conſult.*81. *nu.*137. *tom.* 9. *Nicol. in floſcul. verb. Seminarium num.* 9. Unde renuentes præfati Rectores ſolvere dictam Taxam Seminario, cogi poſſunt ab Epiſcopo ad illius ſolutionem per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia juxta præſcriptum hujus *Canonis*.

3 Hoc tamen non obſtante contrarium ſentio; Verùm quidem eſt, & nullatenus controvertitur, quod Epiſcopus taxare valeat Beneficia Patronalia pro alimonia Puerorum, mercede Miniſtrorum, & aliis expenſis neceſſariis Seminarii, ſed ut hoc per ipſum validè fieri poſſit plura requiruntur.

4 Requiritur enim primò, neceſſitas Seminarii, ſeu quod hujus redditus non reperiantur, vel adeò tenues ſint, ut non ſufficiant pro expenſis fabricæ, mercedis Miniſtrorum, alimoniæ Adoleſcentium, & aliorum neceſſariorum, ſecluſa ſiquidem hujuſmodi neceſſitate nulla Beneficia contribuere tenentur Seminario; imò
5 ſi poſt taxata Beneficia Seminarium ex piorum Fidelium diſpoſitione: vel aliunde ſufficienter dotetur, vel aliquid lucretur, tunc vel ceſſare debet in totum Taxa, vel quantum lucratum eſt, tantumdem de Taxa eſt demendum, ea ratione, quia Taxa impoſita favore Seminarii de tempore, quo erat in paupertate, & indigebat ſubventione, habet tacitam conditionem, donec ſuperveniant divitiæ. *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 29. §. *unic. num.* 41. *Leoncill. de Privileg. paup. par.*2. *priv.*338. *nu.* 5. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 88. *nu.*2. *Rot. deciſ.* 635. *num.* 5. *&* 7. *coram Cerro.*
6 Imò ipſummet Seminarium eſt reintegrandum ad mediam decimam, & fructus Beneficiorum, quæ vigore Brevis Apoſtolici ſint addicta alicui Collegio, ſi ceſſet neceſſitas hujus Collegii, & hoc aliunde acquiſierit redditus ſufficientes pro alimonia competentis numeri Religioſorum, ut definivit S. Congregatio in *Melevitana Seminarii* 31. *Julii* 1706. reſcribens; *eſſe reintegrandum Seminarium ad Beneficia alias ſibi unita, nec non ad contributiones, & emolumenta aliàs Ven. Collegio Societatis JESU Civitatis Valletæ à ſan. mem. Clemente VIII. applicata*; ſtante quod detractis omnibus detrahendis, adhuc ſupererant Collegio annua ſcuta 2365. pro alimonia duodecim Religioſorum ſufficientia; quæ reſolutio confirmata fuit 2. *Octobris ejuſdem anni*, *&* 2 *Auguſti* 1710. *ad primum*.

7 Secundo requiritur, quod Epiſcopus taxet hujuſmodi Beneficia, & cogat eorum Rectores contribuere Seminario cum conſilio quatuor Deputatorum, duorum videlicet de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter verò ab ipſo Capitulo ſit electus, & duorum de Clero, quorum pariter alter ab Epiſcopo, & alter à Clero eligatur, *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 29. §. *unic. num.*13. *Barboſ. hic nu.*10. *Pignattell. conſult.* 36. *num.* 9. *tom.* 8. *Monacell. formular. legal.* 2. *tit.* 12. *num.* 1. *par.* 1.

8 Tertio requiritur, quod Epiſcopus antequam taxet, & conſtringat Beneficia juriſpatronatus contribuere Seminario debet primò, & ante alios ipſe ex menſa ſua,

ſua, taxam, & portionem ſolvere; deinde poteſt taxare Capitulum Cathedralis, & Beneficia eidem Capitulo unita ad effectum contribuendi Seminario, ut fuit reſolutum ab eadem S. Congregatione Concilii in *Boven. Taxæ Seminarii* 12. *Januarii* 1709. ubi taxatis per Epiſcopum Boven. Communeria, ut vocant, Capituli Cathedralis in ducatis decem, & binis Beneficiis ſub invocationibus reſpectivè SS. Leonis, & Pantaleonis eidem Communeriæ unitis in ducatis ſex cum dimidio, & contributis à præfato Capitulo ſummis taxatis Seminario per multi temporis ſpatium, cùm renueret poſtea eas perſolvere, ſub motivo, quod redditus tum Communeriæ, tum dictorum Beneficiorum deſervirent pro diſtributionibus quotidianis, è quibus Taxa non debetur Seminario propoſita fuerunt infraſcripta dubia, nimirum Primo = *An Taxa Seminarii in ducatis decem ſuper Communeria Cathedralis Boven. ſuſtineatur* = Secundò = *An eadem Taxa Seminarie debeatur à Capitulo pro Beneficiis eidem unitis in caſu &c.* = Quibus reſponſum fuit *ad utrumque affirmativè*.

9 Et quidem Capitulum debet ſolvere Taxam Seminarii de Præbendis, & beneficiis, non verò de diſtributionibus quotidianis, aut aliis emolumentis incertis provenientibus à legatis,& ex eleemoſy-
10 nis Fidelium; Deindè debet conſtringere Abbatias, & Prioratus cujuſcumque ordinis, dummodo Abbatia, non ſit nullius, ſeu non habeat Territorium ſeparatum, & habeat jura Epiſcopalia; Hoſpitalia, quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem ſi habeant Beneficia annexa, contribuere Seminario certam portionem ex eorum fructibus; Quibus omnibus priùs taxatis, taxari poteſt beneficia juriſpatronatus etiam regularia, & etiam ſi ſint unita Monaſteriis Mendicantium,& Monialium, dummodò non ſpectent ad
11 Ordinem, ſeu Religionem Hieroſolymitanam, quæ eximitur à Concilio ab hujuſmodi contributione Seminarii; & Rectores eorum tenentur, & conſtringi poſſunt ſub pœnis cenſurarum ſolvere taxam ei Seminario, in cujus Diœceſi ſitum eſt beneficium, etiam ſi hoc habeat bona in aliena Diœceſi. *Barboſ. hic n.*12. *&* 17.*cum ſeqq. & de offic.& poteſt. Epiſcopi par.*3. *alleg.*77. *n.*2. *Ventrigl. in prax. par.*2. *dicta annot.*29. §.2. *n.*14. *cum ſeqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.* 25. *n.*3. *cum ſeqq. Pignattell. conſult.* 13. *n.*1. *&* 8. *tom.* 8. *& conſul.* 81. *num.*26. *&* 94. *tom.* 9. *Monacell. formul. legal.* 1. *tit.*12. *par.*1. *num.*3. *R. P. D. meus Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolic. ſecundam Urbani VI. num.* 33. *tom.*4. *pag.* 347. Monachi
12 tamen Cœleſtini non tenentur ſolvere contributionem Seminario, ut fuit ſenſus dictæ S. Congregationis in *Oppiden. Contributionis* 16. *Novembris* 1715., eo quia ſunt exempti vigore Conſtitutionis San. Pii V., non obſtante, quod S. M. Gregorius XIII. Pianam conſtitutionem moderatus fuerit, dum quoad Seminariorum contributionem, exemptio intacta remanſit.

13 Quartò requiritur quod Beneficium, quod taxatur, ſit Eccleſiaſticum, ſeu erectum auctoritate Ordinarii,nam ſi ſit Cappellania merè laicalis, vel amovibilis cum onere Miſſarum de jurepatronatus, quæ impropriè dicitur Beneficium, hæc non eſt taxanda, nec tenetur contribuere Seminario,quia habetur ad inſtar relicti,ſeu legati pro celebratione Miſſarum, quod non comprehenditur ſub diſpoſitione hujus *Canonis* ad effectum ſolvendi, & contribuendi Seminario. *Gonzal. ad Regul.*8. *Cancell. gloſſ.* 5. *n.*5., & alii penès *Panimoll. dec.*21. *n.*1. *& ſeq.*, S. Congregatio Concilii *in Sabinen.* 26. *Maji* 1640. *lib. dec.*16. *pag.* 380. *ad ſecundum*. Sicuti
14 non ſunt taxanda Legata Dotium favore Puellarum, aut alicujus pecuniarum ſubminiſtrationis favore piæ Cauſæ,neque ab eis detrahenda aliqua ſumma pro ſuſtentatione Seminarii, ut reſcripſit ſæpe dicta S.Congregatio Concilii in *Camerinen. Erectionis Seminarii* 15. *Martii* 1710.,ubi inſtitutis hæredibus univerſalibus à quodā pio Teſtatore Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ S. Urbani Terræ Apiri, inter cætera fecit ſequens legatum = *L'altra entrata, che avanzerà dopo li beneficiati, voglio che ſerva per maritare tante Zitelle, quante poteranno conſumare detto avanzo, e quante ve n' entraranno, volendo, che ſi diano cinquanta ſcudi di moneta per ciaſcuna &c., e occorrendo, che qualche anno non vi fuſſero tante zitelle, che conſumaſſero tutto il ſopravanzo dell' entrate, che reſtaſſe dopo l'* augu-

augumento alli Canonici, e l'entrata delli Beneficiati, voglio, che di eſſo ſopravanzo ſe ne faccino tre parti, una ſe ne dia alle Monache di S. Chiara, la ſeconda alle Monache di S. Maria Madalena; e la terza alla Compagnia del Santiſſimo Sagramento d'Apiro, acciò ſi compri tanto grano per impreſtare a' Poveri &c. Canonici autem dictæ Collegiatæ attento, quod redditus hæreditarii aſſignati à Teſtatore pro maritandis Puellis pingues admodum, & exuberantes evaſerint, aſcendentes ad annuam ſummam ſcut. 1350. exorarunt, ut ex præfata ſumma detrahantur annua ſcuta 350. pro ſuſtentatione Seminarii erigendi in dicta Terra Apiri, pro alendis, & religiosè educandis Pueris in Eccleſiaſtica Diſciplina, quam ſanè voluntatem ejuſdem Seminarii in eo oppido fundandi faſſi ſunt habuiſſe ipſummet Teſtatorem, unde propoſito dubio = *An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum* = Reſcriptum fuit = *Negativè, & ſervetur voluntas Teſtatoris* =.

15 Quintò requiritur, quod in taxandis Beneficiis Juriſpatronatus habeatur per Epiſcopum ratio alimentorum, quæ debentur Patrono, ſi ſit inops, & aliorum onerum, hæc enim priùs deducenda ſunt, & de eo, quod ſupereſt, facienda eſt contributio Seminarii. *Ventrigl. in prax. p.2. annot.29. §.2. num.39. Barboſ. hic num.14. Pignattell. conſult.81. n. 24. & 57. tom.9. Monacell. formul. legal.1. n.7. & formul.2. num.5. tit.12. par.1.*

16 Sextò requiritur juxta *Pignattell. conſult.36. n.2. & ſeqq. tom. 8.* quod Seminarium ſit erectum, ſeu quod Alumni ſint jam ibi introducti. Sed ego cenſeo hoc requiſitum non eſſe neceſſarium ad effectum, ut Epiſcopus validè taxare poſſit beneficia Juriſpatronatus, aut alia quæcumque beneficia, dum Concilium in hoc *Canone* dat facultatem Epiſcopis taxandi beneficia non ſolùm pro alimentis Alumnorum, pro mercede Miniſtrorum, ſed etiam pro Fabrica Seminarii inſtituenda, ibi = *Et quia ad Collegii Fabricam inſtituendam &c.* = & ſic dat facultatem Epiſcopis taxandi beneficia Seminario adhuc non erecto, ſed erigendo. Quin obſtet deciſio *S. Rotæ 836. par.4. diverſ.* quia hæc loquitur de unione beneficiorum, quæ non debet fieri Seminario nondum erecto, ut dicemus infra, non verò de impoſitione Taxæ; Imò *Pignattellus* videtur ſibi contrarius dum *conſult. 81. n.48. tom.9.* approbare videtur reſolutionem S. Congregationis Concilii in *Faventina*, ubi decretum fuit = *Epiſcopus pro fabrica Seminarii, vel pro inſtauratione Domus Seminarii poteſt taxam exigere, licet adhuc Juvenes non ſint in illud introducti* =.

17 In caſu præſenti deficit ſecundum requiſitum; quia Epiſcopus taxavit illa duo Beneficia Patronalia in ſcutis ſex, nullatenus priùs adhibito Conſilio Deputatorum, & conſequenter hujuſmodi taxa ſuper dictis Beneficiis, in hoc caſu ſuſtineri non valet.

18 Quantitas verò Taxæ ſolvendæ Seminario, debet eſſe talis, qualem Epiſcopus fuit ſolitus exigere, & reperitur in poſſeſſione exigendi: etſi non adſit talis conſuetudo: Epiſcopus Taxam conſtituere debet juxta qualitatem Beneficii, Loci, & Diœceſis ubertatem, nimirum uſque ad decimam integram, vel plus medietate Decimarum, ſi expedire judicaverit; alibi enim ſumma duorum cum dimidio pro centenario ſufficit, & alibi etiam quatuor approbatur. *Ventrigl. in prax. p.2. annot. 29. §.2. n.39. Pignattell. conſult. 81. n.76. & 126. tom.9. Nicol. in floſcul. verb. Seminarium num. 3. Monacell. formul. legal. 12. tit. 12. num. 6. par. 1.*

19 Quæ Taxa ſic ab Epiſcopo conſtituta, ſolvenda eſt Seminario juxta conſuetudinem loci; in pluribus locis ſolvitur anticipatè de quadrimeſtri in quadrimeſtre, & in pluribus aliis locis de ſemeſtri in ſemeſtre. *Ventrigl. ubi ſupra n.38. Barboſ. hìc num.15. Pignattell. ubi ſupra num.86.* Et ſi

20 contingat quod fructus Beneficiorum Juriſpatronatus diminuantur, Taxa etiam eſt proportionabiliter ad diminutionem fructuum reducenda, ut reſolutum fuiſſe à S. Congregatione Concilii in *Romana 26. Januarii 1697.* teſtatur *Bertachin. vot. deciſ. 118. n.1.*

Duo media præſcripſit in hoc *Canone* Concilium Tridentinum ad effectum ſubveniendi neceſſitatibus Seminarii, Taxam nimirum beneficiorum, & horum unionem. De Taxa jam ſuperiùs vidimus, nunc videndum eſt de unione; an videlicet Beneficia Juriſpatronatus, aut alia Be-

Beneficia ſimplicia uniri poſſint Seminario, & quid requiratur pro eorum unionis validitate.

21 Quoad Beneficia Juriſpatronatus reſpondeo, quod licèt hæc ex ſupradictis taxari poſſint pro neceſſitatibus Seminarii, tamen huic uniri nequeunt ſinè conſenſu Patronorum. *Barboſ. hic num. 34. & 37. Ventrigl. in prax. par. 2. dicta annot. 29. §. unic. num. 45. Rot. dec. 16. num. 7. & ſeq. coram Peutinger.*

22 Reſpectu verò aliorum Beneficiorum ſimplicium, illa quidem uniri poſſunt Seminario; ſed pro eorum unionis validitate plura requiruntur; Primò namque requiritur neceſſitas Seminarii, ſi enim unio fieret cauſa commodioris ſuſtentationis, vel amænitatis, & recreationis gratia, ipſa non ſuſtineretur, *Lotter. de re benef. lib. 1. quæſt. 29. n. 60. Ventrigl. ubi ſupra n. 42.*

23 Requiritur ſecundò, quod unio fiat cum Conſilio quatuor ſupradictorum Deputatorum; *Turricell. de union. benef. cap. 9. num. 18. Antonell. de regim. Eccleſ. lib. 3. cap. 8. num. 22. Franceſ. de Eccleſ. Cathedral. cap. 28. num. 472. & ſeqq.*, ubi quòd Epiſcopus tenetur requirere, ſed non ſequi Conſilium; unio aliter facta, quàm ſinè eorumdem Deputatorum Conſilio non valet *Garz. de Benef. par. 12. cap. 2. §. 2. n. 190. Pax Jordan. Lucubrat. lib. 10. tit. 32. num. 29. Ricc. in prax. rer. Eccleſ. tom. 1. reſol. 390. n. 3. Leo in Theſaur. for. Eccleſ. n. 2. cap. 31. num. 24. & ſeq. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi part. 3. alleg. 22. n. 33. Caſtropal. oper. moral. tom. 2. tract. 13. de Benef. diſp. 6. punct. 12. §. 3. n. 15. Lotter. de re benef. lib. 1. quæſt. 29. n. 60. Pignattel. conſ. 77. per tot. tom. 1.*, ubi quod Conſilium requiritur in ipſo actu unionis, alias non ſuffragatur *Rot. in Nucerina Paganorum Beneficii 6. Julii 1712. §. De hoc ſanè, & §. Et quidem, coram R. P. D. Criſpo*, ibi = *Poſſunt enim uniones, quæ cum conſenſu explentur, ex ſuperveniente conſenſu re convalidari, non ſic verò uniones, quæ mediante conſilio deputatorum perficiuntur, in quibus ſi conſilium ab initio adhibitum non fuerit, de ſui natura ex intervallo ſuppleri non poteſt, cum pro actus validitate omnino præcedere neceſſe ſit* = Nec ſufficit conſenſus Capituli; ut tuetur eadem *Rota in dicta Nucerina Paganorum Beneficii ubi ſupra §. Nec forma.*

24 Requiritur tertiò, quod præcedat Taxa, ſeu diſmembratio fructuum ipſius Cathedralis, & aliorum Beneficiorum Diœceſis proportionabiliter, & ſi hoc non præcedat unio eſt nulla; *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 5. §. 7. ſub n. 25. verſ. ac etiam. Turricell. de union. benef. cap. 9. num. 28. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 29. §. unic. num. 42. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 29. n. 61. Rot. deciſ. 32. n. 2. & 361. n. 7. par. 2. rec.*

25 Requiritur quartò, quòd Beneficia, quæ uniuntur, non ſint S. Sedi Apoſtolicæ reſervata, dum poſt Decretum Clementis VIII. hac de re editi, & confirmati ab Urbano VIII. Beneficia reſervata, & S. Sedi affecta, Seminario uniri non poſſunt. *Fagnan. in cap. ſicut unire de exceſſ. Prælat. num. 49. Pignattell. conſul. 81. num. 40. & ſeqq. tom. 9.*

26 Requiritur Quintò, ut Seminarium ſit formaliter erectum. *Barboſ. hic num. 11. & de offic. & poteſt. Epiſcopi part. 3. alleg. 77. n. 23. Lotter. de re benef. lib. 1. quæſt. 29. num. 47. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſcept. 358. n. 5. Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc. 25. num. 15. Pignattell. conſult. 36. n. 4. tom. 8. Monacell. formul. legal. 1. tit. 12. num. 2. par. 1. Rot. dec. 361. num. 3. par. 2. & deciſ. 373. n. 2. par. 4. tom. 2. rec.*, & eſt ſenſus S. Congregationis Concilii in *Lycien. unionis 16. Maji 1711.*, ubi declarata fuit nulla unio Eccleſiæ Sanctiſſimæ Annuntiatæ Terræ Squintiani, facta ab Epiſcopo de Conſilio Deputatorum, Seminario Lycien., eo quia fuerit ſequuta ante Pueros introductos in Seminarium, & non citato Capitulo, ſeu Clero Squintiani, ſub cujus adminiſtratione eadem Eccleſia exiſtebat, & ex diſpoſitione cujuſdam fœminæ, quæ ante dictam Eccleſiam ex piorum fidelium eleemoſynis collectis ædificavit, & ſub adminiſtratione ejuſdem Capituli, & ipſius Communitatis ſuppoſuit.

27 Seminarium autem dicitur erectum, ad effectum validè ei uniendi beneficia, ſi fuerit conducta, vel empta domus, & introducti Pueri, electi Rectores Seminarii, & Conſultores pro inſtituendis Taxis, & faciendis unionibus *Lotter. de re benef. lib. 1. quæſt. 29. num. 51. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par. 3. alleg. 77. n. 24. Turri-*

cell.

cell. de union. cap. 9. num. 27. Ventrigl. in prax. par. 2. dictâ annot. 29. §. unic. n. 42. Rot. dec. 361. n. 5. par. 3. rec. & dec. 373. n. 9. & ſeqq. par. 4. tom. 2. rec.

28 Unito autem beneficio ſimplici, aut unita auctoritate Apoſtolica Abbatia ſpectante ad Eccleſiam Collegiatam Seminario, cum omnibus ſuis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, adjacentiis, hujuſmodi unio, non ſolùm comprehendit fructus, ſed etiam Juriſdictiones, Præeminentias, Collationes Beneficiorum, aliaque omnia jura, & illius vigore regimen, & manutentio ejuſdem Eccleſiæ, nec non deputatio Sacriſtæ, & aliorum Miniſtrorum inferiorum, non amplius ſpectat ad Capitulum, ſed ad Superiores Seminarii, qui non tenentur illos eligere de gremio Capituli; ut reſolutum fuit à S. Rota in *Neapolitana Unionis, & in alia ſuper Deputatione Miniſtrorum* 23. *Junii* 1710. *cor. Reverendiſſimo Molines*, hìc immediatè legen.

Rmo MOLINES DECANO

Neapolitana Unionis.

Lunæ 23. *Junii* 1710.

AD ſedandas multiplices controverſias dudum exortas, & diuturno tempore agitatas inter Archiepiſcopos Civitatis Neapolitanæ, & Rectores, ſeu Abbates nuncupatos Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ Sancti Joannis Majoris ejuſdem Civitatis nedum ſuper exemptione Rectoriæ à Juriſdictione Archiepiſcopi, & juriſdictione activa in Hebdomadarios dictæ Eccleſiæ, quàm privativè ad Archiepiſcopum ad ſe ſpectare contendebat Rector, ſeu Abbas, verùm etiam ſuper regimine dictæ Eccleſiæ, ac ſuper collationibus Beneficiorum, ac denique ſuper jure inſtituendi præſentatos ad Beneficia de jurepatronatus in eadem Eccleſia fundata. Anno 1584. ſtipulata fuit inter Partes concordia in forma ſpecifica ſubindè per Sanctam Sedem confirmata, juxta quam declaratum extitit, ut tam Rector, quàm Hebdomadarii deberent eſſe ſubjecti Juriſdictioni Archiepiſcopi, quodque ad Rectorem, ſeu Abbatem ſpectaret in menſibus Sedi Apoſtolicæ non reſervatis conferre Hebdomadarias, aliaque dictæ Eccleſiæ Beneficia, ita tamen, ut collationes præſentari deberent Archiepiſcopo ad hoc, ut Collatarii ab ipſo idonei judicarentur; quo verò ad Beneficia juriſpatronatus in dicta Eccleſia fundata concordatum fuit, quod per Curiam Archiepiſcopalem proponi deberet Edictum, formari proceſſus, & ſententia ferri tam ſuper præſentatione, quàm ſuper cognitione Juriſpatronatus, & quod præſentati pro habenda inſtitutione remitti deberent ad Abbatem, ad quem ſpectaret illos inſtituere: ac denique concordatum fuit, quod Rector, ſeu Abbas prædictæ Eccleſiæ S. Joannis, qui pro tempore fuerit, pro recto cultu, & debito Eccleſiæ ſervitio tantum, ac nomine, & vice Domini Archiepiſcopi tanquam ejus Officialis perpetuus habere deberet regimen dictæ Eccleſiæ, & quidem cumulativè, non autem privativè quoad ipſum Archiepiſcopum cum poteſtate Rectori, ſeu Abbati tributa ordinandi, & demandandi Hebdomadariis, Primicerio, Sacriſtæ, & Beneficiatis, ac deſervientibus aliis omnibus ea, quæ pro debito ejuſdem Eccleſiæ regimine neceſſaria, & opportuna judicaverit etiam ſub pœnis corporalibus, & pecuniariis per Archiepiſcopum, ejuſque Curiam exequendis; prout latiùs ex tenore ejuſdem concordiæ *Summario Seminarii n.* 1.

Anno 1692. Primicerius dictæ Parochialis Eccleſiæ unà cum treſdecim Hebdomadariis ejuſdem expoſuerunt ſa. me. Innocentio XII. quod licèt eorum Eccleſia ex pluribus ſignis etiam ſæcularis, & Collegiata eſſe crederetur; attamen quia propter temporis diuturnitatem hujuſmodi erectio in ſæcularem, & Collegiatam Eccleſiam probari nequibat; ideò ad tollendum omne dubium ſuper tali erectione petierunt, ut dicta Eccleſia S. Joannis Majoris in ſæcularem, & Collegiatam Eccleſiam Apoſtolica auctoritate erigeretur, & Summus Pontifex eorum precibus annuendo dictam Eccleſiam in Collegiatam erexit conſtituendo Primicerium Primam Dignitatem, & treſdecim Hebdomadarios in totidem Canonicatus erigendo cum clauſula tamen, ibi = *Sinè alicujus, & præſertim dilecti filii noſtri Joannis Pauli Ginnetti, qui perpetuum ſimplex,*

plex, & perſonalem reſidentiam non requirens Beneficium Eccleſiaſticum Abbatiam nuncupat. in dicta Eccleſia Collegiata erigenda obtinet, præjudicio.

Cupiens ſucceſſivè idem ſa. me. Innocentius XII. providere Seminario Alumnorum Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolitanæ, à cujus inopia, & redditum tenuitate ſæpè ſæpiùs angebatur, dum nunquam ſatis commendata paſtorali vigilantia Eccleſiæ Neapolitanæ præerat, & ejuſdem Seminarii redditus augere intendens ad ampliorem Clericorum numerum inibi alendum, reſpiciens ad prædictam Abbatiam, ſeu Rectoriam Collegiatæ S. Joannis Majoris tunc à R. P. D. Joanne Paulo Ginnetto utriuſque Signaturæ Referendario poſſeſſam, motu proprio devenit ad illius unionem favore Seminarii his verbis = *Motu proprio Abbatiam, ſeu Rectoriam &c. cum primum illa per ceſſum, vel deceſſum vacare contigerit &c. prævia ex nunc, prout ex tunc, & è contra illius tituli collativi ſuppreſſione, vel extinctione cum omnibus ſuis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, adjacentiis, & pertinentiis, nec non quibuſcumque Bonis ubique exiſtentibus &c. etiam ex nunc, prout ex tunc, & è contra dicto Seminario &c. Apoſtolica auctoritate tenore præſentium unimus, annectimus, & incorporamus.*

Secuto obitu R. P. D. Ginnetti dictæ Rectoriæ, ſeu Abbatiæ Poſſeſſoris de Anno 1708. Rector, & deputati Seminarii unà cum Vicario Generali Eminentiſſimi Archiepiſcopi prævia publicatione prædicti motus proprii unionis à ſa. me. Innocentio XII. factæ, apprehenderunt poſſeſſionem Rectoriæ, *ac illius fructuum, reddituum, proventuum, jurium, bonorum, obventionum, pertinentiarum, & emolumentorum quorumcumque*, & in ſequelam ejuſdem motus proprii, & poſſeſſionis hujuſmodi deputarunt Sacriſtam in præfata Eccleſia S. Joannis Majoris cum onere etiam exigendi redditus, & emolumenta ad Abbatiam ſpectantia.

Reclamavit ab hujuſmodi deputatione Capitulum Collegiatæ S. Joannis Majoris ad Eminentiſſimum Archiepiſcopum, qui auditis Partium prætenſionibus, & voto juriſperitorum Romanæ Curiæ amicabiliter dictas controverſias ſedare curavit cum acquieſcentia Capituli Collegiatæ, donec occaſione deputationis alterius Sacriſtæ in locum primi, qui oneri ſuo renunciaverat, ſuſcitatis iterum diffidiis inter Rectorem, & deputatos Seminarii, nec non Capitulum Collegiatæ S. Joannis Majoris, illiſque delatis ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, coram Eminentiſſimo D. Cardinali Fabrono Ponente cauſæ concordata fuerunt inter Partes ſequentia dubia.

29 Primò: *An unio Abbatiæ S. Joannis Majoris Neapolis facta Seminario comprehendat ſolùm fructus, vel etiam juriſdictiones, Præeminentias, collationes Beneficiorum, aliaque omnia jura.*

Secundò: *An illud regimen, & manutentio Eccleſiæ, quæ ſpectabant ad Abbatem, de præſenti ſpectent ad Capitulum ejuſdem Eccleſiæ privativè ad Superiores Seminarii.*

Tertiò: *An Sacriſta, aliique Miniſtri inferiores, qui deputabantur ab Abbate, ſint deputandi à Capitulo, vel potius à Superioribus Seminarii, & quatenus electio ſpectet ad Superiores Seminarii.*

Quartò: *An teneatur illos eligere de Gremio Capituli?*

30 Quibus dubiis per Eminentiſſimum Ponentem propoſitis *die 22. Novembris ſuperioris anni* prodiit reſolutio favore Seminarii mediante reſcripto. *Ad primum negativè quoad primam partem, affirmativè quoad ſecundam; Ad ſecundum negativè; Ad tertium negativè quoad primam partem, affirmativè quoad ſecundam; Ad quartum negativè.*

31 Obtenta verò nova Audientia per Capitulum Collegiatæ S. Joannis Majoris, & repropoſita Cauſa in eadem Sacra Congregatione *ſub die 20. Martii præteriti* ſuper eiſdem dubiis, nulla capta reſolutione reſcriptum extitit *exquiratur votum Rotæ*; Quo circa ſubſcriptis duobus dubiis complexivis totius controverſiæ unà cum altero ex illis concernente deputationem Miniſtrorum, de quo in alia contemporanea deciſione diſceptandum propoſui Dominis meis: *An unio Abbatiæ S. Joannis Majoris facta Seminario poſt erectionem Eccleſiæ Parochialis in Collegiatam comprehendat ſolùm temporalia, & fructus Abbatiæ, vel etiam Juriſdictionem, præeminentias, collationes Beneficiorum, aliaque jura, quæ olim competebant Abbati*

in

in ſtatu Eccleſiæ Parochialis; & habui reſponſum: *Unionem Abbatiæ, non comprehendere ſolùm temporalia, & fructus Abbatiæ, ſed etiam Jurisdictiones, præeminentias, collationes Beneficiorum, aliaque jura, quæ olim competebant Abbati in ſtatu Eccleſiæ Parochialis*.

32 Ratio ſic decidendi deſumpta fuit ex qualitate unionis, in præſenti enim patet, unionem Abbatiæ S. Joannis Majoris factam per ſan. mem. Innocentium XII. Seminario ejuſdem Civitatis fuiſſe ſubjectivam, incorporativam, & cujuslibet antiqui tituli penitùs extinctivam, dum Summus Pontifex expreſsè declaravit velle perpetuò unire, annectere, & incorporare Abbatiam prædictam cum omnibus ſuis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, adjacentiis, & pertinentiis, in quibus terminis certum eſt unionem dici debere ſubjectivam, & tituli extinctivam ex communiter animadverſis per *Angel. conſ.* 147. *verſ. ſed uti fiat unio*, *Pax Jordan. elucubr. lib.* 10. *tit.* 32. *num.* 11. *Hoied. de incompatibilitate benef. par.* 2. *cap.* 3. *ſub num.* 3. *Garz. de Benef. par.* 11. *cap.* 2. *num.* 51. *& num.* 55. *&* 56. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 61. *num.* 23. *& ſeqq. Murga de Benef. quæſt.* 4. *ſect.* 6. *num.* 197. *& ſeqq. Rota deciſ.* 30. *num.* 1. *par.* 6. *deciſ.* 49. *num.* 1. *& per tot. par.* 15. *deciſ.* 421. *n.* 7. *cor. Bich. deciſ.* 320. *num.* 1. *coram Emerix Jun. in Reatina unionis* 25. *Junii* 1708. §. *De unione*, *coram R. P. D. meo Scotto*, *& in Savonen. Reſtaurationis Parochialis Eccleſiæ* 8. *Martii* 1709. §. *Quamvis*, *cor. eodem*.

33 Poſito autem, quod unio, de qua agitur eſſet ſubjectiva, incorporativa, ac præcedentis tituli extinctiva; in planam conſequentiam deſcendere videbatur, quod illa comprehenderet non ſolùm temporalia, & fructus, ſed etiam Juriſdictiones, præeminentias, collationes Beneficiorum, aliaque jura, quæ olim Abbati ante unionem competebant. Hujuſmodi enim generis unio ſubjectiva, & incorporativa ſuaptè natura omnia jura tam temporalia, quàm ſpiritualia antiquo Poſſeſſori Beneficii uniti competentia transfert in Eccleſiam, cui Beneficium ipſum unitur ad tradita per *Turricell. de union. Benef. cap.* 4. *n.* 11. *Rebuff. in prax. tit. de unionib. n.* 49. *num.* 9. *Ricc. in collectan. deciſ. collect.* 869. *Garz. de Benef. par.* 12. *cap.* 4. *num.* 34. *Rot. coram Seraph. deciſ.* 1009. *n.* 4. ibique *Adden. litt. A. cor. Arguell. deciſ.* 34. *num.* 20. *coram Emerix jun. dec.* 320. *n.* 1. *in rec. dec.* 710. *ſub n.* 2. *part.* 2. *deciſ.* 31. *num.* 17. *par.* 10. *deciſ.* 49. *num.* 8. *par.* 15. *dec.* 321. *num.* 1. *par.* 19. *in dicta Reatina unionis* 25. *Junii* 1708. §. *De unione*, *&* §. *Poſita*, *cor. R.P.D. meo Scotto*, *& in dicta Savonen. Reſtaurationis Parochialis Eccleſiæ* 8. *Martii* 1709. *dicto* §. *Quamvis*, *cor. eodem*.

Idque adeò verum eſt, ut in translatione jurium ſpiritualium reſultante ex hujuſmodi unione ſubjectiva, & tituli extin-
34 ctiva comprehendatur etiam in favorem Eccleſiæ, cui Beneficium unitur, juriſdictio, & jus viſitandi antea competens Rectori Beneficii uniti, jus conferendi Beneficia, exigendi decimas, eligendi, & præſentandi, nominandi Vicarios, & ſimilia; ut de jure viſitandi plena eſt *deciſio* 304. *coram Ludoviſio* de jure conferendi Beneficia *Pignat. conſult.* 136. *n.* 4. *&* 5. *tom.* 1. *Rot. dec.* 257. *num.* 1. *par.* 3. *coram Zarat. deciſ.* 23. *num.* 24. *& poſt Card. de Luca ad mater. de Benef. dec.* 27. *num.* 19. de jure exigendi decimas eadem *Rot. deciſ.* 320. *num.* 1. *&* 3. *cor. Emerix Jun.* de jure eligendi, & præſentandi *Rot. dec.* 102. *n.* 1. *par.* 11. *recen. in Cracovien. Monaſterii* 4. *Decembris* 1699. §. *Maximè*, *coram Eminentiſſimo D. meo Card. Caprara*, ac demum de jure nominandi Vicarios *Turricell. de union. cap.* 4. *n.* 53. *Rot. in Tarraconen. Parochialis de Vimbodino* 15. *Januarii* 1706. §. *Avulſo*, *coram R. P. D. meo Anſaldo*, *& in Leodien. Beneficii* 25. *Februarii* 1707. §. *Seorſim*, *coram eodem*.

35 Quæ quidem incontrovertibilia juris principia, eò certiùs viſa ſunt procedere debere in præſenti hypotheſi, in qua Summus Pontifex in literis Apoſtolicis unionis motu proprio conceſſis, non ſolùm uſus eſt verbis, *unimus*, *annectimus*, *& incorporamus* de per ſe aptis importare unionem ſubjectivam, ac tituli extinctivam, ac per conſequens translationem quorumcumque jurium licet ſpiritualium ex authoritatibus ſupra allegatis, ſed ulteriùs adiecit ampliſſimam, & univerſalem clauſulam *cum omnibus ſuis fructibus*, *redditibus*, *proventibus*, *juribus*, *adjacentiis*, *& pertinentiis*; ſub cujus conceſſionis

nis generalitate, nemo eſt, qui dubitet comprehendi juriſdictiones, præeminentias, omniaque alia jura incorporalia, & ſpiritualia, quæ ad Abbatiam unitam ſpectabant, & pertinebant juxta doctrinam *Innocent. in cap. quo ad ſedem n.2. verſ. & dic quod pertinentiarum nomen de reſtit. ſpol. Rot. coram Zarat. dec.23. num.21. & ſeqq. coram Emerix Junior. deciſ.320. n.3. in rec. dec. 710. n.3. par.2. deciſ.352. n.8. par.4. dec.207. num.11. par.6. deciſ. 102. n.14. par.11. deciſ. 809. num.10. par.18. deciſ.321. n.2. par.19. & in dicta Savonen. Reſtaurationis Parochialis Eccleſiæ* 8. *Martii* 1709. §. *Quamvis, coram R.P.D. meo Scotto.*

Non ſubſiſtente, quod cùm ante unionem, de qua agitur, Summus Pontifex immutaſſet ſtatum Eccleſiæ S. Joannis Majoris de Parochiali in Collegiatam conſtituendo ibi novum caput, ſcilicet Primicerium, utique extinctæ remanſerint omnes prærogativæ Spirituales, juriſdictiones, & præeminentiæ olim competentes Abbati in ſtatu Parochiali, ac per conſequens unio ſubſecuta Abbatiæ transferre non potuerit in Seminarium niſi ejus redditus, & Bona temporalia, non autem juriſdictiones, & prærogativas per mutationem Status Eccleſiæ transfuſas in novum caput. Objectum quippe nullam viſum eſt habere ſubſiſtentiam in facto, nec relevantiam in jure; In facto quidem, quia de tempore initæ concordiæ inter Archiepiſcopum, & Abbatem, nempe anno 1584. jam dicta Eccleſia reperiebatur in ſtatu Collegialitatis, ut patet ex ipſa concordia, & ex Apoſtolica confirmatione deſuper ſubſecuta. Et quamvis Summus Pontifex de anno 1692. ad tollendam quamcumque ambiguitatem, quæ circa qualitatem Collegialitatis dictæ Eccleſiæ ob temporis diuturnitatem oriri poſſet, illam in Collegiatam erigere profeſſus fuerit; Id tamen non egit per viam plenariæ innovationis, ſeu permutationis, ſed potiùs per viam declarationis, ut clarè continebat petitio eidem Summo Pontifici expoſita per Primicerium, & Hebdomadarios, ut patet ex tenore Bullæ erectionis *d. Summ. Seminarii num.3.*, quæ declaratio in ſub-
36 ſtantia nihil de novo addit, ſed ſimpliciter oſtendit, quid jam per antea factum erat ad *Text. in leg. hæredes palam §. Si quid ff. de Teſtam.*, & tradita per *Decian. conſ.2. num.10. Gratian. diſceptat. for. cap. 464. num. 19. Cartar. deciſ. 16. num.19. Rota in rec. deciſ.453. n.2. par.1. dec.159. n.15. & deciſ. 393. n.6. par.15. & dec.16. n.6. & ſeq. par.17.*

37 Minuſque relevabat in jure ſupradictum objectum quia prætenſa erectio Eccleſiæ S. Joannis Majoris in Collegiatam facta fuit cum clauſula præſervativa *ſinè alicujus, & præſertim Dilecti Filii noſtri Jo: Pauli Ginnetti* (qui tunc erat Abbas) *præjudicio*, quæ quidem clauſula operabatur; ut per ſupradictam erectionem in aliquo diminui non poſſent jura Abbatiæ, & Abbatum pro tempore juriſdictio, ut firmant *Lotter. de re benef. lib.1. quæſt.40. n.278. Rot. coram Puteo dec.291. num. 17. lib.1. in rec. dec.435. n.9. par.18. dec.171. pariter n. 9. par. 19. & in Romana Fideicommiſſi Mutii de Bubalo* 18. *Junii* 1700. §. *fin. coram Reverendiſſimo Domino meo dell' Olmo Epiſcopo Conchen.* Fruſtrà autem clauſula prædicta reſtringi contendebatur ad vitam R.P.D. Ginnetti tunc Abbatis, ex quo Papa illum nominatim expreſſerit in Bulla. In illa etenim non ſolùm fit mentio præjudicii R. P. D. Ginnetti, ſed cujuſcumque alterius perſonæ, ibi *ſinè præjudicio alicujus, & præſertim &c.* Et in omnem caſum, cum præſervativa jurium adiecta fuerit favore R.P.D. Ginnetti veluti Abbatialem dignitatem obtinentis, palàm exinde fit, quod eadem clauſula prolata fuerit ad præſervanda jura non perſonalia dicti Ginnetti, ſed ipſius Abbatiæ, quodque illius nomen expreſſum fuerit demonſtrativè dumtaxat ad deſignandum, quis eo tempore eamdem Abbatiam poſſideret, exemplo Rectoris contrahentis nomine Beneficii, qui quamvis proprium nomen expendat, contrahere tamen dicitur nomine Eccleſiæ, & contractus ſic initus eidem Beneficio, ſeu Eccleſiæ adſcribitur, illamque etiam poſt Rectoris mortem afficit, ut inquit *Card. de Luc. de locat. & conduct. ſub num.2. verſ. aut agitur, Rot. in rec. dec.75. n.4. & ſeqq. par.11.*

Prout nec obſtare potuit, quod Summus Pontifex in præfata erectione Eccleſiæ in Collegiatam, Primiceriatum jam antea exiſtentem in principalem, & unicam digni-

gnitatem ejuſdem Collegiatæ erexerit cum facultate in actibus quibuſcumque capitularibus præſſendi, & præeminentiam habendi, ut proindè dicendum ſit, quod abſtulerit Abbati omnia jura præeminentialia, & juriſdictionalia, quæ olim ei competebant in antiquo ſtatu Parochialitatis, illaque transferre voluerit in dignitatem noviter erectam, cum in una eademque Eccleſia non poſſint dari duo capita. Etenim prædicta erectio Primiceriatus in dignitatem principalem, & unicam valuit quidem tribuere eidem Primicerio juriſdictionem, & præeminentiam cohærentem primæ Dignitati, ac jus monendi, & corrigendi oretenus Canonicos, & alios de Choro, prout in ſpecie hujus Primicerii definivit Congregatio Sacrorum Rituum in decretis exhibitis, *in Summ. Additionali Seminarii Num.*1., nunquam verò importare potuit acquiſitionem juriſdictionis jam competentis Abbati, quæ non obſtante aſſerta nova erectione in ſuo eſſe remanſit; ut enim in mutatione Status Eccleſiæ extinguantur juriſdictio, & Privilegia alicujus, & in novum caput pertranſeant, opus eſt, quod illa ſint penitùs incompatibilia cum ſtatu immutato, ut docet *Rot. coram Seraphin. dec.* 1444. *n.*10. *& coram Emerix jun. deciſ.*1029. *n.*5., nulla autem conſiderabilis erat incompatibilitas inter juriſdictionem conceſſam novo capiti, & alteram jam competentem Abbati; Illa enim reſolvebatur in correctionalem nonniſi quàm oretenùs exercendam, ut ex præcitatis decretis Sacræ Congregationis Rituum: hæc verò exercebatur per Abbatem tanquam Officialem perpetuum Archiepiſcopi, illiuſque nomine, ac vice, & quidem cumulativè, non autem privativè ad normam concordiæ anni 1584. unde quemadmodum nulla implicantia, nullaque monſtruoſitas aſſignabilis eſſet, ſi Archiepiſcopus ordinariam juriſdictionem, quàm habet in eadem Eccleſia, exerceret, vel perſonam alteram in ſuum Vicarium, & Officialem præeligeret, qui recto ejuſdem Eccleſiæ regimini præeſſet, ita nullum inconveniens aſſignabile erat ex eo, quod Abbas tanquam perpetuus Officialis Archiepiſcopi juxta tenorem concordiæ compatibiliter cum juriſdictione correctionali novo capiti aſſignata, potiretur ſua juriſdictione in diverſa ſpecie, quæ juriſdictiones non implicant inter ſe, neque præſeferunt monſtruoſitatem duorum Capitum, ut in conſimilibus terminis circa compatibilitatem juriſdictionis correctionalis in levibus, & ordinariæ, ac ſupremæ dictum fuit in *Derthuſen. juriſdictionis ſuper gravibus* 4. *Martii* 1692. *coram bo. me. Pio, & in Derthuſen. juriſdictionis* 18. *Junii* 1696. *cor. eodem*.

39 Firmo itaque manente, quod ante unionem Abbatiæ factam Seminario omnia jura ejuſdem Abbatiæ ſpectarent ad Abbatem, & per aſſertam mutationem Status Eccleſiæ translata non fuerint in Primicerium, tanquam novam Dignitatem inibi erectam, recurrebant ſemper præmiſſa fundamenta, quod per ſubjectivam Abbatiæ unionem factam favore Seminarii omnia jura tam temporalia, quàm ſpiritualia eidem Abbatiæ competentia, ſicque tam juriſdictio, quàm jus conferendi, & eligendi in idem Seminarium transfuſa fuerint, ut ſupra probatum eſt à §. *Poſito autem cum ſeqq.*

Nullatenùs officiente, quod unio facta
40 legatur prævia extinctione, ac ſuppreſſione tituli Abbatialis, ibi = *prævia ex nunc, prout ex tunc, & è contra illius tituli collativi ſuppreſſione, & extinctione*, quæ ſuppreſſio operatur, ut Beneficium, quod unitur, amittat omnes prærogativas, & jura perſonalia, quæ habebat, & aſſumat privilegia, & jura Eccleſiæ, cui facta eſt unio. Quamvis enim verum ſit, quod inter plures effectus, quos producit unio ſubjectiva, & extinctiva tituli, connumeretur ille extinctionis, & amiſſionis omnium prærogativarum, & privilegiorum quoad ipſum Beneficium, ex quo non exiſtit Beneficiatus, qui illis frui, & gaudere poſſit, ex hoc tamen non ſequitur, quod dictæ prærogativæ, & privilegia taliter per beneficium, ſeu dignitatem ſuppreſſam deperdita ſint, ut de medio penitùs ſublata, ſeu extincta remanſerint: Concors enim, ac ubique recepta ſententia eſt, quod prædicta jura, quæ in ipſa dignitate, ſeu titulo per unionem extincto conſiſtere amplius non poſſunt, & quæ proindè per unionem ſubjectivam, & extinctivam tituli pereunt quoad ipſum Beneficium unitum; Non tamen pereunt

quoad Superiorem Monaſterii, Seminarii, ſeu alterius Loci, cui facta fuit unio, in quem jura Beneficii uniti tranſeunt, & transfunduntur, ut præcæteris abſque contradictore concludunt, *Murga de Benef. quæſt.* 4. *diviſ.* 5., qui poſtquam *ſub n.*160. *&* 162. pro primo, & ſecundo effectu talis unionis adduxit extinctionem, & ſuppreſſionem tituli Beneficii uniti, illiuſque prærogativarum, & privilegiorum cum ſucceſſiva aſſumptione prærogativarum, & qualitate Beneficii principalis, cui facta fuit unio, tranſeundo ad tertium effectum *ſub n.*165. ita inquit = *tertius effectus unionis eſt, ut omnia emolumenta, actiones, & jura Eccleſiæ acceſſoriè per viam incorporationis, & ad menſam unitæ ad Eccleſiam principalem, cui fuit unita, pertineant, & tranſeant. Garz. de Benefic. par.*12. *cap.*2., qui pariter poſtquam *ſub n.*18., enunciavit Beneficium unitum omnes ſuas prærogativas amittere *num.*39. ſubdit = *per iſtam tamen unionem omnia emolumenta Beneficii uniti tranſeunt in Eccleſiam, cui facta eſt unio, & ad eam pertinent*, & cum ipſis concordant *modernus Roman. diſcept. Eccleſ.* 9. *num.* 3. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 66. *num.*38. *Adden. ad Gregor. dec.*304. *litt. A. Rota coram Seraphin. dec.* 1009. *num.*4. *in recent. dec.*710. *num.*2. *par.*2. *dec.* 49. *n.*7. *par.*15. *dec.*809. *n.*9. *par.* 18. *tom.*2. *& in Savonen. Reſtaurationis Eccleſiæ Parochialis* 8. *Martii* 1709. §. *Quamvis, coram R.P.D. meo Scotto*.

Nec momenti viſum eſt, quod Summus Pontifex tam in proœmio, quàm in diſ-
41 poſitiva Bullæ unionis declaravit intentionem ſuam eſſe; ut mediante unione ſublevaretur, paupertas Seminarii, & augeri poſſent ejus redditus temporales, ibi = *mente revolvebamus, quod ſubſidiis redditus prædictos augere poſſemus ad ampliorem Clericorum numerum inibi alendum* = & inferiùs, ibi = *dicto Seminario, illiuſque manutentioni, & incremento, & augmento numeri alumnorum* = & rurſus in fine, ibi = *ſed tanquam pro manutentione, & augmento Alumnorum dicti Seminarii* = unde cum præeminentiæ, & juriſdictiones, de quibus agitur, nihil commune habeant cum augmento redditųum temporalium Seminarii, & ampliatione numeri ejus Alumnorum; dicendum profectò veniat, quod ipſe Summus Pontifex voluerit ſolùm facere unionem fructuum, ac reddituum temporalium Abbatiæ, non autem juriſdictionum, & præeminentiarum: Quoniam tametſi cauſa prædicta occurrendi indigentiis Seminarii Pontificis animum impulerit ad unionem faciendam, illaque fuerit etiam in narrativa expoſita: Cum tamen unio facta appareat de Abbatia ſubjectivè, & acceſſorie unà cum omnibus illius juribus, adjacentiis, & pertinentiis, præfata cauſa impulſiva reſtringere, ac coarctare non valuit diſpoſitivam, quæ ex vi, & efficacia unionis prædictæ omnia etiam ſpiritualia comprehendit, non enim narrativa tantùm diſpoſitionis, ſed ejuſdem diſpoſitionis concluſio attendi debet ex collectis per *Murg. in addit. ad dec.*4. *impreſſ. poſt tractat. edit. in Conſtit. Apoſt. n.*26. *Rota poſt ipſum dec.*5. *n.*9. *& dec.*5. *in rec. deciſ.*49. *num.*8. *par.* 15. *& in Vicen. Parochialis, ſeu Vicariæ* 24. *Novembris* 1694. §. *Sicuti, coram bo. me. Muto*.

42 Nullius denique efficaciæ viſa eſt Dominis animadverſio, quod in Elogio, ſeu marmoreo monumento inſcripto ſuper Oſtio Seminarii enuncietur eidem Seminario ex Abbatia Sancti Joannis Majoris indulgente ſa. me. Innocentio XII. acquiſitum fuiſſe opulentiſſimum cenſum, nulla facta mentione jurium, & præeminentiarum. Hujuſmodi namque enunciativa per Elogii compoſitorem laconicè facta in prædicto marmoreo monumento, quamvis principaliter referatur ad fructus, nullamque facit mentionem jurium, & præeminentiarum, ad nihilum tamen conferre valuit pro ſtabilienda comprehenſione, vel excluſione jurium ſpiritualium in unione prædicta, reſiſtente ſemper vulgari regula, quod quis in pluralitate jurium ſibi competentium, illorum aliquod enunciando, vel allegando, cæteris nequaquam renunciare dicitur, minuſque illorum incompetentiam fateri juxta monitum, *Rot. coram Cerro dec.* 97. *num.*29. *coram Dunozzett. jun. deciſ.* 79. *num.*12. *& dec.* 96. *n.*10. *& in rec. dec.*9. *n.*20. *par.*19.

Et ita poſt habitis reliquis exceptionibus minoris relevantiæ, in acerrima Partium digladiatione concluſum fuit.

R.P.D.

Rmo MOLINES DECANO

Neapolitana Unionis ſuper deputatione Miniſtrorum.

Lunæ 23. *Junii* 1710.

43 UNa cum dubio contemporaneè propoſito ſuper comprehenſione Jurium, & præeminentiarum in unione Abbatiæ S. Joannis majoris Civitatis Neapolis facta per ſan. mem. Innocentium XII. Seminario Alumnorum Metropolitanæ Eccleſiæ ejuſdem Civitatis, de quo in altera deciſione hodie coram me edita, conſului pariter Dominos meos ſuper altero dubio reſpiciente deputationem Miniſtrorum, *An Sacriſta, aliique Miniſtri inferiores, qui deputabantur ab Abbate, ſint deputandi à Capitulo, vel potiùs Superioribus Seminarii, & quatenus electio ſpectet ad Superiores Seminarii teneantur illos eligere de gremio Capituli*, & prodiit reſolutio *Electionem ſpectare ad Superiores Seminarii, & illos non teneri eligere de gremio Capituli*.

44 Quo enim attinet ad primam dubii partem circa electionem activam Sacriſtæ, aliorumque Miniſtrorum inferiorum, nempe Organiſtæ, Clericorum pro ſervitio Eccleſiæ, & ſimilium, cenſuerunt Domini illorum activam electionem ſpectare ad Superiores Seminarii, quia ſi jus illos deputandi, & eligendi antiquitus ſpectabat ad Abbatem, de plano ſequebatur, quod per ſubjectivam unionem Abbatiæ Seminario factam idem jus deputandi, & eligendi una cum aliis juribus Beneficio unito competentibus pertranſierit, & translatum fuerit in Superiores Seminarii, cui facta fuit unio, ut probat altera deciſio §. *Poſita autem cum ſeqq.*

Certiùs autem, quia per ſupradictam unionem Abbatiæ Seminario factam, in illud non ſolùm translata fuerunt jura præeminentialia, & honores Abbati competentes, ſed etiam onera eidem Abbati infixa ſolvendi ſcilicet ſalarium Sacriſtæ, aliiſque prædictis Miniſtris inferioribus, & ſubminiſtrandi paramenta, & vaſa ſacra, aliaque omnia neceſſaria pro Divinorum celebratione, ut proinde omnis

45 juſtitiæ, ac æquitatis ratio poſtulet, quod ſi Seminarium ſubit onus, & incommodum dictarum expenſarum, & manutentionis Miniſtrorum, frui quoque debeat commodo deputationis eorumdem *ad Text. in l. ſecundùm naturam ff. de reg. Juris* cum concordantibus adductis per *Gratian. diſcept. foren. cap. 374. num. 21. Surd. de aliment. tit. 6. quæſt. 11. nu. 20. & ſeqq. Fontanell. de pactis nupt. clauſ. 6. gloſſ. 2. part. 3. num. 11. Rota deciſ. 1222. num. 6. coram Emerix jun.*

Non relevante, quod Summus Pontifex Innocentius XII. ſan. mem., in Bulla erectionis Eccleſiæ S. Joannis Majoris in Collegiatam conceſſit facultatem Capitulo condendi ſtatuta circa adminiſtrationem bonorum ſpiritualium, & temporalium cum jure deputandi, & amovendi Officiales, & Miniſtros, ut patet ex illis verbis = *Et modernis, & pro tempore exiſtentibus Primicerio, & Canonicis &c. ut pro Collegiatæ Eccleſiæ, & illius Primicerii, & Canonicorum Menſæ Capitularis, Sacriſtiæ, illarumque omnium rerum, & bonorum &c. proſpero, & felici regimine, gubernio, & directione &c. Officialibus, & Miniſtris Collegiatæ Eccleſiæ per præſentes erectæ neceſſariis deputandis, & amovendis ſervitiis, & Miniſtris per ipſos obeundis, quæcumque ſtatuta, ac ordinationes, capitula, & decreta licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini, & Conſtitutionibus Apoſtolicis minimè contraria, & per Ordinarium priùs examinanda, & approbanda edendi.*

Quandoquidem ex prædictis verbis ſolùm reſultat, quod Capitulo tributa fuit facultas condendi ſtatuta ſuper adminiſtratione bonorum Menſæ Capitularis, Primicerii, & Canonicorum, & deputandi Miniſtros Sacriſtiæ ſpectantis ad ipſummet Capitulum, & Canonicos, ſub ea tamen lege, ut dicta ſtatuta non deberent eſſe contraria Sacris Canonibus, Sacro Concilio Tridentino, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, quodque deberent confirmari, & approbari ab Ordinario, in præſenti autem caſu non agebatur de approbatione ſtatuti facti à Capitulo, nec deputatione Miniſtrorum pro adminiſtranda, & gubernanda Menſa Capitulari, & bonis Primicerii, & Canonicorum, ſed quæſtio vertebatur circa deputationem Sacriſtæ, qui curam habere debeat de

de paramentis ſacris, aliiſque rebus neceſſariis ad Divinum cultum ſubminiſtrandis per Seminarium, & circa deputationem aliorum Miniſtrorum pro gubernio eorum, quæ ſpectant ad dictum Seminarium, in quibus terminis ceſſare viſa eſt facultas Capitulo tributa eligendi Miniſtros, ut in ſimili dictum fuit *in deciſ.* 1083. *per tot. coram Emerix junior.*

46 Deveniendo ex his ad electionem paſſivam in omnem caſum prætenſam per Capitulum, reſolutum fuit *Superiores Seminarii non teneri eligere Miniſtros de gremio Capituli*: qui enim habet à jure facultatem eligendi, ſeu nominandi non coarctatur ad certum genus perſonarum, ſed poteſt ſemper quemcumque ſibi magìs beneviſum eligere, ſeu deputare, ut monent *Guttier. practic. quæſt. lib.2.quæſt.67. nu.* 3. *Caſtill. controv. tom.* 5. *cap.*67. *nu.*4. & 6. *Rota coram Emerix jun. deciſ.* 762. *num.* 4. & *ſeqq.* & *in rec. deciſ.* 96. *nu.* 17. *par.* 17. Idque quoad electionem, & deputationem Sacriſtæ conforme etiam erat diſpoſitioni Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 6. ibi = *Aſſumendus autem eſt de gremio ipſius Eccleſiæ, vel aliunde, prout magìs expedire videbitur*, nec adverſari videbatur *deciſio* 645. *nu.*2. & *ſeqq. coram Seraphino*, in qua firmatur, quod cùm regimen Eccleſiæ pertineat ad Capitulum, ideo deputatio Miniſtrorum facienda ſit ab eodem Capitulo de gremio Capitulari, quia prædicta deciſio fundatur in conſuetudine, ut ex lectura. Unde potiùs retorqueri potuiſſet, quia ſi in præſenti deputatio Miniſtrorum, ſemper fieri conſuevit ab Abbate quoad perſonas ſibi beneviſas; Ita pariter nunc facienda videtur ad libitum Superiorum Seminarii, in quod per ſæpedictam unionem ſubjectivam transfuſa, & incorporata fuerunt omnia jura eidem Abbati competentia.

Et ita utraque &c.

CANON VII.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXIV. Cap. III.

PAtriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi propriam Diœceſim per ſe ipſos, aut ſi legitimè impediti per ſuum generalem Vicarium, Viſitatorem, ſi quotannis totam, propter ejus latitudinem, viſitare non poterunt, ſaltèm majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per ſe, vel Viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant: Et infra. Patroni verò in iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, nullatenus ſe præſumant ingerere, neque viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum proventibus immiſceant, niſi quatenus id eis ex inſtitutione, ac fundatione competat; ſed Epiſcopi ipſi hæc faciant, & fabricarum redditus in uſus Eccleſiæ neceſſarios, & utiles, prout ſibi expedire magìs viſum fuerit, expendi curent.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = Patronus non poteſt ſe ingerere in iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, nec ſe immiſcere in viſitatione ornamentorum Eccleſiæ, nec in proventibus bonorum, et fabricarum ejuſdem, niſi id ſibi reſervatum fuerit in limine fundationis =

Secunda = Poteſt Patronus in limine fundationis Beneficii apponere conditiones ſibi beneviſas = Utramque concluſionem probant omnes Auctoritates ſuperiùs relatæ *Par. II. Can. XXVII. in Commentario*, quibus addo *Barboſ. hìc num.* 45. *Fraſſ. de Patron. Reg. tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 38. *cap.* 31. *num.* 15. *tom.* 2. *cap.* 61. *nu.* 15. *&* 18. *Capon. diſcept.* 273. *num.* 9. *tom.* 4

1 Non contenti ſapientiſſimi Patres inhibere Patronis ſuperiùs *Can. V.* uſurpationem, & alienationem jurium, bonorum, & fructuum Eccleſiæ Patronalis, prohibuerunt etiam eiſdem hìc ſe ingerere in adminiſtratione Sacramentorum, proventuum, bonorum, & fabricarum ejuſdem Eccleſiæ, ac ſe immiſcere in viſitatione ornamentorum illius, niſi in limine fundationis fuiſſet id de conſenſu legitimi Superioris eis reſervatum, & tota cura viſitandi Eccleſiam, & ejus ornamenta, ac diſtribuendi, & applicandi redditus Eccleſiæ Patronatæ, & Fabricæ commiſſa fuit arbitrio, & diſpoſitioni Epiſcopi *Fagnan. in cap. Conquerente de offic. Ordin. nu.* 34. *Capon. diſcept.* 1. *num.* 38. *& diſcept.* 56. *nu.* 3. *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 24. *nu.* 1. *& ſeqq. Barboſ. hìc nu.* 45. *verſ. Et Fabricarum redditus.*

Ultra Caſus utramque concluſionem concernentes ſupra examinatos dicta *Par. II. Canon. XXVII.* & hìc *Can. V.* nonnullos alios in præſenti *Canone* ſubjicio ad ſecundam concluſionem ſpectantes.

ARGUMENTUM.

Impoſito à Fundatore Cappellaniæ onere Cappellano unius Miſſæ quotidianæ in perpetuum durante ſæculo, an hujuſmodi onus duret ultra ſpatium centum annorum, vel potiùs tranſacto dicto termino, remanſerit extinctum.

1 *Vox* Sæculum *eſt apta nata non ſolùm ad exprimendum ſpatium centum annorum, ſed etiam ad denotandum mundum*, ut num. 4.

2 *Legatum pium relictum cum verbis perpetuitatem denotantibus, ad centum annos reſtringitur.*

3 *Impoſito onere celebrandi Miſſam in perpetuum* durante ſæculo *illud dicitur durare ultra ſpatium centum annorum, non verò hoc termino tranſacto remanſiſſe extinctum.*

CASUS I.

Quatuor Caſus hìc expono in S. Congregatione Concilii propoſitos, me ſtudente apud R. P. D. Lambertinum meritiſſimum ejuſdem S. Congregationis Secretarium, ex cujus verbis, & dictis infraſcripta accipies, & legere etiam poteris in Foliis impreſſis, & per ipſum doctiſſimè de more extenſis, quæ Eminentiſſimis Patribus ejuſdem S. Congregationis ſolent diſtribui.

Primus eſt: Quidam Teſtator fundavit Cappellaniam in Eccleſia A, & in limine fundationis injunxit Cappellano onus dicendi, & celebrandi in dicta Eccleſia pro ſua, ſuorumque Animabus, ſingulis diebus in perpetuum, durante ſæculo, unam Miſſam planam; & ſemel in anno in die ejus obitus, ſeu alia immediatè ſequenti, ſi cauſa intervenerit legitima, propter quam differri habeat; unam Miſſam ſolemnem mortuorum in cantu cum ſuis reſponſoriis, & Officium Mortuorum; dictus Teſtator voluit, & mandavit debere dici, & cele-

& celebrari, ac fieri ſingulis annis in perpetuum, donec cœlum, & terra durabunt.

Quoad perpetuam celebrationem Miſſæ ſolemnis, & Anniverſarii, nulla eſt difficultas; ſola diſputatio reducitur ad Miſſam planam ſingulis diebus recitandam, de hac enim quæritur, an ejus onus durare debeat ultra ſæculum, hoc eſt ultra metam centum annorum, vel potiùs elapſis centum annis, ceſſare debuerit.

Plura ſuadent onus Miſſæ planæ non ſe extendere ultra metam centum annorum,
1 tum quia quando vox *Sæculum* uſurpatur ad denotandum tempus, & menſuram temporis, ſpatium ſignificat tantummodo centum annorum, tum quia non de-
2 ſunt magni nominis Auctores, qui cenſent legatum pium relictum cum verbis perpetuitatem denotantibus ad centum annos reſtringi, ut latè videri poteſt apud *Vivium deciſ. lib. 3. deciſ.* 406. *nu.* 18. *&* 19. & tandem quia quando Teſtator voluit perpetuitatem abſolutam, & indefinitam, eam expreſſit verbis clariſſimis, uti colligitur ex legato Miſſæ ſolemnis, & Anniverſarii *ſingulis annis in perpetuum donec cœlum, & terra durabunt*; Hinc inferre licet, quod quando in legato Miſſæ planæ ſingulis diebus celebrandæ, uſus eſt illis verbis *in perpetuum durante ſæculo*, intellexit de perpetuitate limitata ad tempus centum annorum, multoque magìs cùm verba illa *durante ſæculo*, non præcedant, ſed ſubſequantur hæc alia *in perpetuum*, in hoc quippè rerum ſtatu verba priora *in perpetuum* reſtringuntur in ſequentibus *durante ſæculo.*

3 His tamen non obſtantibus placuit Sacræ Congregationi Concilii in una *Bononien.* 17. *Decembris* 1718. ubi ſimilis caſus diſputabatur, definire dictum onus Miſſæ planæ durare ultra ſpatium centum annorum, non verò dicto termino tranſacto, remanſiſſe extinctum; Quia, quando agitur de legato pio, & ſignanter de legato Miſſarum verba *in perpetuum* non reſtringuntur ad centum annos, ſed ad quodcumque tempus extenduntur, uti latè probant *Pancirol. conſil.* 175. *per tot. Gratian deciſ.* 22. *per tot. Ciarlin. controv. lib.* 2. *cap.* 143. *per tot.* cùm improbabilis ſit, & ſenſui Eccleſiæ repugnans nonnullorum Theologorum aſſertio, quod Animæ non detineantur in Purgatorio ultra decem annos, vel ut alii dicunt ultra metam centum annorum *Bellarm. controverſ. tom.* 2. *lib.* 2. *de Purgatorio cap.* 9.

4 Inſuper vox *Sæculum* non ſolùm eſt apta nata ad exprimendum ſpatium centum annorum, ſed etiam ad denotandum mundum juxta illud: *Venturus eſt judicare ſæculum per ignem*: quo ſtante idem erit dicere durante ſæculo, ac durante mundo.

ARGUMENTUM.

Canonico adjecta lege à Fundatore in limine fundationis Canonicatus intereſſendi Divinis Officiis, ac lucrandi diſtributiones, prout interſunt, & lucrantur alii Canonici, an, & quando ipſi concedenda ſit jubilatio?

SUMMARIUM.

1 *Jubilatio non fuit introducta à Jure Canonico, ſed à ſtatutis particularibus Eccleſiarum, vel conſuetudine*, & nu. 2. & 3.
4 *Jubilatio ut concedatur Canonico conſtare debet de ſervitio quadragenario cum qualitate*, continui, & laudabilis.
5 *In computatione temporis quadragenarii an habenda ſit ratio temporis, quo canonicus abfuit à ſervitio Eccleſiæ, obtentis abſentiæ indultis, vel ex cauſa infirmitatis, vel ex cauſa ſtudiorum, velut Eccleſiæ ſuæ negotiis vacaret, vel ratione munerum*. Et num. 6. 7. 8. 16. & 21.
9 *Quadragenarium ſervitium an ſufficiat, quod ſit difforme, vel potiùs requiratur, quod ſit uniforme*. Et num. 10. 11. 12. 17. & 22.
13 *An parvus Canonicorum, vel Beneficiatorum numerus pro ſervitio Eccleſiæ impedire valeat Indultum Jubilationis Canonico, vel Beneficiato*? & num. 18. & 23.
14 *Epiſcopus cogere poteſt Jubilatos ad intereſſendum, ſi Eccleſiæ ſervitium, & cultus Divinus detrimentum patiantur*. & num. 19. & 24.
15 *Canonicus Jubilatus non tenetur ad localem reſidentiam*. & num. 20. & 25.

CA-

CASUS II.

SEcundus Caſus eſt; Quidam Canonicus, cui in limine fundationis Canonicatus adjecta fuit à Fundatore lex intereſſendi Divinis Officiis,ac lucrandi diſtributiones, prout interſunt, ac lucrantur alii Canonici; docto de quadragenario ſervitio per eum præſtito Eccleſiæ Cathedrali, ſupplicavit pro jubilatione; quæritur an hæc ſit illi concedenda?

1 Præſupponendum eſt; quod licèt in jure Canonico cautum non reperiatur, quod Canonicus, ſive Beneficiatus, qui Eccleſiæ inſervivit ſpatio quadraginta annorum frui debeat exemptione à ſervitio, & hoc minimè obſtante, ſit admittendus ad participationem fructuum, & diſtributionum, utì benè ponderat *Navar. conſ.* 12. *lib.* 3. *de Cleric. non reſid.* ex quo fortaſſe infirmitas Canonicorum, & Beneficiatorum, aut gravis eorumdem ætas remedium habent Coadjutoriæ, aut Indulti vacandi à Choro, durante infirmitate, quemadmodum proſequitur *Card. de Luc. de Can. diſc.* 15. *num.* 6. *& ſeqq.*

In Cathedralibus nihilominus, & Collegiatis Eccleſiis, in quibus adſunt ſtatuta, vacationem à Choro, quæ jubilatio dicitur, concedentia Canonicis, & Beneficiatis poſt ſervitium annorum quadraginta, jam reſolutum eſt à S. Congregatione Concilii, eadem non eſſe improbanda, ſed toleranda, quæ reſolutio à Summo Pontifice Gregorio XIII. confirmationem obtinuit juxta plenè relata apud *Garz. de benef. par.*3. *cap.*2. §. 1. *numer.* 344.

Et quod notabilius eſt, etiam ſi non adſint ſtatuta, praxis inolevit, ut ab eadem S. Congregatione indulta jubilationis concedantur Canonicis, & Beneficiatis, qui ſpatio quadraginta annorum ſuis Eccleſiis inſervierunt, nè cœleſtis Militiæ Milites deterioris ſint conditionis, quam Milites Militiæ ſæcularis, quibus à jure Civili vacatio à muneribus, dummodo veterani eſſent, liberaliter conceſſa eſt, juxta *Text. in l. à muneribus* 6. *ff. de vacat. & excuſat. munerum*, *& in l.* 1. *cod. de veteranis lib.* 12. & notavi ſuperius *Par. II. Can. XXVII. Caſ. XI. nu.*27. Et praxis memorata non abſolutè, & ſimpliciter ſibi vindicat locum, ſed in hypotheſi, in qua plenè doceatur de ſervitio præſtito ſpatio annorum quadraginta, & quidem cum qualitate *continui*, & *laudabilis*, utì non ſolùm colligitur ex formula indulti, ſed etiam deſumitur ex reſcriptis ejuſdem S. Congregationis, in quibus vel denegata fuit jubilatio, non obſtante ſervitio annorum quadraginta, ex quo ipſum non fuerat continuum & laudabile, quemadmodum contingit *in Romana jubilationis* 6. *Auguſti* 1712. *lib.* 62. *Decret.* relat. ubi ſupra dicto *Caſ. XI. num.*26. vel jubilatio quamvis conceſſa, fuit revocata, quia oſtenſum fuit, ſervitium annorum quadraginta non fuiſſe continuum, & laudabile, utì pariter contingit *in Maceraten. jubilationis propoſita die* 22. *Febr.* 1698. *& reſoluta die* 8. *Martii eiuſdem anni lib.* 48. *Decret.*

Hæc, quæ hucuſque deducta ſunt, nullam admittere poſſe videntur controverſiam. Difficultas autem tota in hac materia reducitur ad quatuor capita; Primum difficultatis caput reſpicit tempus pro jubilatione neceſſarium; Secundum pertinet ad qualitatem ſervitii ad eumdem effectum requiſiti; Tertium ſpectat ad Eccleſiæ qualitatem, in qua Canonicus, vel Beneficiatus inſervivit; Et quartum tandem refertur ad exemptionem competentem Jubilato, poſt jubilationem indultam.

5 A primo Capite initium deſumendo, inſtant nonnulli pro jubilatione, & de quadragenario docent ſervitio, ſed in computatione temporis quadragenarii, contendunt habendam eſſe rationem temporis, quo abfuerunt à ſervitio Eccleſiæ, obtentis abſentiæ indultis, vel ex cauſa infirmitatis, vel ex cauſa ſtudiorum, vel ut Eccleſiæ ſuæ negotiis vacarent, vel ratione munerum, utì ſæpè accidit in Baſilicis Urbis, in quibus nonnulli Canonici, & Beneficiati, propter munera ipſis à Summo Pontifice collata, aut indultum habent vacandi à ſervitio Chori *pro diebus*, *& horis*, *pro quibus fuerint in aliis commiſſis muneribus occupati*, vel indultum habent abſolutè, & ſimpliciter vacandi à choro, quoad uſque munus duraverit, quod potiſſimum accidit in his, qui præfecturas, & officia obtinent extra Urbem.

6 In

6 In terminis abſentiæ ex cauſa infirmitatis S. Congregatio Concilii aliàs cenſuit abſentiam prædictam non præjudicare jubilationi, dummodo infirmitas fuiſſet ab Ordinario approbata, & ejuſdem S. Congregationis acceſſiſſet indultum, utì videri poteſt in *Bergomen. jubilationis propoſita* 4. *Julii*, *& reſoluta die* 8. *Auguſti* 1716. ſupra *Par. II. Can. XXVII. dicto Caſ. XI. num.* 29. in qua agebatur de abſentia à ſervitio Chori pro horis Matutini, & Primæ continuata ſpatio decem annorum, & habitis à S. Congregatione
7 neceſſariis indultis. In terminis abſentiæ cauſa ſtudii, & quidem prævia licentia S. Congregationis diſputatum fuit, & reſolutum non eſſe dicti temporis habendam rationem in computo jubilationis, utì videri poteſt in *Nepeſina jubilationis*
8 28. *Novembris* 1711. *lib.* 61. *Decret.* Et in terminis demum Indultarii, qui propter officium Scriptoratus Bibliothecæ Vaticanæ indultum habuerat vacandi à ſervitio Chori *pro diebus*, *& horis*, articulo examinato, dictum fuit non eſſe à jubilatione excludendum propter abſentiam, quæ horis, & diebus prædictis contigiſſe dicebatur, utì videri poteſt in *Romana jubilationis propoſita* 28. *Novembris*, *& reſoluta* 12. *Decembris* 1699. *lib.* 49. *Decret.* Abſens etenim cauſa infirmitatis habetur pro præſente, & intereſſente, etiam ad effectum conſequendi diſtributiones, quod ipſum verificatur in Indultario pro diebus, & horis; at ſecus ſe habet res in abſente cauſa ſtudii, cui de jure diſtributiones non competunt, & ſi fructus in diſtributionibus conſiſtant, non aliter concedi conſuevit indultum, quam dimiſſa tertia parte.

9 Tranſeundo ad qualitatem ſervitii pro jubilatione neceſſarii nonnulli inſtant pro jubilatione, & pariter docent de quadragenario ſervitio, ſed illud non eſt uniforme, ſed diſſorme, vel quia in una Eccleſia tanquam Canonici ſpatio 20. annorum, & in alia, per alios 20. annos tanquam pariter Canonici Choro interfuerunt; aut in una tanquam Beneficiati, in alia tanquam Canonici inſervierunt; vel quia in una, & eadem Eccleſia inſervierunt per totum temporis ſpatium, ſed partim tanquam Clerici Beneficiati, partim tanquam Beneficiati, & aliquando partim tanquam Beneficiati, partim tanquam Canonici, vel tandem quia per decem, aut duodecim annos inſervierunt tanquam Coadjutores, & per reliquum tempus tanquam Titulares.

10 In terminis ejus, qui inſervierat partim tanquam Clericus Beneficiatus, partim tanquam Beneficiatus Eccleſiæ Lateranenſis, reſolutum fuit, id non obſtare jubilationi, & tempora prædicta eſſe conjungenda, utì colligitur ex allegata *Romana jubilationis* 12. *Decembris* 1699.

11 Fuit è contra denegata jubilatio cuidam, qui in Eccleſia S. Mariæ Majoris Civitatis Baruli priùs inſervierat in qualitate Clerici, deinde Subdiaconi, & poſtremò Præsbyteri, utì habetur in *Tranen jubilationis propoſita* 16. *Decembris* 1702. *& reſoluta die* 13. *Januarii* 1703. *lib.* 53. *De-*
12 *cret.* In terminis autem ejus, qui inſervierat partim tanquam Coadjutor, partim tanquam Principalis, conſtans videtur fuiſſe opinio S. Congregationis faciendam eſſe temporum conjunctionem, cùm agitur de jubilatione, utì videre eſt in *Brixien.* 27. *Martii* 1683. *in Novarien.* 4. *Auguſti* 1691. *in Bergomen.* 11. *Februarii* 1696. *& in alia Bergomen. jubilationis propoſita* 4, *Julii*, *& reſoluta* 8. *Auguſti* 1716. *lib.* 66. *Decret.*

13 Succedit Eccleſiæ qualitas, cui Canonicus, vel Beneficiatus inſervivit, & de hac loquendo, aliquando diſputari contingit, an parvus Canonicorum, vel Beneficiatorum numerus, qui remanet pro ſervitio Eccleſiæ, impedire valeat indultum jubilationis Canonico, vel Beneficiato, qui laudabiliter inſervivit ſpatio annorum quadraginta. A congregatione *die* 3. *Septembris* 1718. conceſſa fuit jubilatio Præpoſito Cathedralis Eccleſiæ Brittinorien. non attenta oppoſitione Capituli reclamantis, quod treſdecim erant Canonici, & quatuor Manſionarii addicti ſervitio Eccleſiæ, & quod tres ex Canonicis erant cura Animarum præoccupati, duo mala valetudine præpediti, & alter jubilationis jam fruens indulto. Et quod fortiùs eſt, licèt novem eſſent Canonici, comprehenſo Præpoſito, & dempto uno, qui ad Organum, altero, qui ad Confeſſionarium adſtare debeat, demptiſque aliis tribus, qui Altari celebrando aſſiſtere tenebantur, & ſic diceretur

tres

tres tantummodo in Choro eſſe manſuros, S. Congregatio cenſuit eſſe Præpoſito concedendum jubilationis indultum, utì videre eſt in *Ripana jubilationis 29. Novembris* 1710. *lib. 60. Decret.*

Supereſt, ut ſermo fiat de exemptione, quæ competit Jubilato poſt conceſſam jubilationem. In formula jubilationis indulgetur, ut Jubilatus abeſſe poſſit à ſervitio Chori, & interim frui fructibus, &
14 diſtributionibus. Si Eccleſiæ ſervitium, & cultus Divinus detrimentum patiantur, diſputatum fuit, & reſolutum in S. Congregatione *die 27. Septembris 1659.* quod Epiſcopus cogere poterat Jubilatos ad inſerviendum, utì videri poteſt in *Aquilana 27. Septembris 1659. ad tertium dubium lib. 21. Decret. & in Sabinen. 2. Octobris 1717. lib. 67. Decret.* & facit Textus in *cap. Cùm ad hoc de Cleric. non reſid.* in quo Gregorius IX. ſtatuit, quod Privilegiati ſuper abſentia redire cogantur, ſi Eccleſia patitur Miniſtrorum defectum.
15 Quoad reſidentiam Jubilatorum, binæ adſunt reſolutiones ejuſdem S. Congregationis, altera in *cauſa S. Angeli in Vado 15. Aprilis 1690. lib. 4. Decret. fol. 256.* in qua dictum fuit Canonico Jubilato deberi diſtributiones, nec ad reſidentiam localem teneri; altera in *cauſa Patavina jubilationis 9. Junii 1714. lib. 64. Decret. fol.* 217. in qua ſimiliter dictum fuit deberi Canonico Jubilato diſtributiones, & eum non eſſe obligatum ad reſidendum. Hinc propoſita fuerunt in S. Congregatione infraſcripta dubia.

16 Primo = *An indulgenda ſit jubilatio Canonicis, & Beneficiatis, qui ſpatio quadraginta annorum Eccleſiis inſervierunt; licèt dicto temporis ſpatio cum debitis licentiis, & indultis abfuerint ab Eccleſiis vel ex cauſa infirmitatis, vel ex cauſa ſtudiorum, vel pro ſuæ Eccleſiæ ſervitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta abſendi pro diebus, & horis, vel indulta ſimpliciter, & abſolutè abſendi, ab Eccleſia, durante officio ipſis commiſſo* =

17 Secundo = *An indulgenda ſit jubilatio illis, qui inſervierunt ſpatio annorum quadraginta, ſed partim in una Eccleſia, partim in alia, aut tanquam Canonici in ambabus, aut tanquam Beneficiati in una, & Canonici in alia, nec non in illis, qui in una, & eadem Eccleſia per totum tempus inſervierunt, ſed partim tanquam Clerici Beneficiati, partim tanquam Beneficiati, & aliquando partim tanquam Beneficiati, partim tanquam Canonici, vel partim tanquam Coadjutores, & partim tanquam Principales & Titulares* =

18 Tertio = *An indulgenda ſit jubilatio illis, qui inſervierunt ſpatio annorum quadraginta, non obſtante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Eccleſiæ ſervitio, & quis ſit parvus numerus inſervientium in caſu, & ad effectum de quo agitur* =

19 Quarto = *An non obſtante jubilationis indulto, Jubilatus cogi poſſit ad inſerviendum, ſi Divinus cultus detrimentum patiatur* =

20 Quinto = *An non obſtante jubilationis indulto, Jubilatus teneatur ad reſidendum, licèt non teneatur ad intereſſendum* =

21 Quibus in *cauſa Dubia jubilationum 17. Decembris* 1718. fuit reſcriptum: Ad primum = *Affirmativè quoad abſentes ex cauſa infirmitatis cum debitis diligentiis, & indultis, vel pro ſuæ Eccleſiæ ſervitio, vel cum indultis abſendi pro diebus, & horis; Negativè autem quoad abſentes ex cauſa ſtudiorum, & quoad habentes indulta ab-*
22 *ſendi abſolutè, durante officio* = Ad ſecundum = *Negativè quoad primam, & affir-*
23 *mativè quoad ſecundam partem* = Ad tertium = *Dabitur reſolutio in caſibus particu-*
24 *laribus* = Ad quartum = *Affirmativè*: Ad
25 quintum; *Negativè juxta decreta.*

His omnibus præſuppoſitis jam patet affirmativa reſolutio præſentis quæſtionis, cùm Canonicus, qui ex lege fundationis tenebatur intereſſe Divinis Officiis; prout interſunt alii Canonici Cathedralis, doceat de laudabili, & continuo quadragenario ſervitio, per eum tanquam Canonicum in Eccleſia præſtito.

ARGUMENTUM.

An Hæres Fundatoris in limine fundationis Canonicatus imponere poſſit onus Miſſarum; quando de eo Fundator in teſtamento nullam fecerit mentionem; adeò ut Præſentatus ad Canonicatum teneatur illud adimplere.

SUMMARIUM.

1 *Præſentatus ad Canonicatum tenetur ad onus Miſſarum, ab hærede in limine fundationis de conſenſu Ordinarii, impoſitum, etiamſi Fundator de hoc onere in teſtamento nullam fecerit mentionem.*

2 *Ad cognoſcendum qualitates, & onera Canonicatus attendenda eſt illius erectio conſenſu Ordinarii munita, & non teſtamentum.*

CASUS III.

Caſus Tertius eſt. Quædam Teſtatrix in ſuo ultimo teſtamento hæredem ſibi ſcripſit Franciſcum ejus virum, cui onus impoſuit erigendi unum Canonicatum, ſive Cappellaniam in Eccleſia Cathedrali Nepeſina; *poſt mortem autem dicti Franciſci mandavit de ejus hæreditate fieri, erigi, & dotari in Eccleſia Cathedrali B. Mariæ Civitatis Nepeſinæ unum Canonicatum, ſive Cappellaniam cum dote ſcutorum* 1000., & quia dari poterat caſus, quod Antonius Teſtatricis frater ſupervixiſſet Franciſco viro; in hac facti ſpecie Teſtatrix demandavit, quod uſusfructus ſcut. 1000. pertinere deberet ad Antonium, & quod, eodem defuncto, Canonicatus, ſeu Cappellania erigeretur arbitrio memorati Franciſci viri, *& poſt ipſius mortem*, ſcilicet Antonii, *fiat Canonicatus, ſeu Cappellania prædicta arbitrio dicti Franciſci*.

Secuto Teſtatricis obitu, Franciſcus in ſuo, quod condidit, teſtamento utens facultate ſibi à Teſtatrice uxore attributa, mandavit, ut deveniretur ad erectionem Canonicatus, cum onere octo Miſſarum ſingulis menſibus celebrandarum pro Anima ſuæ Uxoris, & ſuorum. Præſentatus autem à Patronis ad hujuſmodi Canonicatum ſic cum dicto onere erectum, ac in eo inſtitutus cum omnibus oneribus, & honoribus prætenſionem excitavit ſe non teneri ad dictum onus octo Miſſarum menſualium; Quæritur in hoc caſu: *An, & ad quæ onera teneatur Canonicus?*

Putat dictus Canonicus ſe non teneri ad onus octo Miſſarum menſualium, tum quia illud non legitur impoſitum in Teſtamento Teſtatricis, ex cujus bonis Canonicatus fuit erectus, tum quia hæc pia Teſtatrix voluit, quod erigeretur Canonicatus, ſeu Cappellania, hinc inferendo, quod Franciſcus ejuſdem vir non poterat devenire ad erectionem Canonicatus inſimul; & Cappellaniæ, injungendo etenim Canonico onus Miſſarum, unionem feciſſe videtur Canonicatus, & Cappellaniæ contra voluntatem Fundatricis.

Accedit reddituum tenuitas, ex calculo ſiquidem per Canonicum exhibito deſumitur nihil aliud remanere pro quotidiano ſervitio Chori, quàm modicam ſummam ſcut. 10. annuorum, & obulorum 15., ſtatim ac admittitur onus controverſum celebrationis, ad quod abſurdum de medio tollendum infert ſe non poſſe adſtringi ad celebrationem octo Miſſarum menſualium, quæ important quolibet anno ſcuta 19. & obulos 60. calculando unam quamque Miſſam ad rationem juliorum duorum, ex quo agitur de onere perpetuo.

1 Quibus tamen non obſtantibus S. Congregatio Concilii in *Nepeſina Canonicatus* 4. *Februarii* 1719. reſcripſit ſupradictum Canonicum *teneri ad onera expreſſa in Teſtamento Franciſci, & ad onera, ad quæ tenentur alii Canonici*. Et quidem optima ratione, quia Teſtarrix voluit quod Canonicatus erigeretur *arbitrio Franciſci viri*, & Franciſcus vir illum, accedente auctoritate Ordinaria, erigere curavit cum expreſſione oneris ſupradicti; quæ erectio utpote munita conſenſu Ordinarii eſt 2 attendenda, & prævalere debet Teſtamento Fundatricis, ad effectum agnoſcendi, qualitates, & onera Canonicatus, juxta Auctoritates ſuperiùs lato calamo relatas. *Part. II. Can. I. & II. Caſ. VII.*

Caſ. VII. n.9. Et quia onus celebrationis octo Miſſarum quolibet menſe non eſt incompatibile cum Canonicatu; Ac etiam quia Miſſæ fuerunt celebratæ ſpatio ſeptuaginta circiter annorum, itaut de obſervantia non ſit dubitandum; ac denique quia non videtur ſubſiſtere tenuitas redditu um, cùm Canonicus præter ſcuta octo, quæ cuilibet ex Canonicis diſtribuuntur, habeat quolibet anno ſcuta 40. cum dimidio, & onus impoſitum Miſſarum, illud calculando ad rationem manualis, non excedat ſummam ſcut. 9. & obul. 60.

ARGUMENTUM.

Erecta Cappellania pro Presbytero, qui celebrare debeat Miſſam; an ad eam præſentari, ac inſtitui valeat Clericus, qui non ſit actu Sacerdos?

SUMMARIUM.

1 *Sacerdotium requiritur tempore collationis, ſive præſentationis, quando annexio Sacerdotii eſt facta reſpectu actus, ſecus ſi ſit facta reſpectu aptitudinis.*

2 *Annexio Sacerdotii reſpectu actus, quando adeſſe dicatur?* Vide ibi.

3 *Erecta Cappellania pro Presbytero, qui Miſſam celebrare debeat, ac teneatur, ad eam præſentari, ac inſtitui poteſt Clericus, qui non ſit actu Sacerdos.*

CASUS IV.

Sequitur quartus Caſus, qui ita ſe habet; Ad Cappellaniam vacantem per obitum Sacerdotis Angeli fuit à Principe Gaſpare de Alteriis, ad quem pertinet jus præſentandi, præſentatus Balthaſſar in Acolytatus ordine, & in ætate annorum 23., & ſex menſium conſtitutus. Sed quia in fundatione Cappellaniæ erectæ à ſan. mem. Clemente X. leguntur ſequentia verba = *Duas perpetuas ſinè cura Cappellanias in prædicta Cappella noſtra gentilitia pro duobus Presbyteris futuris Cappellæ gentilitiæ hujuſmodi Cappellanis, quarum unam, & alteram in ſingulis verò Dominicis, & aliis de præcepto Eccleſiæ feſtivis diebus, quilibet illorum unam Miſſam, ita tamen, ut Miſſarum celebrandarum Sacrificium juxta mentem noſtram, per Cappellanos ipſos applicetur, celebrare debeant, & teneantur Apoſtolica auctoritate perpetuò erigimus, & inſtituimus* = exorta proindè fuit controverſia, an in Cappellania, ad quam Balthaſſar præſentari obtinuit, requiratur Sacerdotium actu; Unde quæritur = *An Balthaſſar inſtitui valeat ad Cappellaniam, ad quam fuit præſentatus, non obſtante, quod tempore præſentationis non eſſet Sacerdos.*

1 Pro incapacitate Balthaſſaris facit, quod quando annexio Sacerdotii eſt facta reſpectu actus, Sacerdotium requiritur tempore collationis, ſivè præſentationis, ad differentiam caſus, in quo annexio Sacerdotii facta ſit reſpectu aptitudinis, in hac quippe facti ſpecie ſatis eſt, quod Sacerdotium intrà annum acquiri valeat.

2 Abſque eo quod de annexione Sacerdotii reſpectu actus in hypotheſi dubitari poſſe videatur, ea etenim ſemper adeſſe dicitur, quando Fundator voluit, quod nominetur Sacerdos, vel quod Beneficium, ſeu Cappellania conferatur Sacerdoti, uti latè probat *Fagnan. in cap. ut Abbates à num.37. uſque ad 60. de ætat. & qualitat.*, & in terminis Beneficii, ad quod eligendus erat Presbyter, qui celebrare debebat Miſſas omni hebdomada, quod qualitas Sacerdotalis fuerit neceſſaria de tempore præſentationis firmavit *Rot. deciſ.248. dec.263. dec.278. dec.312. dec.353. & dec.364. coram Emerix jun.*

3 His tamen non obſtantibus S. Congregationi Concilii placuit in hoc caſu in *Romana Cappellaniæ 4. Febr.1719.* ad dubium reſpondere *Affirmativè*; ea ratione quia in terminis Sacerdotii nedum à jure, ſed ab homine requiſiti in Beneficio, ſive in Cappellania, recepta videtur eſſe propoſitio, quòd illud non ſit neceſſarium de tempore collationis, ſive præſentationis, ſed ſufficere, quòd intrà unius anni ſpatium valeat obtineri. *Gonzal. ad regul.8. Cancell. gloſſ.5. n.104. & ſeq.*, & illi Auctores qui qualitatem Sacerdotalem expoſcunt de tempore collationis, ſeu Præſentationis, nihilominùs admittunt con-

contrariam opinionem eſſe in praxi receptam. *Amoſtaz. de Cauſ. piis lib.3. cap.5. num.34. Caſtill. controv. jur. tom.5. cap.91. à num.38. uſq. ad n.51.* Ad materiam hujus Caſus, vide, quæ latè dixi ſuperius. *Par.II. Can.XXVII. Caſ.XIV.*

CANON VIII.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXIV. Cap. XIV.

IN pluribus Eccleſiis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, & Parochialibus ex earum Conſtitutionibus, aut ex prava Conſuetudine obſervari intelligitur, ut in Electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, Confirmatione, Collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus Cathedralis Eccleſiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut præbendarum, vel Partem Proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones, ſeu deductiones ex Fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationeſve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur, hæc cùm Sancta Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, ut quæcumque hujuſmodi in uſus pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant, ipſique diligenter de eorum Conſtitutionibus, ſive Conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas, ut pravas, ac ſcandaloſas rejiciant, & aboleant; Eos verò, qui adversùs hæc, in præſenti Decreto comprehenſa, quavis ratione commiſerint, pœnis contra Simoniacos editis, Sacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit, non obſtantibus quibuſcumque Statutis, Conſtitutionibus, Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam Apoſtolica Auctoritate confirmatis, de quarum ſubreptione, obreptione, & intentionis defectu Epiſcopus, tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatus, cognoſcere poſſit.

COM-

COMMENTARIUM

Ex hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

In actu nominationis, præsentationis, institutionis, sive admissionis ad possessionem cujuscumque Beneficii exigi, et recipi non debet a Nominato, Præsentato, seu Instituto quidquam ex fructibus Beneficii convertibile in usus non pios, sub pænis contra Simoniacos comminatis ⵌ

1 Quam concluſionem confirmat etiam D. Pius V. in ejus Conſtitutione, incipien. *Durum nimis la* 104. *de qua Bullar. nov. tom.*2., ibi ⵌ *Cùm itaque aliàs ex plurium Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum Conſtitutionibus, aut ex prava conſuetudine obſervari intelligeretur, ut in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus Cathedralis Eccleſiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas, certæ conditiones, ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationeſve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur Turnorum lucra, interponerentur, licet S. Synodus Tridentina hæc deteſtata mandaverit Epiſcopis, ut quæcumque hujuſmodi, quæ in uſus pios non converterentur, atque ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpitionem haberent, fieri non permitterent, ipſique diligenter de eorum Conſtitutionibus, ſive conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcerent, & illis, tantum, quas probarent, exceptis reliquas, ut pravas, & ſcandaloſas rejicerent, eos verò, qui adversùs prædicta, quavis ratione commiſiſſent, pœnis contra Simoniacos, editis teneri decreverit: multorum tamen indomita cupiditate tam prædicta, quàm alia ad Beneficium, & commodum ipſorum miniſtrorum edita, aut omninò contemnuntur, aut in varios ſenſus traducta perperam eluduntur. Quare nos pro divini cultus exercitio, ſimulque evocatorum ad illum auxilio plenius evidentiuſque conſulendum fore, rati, revocamus, & abolemus omnia, & quæcumque privilegia, conſuetudines, & ſtatuta quarumcumque Eccleſiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac majorum, necnon Collegiatarum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut alio quovis præſidio munita, ac etiam ſupra hominum memoriam, & longiſſimo, ac quantocumque tempore etiam continuo obſervata, ſive pro ſolvendis Eccleſiarum, vel Prælatorum debitis, ſive pro ſupportandis illorum oneribus, ſive aliis etiam majoribus maximis, & urgentiſſimis cauſis conceſſa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extenſa, & moderata, quod vacantibus ipſarum Eccleſiarum Dignitatibus, Canonicatibus, præbendis, portionibus, Beneficiis, & Officiis, fructus, ac etiam quotidianæ diſtributiones ex eis primo ab ipſa vacatione Anno, aut longiore, vel etiam breviore tempore proventuri Menſæ Epiſcopali, ſeu Capitulari, aliovè loco integrè, vel partim remaneant, ſeu applicentur, aut in communes uſus cedant, ſeu inter alios Canonicos, & Perſonas Eccleſiæ, ſeu Capituli dividantur. Quodque nullus etiam Apoſtolicà Auctoritate proviſus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, ſeu portionem, Beneficium, vel Officium admitti, vel aliàs in ejus poſſeſſionem induci poſſit, niſi priùs de obſervandis hujuſmodi privilegiis, conſuetudinibus, & ſtatutis juramentum præſtiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum, & diſtributionum perceptioni renunciaverit, ſeu Capitulo, & perſonis prædictis ceſſerit, ſeu (ut appellant) dulciaria, aut quid aliud præſtiterit &c. Volentes ea omnia vires, & effectum de cætero non habere; Præcipimus igitur, & interdicimus omnibus Epiſcopis, Capitulis, Collegiis, & perſonis, ad quas id pertinet, nè poſt hac fructus, aut diſtributiones hujuſmodi, nec prorſus ullam eorum partem retineant, nevè ipſorum ceſſionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam ſive ordinaria, ſive Apoſtolica auctoritate proviſum ad præſtandum hujuſmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti poſſeſſionem impediant, vel removentur. Quicumque contra fecerint, ſi Eccleſiarum Antiſtes, tamdiu à Pontificalis officii exercitio ſint ſuſpenſi, donec ſatisfactione prævia illis per Sedem Apoſtolicam ſuſpenſio relaxetur; Capitula vero, & Collegia quæcumque Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, ac ſingulares perſonæ in excommunicationis ſententiam incurrant, aqua, niſi in mortis articulo conſtituti, ab alio, quàm à Romano Pontifice abſolutionis Beneficium nequeant obtinere* ⵌ Et ſequuntur

Garz.

*Garz. de Beneſ. par.*11. *cap.*5. *n.*144. *& ſeqq. Barboſ. hic , Pignatell. conſult.*30. *n.*6. *Card. de Luc. de Canonic. diſc.*10. *n.*10.

2 Ratio autem prohibendi hujuſmodi exactiones in actu nominationis, præſentationis, & inſtitutionis fuit, quia illæ ſunt nimis præjudiciales Nominato, Præſentato, & Inſtituto, dum valde incommodum eſt quod Præſentatus, & Inſtitutus in iis, quæ ad ipſius ſuſtentationem ſuppeditant, diſpendia patiatur; & quia ſapiunt avaritiæ pravitatem, ac labem Simoniæ, à S. Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis omninò deteſtatæ.

Quoad hanc Concluſionem ſequens diſſeritur Caſus.

ARGUMENTUM.

An, & quando valeat conſuetudo exigendi à Præſentato, aliquid ex fructibus Beneficii in actu præſentationis.

SUMMARIUM.

1 *Reprobatur conſuetudo exigendi aliquid à Præſentato, quod convertatur in uſum, & utilitatem exigentium.*

2 *Valet hujuſmodi conſuetudo, ſi id quod exigitur, cedat in utilitatem Sacriſtiæ, & Eccleſiæ.*

CASUS UNICUS.

Viget in Eccleſia A, de Jurepatronatus, antiqua, & immemorabilis conſuetudo, quod quicumque præſentatus ad Beneficium ſolvat unicuique ex Beneficiatis ejuſdem Eccleſiæ Carolenos decem, ex quo prædicti Beneficiati tulerunt, & actu ferunt onus emendi Paramenta, Vaſa Sacra, & alia neceſſaria pro Sacriſtia; Cùm autem vacante quodam Beneficio, Præſentatus ad illud, in actu ſuæ Præſentationis, & inſtitutionis, renuat ſolvere dictos Carolenos, eo, quod dubitet de viribus, & ſubſiſtentia dictæ conſuetudinis, quæritur proindè in hoc caſu, an hujuſmodi conſuetudo ſuſtineatur?

1 Reſpondeo affirmativè, dummodo id, quod exigitur cedat in utilitatem Sacriſtiæ. Conſuetudo enim hæc exigendi Carolenos decem à quolibet Præſentato fuit in hac Eccleſia introducta ad effectum illos erogandi in utilitatem Sacriſtiæ, dum ratione hujus exactionis Beneficiati habent onus emendi Paramenta, Vaſa Sacra, & alia neceſſaria pro Sacriſtia; & conſequenter venit ſervanda. Quoniam licet reprobetur conſuetudo exigendi ab obtinentibus Beneficia, aut Canonicatus in Cathedralibus, vel Collegiatis aliquid quod convertatur in uſum, & utilitatem exigentium juxta diſpoſitionem hujus *Canonis, ibique Barboſ. n.*5. *Card. de Luc. de Canonic. diſc.*10. *n.*10. *& diſc.*29. *n.*6., tamen tolleratur hujuſ-
2 modi conſuetudo ſi id, quod exigitur, cedat in utilitatem Sacriſtiæ, & Eccleſiæ, ut in terminis docent *Garz. de Beneſ. par.*11. *cap.*5. *num.*144. *Tondut. quæſt. Beneſ. cap.*47. *n.*5. *& ſeqq.*, & fuit reſolutum à S. Congregatione Concilii *in Tudertina* 19. *Febr.* 1635. *lib.*14. *decret. fol.* 709. *in Polignanen. anno* 1584., *& in Avenionen. anno* 1586., & noviſſimè *in Caſſanen.* 3. *Decembris* 1718., ubi cùm exorta fuerit controverſia de validitate conſuetudinis vigentis in receptitia Eccleſia S. Mariæ Majoris Civitatis Marathæ Diœceſis Caſſanenſis, vigore cujus quicumque Sacerdos antequam admittatur ad numerum Sacerdotum participantium ſolvit unicuique ex illis decem Carolenos, ex quo prædicti Sacerdotes participantes tenentur providere Sacriſtiam de omnibus neceſſariis, diſputatum fuit = *An Conſuetudo vigens in Eccleſia Matrice S. Mariæ Majoris Civitatis Marathæ exigendi à quolibet Presbytero admittendo ad participationem Maſſæ Communis ejuſdem Eccleſiæ Carolenos decem, ſit ſervanda in caſu &c.* = cui S. Congregatio reſcripſit = *Affirmativè dummodo fiat depoſitum in capſa Sacriſtiæ, & quod depoſitum erogetur in uſum Sacriſtiæ tantum* =.

CANON IX.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXIV. Cap. XV.

IN Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis Inſignibus, ubi frequentes, adeôque tenues ſunt præbendæ ſimul cum diſtributionibus quotidianis, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & Perſonarum qualitate non ſufficiant, liceat Epiſcopis cum conſenſu Capituli, vel aliquot ſimplicia Beneficia non tamen Regularia, iis unire, vel ſi hac ratione provideri non poſſit, aliquibus ex iis ſuppreſſis, cum Patronorum conſenſu, ſi de Jurepatronatus Laicorum ſint, quarum fructus, & proventus reliquarum præbendarum diſtributionibus quotidianis applicentur, eos ad pauciorem numerum reducere, ita tamen, ut tot ſuperſint, quæ divino cultui celebrando, ac Dignitati Eccleſiæ commodè valeat reſpondere, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & Privilegiis, aut quacumque reſervatione generali, vel ſpeciali, aut affectione, neque prædictæ uniones, aut ſuppreſſiones tolli, ſeu impediri poſſint ex quibuſcumque proviſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſvis aliis derogationibus, vel ſuſpenſionibus.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

Episcopus in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis insignibus potest unire Beneficia simplicia etiam de jurepatronatus, Præbendis, seu Canonicatibus, attenta eorum tenuitate de consensu Patronorum, vel aliquos ex iis supprimere, applicando eorum fructus, et redditus distributionibus quotidianis, de consensu pariter Patronorum, si sint de jurepatronatus =

Quam concluſionem probant etiam *Lambertin. de Jurepat. lib.3. quæſt.6. art. 2. Roch. de Curt. eodem tract. verb. honorificum q.3. num.6. Dec. conſ. 173. tom.1. Gonzal. in cap. ex parte de conſtit. num.9. Garz. de Benef. par.12. cap.2. num.202. Oliva de for. Eccleſ. par.2. quæſt.43. n.70. Panimol. dec.98. adnot. 1. num.20. & ſeq. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.3. alleg.67. n.1. Gratian. diſcept.278. n.6. ibiq. Carol. Anton. de Luc. num.9. Ventrigl. in prax. par.2. annot.8. §.1. num.17. & 22. & 52. Pignatell. conſult. 53. n. 1. tom. 5. Rot. dec.280. num.9. coram Bich., & dec.260. n.2. & ſeq. coram Celſo, & dec.86. num.9. coram Peutinger. & in Monaſterien. Vicariæ 20. Martii 1713. §. Aſſumentes, coram R.P.D.Criſpo, & in Leodien. Beneficii 20. Januar.1717. §. Nullitas, coram eodem.*

1 Agnoſcens Sacrum Concilium, quàm ſit perniciosa decori, ac divino cultui in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis inſignibus, tenuitas Præbendarum, & Canonicatuum, ſeu quod horum redditus ſint adeò tenues, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & Perſonarum qualitate non ſufficiant ad conſulendum huic tam gravi divini cultus detrimento, duo hìc præſcripſit, nimirum in prima parte unionem Beneficiorum ſimplicium Præbendis, & Canonicatibus, quando iſti ſunt tenues; & in ſecunda parte ſuppreſſionem nonnullarum Præbendarum applicando harum fructus diſtributionibus quotidianis; Et utrumque requiſivit fieri de conſenſu Patronorum, ſi Beneficia, quæ uniuntur, & Canonicatus, qui ſupprimuntur ſint Juriſpatronatus; quia nihil fieri debet per Epiſcopum in præjudicium eorumdem Patronorum.

Quoad hanc Concluſionem ſequentes examinantur Caſus.

ARGUMENTUM.

Enumerantur requiſita neceſſaria ad validitatem unionis Beneficiorum ſimplicium Patronalium Præbendis, ſeu Canonicatibus, nec non horum ſuppreſſionis, ſeu reductionis ad minorem numerum.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopus tam de Jure communi, quam vigore Concilii Tridentini, habet facultatem uniendi Beneficia, ſuæ Diœceſis*, & num. 53.

2 *Unio Beneficii ineffectuata ſuffragari non poteſt Capitulo ad effectum impediendi illius proviſionem Apoſtolicam.*

3 *Proviſiones Apoſtolicæ Beneficii uniti tollere nequeunt efficaciam unionis; Et quare?* Vide ibi.

4 *Deficiente poſſeſſione Beneficii, unio dici non poteſt effectuata.*

5 *Regula* 13. *Cancellariæ revocatoria unionum, quæ non ſunt ſortitæ effectum, non comprehendit uniones factas ad formam Concilii.*

6 *Unio plurium Beneficiorum, quæ ſit unica, ſi habuit effectum in aliquibus ex illis dicitur in totum effectuata, ad effectum evitandi Regulas revocatorias.*

7 *Unio plurium Beneficiorum, ut dicatur unica, quid requiritur?* Vide ibi, & num. 8.

9 *Beneficia vacatura ad formam Tridentini unita, eis vacantibus, remanent incorporata Beneficiis, quibus fuerunt unita.*

10 *Beneficia unita nunquam propriè vacare dicuntur*, & num. 52. & 59.

11 *Impetratio Beneficii uniti, non facta mentione de unione, non ſuſtinetur.*

12 *Epiſcopus unire poteſt Beneficia affecta S. Sedi*. Intellige, ut ibi.

13 *Unio Beneficiorum ſimplicium facta Menſæ Capitulari, ob Canonicatuum tenuitatem, non ſuſtinetur*, & n. 50.

14 *Enumerantur requiſita neceſſaria ad validitatem unionis Beneficiorum Patronalium Præbendis, ſeu Canonicatibus, nec non horum ſuppreſſionis, & reductionis ad minorem numerum*. Et num. 26. 27. 28. 31. 35. 36. 37. 38. 40. & 62.

15 *Stante tenuitate Præbendarum his uniri poſſunt non ſolùm Beneficia ſimplicia, ſed etiam bona à Teſtatore relicta, Cathedrali, aut Collegiatæ.*

16 *Tenuitas Præbendarum requiſita, an, & quando debeat eſſe adeò præciſa, & quidem, ut ob ejus cauſam, nullus, vel non niſi rari ſint, qui velint Canonicatus acceptare*. Vide ibi, & n. 18. & 19. & 20. & 54.

21 *Neceſſitas, ſeu tenuitas Præbendarum, ex quibus dignoſcatur adeſſe?* & n. 63.

22 *Tenuitas Præbendarum, & diſtributionum quotidianarum quomodo ſit probanda, & ex quibus conſtare debeat*, & n. 23. & 61. & 66.

23 *Quoad tenuitatem præbendarum non ſtatur aſſertioni Epiſcopi*. Limita, ut n. 24.

25 *Non probata tenuitate Præbendarum, ac diſtributionum quotidianarum, non eſt locus unioni, nec ſuppreſſioni Canonicatuum in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis inſignibus, immò, nec in aliis Eccleſiis inferioribus.*

29 *Conſenſus Capituli non requiritur quod interveniat in ipſo actu unionis*. Et ex qui-

quibus præſumatur intervenîſſe. Vide num. 30.

32 *Conſenſus Patroni in unione beneficii Patronalis, aut in ſuppreſſione Canonicatus de jurepatronatus non præſumitur*.

33 *Patronus in ipſa unione beneficii patronalis facta Canonicatui poteſt ſibi reſervare juſpatronatus ejuſdem Canonicatus*.

34 *Si Canonicatus, cui unitur beneficium, ſit patronalis, non requiritur conſenſus patroni; ſed requiritur conſenſus Domini temporalis loci, ubi ſitus ſit Canonicatus*.

36 *Beneficia alterius diœceſis uniri non poſſunt Canonicatibus, ſeu præbendis*.

37 *Beneficium ſimplex patronale uniri non poteſt ab Epiſcopo Cappellaniæ exiſtenti in Cathedrali, vel collegiatæ inſigni*.

38 *Beneficia libera uniri nequeunt beneficiis juriſpatronatus*. Limita ut num. 39.

40 *Beneficium Curatum uniri non poteſt Canonicatui*. Limita ut num. 41.

42 *Diſſentiones & parva intelligentia inter Parochos an poſſint eſſe cauſa ſufficiens unionis parochialium*. Vide ibi, & num. 43.

44 *Beneficium Curatum uniri nequit Monaſterio, aut Collegio*. Limita ut ibi, & num. 45.

51 *In Beneficiis Germaniæ juſtificatio valoris non exigitur*.

55 *Tenuitas præbendarum ex quibus excludatur*. Et num. 64. & 68.

56 *Ad effectum unionis non eſt habenda ratio de accidentali diminutione reddituum Canonicatus*. Et num. 67.

57 *Impedimentum conferendi non culpoſum, nec voluntarium impedit devolutionem: ſecus impedimentum culpoſum, & voluntarium*.

58 *Ad excuſandum collatorem à pœna devolutionis, omnis poſſibilis interpretatio eſt ſumenda*.

60 *In unionibus ab Ordinario perficiendis eſt adhibenda cauſa*.

65 *Dos Canonicatus reputanda eſt ſufficiens & non præſumitur diminuta. Imò potius adaucta cenſeri debet*.

69 *Litteræ Apoſtolicæ in omnibus juſtificatæ ſunt exequendæ*.

CASUS I.

Ne in propria Eccleſia Cathedrali divinus Cultus minueretur, quidam Epiſcopus attenta tenuitate non nullarum præbendarum, ea, qua par eſt, ſollicitudine unica oratione, & ſtructura verborum univit, annexit & incorporavit de conſenſu patronorum Menſæ Capitulari quatuor beneficia ſimplicia de jurepatronatus Eccleſiaſtico. Hujuſmodi unio reſpectu primorum duorum beneficiorum, cùm iſta de eo tempore eſſent vacantia, ſtatim habuit effectum, apprehenſa eorum poſſeſſione ab adminiſtratore capituli: reſpectu verò aliorum duorum beneficiorum, cùm de eo tempore non vacaverint, ſtatim non fuit effectuata, imò vacatis paulo poſt iſtis beneficiis in menſe reſervato, illa fuerunt impetrata à S. Sede Apoſtolica; iterum vacatis eiſdem beneficiis in menſe reſervato per obitum proviſi Apoſtolici ultimi poſſeſſoris; vigore ſupradictæ unionis fuit capta eorum poſſeſſio ab adminiſtratore Capituli. E contra quidam Clericus illa impetravit ab eadem S. Sede utpotè vacantia in menſe reſervato. Hinc ortalite inter Capitulum, & proviſum Apoſtolicum. Quæritur an præfacta unio dictorum beneficiorum ſuſtineatur, ita ut illius vigore Capitulum eorum veram, realem, & legitimam poſſeſſionem capere valuerit?

1 De validitate hujuſmodi vnionis hæſitari non poſſe videtur, cùm ipſa habeat pro ſe aſſiſtentiam non ſolùm juris communis, juxta quam Epiſcopus habet facultatem uniendi beneficia ſuæ Diœceſis non exempta, *ad Text. in cap. ſicut unire de exceſſ. Prælat.* ibi = *Sicut unire Epiſcopatus, atque poteſtati ſubjicere alienæ, ad ſummum Pontificem pertinere dignoſcitur, ita ad Epiſcopum Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, unio & ſubjectio earumdem.* = Verùm etiam Concilii Tridentini: iſtud enim Sacroſanctum Concilium in hoc *Canone* ſpecialem concedit facultatem Epiſcopis conſimiles uniones peragendi cum conſenſu Capituli in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, ubi tenues numerantur præbendæ, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum Gradui pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiant, juxta concluſionem & auctoritates in *Commentario* relatas.

2 Quin obſtet, ſi dicatur quod dicta duo ultima beneficia ſemper permanſerint in ſtatu collativo, & quod pluries fuerint proviſa per Sedem Apoſtolicam, ac proindè

indè eorum unio ſuffragari non poſſit Capitulo, ad effectum dictam proviſionem Apoſtolicam impediendi, juxta *Rot. in Accerrana beneficii ſuper executione litterarum Apoſtolicarum 6. junii* 1710. §. *Eoque magis coram Eminentiſſimo Priolo*.

3 Quoniam hujuſmodi collationes & proviſiones Apoſtolicæ turbare non poſſunt ſtatum unionis eorumdem beneficiorum, quia hoc proceſſiſſe præſumitur vel ex errore, vel ex voluntate, & tolerantia adminiſtratoris Menſæ Capitularis, quod nullatenus præjudicare poteſt juri quæſito Capitulo ad *Text. in c. damnamus de Sum. Trin. Rot. dec.* 106. *n.* 10. *cor. Merl. & in terminis dec.* 330. *n.* 27. *p.* 9. *t.* 2. *rec.* vel ex cauſa reſignationis, aut per obitum in curia adeòque eædem proviſiones Apoſtolicæ tollere nequeunt efficaciam præfatæ unionis, cum nil magìs frequens, & familiare ſit quodamodo adagium, quod proviſiones Apoſtolicæ neque firment, neque immutent ſtatum beneficii juxta *Mareſc. var. reſ. l.* 1. *c.* 55. *n.* 18. *C. de Luc. de benef. diſc.* 27. *n.* 17. *& de jurep. diſc.* 6. *n.* 4. *& diſc.* 8. *Rot. d. deciſ.* 330. *n.* 31. *p.* 9. *to.* 2. *rec. & in Mediolanen. beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §. *Nil magìs coram R.P.D. Anſaldo*.

Neque dici poteſt unionem hanc eſſe revocatam per regulam 13. Cancellariæ, quam unuſquiſque Pontifex poſt aſſumptionem ad Pontificatum renovat, eo quia ſit ineffectuata, cum non doceatur Capitulum aliquando apprehendiſſe poſſeſſio-
4 nem horum duorum beneficiorum, ita ut poſſeſſione hac deficiente unio effectuata dici non poſſit. *Garz. de benef. p.* 12. *c.* 2. *num.* 293. *Gonzal. ad regul.* 8. *Gloſſ.* 5. §. 7. *num.* 43. *Lotter. de re benef. lib.* 1. *q.* 29. *num.* 27. & alii, quos refert, & ſequitur *Rot. in d. Acerrana beneficii ſuper executione litterar. Apoſtolicarum 6. junii* 1710. §. *Id etenim coram Eminentiſ. Priolo.*

5 Etenim in primis eſt animadvertendum nos verſari in terminis unionis beneficiorum factæ ad formam hujus *Canonis* Concilii Tridentini, videlicet ex cauſa neceſſitatis, & tenuitatis redditųum præbendarum; quo ſtante cadere non poteſt ſub dicta regula 13. Cancellariæ, ejuſque confirmatoriis. Licet enim per hanc regulam, ejuſque confirmatorias revocentur omnes uniones, annexiones, ſuppreſſiones, extinctiones, applicationes, & diſmembrationes de quibuſvis Eccleſiis, & beneficiis, quæ ſuum non ſunt ſortitæ effectum. *Rot. deciſ.* 330. *num.* 11. *& deciſ.* 337. *num.* 21. *& deciſ.* 371. *num.* 13. *p.* 9. *rec. & deciſ.* 403. *ante num.* 1. *coram Cavaler.* Tamen non revocantur illæ uniones factæ ad formam hujus *Canonis* etiamſi non effectuatæ, & ſuſpenſæ, ut expreſsè docent *Lotter. de re benef. lib.* 1. *q.* 29. *n.* 15. *Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.* 8. *n.* 22. *Garz. de benef. par.* 12. *cap.* 2. *num.* 285. *Antonell. de unione cap.* 15 *num.* 24. ibi = *Tertio limita in unionibus factis juxta formam Concilii, quæ per regulam excipiuntur* = *Rot. deciſ.* 109. *num.* 10. *p.* 6. *& deciſ.* 202. *num.* 6. *par.* 8. *& deciſ.* 91. *num.* 1. *& ſeq. & deciſ.* 281. *num.* 16. *p.* 5. *rec & deciſ.* 449. *num.* 2. *coram Cavaler. & deciſ.* 525. *num.* 6. *coram Dunozett. & in Faventina Beneficii* 10. *junii* 1707. §. *Minus coram R. P. D. Aldrovando.*

6 Deindè ſupradicta unio eſt unica adeòque cùm vivente adhuc Summo Pontifice, ſub quo fuit facta, ſuum ſortita fuerit effectum reſpectu dictorum primorum duorum beneficiorum, ſequitur quod in totum dicatur effectuata, etiam quoad hæc alia duo poſtrema beneficia ad effectum evitandi regulas revocatorias; ea ratione quia Gratia plures res continens dicitur quodamodo univerſalitatem continere, ita ut effectuatio in una re propter univerſalitatem cauſæ, omnes alias comprehendere dicitur juxta *Garz. de benef. par.* 12. *cap.* 2. *n.* 294. *Antonell. de union. d. cap.* 15. *n.* 18. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 43. *n.* 4. *Rot. deciſ.* 109. *num.* 2. *p.* 6 *rec. & deciſ.* 174. *p.* 7. *n.* 10. ibi = *Nec relevat unionem non fuiſſe ſortitam effectum in ſpecie, quoad beneficium, de quo agitur, nam cum illa fuerit facta de pluribus beneficiis ſimul junctis, ſufficit habuiſſe effectum in aliquibus*, = *& deciſ.* 408. *num.* 6. *coram Cavaler.* ibi = *unde cùm appareat effectuatio in una ex Eccleſiis ſimul unitis, cenſetur in totum effectuata ad effectum evitandi regulas revocatorias* = Et *in Faventina beneficii* 10. *junii* 1707. §. *Eadem coram R.P.D. Aldrovando* ibi = *Eadem quoque regula inefficax redditur, quia cùm unio contineret tria beneficia, & excepto hoc uno S. Leonardi, aliorum poſſeſſionem, & incorporationem obtinuerit Capitulum, utique gratia unionis tamquam effectuata pro majori parte, non*

potuit

potuit deindè in alia minori revocari per ſupervenientes regulas.

Quod præfata unio dd. quatuor beneficiorum ſit unica apertè reſultat ex ipſa lectura inſtrumenti unionis, ubi clarè colligitur unionem fuiſſe conceptam unica oratione, ac ſtructura verborum pendente ab eodem verbo in inſtrumento unionis appoſito *unimus*, *annectimus*, *incorporamus*, adeòque eam eſſe unicam teſtatur *Antonell. de unione cap.* 15. *num.* 22. *Rot. deciſ.* 196. *num.* 10. *p.* 7. *rec.* Etiamſi valor beneficiorum in unicam ſummam non
9 fuiſſet coacervatus, quia ad hoc ut unio dicatur unica, non requiritur copulativè quod ſit facta ſub unica oratione, & ſtructura verborum, ac per coacervationem valoris uniuſcujuſque beneficii in unicam ſummam, ſed ſufficit quod hæc duo concurrant disjunctivè, videlicet quod ſit facta vel ſub unica oratione, vel per dictam coacervationem, ut expreſsè docet idem, *Antonell. ubi ſupra num.* 21. *& ſeq.* ubi aſſignat dictos duos modos ad effectum cognoſcendi quando unio dicatur unica. *Corrad. de benef. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 39. & tradit. *Rot. d. deciſ.* 196: *num.* 9. *&* 10. *par.* 7. *rec.* ibi = *Quia ex lectura dictarum litterarum clarè conſtat unicam tantum unionem, non autem plures contineri, cum appareat diſpoſitionem unica oratione, ac verborum ſtructura, pendentem ab eodem verbo unimus, annectimus, & incorporamus, in fine ipſius orationis appoſito factam fuiſſe* = Adeò quòd concepta unione ſub unica oratione, ac verborum ſtructura, hoc ſufficit ad hoc ut ipſa dicatur unica, & licet eadem *Rota d. deciſ.* 196. *n.* 11. ſupponat in illa unione fuiſſe etiam coacervatus valor beneficiorum in unicam ſummam, nihilominus ex abundanti dicit ibi, quod eo magìs id probat unicam tantùm unionem, non verò inibi Rota expoſcit copulativè requiri utrumque ex memoratis requiſitis, ſcilicet conceptionem ſub unica oratione & coacervationem reddituum beneficiorum in unam ſummam. Et in hoc ſenſu intelligenda eſt etiam altera deciſio S. Rotæ *in d. Acerrana beneficii ubi ſupra.* §. *Id etenim*.

Cùm igitur unio quoad ſupradicta beneficia non ſit revocata, debet nunc habere ſuum effectum, & illa duo poſtrema beneficia nunc per mortem ultimi beneficiati vacantia incorporari debent Menſæ Capitulari, adeò ut hujus adminiſtrator validè potuerit capere poſſeſſionem eorumdem Beneficiorum, cum Beneficia vacatura ad formam Tridentini unita, eis vacantibus, & ceſſantibus ſuſpenſionibus, remanent incorporata Beneficiis, quibus fuerunt unita. *Antonell. de unione cap.* 14. *num.* 2. *Rot. deciſ.* 4. *num.* 1. *& ſeq. & dec.* 6. *de reb. Eccleſ. non alienan. in antiquis*; Non verò impetrari potuerunt per ſupra-
10 dictum Clericum à Dataria Apoſtolica, quia ut potè unita nunquam propriè vacare dicuntur. *Felin. in cap. in noſtra n.* 23. *verſ. ſi poſt unionem de reſcript. Lotter. de re benef. lib.* 1. *q.* 28. *num.* 104. *Rot. dec.* 408. *num.* 3. *coram Cavaler. & deciſ.* 174. *num.* 4. *& dec.* 90. *num.* 1. *&* 12. *par.* 4.
11 *tom.* 2. *rec.* Et gratia impetrationis per ipſum obtenta, non facta mentione de hac unione, & cum aſſertiva quod dicta beneficia erant in ſtatu collativo, ſuſtineri minimè poteſt per hujuſmodi enim ſubreptionem, & obreptionem Summus Pontifex fuit deceptus, credendo dicta beneficia vacantia, quando per unionem talia non erant, dum beneficium unitum amittit nomen beneficii, & efficitur prædium illius, cui unitur. *Turricell. de unione c.* 4. *n.* 27. *uſque ad* 31. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell.* §. 7. *Gloſſ.* 5. *num.* 2. *& alii penes Rot. in Monaſterien. Vicariæ* 20. *Martii* 1713. §. *Eoque magìs coram R.P.D. Criſpo.*

Nec adverſatur, quod ſupradicta beneficia vacaverint in Menſe Sedi Apoſtolicæ reſervato, & conſequenter videtur quod etiam hodie eorum unio debeat remanere ſuſpenſa, & non poſſit habere ſuum effectum, ſed illa ſint conferenda ab eadem S. Sede. Quoniam licèt vacaverint in menſe reſervato, adhuc hodie unio quoad hæc beneficia, debet habere ſuum effectum, & ea incorporanda ſunt Menſæ Capitulari, quia Epiſcopus unire poteſt beneficium ſimplex etiam ſi ſit affectum S. Sedi Apoſtolicæ, dummodo id fiat ante vacationem, & dummodo affectio non ſit continua & invariabilis, quocumque menſe vacatio ſequatur, ſed diſcontinua, incerta, & eventualis, qualis eſt illa ratione menſis, vel altera ratione loci, cujus tamen unionis effectus ſuſpenditur, donec proviſus à Papa de beneficio re-

reſervato cedat, aut decedat. *Garz. de benef. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 102. *Gratian. diſc.* 278. *num.* 5. *cum ſeqq. ibique Carol. Anton. de Luc. num.* 10. *Turricell. de unione cap.* 6. *n.* 32. *Ventrigl. in prax. p.* 2. *annot.* 8. §. 1. *n.* 30. *Rot. deciſ.* 280. *n.* 2. *coram Bich.*

13 His tamen non obſtantibus cenſeo unionem hanc dictorum quatuor beneficiorum factam ab Epiſcopo Menſæ Capitulari nullatenus ſuſtineri; ſiquidem ut unio beneficiorum ſimplicium patronalium, nec non ſuppreſſio Canonicatuum, ſeu præbendarum de jurepatronatus ad formam hujus *Canonis* validè fieri poſſit, plura requiruntur.

14 Primum quidem, & principale requiſitum eſt tenuitas præbendarum unà cum tenuitate diſtributionum quotidianarum; non ſufficit enim una ſinè alia, ſed cum tenuitate præbendarum copulativè tenuitas diſtributionum quotidianarum eſt neceſſaria. *Garz. de benef. par.* 12. *cap.* 2. *n.* 172. *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 8. §. 1. *num.* 18. *Rot. deciſ.* 169. *num.* 4. *& deciſ.* 200. *n.* 8. *coram Peutinger.* ſeu quod redditus præbendarum, & diſtributiones quotidianæ ſint adeò tenues, ut non ſufficiant ad commodam Canonicorum ſuſtentationem. *Lotter. de re benef. lib.* 1. *q.* 28. *n.* 142. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 67. *num.* 5. §. *cum ſeqq. Panimol. deciſ.* 98. *ad not.* 1. *n.* 22. *Ventrigl. ubi ſupra Pignatell. conſult.* 30. *n.* 7. *tom.* 8. *Turricell. de unione cap* 8. *nu.* 1. *&* 16. *Rot. d. deciſ.* 169. *n.* 2. *& ſeqq. coram*

15 *Peutinger*. Qua ſtante tenuitate non ſolùm uniri poſſunt præbendis, ſeu Canonicatibus beneficia ſimplicia patronalia, verùm etiam bona ab aliquo pio teſtatore relicta Cathedrali, aut Collegiatæ, ut reſcripſit S. Congregatio Concilii in *Sarnen. jurium parochialium* 15. *januar.* 1718. *ad tertium*.

16 An autem hujuſmodi neceſſitas, ſeu tenuitas præbendarum, ac diſtributionum quotidianarum debeat eſſe adeò præciſa & evidens, ut ob ejus cauſam nullus, vel non niſi rari ſint, qui velint Canonicatus acceptare, in hoc ſtat difficultas.

Affirmare videtur noviſſimè S. Rota *in Leodien. beneficii* 20. *Januar.* 1717. §. *Et hæc coram R.P.D. Criſpo inferius legen. nu.* 54. ibi = *Et hæc neceſſitas, ſive utilitas debet eſſe adeò præciſa, & evidens ut ob cauſam tenuitatis præbendarum, nullus, vel non niſi rari adfuerint, qui voluerint beneficium acceptare* =

17 Sed pro diluenda hac difficultate animadvertendum eſt, Concilium in hoc *Canone* duos aſſignare modos providendi tenuitati præbendarum, utì ſuperius in *Commentario* prænotavimus, nimirum per viam ſimplicis unionis ſimplicium beneficiorum ſigillatim faciendæ ipſis præbendis; & per viam ſuppreſſionis Canonicatuum, ſeu præbendarum reducendo has ad pauciorem numerum, & applicando harum fructus, & proventus quotidianis diſtributionibus reliquarum præbendarum.

18 Ad providendum tenuitati præbendarum hoc ſecundo modo, per viam ſuppreſſionis non nullarum præbendarum, applicando harum fructus diſtributionibus quotidianis reliquarum requiritur quidem neceſſitas, ſeu tenuitas præciſa ſuperius explicata ad *Text. in cap expoſuiſti de præbend. ibique Abb. num.* 4. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 43. *num.* 2. *Rot. dec.* 281. *&* 337. *num.* 28. *p.* 9. *rec.*

19 At verò ad providendum tenuitati earumdem præbendarum primo modo, videlicet per ſimplicem unionem beneficiorum ſimplicium exiſtimo non requiri neceſſitatem, ſeu tenuitatem adeò præciſam, ſed ſufficere quòd tenuitas ſit talis, ut ſit inſufficiens ad congruam Canonicorum ſuſtentationem, attenta qualitate loci, & perſonarum; ad quod dicendum me movet ipſamet auctoritas Concilii, quod non aliam requirit tenuitatem ad effectum uniendi præbendis beneficia ſimplicia, niſi illam, quæ *ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiat*: & tradunt quamplurimi Doctores, qui nullam aliam tenuitatem docent eſſe neceſſariam, niſi hanc, quæ eſt inſufficiens ad congruam ſuſtentationem, ita *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 66. *num.* 15. ibi = *Neceſſitas eſt, quando præbenda, cui unio facienda eſt, caret ſufficientibus redditibus ad alendum Miniſtrum* = *Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.* 8. *num.* 16. ibi = *Alterum requiſitum conſiſtit in juſta cauſa tenuitatis præbendarum, adeò ut ſaltèm moralis neceſſitas ſervitii, ac decentioris cultus Eccleſiæ ita exigat* = *Antonell. de*

de unione cap. 15. *n.* 8. *Lotter. de re beneſ. lib.* 1. *q.* 29. *n.* 17. ibi = *dicitur autem cauſa neceſſaria, &c. Ubicumque vel nulla eſt dos, vel ita tenuis ut prorſus inſufficiens ſit ad ſuſtentationem Miniſtrorum* = *Rota dec.* 174. *n.* 7. *par.* 7. *rec.* ibi = *Tum quia fuit facta per Epiſcopum in executionem Concilii Tridentini, &c. ob Canonicatuum tenuitatem, & ut decentiùs Canonici gradum ſuſtinere, & Eccleſiæ ſervitium præſtare poſſint* = *Et deciſ.* 1078. *num.* 4. *coram Seraph.* Alias ſi ad hunc effectum requireretur dicta neceſſitas præciſa, non eſſet dabilis caſus uniendi beneficia ſimplicia præbendis; cùm non ſit dabilis caſus, in quo non reperiatur ullus, qui ſaltèm ambitione ductus, ut dicatur Canonicus in propria patria, non acceptet Canonicatum quantumvis tenuem.

20 Ratio autem quare in ſecundo modo providendi tenuitati præbendarum requiratur cauſa præciſè neceſſaria, non verò in primo modo, eſſe poteſt, quia ſuppreſſio tendit ad divini cultus diminutionem, ad quam non tendit ſimplex unio, ut innuere videtur idem, *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 67. *ſub n.* 5. ibi = *ſuppreſſionem tendere ad divini cultus diminutionem, ideo difficiliùs permiſſa, & ideo exigit cauſam præciſè neceſſariam, & multa requiſita, & raro faciendam, & contra ipſam interpretandum, quia titulus beneficii extinguitur, & ampliùs de eo non ſit mentio* = *Card. de Luc. de beneſ. diſc.* 47. *n.* 16. ibi = *Quia ſimplex beneficium poſſidetur tamquam prædium ad ſolùm redditum, & temporalem commoditatem, unde propterea unio alteri Eccleſiæ reſidentiali, &c. potius utilis ac proficua populis, & cultui videtur, quàm præjudicialis* =

21 Non obſtat deciſio S. Rotæ *in d. Leodien. beneficii* ubi ſupra, quia in altera deciſione hujus confirmatoria 7. *Junii* 1717. §. *Hujuſmodique coram eodem R. P. D. Criſpo inferiùs impreſſa num.* 63., ſe explicat S. Rota aſſerendo quòd neceſſitas dignoſcitur adeſſe quando ob fructuum tenuitatem, nullus vel non niſi rari adſint, qui velint beneficium acceptare ibi = *Hujuſmodique neceſſitas, ſive utilitas, &c. deprehenditur, vel etiam dignoſci conſuevit, ex eo quod ob fructuum tenuitatem, nullus, vel non niſi rari adfuerint, qui beneficium acceptare voluerint* = Non nego, quod neceſſitas deprehendatur, & ad eſſe dignoſcatur; quando nullus, vel non niſi rari inveniuntur, qui velint Canonicatum acceptare, ob ejus tenuitatem: ſed dico, quod non deprehendatur præciſè, & taxativè ex hoc ſolùm, ſed quod deprehendatur disjunctivè, ex hoc, & etiam ex eo, quod ob eamdem cauſam tenuitatis poſſidentes Canonicatus cogerentur Eccleſiæ cultum, ac ſervitium deſerere, aliiſque exercitiis incumbere ad effectum ſe congruè ſuſtentandi in grave præjudicium, & dedecus Eccleſiæ, cùm vilis, & abjecta tractatio Canonicorum, & dignitatum in Eccleſiæ dedecus, & præjudicium redundet; quos modos deprehendendi talem neceſſitatem tradit *Card. de Luc. de beneſ. diſc.* 43. *n.* 3. ibi = *Quod cauſa debet eſſe neceſſaria, ita ut percutiat ſervitium, ſeu neceſſitatem ipſius Eccleſiæ, cujus cultus alias deſereretur, vel quia non adeſſet, qui ob reddituum tenuitatem Canonicatus & beneficia impetrare vellent, vel quia poſſeſſores ex eadem cauſa tenuitatis cogerentur Eccleſiæ cultum ac ſervitium deſerere, aliiſque exercitiis incumbere ad effectum eorum congruæ ſuſtentationis.* =

22 Hujuſmodi verò tenuitas præbendarum, ac diſtributionum quotidianarum probanda eſt in ſpecie, & cum ſua cauſa habito reſpectu quantitatis aſſignatæ à principio fundationis: & ſi deficit cauſa teſtibus cognita, eſt probanda per decem annos continuos retroacto, computato fertili, cum infertili, & quidem debet probari, quòd ſit talis ut Canonicus non poſſit cum fructibus illis vivere, nec omnia onera ſupportare. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 67. *num.* 5. *Lotter. de beneſ. lib.* 1. *q.* 43. *& lib.* 3. *quæſt.* 20. *Card. de Luc. de præemin. diſc.* 11. *num.* 5. *Rot. deciſ.* 1993. *n.* 4. *coram Coccin. & dec.*
23 169. *n.* 3. *coram Peutinger.* Ac de eadem tenuitate conſtare debet formiter in actis per examen teſtium, & cum proceſſu ſervatis ſervandis deſuper habito, & non ſufficit aſſertio Epiſcopi. *Garz. de beneſ. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 120. *Card. de Luc. ad Concil. diſc.* 8. *n.* 13. *Monacell. formul. legal.* 7. *tit.* 2. *num.* 1. *par.* 1. *& formul.* 9. *tit.* 16. *num.* 7. *par.* 2. *Rot. deciſ.* 318. *nu.* 8. *p.* 5. *& deciſ.* 175. *n.* 5. *coram Celſo, & in Conſtantien. unionis ſuper bono jure* 23. *Januar.*
24 1710. §. *Verum coram R.P.D. Criſpo.* Niſi

ſi agatur de unione antiqua, quo caſu ſtandum eſt aſſertioni Epiſcopi, donec contrarium probetur; quod onus probandi contrarium ſpectat adeum, qui impugnat unionem ex defectu tenuitatis; juxta *Mohedan. deciſ. 7. de exception. alias deciſ. 299. propè finem Garz. de benef. par. 12. cap. 2. n. 121. Rot. deciſ. 109. nu. 15. p. 6. rec. & deciſ. 140. nu. 19. coram Bich. & in Monaſterien. Vicariæ 20. Mart.* 1713. §. *Aſſumentes coram R.P.D. Criſpo* ibi = *Abſque eo, quod cauſæ in ſpecie relatæ verificatio exigi videatur, cum in hoc (non docto de contrario) ipſius ordinarii aſſertioni ſtare oporteat.* =

25 Non probata hac tenuitate præbendarum, & Canonicatuum, unà cum tenuitate diſtributionum, non eſt locus unioni ſimplicium beneficiorum patronalium, minuſque ſuppreſſioni, ſeu reductioni eorumdem Canonicatuum in Cathedralibus, velCollegiatis inſignibus ad minorem numerum; imò neque eſt locus ſuppreſſioni, aut reductioni beneficiorum in aliis Eccleſiis inferioribus, ut declaravit S. Congregatio Concilii in *Vicen. ſuppreſſionis, ſeu reductionis beneficiorum* 28. *Martii* 1711. ubi exiſtentibus in Parochiali Eccleſia B. Mariæ villæ de Aqualata præter Parochum, ejuſque Vicarium, quatuor ſupra triginta beneficiaris titularibus, pleriſque de jurepatronatus Laicorum, iſti ſub narrativa, quod annui redditus beneficiorum eſſent adeò tenues, ut impares dignoſcebantur honeſtæ cujuſlibet eorum ſuſtentationi, exorarunt pro ſuppreſſione, ſeu reductione non nullorum ex dictis beneficiis ad minorem numerum, donec redditus augerentur arbitrio ordinarii; ſed quia beneficiati deficiebant in probatione tenuitatis eorumdem reddituum, imò è contra patroni demonſtrabant eos eſſe ſufficientes congruæ ſuſtentationi, fuit denegata hujuſmodi ſuppreſſio, & reductio beneficiorum.

26 Secundo ad validitatem unionis beneficiorum ſimplicium patronalium, aut ſuppreſſionis Canonicatuum, ſive præbendarum de jurepatronatus requiritur qualitas Eccleſiæ, ſeu quod Eccleſia, ubi facienda eſt unio præbendis, vel harum ſuppreſſio, ſit Cathedralis, vel Collegiata inſignis; ſi enim ſit inferior, non poteſt ab Epiſcopo in ea validè fieri unio illius præbendis aut harum ſuppreſſio, dum Concilium in hoc *Canone* loquitur ſolùm de præbendis exiſtentibus in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata inſigni. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi p. 3. alleg. 67. n. 2. Panimoll. deciſ. 98. ad not. 1. nu. 23. Ventrigl. in prax. p. 2. annot. 8. §. 1. nu. 17. Turricell. de union. cap. 5. n. 27. Rot. deciſ. 260. n. 3. coram Celſo.*

27 Tertio requiritur quod uniens beneficia, aut ſupprimens Canonicatus ſit Epiſcopus, nam Prælatus inferior, qui habeat etiam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, aut Vicarius Epiſcopi, aut Capitulum ſede vacante, aut hujus Vicarius, non poſſunt validè unire beneficia præbendis, & Canonicatibus, neque hos ſupprimere. *Panimoll. d. deciſ. 98. ad not. 1. n. 30. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 67. n. 3. & 11. cum ſeqq.*

28 Quarto requiritur conſenſus Capituli Cathedralis, ſive unio, aut ſuppreſſio fiat in Cathedrali, ſive in Collegiata. *Garz. de benef. p. 12. cap. 2. n. 145. & 158. cum ſeq. Barboſ. ubi ſupra n. 9. & 14. Pignatell. Conſult. 30. n. 6. tom. 8. Monacell. formul.*
29 *legal. 7. tit. 2. n. 2. p. 1.* Qui conſenſus non requiritur quod interveniat in ipſo actu unionis, ſufficit quòd accedat poſt actum jam perfectum, ad differentiam Conſilii deputatorum requiſiti in unione beneficii facienda Seminario, quod requiritur in ipſo actu unionis, ut dixi ſuperiùs *Can. VI. Caſ. II.* & tradunt *Garz. de benef. p. 12. cap. 2. nu. 147. Gratian. diſc. 278. n. 32. Lambert. de jurepat. p. 1. lib. 1. q. 2. art. 12.* & alii *in Monaſterien. Vicariæ 20. Martii* 1713. §. *Quin hujuſmodi*
30 *coram R.P.D. Criſpo.* Et præſumitur interveniſſe ex diuturnitate temporis, nimirum ſi lapſum ſit tempus 30. annorum cum poſſeſſione, & obſervantia unionis. *Garz. ubi ſupra n. 170. & 188. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 28. n. 158. in fin. Turric. de unione cap 9. n. 17. & ſeq. Antonell. de tempor. legal. lib. 2. cap. 106. nu. 11. Rot. in dicta Monaſterien. Vicariæ ubi ſupra, §. eodem.*

31 Quinto requiritur conſenſus patroni ſive Laici, ſive Eccleſiaſtici, imò ſi plures ſint patroni, non ſufficit major pars, ſed omnes debent conſentire, aliàs unio eſt nulla *Garz. de benef. par. 12. dicto cap. 2. n. 202.*

n. 202. *cum ſeqq. Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 8. §. 1. *num.* 22. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi p.* 3. *alleg.* 67. *n.* 14. *& ad Concil. cap.* 6. *ſeſſ.* 7. *de reform. num.* 19. *& ſeq. Capon. diſcept.* 150. *n.* 9. *tom.* 3. *Oliva de foro Eccleſ. p.* 2. *q.* 43. *nu.* 70. & notavi ſuperiùs *Par. I. Can. VI. Caſ. V. numer.* 9.

33 Qui conſenſus patroni non præſumitur, etiamſi in unione beneficiorum patronalium, aut in ſuppreſſione Canonicatus de jurepatronatus enuncietur ab Epiſcopo, cujus aſſertioni non ſtatur, aliàs eſſet in ejus facultate præjudicare patronis. *Garz. ubi ſupra n.* 213. patronus autem in ipſa unione beneficii patronalis facta Canonicatus poteſt ſibi reſervare juſpatronatus ejuſdem Canonicatus. *Rot. deciſ.* 91. §. 1. *p.* 9. *rec. & deciſ.* 1444. *n.* 11. *cor. Seraph. & deciſ.* 172. *nu.* 30. *coram Buratt.* & fuit reſolutum ad S. Congregationem Concilii *in Lucana unionis* 14. *Januar.* 1679. Si verò etiam Canonicatus, cui unitur be-
34 neficium, ſit patronalis, non requiritur conſenſus patroni ejuſdem Canonicatus, qui non poteſt ſuo conſenſu unionem auctorizare, requiritur tamen conſenſus Domini temporalis loci ubi ſitus ſit dictus Canonicatus, cui unitur beneficium, qui habeat jus defendendi, & protegendi Eccleſias & beneficia in ſuo Dominio exiſtentia. *Rot. in Conſtantien. unionis ſuper bono jure* 23. *Junii* 1710. §. *final. coram R.P.D. Criſpo* ibi = *Indè in locum patroni, qui non poterat ſuo conſenſu unionem auctorizare, erat vocandus Dominus temporalis Eccleſiarum defenſor, & protector.*

35 Sexto requiritur, quod unio beneficiorum ſimplicium fiat ſingulis præbendis in individuo, & diſcretivè, & non Menſæ Capitulari in genere, ſeu collectivè. *Garz. de benef. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 172. *Barb. de offic. & poteſt. Epiſcopi p.* 3. *alleg.* 67. *n.* 9. *& ſeq. Card. de Luc. de benef. diſc.* 44. *num.* 2. *Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſcept.* 278. *n.* 13. *Ventrigl. in prax. p.* 2. *annot.* 8. §. 1. *n.* 26. *Turricell. de unione cap.* 5. *n.* 29. *Rot. deciſ.* 124. *n.* 5. *& deciſ.* 169. *n.* 11. *coram Peutinger.*

36 Septimo requiritur, quod beneficia ſint ejuſdem Diœceſis, nam ſi ſint alterius Diœceſis, non poſſunt uniri Canonicatibus, ſeu præbendis; niſi illæ Diœceſes ſint inter ſe unitæ, & quoad Epiſcopum habeantur pro una Diœceſi juxta Tridentinum *cap* 9. *ſeſſ.* 14. *de reform.* ibi = *Beneficia unius Diœceſis, &c. Alterius Diœceſis beneficio, aut Monaſterio, ſeu Collegio, vel loco etiam pio, perpetuo non uniantur* = *Ventrigl. ubi ſupra n.* 25. *Turricell. ubi ſupra n.* 24. *Rot. deciſ.* 280. *num.* 11. *coram Bich.*

37 Octavò requiritur quod id, cui unitur beneficium ſimplex patronale, ſit Canonicatus, ſive præbenda, nam ſi ſit aliqua Cappellania exiſtens in Cathedrali, vel in Collegiata inſigni, huic ob ejus tenuitatem validè uniri non poteſt beneficium. *Ventrigl. in prax. par.* 2. *d. annot.* 8. §. 1. *n.* 33. *& ſeq. Barboſ. hìc n.* 13.

38 Nono requiritur quod Canonicatus, cui unitur beneficium ſimplex liberæ collationis, non ſit juriſpatronatus, quia ſi ſit juriſpatronatus non poteſt ipſi validè uniri beneficium liberæ collationis, dum beneficia liberæ collationis uniri nequeunt beneficiis juriſpatronatus juxta expreſſam diſpoſitionem S. Concilii *cap.* 9. *ſeſſ.* 25. *de reform.* de qua infra *Canone XII. Garz. de benef. p.* 12. *cap.* 2. *num.* 91.
39 *Turricell. de unione cap.* 5. *num.* 19. Niſi patroni renuntient juripatronatus, vel concordent ut Canonicatus juriſpatronatus alternativè conferatur, una vice ad patronorum præſentationem, & altera ad liberam collationem; vel niſi beneficium, ſeu Eccleſia libera minetur ruinam, & ſit pauper, tunc enim uniri poteſt patronatæ cum reſervatione juriſpatronatus, & onere impoſito patrono illam reparandi. *Ventrigl. in prax. p.* 2. *d. annot.* 8. §. 1. *nu.* 28. *& ſeq.* Et ſic conciliatur ſententia *Garziæ p.* 12. *cap.* 2. *n.* 91. ſententis; beneficium ſimplex uniri non poſſe patronali cum ſententia *Lotterii de re benef. lib.* 1. *q.* 28. *num.* 165. contrarium tuentis; nimirum ut illa procedat, quando patronus non renunciat juripatronatus, nec faciat dictam concordiam, neque Eccleſia libera minetur ruinam; hæc verò quando patronus renunciet juripatronatus, vel faciat dictam concordiam, vel Eccleſia libera minetur ruinam, & ſit pauper.

40 Decimo requiritur, quòd beneficium, quod unitur ſit ſimplex, ſi enim ſit Curatum, non poteſt uniri Canonicatui ob hujus tenuitatem, ea ratione, quia expedit Eccleſias Parochiales intactas, & integras abſque

abſque ulla fructuum diminutione conſervari, ut diſponitur à S. Concilio, *cap.* 3. *ſeſſ.* 24. *de reform.* ibi = *Eccleſiæ Parochiales Monaſteriis quibuſcumque; aut Abbatiis, ſeu dignitatibus, ſive præbendis, Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſive aliis beneficiis ſimplicibus non uniantur,* = & docent *Fagnan. in cap. Expoſuiſti n.* 11. *& in cap. extirpandæ* §. *qui verò nu.* 55. *de præben. Vivian. de jurepat. lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 38. *Garz. de benef. p.* 12. *cap.* 2. *nu.* 87. *Turricell. de unione cap.* 5. *nu.* 18. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 5. §. 7. *nu.* 63. *Rot. in Conſtantien. unionis ſuper bono jure* 23. *Junii* 1710. §. *nulla, &* §. *nec non coram R.P.D. Criſpo*, & fuit reſolutum à S. Congregatione Concilii *in Cracovien. unionis* 13. *Novem.* 1677. *& in Leirien. unionis* 15. *Maji* 26...

41 Niſi Canonicatus habeat annexam curam animarum, quia ſi talem curam annexam habeat, poteſt urgente neceſſitate ei uniri beneficium Curatum, juxta Tridentinum *cap.* 5. *ſeſſ.* 21. *de reform.* ibi = *Poſſint Epiſcopi, &c. facere uniones perpetuas, quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, & aliorum beneficiorum Curatorum, vel non curatorum cum curatis* = *Ventrigl. in prax. p.* 2. *annot.* 8 §. 1. *num.* 12. *Garz. de benef. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 101. & reſcriptum fuit à S. Congregatione Concilii *in Aquilana unionis Parochialium* 14. *Martii* 1711. *& in altera Aquilana unionis, ſeu translationis parochialium* 9. *Aprilis*, 1712.

42 An autem pro neceſſitate, aut utilitate evidenti unionis Eccleſiarum Parochialium, ſeu uniendi beneficium Curatum, cum altero beneficio curato, allegari poſſint diſſentiones, & parva intelligentia inter Parochos, ratione quarum multa ſequantur inconvenientia e. g. quod populus nec explicatione Euangelii, nec rudimentis doctrinæ Chriſtianæ inſtruatur, ac etiam adminiſtratione Sacramentorum, & celebratione Miſſæ diebus feſtivis, etiam ſolemnibus fraudetur?

43 Reſpondeo negativè, tum quia ſi ob has privatas paſſiones Parochorum deveniendum eſſet, ad unionem parochialium, ex horum culpa præjudicaretur Eccleſiæ, cujus intereſt habere ſuum proprium rectorem. *Fagnan. in cap. expoſuiſti de præben. n.* 14. Et unus ex eis commodum, & lucrum unionis reportaret ex propria culpa, contra omnem æquitatem, juxta quam nemo ex propria culpa commodum loco pœnæ reportare debet. *Rot. deciſ.* 435. *n.* 19. *p.* 18. *rec. & deciſ.* 83. *nu.* 16. *coram Anſaldo.* Tum quia præfatis inconvenientiis occurrendum eſt aliis remediis, quàm unione, coercendo nimirum Parochos per cenſuras ad ſatisfaciendum proprio muneri, juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini *cap* 2. *ſeſſ.* 5. *& cap.* 13. *ſeſſ.* 24. *de reform.* Unde hujuſmodi inconvenientia eſſe non poſſunt ſufficiens cauſa unionis, dum hæc debet eſſe talis, cui alio remedio conſuli nequeat. *Card. de Luc de Paroch. diſc.* 42. *n.* 5.

44 Non ſolum beneficium curatum uniri nequit Canonicatui non curato, ſed neque Monaſterio, aut Collegio, ut patet ex verbis Concilii *cap.* 13. *ſeſſ.* 24. ubi ſupra relatis; Niſi Monaſterium, aut Collegium fuerit fundatum ad finem propagandæ, ac tuendæ Catholicæ Fidei divini Cultus promovendi, & bonarum artium progreſſus augendi, tunc enim poſſet Monaſterio, ſeu Collegio uniri beneficium curatum, nec hujus unio adeò notabiliter tendens ad divini Cultus incrementum comprehenderetur ſub dicta prohibitione Concilii, *Gonzal. ad regul.* 8. *Gloſſ.* 5. §. 7. *ſub n.* 46. *verſ. item ſalvantur Turricell. de union. c.* 15. *n.* 55. *Tondut. qu. benef. cap.* 151. *n.* 5. *Ventrigl. in prax. p.* 2. *annot.* 8. §. 1. *n.* 14. *Rot. deciſ.* 817. *nu.* 12. *p.* 18. *rec. & in Cracovien. ſeu Sandomirien. juriſpatronatus* 15. *Januar.* 1714. §. *ad huc coram R.P.D. Lancetta*; & fuit reſolutum à S. Congregatione Concilii *in Mediolanen. unionis* 21. *Auguſti* 1717.

45 Et niſi Eccleſia Parochialis eſſet de jurepatronatus Monaſterii, Collegii, tunc enim ſtante hujus Monaſterii inopia, & paupertate poteſt ipſi uniri eadem Eccleſia Parochialis, ut reſcriptum fuit à S. Congregatione Concilii *in Compoſtellana unionis* 20. *Septembris* 1692. ubi expoſito, quod Conventus PP. S. Dominici ex hæreditate uni ex ſuis profeſſis legitimè obventa poſſideret juſpatronatus Eccleſiæ Parochialis de Foxa, cujus annui redditus aſcenderent ad ſcuta 20., urgente inopia prædicti Conventus, Patres præfati ſupplicarunt, ut eidem ſubveniri poſſit unione dictæ Parochialis cum obligatione adim-

implendi onera annexa, nec non adminiſtrandi curam mediante Vicario amovibili; unde propoſito dubio = *An, & quomodo oratoris precibus ſit annuendum* = S. Congregatio reſpondit = *Affirmativè dummodo provideatur de Vicario perpetuo* = Secus ſi non conſtaret de paupertate, & inopia Monaſterii; tunc enim ſi huic uniretur Eccleſia Parochialis de jurepatronatus Abbatis, talis unio non ſubſiſteret, uti nullam declaravit eadem S. Congregatio Concilii unionem cujuſdam parochialis de jurepatronatus Abbatis factam cuidam Prioratui Regulari ex defectu hujus pauperratis, & inopiæ in *Leodien. unionis* 27. *Septembris* 1700.

46 Undecimo requiritur, quod unio fiat perpetuò, & non ad vitam Canonici. *Garz. de benef. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 84. *& ſeq*: *Turricell. de unione cap.* 6. *nu.* 35. Poteſt tamen unio beneficii patronalis fieri Canonicatui ob hujus tenuitatem non perpetuò duratura, ſed temporaliter donec canonicatus in ſuis proventibus, & emolumentis augeatur; quo caſu ſi redditus canonicatus augeantur, unio ceſſare debet, & Epiſcopus inſtante patrono, unionem diſſolvere poteſt. *Rot. in Cracovien. parochialis* 18. *Junii* 1703. §. *Veritas coram R.P.D. bo. me. Caffarello*.

47 Duodecimo ad hoc ut ſuppreſſio canonicatus valeat, debet fieri in ſubſidium, nimirum quando tenuitati canonicatuum provideri non poſſit per unionem beneficiorum ſimplicium, nam ſi beneficia ſimplicia præbendis uniri poſſint, canonicatus validè ſupprimi nequit. *Ventrigl. in prax. p.* 2. *annot.* 8. §. 1. *n.* 20. & dixi ſuperius *Par. I. Can. VI. Caſ. V. n.* 9.

48 Decimotertio requiritur, quod Canonicatus, ſeu præbendæ non ſint confirmatæ, & erectæ auctoritate Apoſtolica cum præfixione numeri, & decreto irritanti, etenim ſi ſint ita confirmatæ, non habet Epiſcopus facultatem illas ſupprimendi. *Panimol. deciſ.* 98. *adnot.* 1. *num.* 26.

49 Decimoquarto, denique ad hoc ut eadem ſuppreſſio ſuſtineatur, requiritur quod remaneant tot Canonicatus, quibus Eccleſiæ ſervitium non defraudetur juxta expreſſam diſpoſitionem hujus *Canonis*.

50 Ex quibus omnibus jam clarè reſultat, quod præſens unio dictorum quatuor beneficiorum patronalium minimè ſuſtineatur ut potè deſtituta ſexto requiſito ſuperius enumerato; cùm appareat ipſam fuiſſe factam Menſæ Capitulari in genere, non verò ſingulis præbendis in individuo contra formam ab hoc *Canone* præſcriptam, & conſequenter omnino nulla venit dijudicanda. *Felin. in cap. ad aures de reſcript. nu.* 9. *verſ. & pulchre*, *& in cap. poſtulaſti n.* 3. *eod. tit. Fagnan. in cap. expoſuiſti de præben. n.* 15. *Murg. de benef. q.* 4. *n.* 123. *Garz. de benef. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 113. *& ſeqq. Rot. in Conſtantien. unionis ſuper bono jure* 23. *Junii*, 1710. §. *cum itaque coram R.P.D. Criſpo.*

Nullatenus adverſantibus eis, quæ ſuperiùs in contrarium afferebantur; procedunt namque illa in unione beneficiorum ſimplicium facta Canonicatibus, ſeu præbendis, cum omnibus debitis requiſitis ſupra tranſcriptis.

R. P. D. CRISPO

Leodien. Beneficii.

Mercurii 20. *Januarii* 1717.

Beneficium ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, S. Michaelis, & totius Cœtus Angelorum in Cathedrali Leodienſi tunc vacans per obitum Petri Bourdon ultimi poſſeſſoris ſecutum menſe Octobris 1713. ad ejuſdem Eccleſiæ Decani collationem pertinens, annuendo ipſius Decani, & Capituli petitioni Ordinarius Decanatui univit. Aſt Matthias Labeije ſub narrativa, quod Decanus illud in vim unionis detinebat, de eo tanquam devoluto, ſibi à Sanctiſſimo provideri obtinuit. Literiſque Apoſtolicis proinde expeditis, illiſque mihi directis conſului Dominos = *An Literæ Apoſtolicæ eſſent exequendæ*, *ſeu potius unio ſuſtineatur* = Die autem 13. Martii ſuperioris anni reſolutione non capta, injunctum fuit, ut coadjuvarentur probationes, ex parte Decani, & ſcriberetur ſtrictè ſuper devolutione: cauſa verò ſub die 13. Junii ejuſdem anni repropoſita, & pariter ob ſuffragiorum diſcrepantiam non reſoluta, tandem cum ſuffragio quinti, & ſexti reſponſum emanavit = *Literas Apoſtolicas eſſe exequendas*, *& unionem non ſuſtineri.*

51 Juſtificatæ ſiquidem dignoſcuntur literæ dum vacatio per obitum Petri, & Clericatus Matthiæ, ac de ejus idoneitate dubium non extitit, valor per exceſſum in Ducatis 24. narratus verificatione non indiguit, cùm ageretur de beneficiis Germaniæ, in quibus juſtificatio non exigitur ex notiſſimis concordatis Germaniæ, ut habetur in *Monaſterien. Decanatus* 22. *Januarii* 1716. §. *Quantum coram R.P.D. meo Lancetta*, *& in altera Monaſterien. Decanatus* 28. *Junii* 1709. §. *Literæ coram me*: Lapſus verò ſemeſtris à Concilio Lateranenſi inferioribus Collatoribus præfixi ad inducendam devolutionem requiſitus *ex cap.* 2. *de conceſſione præbendæ* ſatìs liquet ex temporum combinatione vacationis ſcilicet ſecutæ die 10. Octobris 2713. & proviſionis Apoſtolicæ emanatæ die 14. Maji 1714.

52 Pro impedienda proviſione Apoſtolica vigore devolutionis attendi quidquam non debet, quod beneficium ſub lite cadens Decanatui unitum reperiatur, ex qua unione impedita eſſe poſſit illius devolutio ad Papam, cùm beneficia unita vacare non dicantur: quoniam unio prædicta obſtaculum præberet ſi valida exiſteret, ſecus autem, vbi nulla dignoſcatur, cum iſto caſu vacatio dici non poſſit conſumpta, & beneficium vacat, ut prius, ſi numquam fuiſſet unitum *Rot. coram Seraph. deciſ.* 1309. *n.* 2. *& coram Celſ. deciſ.* 260. *num.* 16. *& deciſ.* 282. *n.* 6. *& in rec. par.* 13. *dec.* 307. *n.* 22.

53 Nullitas autem dictæ unionis ſatìs clara viſa fuit, quia licèt ordinario tributa reperiatur facultas uniendi beneficia ex Capitulo *ſicut unire de exceſſibus Prælatorum Caval. deciſ.* 599. *n.* 2. *& dec.* 133. *nu.* 5. *par.* 2. *diverſ.* tamen non abſolutè, & liberè id facere permiſſum videtur, ſed dumtaxat quando neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ id exigat, ut in Capitulo *expoſuiſti de præbendis*, *Barboſ. de jur. Eccleſiaſtico lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 37. *Oldrad. conſ.* 261. *nu.* 1. *Rot. deciſ.* 294. *num.* 2. *& dec.* 318. *n.* 1. *par.* 5. *rec.* & habetur etiam ex diſpoſitione *Sacr. Concilii. Trid. ſect.* 24. *cap.* 15. *de reform.* unionem admittentis, ubi præbendæ ſunt adeò tenues, ut pro ſuſtinendo decenti Canonicorum gradu pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiant, ut obſervat *Barboſ. ad Collect. ad dict. Concilium eodem cap.* 15. *n.* 4. *Rot. dec.* 331. *n.* 5. *p.* 11. *rec.*

54 Et hæc neceſſitas, ſive utilitas debet eſſe adeò præciſa; & evidens, ut ob cauſam tenuitatis præbendarum nullus, vel non niſi rari adfuerint, qui voluerint beneficium acceptare per *Rotam coram Peutingerio dec.* 169. *num.* 3. *& dec.* 200. *n.* 1. *& in rec. deciſ.* 110. *n.* 9. *par.* 15. & ſi qui reperiantur, non ſint idonei *dec.* 406. *n.* 8. *& 9. par.* 16. *rec.* ita ut abſque unione Eccleſiæ ſervitium haberi non poſſit, & ipſa neceſſitas, ſive Phyſica, ſive Moralis ipſam Eccleſiam, non autem perſonarum decorem, ſeu augmentum, & commodiorem ſuſtentationem reſpiciat, ita benè firmavit *Rot. coram Bich. dec.* 275. *n.* 20. *& coram Peutingerio dict. dec.* 200. *num.* 7.

55 De hujuſmodi autem neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ in præſenti non habetur concludens probatio, imò quod Canonici gaudentes præbendis ſufficienter dotatis, & in Decanum electi aſſequuntur, cum retentione primæ, etiam proventus Decanales, & ita Decanatum acceptarunt ultra ſæculum Viri Doctrina Inſignes, & Nobilitate conſpicui, nec ob aſſertam dotis ſomniatam tenuitatem Eccleſiæ ſervitium derelictum, nec umquam interruptum remanſit *Adden. ad Gregor. dec.* 419. *num.* 6. *Rot. dec.* 757. *nu.* 4. *par.* 3. *& dict. dec.* 110. *nu.* 10. *par.* 15. *& dec.* 407. *num.* 11. *par.* 16. *rec.* quod ſatìs eſſe ad tollendam unionis neceſſitatem, admonet etiam *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 24. *num.* 143.

56 Neutiquam refragante reſponſione, quod annis mox elapſis ob nimias populi afflictiones ex cauſa Belli exortas non potuerint annui redditus integraliter exigi, quia de hac accidentali diminutione non eſt habenda ratio, ut benè firmat *Card. de Luc. de benef. diſcur.* 44. *num.* 8. *& dixit Rot. coram Bich. deciſ.* 152. *num.* 21.

Irrelevans pariter Dominis viſum fuit, quod anno 1606. Canonici aſſerentes exiguitatem fructuum Decanatus capitulariter ordinaverint, ut duo beneficia immediatè ad collationem Decani vacatura habentia redditus ad minus triginta modiolorum ſpeltæ pro quolibet Decanus eligendus nemini conferret,

ferret, ſed procuraret illa Decanatui in augmentum fructuum etiam propriis expenſis auctoritate Ordinaria uniri, ac Apoſtolica confirmari, & ita ipſe Decanus jurare deberet, prout Decanus tunc electus, & deinde Succeſſores, & etiam Modernus jurarunt.

Etenim hæc ſola Capitularium aſſertio ad deducendam fructuum exiguitatem deſervire non valet, quoties ipſimet Capitulares optimè informati agnoverunt unionem ab eis exoptatam, utì non reſpicientem præciſam Eccleſiæ neceſſitatem non poſſe mera ordinarii facultate ſuſtineri, ſed tamquam tendentem ad commodiorem perſonæ ſuſtentationem, & decorem indigere confirmatione Apoſtolica, quæ difficillimè impetratur, ſicut alter ex Decanis anteceſſoribus, qui enixis, & reiteratis precibus ſuper unione alterius beneficii tunc vacantis petitam facultatem minimè conſequi potuit propter conſuetudinem in illis Regionibus exiſtentem ſuper retentione plurium beneficiornm etiam de ſui natura incompatibilium, cùm ex illorum redditibus beneficiati abundantius habeant, & præcipuè Canonici Leodienſes, quibus ex peculiari Indulto conferuntur Dignates Collegiatæ totius Civitatis, & Diœceſis, prout moderno Decano collata fuit præpoſitura Maſeykenſis annui redditus ſcut. 1500. *Fagn. in cap. expoſuiſti de præben. ſub num. 6.*

Nullatenus adverſante ad retardandam executionem Literarum Apoſtolicarum ex facti animadverſione, quod Decanus dicta unione fretus opinandi illius validitatem, antequam nullitas declararetur, potuerit ritè, & rectè excuſari à negligentia conferendi infrà legitima tempora, & proindè optimè valuerit poſt declaratam nullitatem præfatæ unionis ad liberam collationem devenire.

Quando quidem omiſſo examine, & diſcuſſione articuli, an collator poſſit in ſimilibus caſibus à negligentia excuſari, dum ſolus lapſus temporis aperit viam Summo Pontifici liberè procedendi, licet id aliis Superioribus intermediis permiſſum non foret, *Fagnan. in cap. diverſitatem num. 14. de conceſſion. præben.* Objectum totaliter removetur ex eo, quia ex præmiſſis cùm appareat nullitatem unionis indubiam eſſe, nec contrariam credulitatem poſſe ſuffragari, eoque minus ipſimet Decano, qui medio juramento inhærendo Capitulari decreto anni *1606.* ſpopondit Confirmationem Apoſtòlicam reportare pro validanda exoptatà unione; quocirca cum factum proprium non adimpleverit, nullam excuſationis cauſam prætexere valet per *Gloſſam in cap. imputari de Regulis juris in 6. Surdus dec. 262. nu. 16. & ſequentibus.*

Multoque magìs, quia in hypotheſi verſamur circa gratiam de Devoluto impetrata, non quidem ſub ſola expreſſione devolutionis ob negligentiam, ſed etiam ſub explicita narrativa aſſertæ unionis per verba clara, & manifeſta, in quibus terminis collatio Apoſtolica ſemper ſuſtinetur, nec inferiori licet ultrà conferre, ut optimè firmat *Rot. in Oſnaburgen. canonicatus* 10. *Decembris* 1714. §. *Itidem*, & 14. *Junii* 1715. §. *Prima ſiquidem coram me.*

57 Ea recepta à jure noſtro diſtinctione, quod aut agitur de impedimento non culpoſo, nec voluntario, & tunc benè impedit devolutionem, aut verò acceſſit impedimentum voluntarium, & inexcuſabile à culpa, & tunc admittitur, nec poteſt impediri devolutio ad Papam per *Text. in dicto cap. Quia diverſitatem de conceſſione præbendæ*, & *obſervant ad dict. Text. Innocentius ſub num.* 4. *Hoſtien. num.* 8. *Abbas num.* 4. & 5. *ſub num.* 14.

Cumque Decanus voluntariè, & culposè, utpotè quia unionem exoptabat adhæſivè anteactæ reſolutioni Capitulari anni *1606.* ubi ſpecificè cautum fuerat ſuper beneplacito Apoſtolico obtinendo, eamdemque unionem expleverat facultate Ordinaria, ſanè ullo ſub prætextu actus hujuſmodi poteſt ſuſtinere, neque ullo ſub colore illius nullitas excuſari ex cumulatis per *Rot. in Aſten. Prioratus ſuper pertinentia* 7. *Decembris* 1708. §. *fin. coram Reverend. D. Aldrovando.*

58 Neque attenditur reflexio, quod nimirum devolutio ſit pœna in odium negligentis, ad quem excuſandam omnis poſſibilis interpretatio ſumenda veniat,

& quælibet probabilis dubitatio recipi debeat ad tradita per *Lambert. de jurepat. lib. 2. par. 2. quæſt. 1. art. 24. in fine Pignatell. conſult. 24. num. 13. & ſeq. tom. 8. & dixit Rot. in Romana Cappellaniæ* 25. *Novembris* 1707. §. *Prædictis coram Eminentiſ. Scotto*: nam ubi Papa manus appoſuit cum ampla narrativa nullitatis præcitatæ unionis, de hoc præciſo capite benè fieri debuit devolutio, & in illius ſequelam liberè deveniri potuit ad illius collationem optimè firmavit *Rota in Monaſterien. Decanatus* 22. *januar.* 1712. §. *Subſiſtere coram me*.

R. P. D. CRISPO

Leodien. Beneficii.

Lunæ 7. *Junii* 1717.

Revocatis ad trutinam fundamentis deciſionis coram me editæ ſub die 20. Januarii proximè elapſi, illiſque uti par erat per Dominos in hodierna Audientia iteratò diſcuſſis tàm ſuper executione Literarum Apoſtolicarum per Matthiam Labeye obtentarum ex cauſa devolutionis ob non ſecutam collationem infra legitima tempora à Concilio Lateranenſe ſtatuta, quam etiam ſuper unione ab ipſo Magno Decano Eccleſiæ Cathedralis Leodien. extorta, & reſtitutione in integrum per eumdem Decanum ulteriùs expoſtulata, in caſu quo actus præcitatæ unionis à nullitatis labe ſalvari non poſſet, adeò ſolida, & juri conſona rationum momenta, in præterita reſolutione hujus cauſæ conſtabilita viſa ſunt, ut ab illis recedere non valuerint, adeò ut propoſito per me hodie conſueto dubio = *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis* = Licèt Defenſores Magni Decani etiam in præſenti diſputatione, jura ſua magìs ſtrenuè promoverint pro perſiſtentia tamen in deciſis unanimes Domini reſpondere non trepidarunt.

Etenim pro eo, quod attinet executionem Literarum Apoſtolicarum, de Clericatu Matthiæ, ejuſque idoneitate, & expreſſione veri valoris, & lapſus ſemeſtris ab eodem Lateranenſi Concilio præfixi Inferioribus collatoribus in *Cap.* 2. *de conceſſione Præben.* nulla, neque imaginaria inſurgere valuit difficultas, quinimò Patres ultrò admittebant concurſum omnium requiſitorum in Matthia Labeye proviſo Apoſtolico, ſolummodò inſiſtebant Defenſores Decani ſuper devolutione, eamdem evitare ſatagentes ex cauſa factæ interim ab Ordinario controverſi beneficii unionis eidem Decanatui, ita, & taliter, quòd tota controverſia verſaretur in recognoſcendo, an reverà præcitata unio validè fuiſſet ſecu-
59 ta: quemadmodum enim conſtito de illius validitate procul dubio conſumpta remanet beneficii vacatio, & impeditur devolutio ex Capitulo, *cum acceſſiſſent de conſtitutionibus*, ita etiam inficiari non valet unionem nullam, & irritam, nullum quoque producere poſſe juris effectum, nec vacatio eo caſu dici meretur conſumpta, ſed beneficium, ut priùs dicitur vacare *Gonzal. ad regul. 8. Cancellariæ Gloſſ. 15. §. 2. num. 79. Pariſ. de reſignatione beneficii lib. 12. quæſt. 3. nu. 35. Rot. coram Celſ. dec. 260. num. 16. & dec. 28. num. 6.*

60 Ponderato igitur, ſeduloque perpenſo ejuſdem unionis tenore, ac librata cauſa in unionibus ab Ordinario perficiendis omninò adhibenda per *Rebuf. de unione num. 43. Cald. conſil. 4. de rebus Eccleſiæ non alienandis Rota deciſ. 222. num. 13. par. 9. tom. 1. recent.* & aliunde quam ex unionem petentis aſſertione juſtificanda
61 quando ipſa unio non reperitur confirmatione Apoſtolica munita, quidquid eſſet poſt interventum Sanctæ Sedis Beneplacitum cauſæ cognitionem excludens, ut notat, *Rot. deciſ.* 817. *num.* 13. *par.* 18. *tom.* 2. *recentior. & coram Coccin. deciſ.* 721. *num.* 7. iterum Dominis viſum fuit, reputari non poſſe ſufficienter probatam legitimam cauſam pro ſuſtinenda controverſa unione inſpecta tam generali juris diſpoſitione in Capitulo *expoſuiſti de præben.* & ibi Doctores, Capitulo *Paſtoralis de donationibus*, Clementina *ſi unà de rebus Eccleſiæ* tradunt, *Oldrad. conſil. 261. Rebuf. in tractatu de union. num. 38.* quàm etiam etiam ſpeciali facultate conceſſa *à Sacr. Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 15. de reform.* conſimiles uniones peragendi in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus ubi frequentes, adcòque tenues

nues numerantur Præbendæ, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & perſonarum qualitate non ſuffi-
62 ciant, ita ut ad tramites tam juris Canonici, quam Conciliaris Sanctionis ſemper præcedere indiſpenſabilitèr debeat neceſſitas, vel utilitas unionis, *Garz. de benef. par.* 12. *cap.* 2. *num.* 113. *Vivian. de jurepat. lib.* 14. *cap.* 5. *num.* 44. *Rota deciſ.* 294. *num.* 2. *& deciſ.* 218. *num.* 1. *part.* 5. *recentior.* prædictaque utilitas tangat Eccleſiam, ejuſque ſervitium, non autem perſonas, eorumque commodiorem ſuſtentationem, ut plenè animadvertit, *Rot. coram Peutingerio dec.* 200. *numer.* 7.

63 Hujuſmodique neceſſitas, ſive utilitas, vel ipſius Eccleſiæ reparatione, & condecenti ſuſtentatione, & ſervitio deprehenditur, vel etiam dignoſci conſuevit, ex eo quod ob fructuum tenuitatem, nullus, vel nonniſi rari adfuerint, qui beneficium acceptare voluerint, vel hi qui reperiantur idonei verè non exiſtant, ut præter allegatos in deciſione præcedenti hujus cauſæ ſub §. *Et hæc neceſſitas*, tradunt *Abbas in dicto Capit. expoſuiſti num.* 4. *Menoch. conſil.* 402. *nu.* 87. *&* 88. plenè, *Rot. deciſ.* 53. *num.* 1. *&* 4. *part.* 11. *recentior.* Vix enim ſuaderi poterit non eſſe ſolvendo eam hæreditatem, quæ benevolum receptorem adinvenerit, ut ait, *Text. in Leg.* 3. *ff. ad Leg. falcid.* quem ad propoſitum noſtrum bene expendit *Rota dec.* 406. *num.* 10. *part.* 16. *rec.*

64 Cumque propterea Decanatus à ſæculo & ultra acceptatus reperiatur, & quidem à Viris pluſquam idoneis, Doctrina, cæteriſque inſignibus qualitatibus pollentibus, ipſique debitum Eccleſiæ ſervitium ab Ævo præſtiterint, nec interrumptum remanſerit, utique Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem deficere cenſendum venit, ut probat, *Text. in dicto Cap. expoſuiſti de præben. & in Clementina prima* §. *Ad hæc de ſtatu Monach. Rebuf. in prax. tit. de unione num.* 39. *Rot. deciſ.* 133. *num.* 2. *&* 3. *part.* 2. *diverſ. & deciſ.* 53. *num* 4. *par.* 11. *recent.*

65 Ponderato præſertim, quod primæva dos Decanatus ab erectionis initio congrua, & pro ſupportandis omnibus oneribus ſufficiens reputanda per *Rot. coram Gregorio deciſ.* 483. *num.* 5. nunquam diminuta apparet, neque de jure præſumitur; imò potius adaucta cenſeri debet, *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi part.* 3. *alleg.* 67. *num.* 6. *&* 7. *& in Collectan. ad Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 15. *numer.* 4. *Rot. coram Seraphin. deciſ.* 1385. *num.* 1.
66 *&* 2. Quinimò ad effectum unionem ſuſtinendi requiri ſolet probatio diminutionis ipſius dotis ab initio aſſignatæ, *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 28. *nu.* 85. *Oldrad. Conſil.* 162. *ſub num.* 1. *& in recentior. deciſ.* 222. *num.* 15. *par.* 9. cùm aliàs ex eo quòd cum illius redditibus Anteceſſores honeſtè ſe ſuſtentarunt, exinde excluſa prorſus remaneat unionis neceſſitas, *Oldrad. conſil.* 263. *ſub. nu.* 1. Adden. *ad Gregor. deciſ.* 419. *num.* 6. *Rota deciſ.* 757. *num.* 4. *par.* 3. *rec.*

Eòque potiſſimum res clara procedit inſpectâ ea facti circumſtantia, quod ex parte ejuſdemmet moderni Decani probatum extitit nonnullos ex Canonicis, ex quorum numero Dacanus eligi debet aſſecuta dignitate Decanali, Canonicatum licet cum Decanatu compatibilem ſpontè dimiſiſſe, retinendo ſolummodo Decanatum de tali dignitate contentos, citra quod obeſſe poſſit, quod ob populi calamitates ex cauſa Belli in illis finitimis regionibus vigentis, non potuerint per nonnullos annos exigi integri
67 redditus, quia ex hujuſmodi accidentali, & temporali diminutione nihil poteſt perpetuum determinari, *Card. de Luc. de benef. diſc.* 44. *num.* 8. *Rot. coram Bich. deciſ.* 152. *num.* 22. & advertit altera mea *deciſ. ſub* §. *Neutiquam.*

Neque Eccleſiæ neceſſitas ritè elici valet ex eo, quod ſub initio anteacti ſæculi repudiata extiterit eadem dignitas Decanalis, & recuſata fuerit acceptatio electionis ob ſumptus extraordinarios in conviviis per Decanum ſæpè ſæpiùs celebrari aſſuetis, & hac de cauſa poſt ſubſecutam unionem unius beneficii valoris modiorum 55. ſpeltæ, & ſic juxta notoriam Datariæ praxim ducatorum 55. auri de Camera, capitulariter anno 1606. Decretum fuerit, quod Decanus tunc electus juramentum ſubire deberet de procuranda unione duorum aliorum beneficiorum valoris ad minus modiorum 30. pro quolibet ab Ordinario, & confirma-

firmationem Apoſtolicam deſuper reportare, & hoc Decretum conſtabilitum, & probatum ulteriùs remanſerit ab eodem Capitulo de anno 1623. ſub enunciativa quòd Nobiles propter modicitatem proventuum reſpectu onerum aliquoties dignitatem Decanalem ſuſcipere recuſaverint.

68 Nam præterquam quòd recuſatio unius vel alterius nullius ponderis habenda foret in concurſu longè plurimum, qui deinde tam longævo centum, & decem annorum curriculo abſque ulla prorſus interruptione Decanatum acceptarunt, & Eccleſiæ ſervitium nunquam fraudarunt, *ad Text in Cap. Nulli Leg. plenè. ff. quod cujuſcumque univerſit. nom. Capit. quod omnes de regulis juris in 6. Capit. Eccleſia veſtra de electione*, & ponderavit, *Rot. coram Peutinger. dicta dec.* 200. *num.* 10. inſuper exinde potius excluditur Eccleſiæ neceſſitas, & ſuperlativè convincitur unio exoptata ſolummodo ad lautius juxta gradum Nobilitatis perſonarum expendarum in conviviis, quod non præſtat juſtam cauſam Ordinario, ſed ad ſummum adaperire valeret viam ſupplicandi, S. Sedem Apoſtolicam aliquando ſplendidiori perſonarum ſuſtentationi gratioſè ſubvenienti, prout de facto ſicuti in ipſius Apoſtolicæ authoritatis præſidio, & benignitate eorum ſpem Capitulares repoſuerunt adſtringendo jure jurando Decanum electum ad procurandam dictæ S. Sedis confirmationem, ut in ſequelam Sacramenti à Decanis Succeſſoribus reiterati alter ex eis ſupplices preces porrexit, licet exaudiri non meruerit, attento quòd etiam Nobiles poſſunt conditionis propriæ partes generoſius adimplere, ex redditibus Canonicatus, nec non dignitatum Collegiatarum totius Civitatis, & Diœceſis, quæ uni ex Capitularibus conferri ſolent ex peculiari Indulto, de quo penes, *Kochier. ad regul. Cancell. poſt regul.* 3. *ſub num.* 13. *ab Urbano VIII. confirmato, ut apud Nicolartz ad concordat. Germaniæ tit. primo de reſervat. pag.* 47. ac aliorum beneficiorum etiam imcompatibilium, quorum retentio accedente diſpenſatione Apoſtolica in partibus Germaniæ benigniſſimè indulgeri, faciliuſque pro commodiori ſuſtentatione perſonarum, & ob eorum prærogativam concedi conſuevit, quam permitti uniones, ut notat *Fagnan. in dicto Cap. expoſuiſti de præben. in 6.*

69 Undique igitur conſtabilitâ nullitate unionis, eaque comperta penitus inſubſiſtenti, ſuccedit in neceſſarium conſequens bonum jus actoris innixum gratiæ Summi Pontificis, ac propterea ipſius literæ deſuper expeditæ ſuper controverſo beneficio utì devoluto ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, cum dignoſcantur in omni ſui parte juſtificatæ, plenariam executionem promerentur ad *Text. in cap. Si Capitulo de conceſſ. præben. in 6. Rota in Monaſterien. Vicariæ* 12. *Martii* 1706. §. *arbitrium coram bon. memor. Omanna*, *&* *in Comen. beneficii* 14. *Decembris* 1708. §. *Indultum coram Reveren. Labacen.*

Neutiquam obſtante replicatione, quòd Decanus Ordinarius Collator ejuſdem beneficii contendat abſtinuiſſe à collatione ſub certa credulitate validitatis reportatæ unionis, ſub eaque bona fide ſibi præjudicatum dici non valeat per lapſum temporis, quominus poſſit ſecuta declaratione nullitatis unionis, quæ in implicito ſtatu validitatis verſabatur, admitti ad beneficium reſtitutionis in integrum, eaque obtenta ſaltèm ad liberam ejuſdem collationem pro ſuo munere devenire, perindè, ac ſi unio nunquam fuiſſet facta, & tempus à Concilio Lateranenſi præfixum patronis ad præſentandum non extitiſſet effluxum juvante bona fide, & legitima excuſatione.

Ultra, quod enim verſamur in nullitate propemodum clara quamcumque excuſationem ſive bonam fidem rejiciente, ut firmavit *Rota deciſ. impreſſ. penes Garz. de benef. quæſt.* 12. *cap.* 2. *nu.* 192. *&* 195. ea præſertim urgente facti circumſtantia, quòd ipſemet modernus Decanus in aſſumptione Decanatus ſolemne juramentum præſtiterat de reportando confirmationem Apoſtolicam, quamobrem cum ex poſtea adeò ſolemni ſuæ obligationi contravenerit, negligendo Sedis Apoſtolicæ aſſenſum omnino requiſitum tam de jure, quam ex proprio facto, & conventione, excuſationem proinde aliquam prætexere non valet, nec dignus dijudicari poteſt beneficio reſtitutionis in integrum ad liberè conferendum beneficium, cujus jura per ſæpedictam

ctam unionem nullam prorſus, & infectam à ſemetipſo penitùs abdicavit, quia cùm Papa manus apposuerit ſub expreſſa narrativa nullitatis ſecutæ unionis, indeclinabilis remanſit devolutio, & conſecutivè ad beneficii collationem liberè devenire potuit, ut plenè firmavit *Rota in Monaſterien. Decanatus* 22. *Januarii* 1712. §. *Subſiſtere coram me*.

Et ita per Dominos in reliquis approbantes cætera omnia deducta in præcedenti deciſione, partibus viciſſim acerrimè contendentibus, ac quinto, & ſexto ſuffragantibus deciſum fuit.

ARGUMENTUM.

Unio beneficiorum ſimplicium patronalium facta Canonicatibus, ex quibus probetur, vel non probetur, & ex quibus excludatur.

SUMMARIUM.

1 *Qui ſint actus, qui includunt, & probant unionem?* vide ibi *& num.* 5. 6. 7. *&* 8.

2 *Unionem eſſe ſubjectivam, aut æque principalem ex quibus cognoſcitur?* vide ibi *& num.* 3. *&* 4.

9 *Enumerantur actus, qui non includunt, nec probant unionem, & num.* 10. *uſque ad* 14.

15 *Actus, qui poſitivè excludunt unionem, qui ſint?* vide ibi *& num.* 16. 17. *&* 18.

9 *Quod Vicarius Eccleſiæ parochialis unitæ Monaſterio denominetur Parochus non excludit poſitivè unionem.* Amplia ut num. 20.

1 *Neque excluditur unio parochialis ex eo, quod in inſtitutione Vicariorum adhibita fuerint nomina* vacationis, *&* collationis.

CASUS II.

Sæpeſæpiùs ſolent eſſe lites, & controverſiæ ſuper exiſtentia unionis, eo quia alii negant beneficia patronalia eſſe unita Canonicatibus, ſeu præbendis, alii verò id affirmant; unde congruum hìc duxi enumerare actus, ex quibus probetur, vel non probetur; aut ex quibus excludatur unio.

1 Actus, qui includunt, & probant unionem, ſunt inſtrumentum publicum unionis, hujus obſervantia immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo. *Felin. conſ.* 2. *num.* 2. *& ſeq. Turricell. de unione cap.* 2. *num.* 8. *& ſeqq. & cap.* 11. *num.* 5. 9. *&* 23. *Rot. deciſ.* 47. *nu.* 2. *cor. R.P.D. Anſaldo & in Reatina unionis* 25. *Junii* 1708. §. *de unione coram Eminentiſ. Scotto, & in Monaſter. Vicariæ* 20. *Martii* 1713. §. *Pro evitanda coram R. P. D. Criſpo, & in Cracovien. ſeu Sandomirien. juriſpatronatus* 15. *januar.* 1714. §. *Tandem coram R. P. D. Lancetta, & in Gerunden. parochialium ſuper unione* 18. *junii* 1714. §. *Urgebant coram R. P. D. Anſaldo.*

2 Quod inſtrumentum publicum unionis, ſi contineat verba *unimus, inviſceramus, incorporamus, cum plenitudine juris, & dominii, aut penitus extincto titulo beneficii* includit, & probat unionem eſſe ſubjectivam. *Garz. de benef. par.* 12. *cap.* 2. *num.* 55. *& ſeq. Turricell. de unione cap.* 3. *num.* 16. *Rot. deciſ.* 305. *num.* 21. *& ſeq. par.* 11. *& deciſ.* 49. *num.* 2. *& ſeqq. p.* 15. *rec. & in dicta Reatina unionis ubi ſupra, & in Ampurien. ſeu Civitaten. unionis* 25. *junii* 1708. §. *Et ſanè coram Reverendiſ. Molines, & in Neapolitana unionis* 23. *junii* 1710. §. *Quæ quidem coram eodem ſuperiùs* impreſſ. *Can. VI. Caſ. II. num.* 32. *&* 35. *& in dicta Cracovien. ſeu Sandomirien. juriſpatronatus* 14. *januar.* 1714. §. *Validius, &* §. *Littera coram R.P.D. Lancetta.*

3 Aut ſi in eo declaratum appareat Eccleſiam eſſe plenè jure ſubjectam tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, probat paritèr, & includit unionem eſſe ſubjectivam, quia licet ex ſimplici unione quoad temporalia per viam donationis juriſpatronatus, decimarum, bonorum &c. non inferatur ad unionem, plenaria tamen ſubjectio, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus ſecum fert unionem ſubjectivam. *Murg. de benef. qu.* 4. *num.* 52. *Rot. in Burgen. juriſdictionis ſuper actibus parochialibus* 26. *junii* 1715. §. *Nec dicatur coram R. P. D. Criſpo*. Si verò inſtrumentum non contineat aliquid, quòd clarè demonſtret unionem eſſe ſubjectivam, tunc aſſiſtentia juris, & præſumptio ſtat, quod unio ſit facta æquè principaliter, & non acceſſoriè.

Gonzal.

Gonzal. ad regul. 8. *Gloſſ.* 5. §. 7. *nu.* 132. *Card. de Luc. de Præeminen. diſc.* 7. *nu.* 9. *& ſeqq. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.* 66. *num.* 52. *Rot. in dicta Ampurien. ſeu Civitaten. unionis* 25. *junii* 1708. §. *Et ſanè coram Reverendiſ. Molines*.

5 Deficiente inſtrumento unionis, hæc probari poteſt per ſigna, conjecturas, & argumenta *Rot. deciſ.* 886. *num.* 1. *coram Cerro & deciſ.* 252. *num.* 10. *coram Priolo & in Mediolanen jurium parochialium* 20. *Aprilis* 1708. §. *Ex quibus coram Eminen. Scotto*.

6 Inter ſigna unionis præſertim Eccleſiæ parochialis Monaſterio, e. g. eſſet ſi Eccleſia parochialis poſt Concilium Tridentinum, nunquam fuiſſet proviſa per concurſum, ſed ad nominationem Abbatuum; talis namque negativa proviſionis per concurſum arguit Eccleſiam eſſe unitam, nam aliàs tot ordinarii, qui in decurſu tanti temporis extitere, eſſent redarguendi de ſupina oſcitantia, ac de inexcuſabili contraventione conciliari diſpoſitioni, conferendo abſque concurſu, quod præſumi nequit. *Rota deciſ.* 9. *num.* 9. *cum ſeqq. par.* 10. *rec. & deciſ.* 886. *nu.* 2. *& ſeqq. coram Cerro, & alii apud Rot. in Compoſtellana parochialium* 13. *Mar.* 1716. §. *Certoque certius coram R. P. D. Anſaldo.*

7 Alterum ſignum unionis eſſet, ſi per longævum temporis decurſum nulla fuiſſet facta à Dataria proviſio de reſervato, hujuſmodi namque negativa proviſionum Apoſtolicarum vehementer concludit affirmativam unionis *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 5. §. 3. *num.* 60. *Turricell. de unione cap.* 4. *nu.* 55. *Rot. in dicta Compoſtellana parochialium ubi ſupra* §. *Indubitantiùs*.

8 Probari etiam poteſt unio per teſtes formiter examinatos, & de ea deponentes cum ſuis requiſitis eſſentialibus. *Rot. in Lucana unionis* 3. *junii* 1707. §. *Nam coram Eminentiſ. Priolo*.

Actus verò, qui non includunt, nec probant unionem ſunt.

9 Primo: Copiæ depromptæ ab illegalibus cartis, & bullis præſeferentibus unionem, hanc non includunt, nec probant, nè aliàs major fides, copiæ, quàm originali habeatur. *Felin in Cap. contra cauſam nu.* 2. *de probat. Rot. deciſ.* 323. *n.* 18. *coram Buratt. & deciſ.* 221. *n.* 24. *par.* 9. *& deciſ.* 535. *num.* 12. *par.* 14. *rec. & in Gerunden. parochialium ſuper unione* 18. *junii* 1714. §. *Quamvis coram R. P. D. Anſaldo*.

10 Secundo: Inſtrumentum, aut aliud documentum unionis extractum non ſervata forma literarum compulſorialium non probat, nec includit unionem, quia illius extractio eſt nulla. *Rot. deciſ.* 6. *num.* 1. *& ſeqq. coram Duran. & deciſ.* 580. *num.* 1. *& ſeqq. coram Cavaler. & deciſ.* 76. *num.* 10. *part.* 6. *rec. & in dict. Gerunden. parochialium ubi ſupra* §. *Atque hinc*.

11 Tertio; conſenſus præſtitus à Rectore Eccleſiæ in permutatione, & reſignatione beneficii, quod prætenditur uniti eidem Eccleſiæ, licèt probet, & concludat juſpatronatus, non probat tamen, neque includit unionem. *Rot. deciſ.* 47. *num.* 9. *apud R. P. D. Anſald. & in dicta Gerunden. parochialium ſuper unione* 18. *junii* 1714. §. *Quoverò coram eodem*.

12 Quarto; Fundatio, ſeu ſituatio beneficii, aut Eccleſiæ in ſolo Canonicatus, aut Monaſterii, cui dictum beneficium prætenditur unitum, licèt ſuffragetur ad probandum juſpatronatus, non concludit tamen, nec probat unionem. *Rot. deciſ.* 204. *num.* 5. *par.* 2. *rec. & in Firmana juriſdictionis ſuper modo viſitandi* 20. *Martii* 1712. §. *Hinc propterea coram Reverendiſ. Molines*.

13 Quinto; Donatio beneficii, ſeu quod beneficium fuerit donatum Canonicatui, aut Monaſterio à Patronis non probat, nec includit illius unionem, cum ex patronorum conceſſione dici non poſſit facta unio, dum in eorum poteſtate non reſideat Eccleſias unire, & donare beneficium ſit donare jus de illo liberè providendi, aut jus ad illud præſentandi. *Turricell. de unione cap.* 6. *num.* 51. *Rot. deciſ.* 77. *num.* 6. *coram Gregor. & deciſ.* 179. *num.* 12. *coram Ottobon. & in Firmana juriſdictionis ſuper modo viſitandi* 20. *Martii* 1702. §. *Prout coram Reverendiſ. Molines, & in Herbipolen. Monaſterii* 10. *junii* 1707. §. *Sed inutiliter, &* 17. *jun.* 1709. §. *Ad huc objectum coram bon. mem. Caffarello, & in Conſtantien. unionis ſuper bono jure* 23. *junii* 1710. §. *Sed coram R. P. D. Criſpo*.

14 Sexto; annua ſolutio cenſus, ſeu quod ſingulis annis beneficium ſolvat certum cen-

cenſum Canonicatui, aut alteri Eccleſiæ non inducit unionem, ſed potius indicat meram ſubjectionem, *Rota deciſ.* 179. *num.* 18. *& deciſ.* 223. *num.* 17. *coram Ottobon. & in dicta Firmana juriſdictionis ubi ſupra* §. *Nec*.

Actus denique, qui poſitivè excludunt unionem ſunt.

15 Primò; Collationes beneficii, quod prætenditur, uniti, ſemper, & inconcuſsè factæ ab Epiſcopo, iſtæ enim poſitivè excludunt unionem, dum nihil tam unioni adverſatur, quàm ſtatus collativus. *Cockier. de permut. beneſ. par.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 5. §. 7. *n.* 2. *&* 7. *Rot. deciſ.* 219. *num.* 23. *part.* 11. *rec. & in Acerrana Beneficii ſuper executione Litterarum Apoſtolicarum* 6. *Junii* 1710. §. *Eoque magìs coram Eminentiſ. Priolo, & in Gerunden. Parochialium ſuper unione* 18. *Junii* 1714. §. *Illegalitati, coram R. P. D. Anſaldo*.

16 Secundò; permutationes, ac reſignationes beneficii poſitivè excludunt hujus unionem. *Rot. deciſ.* 244. *ſub num.* 5. *coram Emerix, & deciſ.* 142. *n.* 6. *cor. Gregor. & deciſ.* 219. *nu.* 22. *& ſeqq. par.* 16. *rec. & in dicta Gerunden. Parochialium ſuper unione, ubi ſupra* §. *In idem*.

17 Tertiò; aſſignatio omnium fructuum, reddituum, jurium, & proventuum parochialium facta Sacerdotibus in Parochos aſſumptis poſitivè excludunt unionem Eccleſiæ Parochialis alteri Eccleſiæ, aut Monaſterio, ſi enim Eccleſia Parochialis fuiſſet alteri Eccleſiæ, aut Monaſterio unita, omnia emolumenta ad hanc Eccleſiam, ſeu Monaſterium pertinuiſſent, aſſignata tantùm certa congrua portione Vicario ad exercitium Curæ aſſumpto. *Garz. de benef. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 34. *Turricell. de unione cap.* 4. *nu.* 11. *Rot. deciſ.* 320. *n.* 1. *coram Emerix jun., & in Reatina unionis* 25. *Junii* 1708. §. *De unione, &* §. *Poſita coram Eminentiſ. Scotto, & in dicta Gerunden. Parochialium, ubi ſupra* §. *Eamdem, & in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *De unione coram R. P. D. Anſaldo*.

18 Quartò; præſentationes Rectoris, aut Vicarii Eccleſiæ Parochialis factæ à Rectore Eccleſiæ, aut ab Abbate Monaſterii, cui Eccleſia Parochialis prætenditur unita, hujus unionem poſitivè excludunt, quia præſentatio eſt effectus juriſpatronatus, & juſpatronatus cùm ſit ſervitus dari non poteſt in re propria, qualem facit unio ſubjectiva. *Card. de Luc. de paroch. diſc.* 10. *num.* 8. *Rot. in Conſtantien. unionis ſuper bono jure* 23. *Junii* 1710. §. *Præſertim coram R. P. D. Cripſo, & in dict. Gerunden. Parochialium ſuper unione, ubi ſupra* §. *Nec minus, & in Firmana juriſdictionis ſuper modo viſitandi* 20. *Mar.* 1702. §. *Præterea, cor. Rever. Molines*.

19 E' contra, quod Vicarius Eccleſiæ Parochialis unitæ Monaſterio, aut Collegio denominetur Parochus, non excludit poſitivè unionem, nec probat hanc eſſe ineffectuatam, hujuſmodi namque denominationes poſſunt abuſivè fieri, & commodè referuntur ad majorem quamdam honorificentiam ejuſdem Vicarii. *Barboſ. de offic. & poteſt. Parochi part.* 1. *cap.* 1. *num.* 55. *Rot. deciſ.* 817. *num.* 11. *par.* 18. *rec. & in Cracovien. ſeu Sandomirien. juriſpatronatus* 15. *Januar.* 1714. §. *Quibus coram R. P. D. Lancetta*.

20 Maximè ſi concurrerent aliæ denominationes factæ ſub expreſſione Vicarii perpetui, iſtæ enim declararent, & explicarent æquivocas denominationes factas ſub expreſſione Parochi. *Rot. deciſ.* 252. *num.* 2. *& ſeqq. coram Priolo, & in Novarien. Parochialis, ſeu Vicariæ* 22. *Jun.* 1705. §. *His poſitis coram bo. mem. Eminen. Caprara, & in dict. Cracovien., ſeu Sandomirien., ubi ſupra* §. *Tantaque magìs*.

21 Sicuti poſitivè non excluditur unio parochialis, nec hujus ineffectuatio probatur ex eo, quod in inſtitutione Vicariorum adhibita fuerint nomina *vacationis*, & *collationis*, quia licèt in Eccleſiis parochialibus unitis non detur rigoroſa vacatio, nec collatio de jure, nihilominus datur impropria vacatio, & dicuntur vacare, & conferri de facto, quando per obitum unius Vicarii perpetui præſentatur, & admittitur alter. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 15. §. 1. *num.* 2. *& ſeq. Cardin. de Luc. de beneſ. diſc.* 97. *num.* 19. *Rot. in Burgen. juriſdictionis ſuper actibus parochialibus* 26. *Junii* 1715. §. *Neque ſubſiſtit coram R. P. D. Criſpo*.

CANON X.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXIV. Cap. XVIII.

EXpedit maximè Animarum ſaluti, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari, id ut diligentiùs, ac rectiùs perficiatur, ſtatuit ſancta Synodus, ut cùm Parochialis Eccleſiæ vacatio, etiamſi Cura Eccleſiæ, vel Epiſcopo incumbere dicatur, & per unum, vel per plures adminiſtretur etiam in Eccleſiis Patrimonialibus, ſeu receptivis nuncupatis, in quibus conſuevit Epiſcopus uni, vel pluribus curam Animarum dare, quos omnes id infraſcriptum examen teneri mandat, per obitum, vel reſignationem etiam in Curia, ſeu aliter quomodocumque contigerit, etiamſi ipſa Parochialis Eccleſia reſervata, vel affecta fuerit generaliter, vel ſpecialiter etiam vigore Indulti, ſeu Privilegii in favorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſeu Abbatum, vel Capitulorum, debeat Epiſcopus ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione conſtituere, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de rectore provideatur; Porrò Epiſcopus, & qui juſpatronatus habet, intrà decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præbſcribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Eccleſiam coram deputandis Examinatoribus nominet. Liberum ſit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut poſſit poſtea de cujuslibet ætate, moribus, & ſufficientia fieri diligens inquiſitio. Et ſi Epiſcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Tranſacto conſtituto tempore, omnes, qui deſcripti fuerint, examinentur ab Epiſcopo, ſive eo impedito ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, ſi

pares

pares ſingulares fuerint, accedere poſſit Epiſcopus, vel Vicarius, quibus magìs videbitur. Examinatores autem ſingulis annis in Diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, ad minus ſex proponantur, qui Synodo ſatisfaciant, & ad ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Eccleſiæ, tres ex illis eligat Epiſcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque ſuccedente alia vacatione, aut eoſdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis ſex eligat; ſint verò hi Examinatores, Magiſtri, ſeu Doctores, aut licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii Clerici, ſeu regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magìs idonei, jurentque omnes ad Sancta Dei Euangelia ſe, quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros: Caveantque, nè quidquam prorſus occaſione hujus Examinis, nec ante, nec poſt accipiant, alioquin Simoniæ vitium, tam ipſi, quàm alii dantes incurrant, à qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles reddantur; Et de his omnibus non ſolùm coram Deo, ſed etiam in Synodo Provinciali, ſi opus erit, rationem reddere teneantur, à qua, ſi quid contra Officium eos feciſſe compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri poſſint. Peracto deinde examine denuncientur, quotcumque ab his idonei judicati fuerint, ætate, moribus, Doctrina, Prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis, ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magìs idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri, Collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre. Si verò Juriſpatronatus Eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cùm verò inſtitutio ab alio, quàm ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat. Quod ſi juſpatrona-

natus Laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, ut ſupra examinari; & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti; In omnibuſque ſupradictis caſibus non cuiquam alteri, quàm uni ex prædictis examinatis, & ab Examinatoribus approbatis, juxta ſupradictam regulam de Eccleſia provideatur, nec prædictorum Examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio, aut appellatio etiam ad Sedem Apoſtolicam, ſive ejuſdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuncios, ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas, interpoſita impediat, aut ſuſpendat, alioquin Vicarius, quem Eccleſiæ vacanti antea Epiſcopus arbitrio ſuo ad tempus deputavit, vel forſan poſtea deputabit, ab ejus Eccleſiæ Cuſtodia, & Adminiſtratione non amoveatur, donec, aut eiſdem, aut alteri, qui probatus, & electus fuerit, ut ſupra ſit proviſum, alias proviſiones omnes, ſeu inſtitutiones, præter ſupradictam formam factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur non obſtantibus huic Decreto Exemptionibus, Indultis, Privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis proviſionibus, indultis conceſſis quibuſcumque Univerſitatibus etiam ad certam ſummam, & aliis impedimentis quibuſcumque. Si tamen adeò exigui redditus dictæ Parochiales fuerint, ut totius hujus Examinationis operam non ferant, aut nemo ſit, qui ſe examini quærat ſubjicere, aut ob apertas factiones, ſeu diſſidia, quæ in aliquibus Locis reperiuntur, facilè graviores rixæ, aut tumultus poſſint excitari poterit Ordinarius, ſi pro ſua conſcientia cum Deputatorum Conſilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omiſſa, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut ſupra ſervatis adhibere; Licebit etiam Synodo Provinciali, ſi qua in ſupradictis circa Examinationis formam addenda, remittendave eſſe conſueverit, providere.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = Vacante Eccleſia Parochiali, ſi opus fuerit, Epiſcopus debet deputare Æconomum, ſeu Vicarium cum aſſignatione congruæ portionis, ejus arbitrio, donec provideatur de Rectore. =

Secunda = Eccleſiæ Parochiales de Jurepatronatus Eccleſiaſtico providentur per concurſum, et Patronus debet eligere, et præſentare idoneum, ſeu magis idoneum inter approbatos ab Examinatoribus Synodalibus, ſi inſtitutio ſpectat ad Epiſcopum, ſi vero ſpectat ad Inferiorem, tunc electio idonei, aut idonioris ſpectat ad Epiſcopum, et quem elegerit Epiſcopus, Patronus debet præſentare Inferiori habenti inſtituere. =

Tertia = Eccleſiæ Parochiales de Jurepatronatus laicali non providentur per concurſum, ſed Patronus Laicus debet præſentare, et Præſentatus debet examinari, etſi repertus fuerit idoneus, eſt inſtituendus = Primam concluſionem probat etiam textus in *cap. cum vos de offic. ordin.* ſuperiùs *Part. II. Can. XXV. Caſ. IV. num.* 13. per extenſum relat. & omnes aliàs ſequuntur, & approbant *Fagnan. in cap. cum ad noſtram de elect. num.* 28. *& in cap. cùm ſit ars artium num.* 18. *de ætat. & qualit. & in cap. cum vos de offic. ordin. num.* 8. *&* 25. *Barboſ. hìc num.* 30. *&* 136. *& ſeqq. & de offic. & poteſt. Paroch. par.* 1. *cap.*2. *nu.* 124. *&* 129. *Garz. de benef. par.* 9. *cap.* 2. §. 1. *nu.* 127. *&* §. 2. *n.*255. *&* 261. *Gonzal. ad regul.* 8. *Gloſſ.* 6. *num.* 134. *& ſeqq. Vivian. de jurepat. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 31. *&* 58. *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 5. §. 1. *num.* 1. *& ſeqq. Pignatell. Conſult.* 77. *num.* 44. *& ſeq. & num.* 111. *tom.* 9. *Tondut. quæſt. benef. par.* 3. *cap.* 187. *nu.* 4. *& ſeq. Grazian. diſcep.* 211. *num.* 30. *& ſeqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.* 32. *num.* 31. *& de benef. diſc.* 25. *num.* 6. *& de paroch. diſc.* 37. *num.* 46. *Monacell. formul. legal.* 14. *tit.* 5. *num.* 1. *par.* 1. *& formul.* 1. *tit.* 15. *num.* 31. *par.* 2. *Rot. deciſ.* 579. *nu.* 4. *par.* 2. *rec. & deciſ.* 942. *num.* 2. *coram Buratt. & deciſ.* 339. *num.* 11. *coram Bich. & deciſ.* 65. *num.* 13. *coram Otthobon. & deciſ.* 34. *num.* 38. *coram Priolo, & deciſ.* 80. *n.* 7. *& deciſ.*102. *num.* 2. *&* 10. *coram Ubago, & in Legionen. parochialis* 15. *Januarii* 1703. §. *Verùm coram. bo. mem. R.P.D. Pio, & in altera Legionen. parochialis* 11. *Januar.* 1706. §. *Multoque magìs coram R.P.D. Kaunitz.*

1 Hanc Conciliarem diſpoſitionem confirmat, ac declarat Divus Pius V. in ejus conſtitutione incipien. *In conferendis*, de qua *Bullar. Roman. nov. tom.* 2. in ordine *la* 33. ibi = *In conferendis, &c. Quod ut diligentiùs, ac rectiùs perficiatur, ſtatuit etiam Synodus Tridentina, ut occurrente vacatione Parochialis Eccleſiæ etiam generaliter, vel ſpecialiter, etiam vigore indulti in favorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, aut aliàs quomodolibet reſervatæ, vel affectæ debeat Epiſcopus habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione conſtituere, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore provideatur, & deinde Epiſcopus, & qui juſpatronatus habet, intrà decem dies, aut aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, aliquos Clericos ad regendum Eccleſiam idoneos Examinatoribus juxta formam ejuſdem Synodi deputatis, nominet, & non niſi ab eiſdem Examinatoribus per concurſum aliorum Examinatorum, etiam tamquam magìs idoneo ab Epiſcopo judicato, & electo de Eccleſia provideatur, aliàs proviſiones, ſeu inſtitutiones omnes præter formam prædictam factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Sed quoniam res humanæ ſemper in deterius prolabuntur, niſi ſit, qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet, & verendum ſit nè propter conſtitutionum hujuſmodi tranſgreſſionem maximi abuſus oriantur. Nos, ad quorum notitiam non ſinè gravi noſtra moleſtia pervenit non nullos ex venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis; & Epiſcopis occurrente vacatione parochialium Eccleſiarum, eas nullo, aut minùs ritè ſervato examine præſertim illo, quòd per concurſum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examinè ritè ſervato, perſonis minùs dignis carnalitatis, aut alium humanæ paſſionis affectum, non rationis judicium ſequentes, contuliſſe, & de eis providiſſe, volentes, quantum cum Deo poſſumus hujuſmodi, ac etiam futuris periculis occurrere; eorumdem Prædeceſſo-*

rum

rum noſtrorum conſtitutiones præfatas etiam innovando, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium omnes, & ſingulas collationes, proviſiones, inſtitutiones, & quaſvis diſpoſitiones Parochialium Eccleſiarum ab eiſdem Epiſcopis, & Archiepiſcopis, ac quibuſvis aliis collatoribus tam ordinariis, quàm delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apoſtolicæ Legatis, vel Nunciis, præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præſertim in examine per concurſum faciendo, præſcriptam, factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & eſſe, nullumque proviſis jus, aut titulum etiam coloratum poſſidendi præbere, & parochiales Eccleſias hujuſmodi, ut priùs ante collationes hujuſmodi, vacabant, ex nunc vacare ſtatuimus, decernimus, & declaramus, eaſque omnes pro tempore ſic vacantes noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ, ſeu eorum, quibus jus conferendi eas, Epiſcopis, & Archiepiſcopis, qui curam dicti examinis, juxta decretum Concilii, habere debent, competet, diſpoſitioni reſervamus. Inſuper nè Parochiales Eccleſiæ diù in ſuſpenſo maneant in maximum animarum periculum quarumcumque Parochialium Eccleſiarum, quarum dum pro tempore vacant, ad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, & quoſvis alios ordinarios collatores in menſibus ordinariis, collatoribus etiam per noſtras regulas aſſignatis, proviſio, & collatio ſpectat, & pertinet, de quibus iidem Epiſcopi, & Ordinarii prædicti intrà ſex menſium ſpatium à die vacationis earumdem perfecto examine, juxta formam Concilii Tridentini præfati non providerint, ac illarum, etiam quarum collationes nobis, & dictæ ſedi generaliter, vel ſpecialiter, & ex quavis cauſa reſervatæ, ſeu affectæ exiſtunt, aut aliàs ex indulto Sedis Apoſtolicæ competunt, ad quos occurrente illarum vacatione, Epiſcopi, & Archiepiſcopi præfati perſonas per examen, concurſu mutuo habito juxta dicti Concilii Tridentini formam approbatas, & magìs idoneas non elegerint, aut electas nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, aut iis, ad quos collatio ſpectabit, pro collatione obtinenda intrà quatuor menſium ſpatium à die illius vacationis non ſignificaverint, nec non Parochialium Eccleſiarum ſimilium, quæ juriſpatronatus Eccleſiaſtici, vel aliorum, ſeu Clericorum, & Laicorum ſimul fuerint, ſi præſentatus intra tempus eiſdem patronis à jure præfixum prævio examine juxta formam dicti Concilii approbatus, petatur inſtitui, inſtitutioque ipſa per duos menſes à die præſentationis dilata fuerit, collationem, proviſionem, inſtitutionem, ac omnimodam diſpoſitionem nobis, & ipſi ſedi, ac perſonis indulta hujuſmodi, conferendi, providendi, ſeu inſtituendi obtinentibus reſpectivè reſervamus, data tamen in Parochialibus juriſpatronatus optione ipſis Patronis, ut ſi inſtitutio ad Ordinarios ſpectabit, ipſis Ordinariis illam facere negligentibus, & ultra dictos duos menſes deferentibus, poſſint pro hujuſmodi inſtitutione obtinenda habere recurſum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apoſtolicam. Prohibentes etiam eiſdem Ordinariis, nè tempus decem dierum eiſdem Ordinariis, & Patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præſumant. Diſtrictiùs inhibentes, nè quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta hujuſmodi obtinentes, ut præfertur, quacumque ſit ſuper hoc auctoritate munitus, de hujuſmodi beneficiis ſic reſervatis (ut præfertur) diſponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel aliàs innovare quoquo modo præſumat. Ut autem non ſolùm dignis, ſed magìs idoneis repertis juxta ejuſdem Concilii Decretum Parochiales Eccleſiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ſi Epiſcopus minus habilem poſthabitis magis idoneis elegerit, poſſint ii, qui rejecti fuerint à mala electione hujuſmodi ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, uti noſtrum, & Sedis hujuſmodi delegatum, aut alius ad ipſam Sedem Apoſtolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipſo appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare, & conſtito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis, magìs idoneo per eumdem judicem appellationis auctoritate noſtra (quatenus collatio ad Epiſcopum, à quo appellatum fuit, ſpectaret) conferatur, aliàs eidem magis idoneo per judicem appellationis approbato conferenda, remittat ad eum, ad quem collatio, proviſio, vel inſtitutio ſpectabit. Hæc tamen appellatio interpoſita interim non impediat, aut ſuſpendat, quo minùs electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & proviſus, ab eadem Eccleſia, cauſa appellationis hujuſmodi dependente non amoveatur. Et ſi quis à Sententia per Judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipſam Apoſtolicam appellabit.

bit. Si ſecus in præmiſſis omnis, & ſingulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane =.

2 Examen requiſivit Sacrum Concilium, non ſolùm in quibuſcumque beneficiis-ſimplicibus Jurisſpatronatus, ut vidimus ſuperiùs *Canon I.* ſed etiam, & quidem ſpecialiùs in Beneficiis curatis, tam liberis, quam Patronalibus; Ratio autem eſt, quia Curati de Jure Divino tenentur paſcere oves ſibi commiſſas Verbi Dei prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & bonorum operum exemplo, juxta Chriſti Domini præceptum = *Paſce Oves meas* = in littore Maris Tiberiadis D. Petro impoſitum. *Joann.* 21. *& idem Tridentinum cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *de reform.* Et ſunt duces aliorum, ideoque illuminati eſſe debent, ut aliis præluceant. Sed quia hæc præſtari nequeunt niſi illi, qui præficiuntur Parochialibus Eccleſiis, ſint ætate, ſcientia, prudentia, bonis moribus, ac aliis ad gubernandam Eccleſiam opportunis imbuti; dum ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt; & ſæpè ſæpiùs videmus, ac experientia conſtat, quod illiterati, & imperiti, ac turpiter, & ſcandaloſè viventes Parochialium Eccleſiarum Rectores ſacris minus apti ſunt officiis, & propter eorum vitæ turpitudinem, nihil eſt, quod Eccleſiæ Dei magis officiat; ideò Sapientiſſimi Patres prudentiſſimè in hoc *Canone* nunquam ſatis laudabili, reſtringendo Collatorum antiquam libertatem, certam adjecerunt formam; ſtatuerunt nempè rigóroſum examen per concurſum, modo, & forma ibidem ſtabilita, non ſolùm in Parochialibus liberis, ſed etiam Jurisſpatronatus Eccleſiaſtici, injungendo nimirùm Examinatoribus Synodalibus, quod diligenter inquirant, & examinent Nominatos à Patrono Eccleſiaſtico ſuper eorum vita moribus, Doctrina, ac ætate; patrono verò Eccleſiaſtico, quod præſentet Epiſcopo ad Eccleſiam Parochialem vacantem, quem inter approbatos ab Examinatoribus idoniorem judicaverit; In Parochialibus autem Jurisſpatronatus Laicorum decreverunt examen præſentati à Patrono Laico abſque hujuſmodi concurſu. Sic quodammodo inhærendo veſtigiis Innocentii III., qui in *Can. nihil de electione.*, præſcripſit examen illius, qui ad curam animarum aſſumendus eſt, ibi = *Nihil eſt quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen Animarum; Volentes igitur huic morbo neceſſariam adhibere medelam, irrefragabili conſtitutione ſancimus, quatenus cùm quiſquam ad regimen animarum fuerit electus, is, ad quem pertinet ipſius confirmatio, diligenter examinet, & electionis proceſſum, & Perſonam electi: ut cum omnia ritè concurrerint, munus ei confirmationis impendat: quod ſi ſecùs fuerit incautè præſumptum, non ſolùm deiiciendus eſt indignè promotus, verùm etiam indignè promovens puniendus. Ipſum quoque decernimus hac animadverſione puniri, ut cum de ipſius conſtiterit negligentia, maximè ſi hominem inſufficientis ſcientiæ, vel inhoneſtæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approbaverit, non ſolùm confirmandi primum ſucceſſorem illius careat poteſtate, verùm etiam (nè aliquo caſu pœnam effugiat) à perceptione proprii Beneficii ſuſpendatur, quouſque (ſi æquum fuerit) indulgentiam valeat promereri. Si verò convictus fuerit in hoc per malitiam exceſſiſſe, graviori ſubjaceat ultioni &c.* = Idem repetit in *cap. cum ſit ars de ætat. & qualit.*, ibi = *Cum ſit ars artium regimen Animarum, diſtrictè præcipimus, ut Epiſcopi promovendos in Sacerdotes diligenter inſtruant, & informent, vel per ſe ipſos, vel per alios idoneos viros ſuper divinis officiis, & Eccleſiaſticis Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare; Quam ſi de cætero rudes, & ignaros ordinare præſumpſerint (quod quidem facilè poterit deprehendi) & ordinatores, & ordinatos ultioni gravi decernimus ſubjacere. Sanctius enim eſt (maximè in ordinatione Sacerdotum) paucos bonos, quàm multos malos habere miniſtros, quia ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur* = Et idem ſtatuitur etiam in *cap.* 1. *de verb. ſignific. in* 6. ſuperiùs per extenſum relat. *Part. II. Can. XIV. & XV. Caſ. VIII. n.* 13. Ob quam rationem Alexander etiam Tertius in *cap. eam te de ætat. & qualit.* ſtrictè prohibuit Epiſcopis inſtituere in Eccleſiis Parochialibus Perſonas ſcientiam, mores, ac ætatem congruam non habentes, ibi = *Arctius inhibemus, nè perſonas, quæ in Eccleſiis tui Epiſcopatus ad curam Animarum fuerint ordinandæ in ipſis inſtituas, nec aliqua occaſione, vel etiam Litterarum noſtrarum obtentu inſtitui patiaris, quæ ſcientia, moribus, & ætate Concilii non congruant inſtitutis* =.

Quoad has Concluſiones infraſcripti examinantur caſus.

AR-

ARGUMENTUM.

Concurſus factus coram Examinatoribus electis in Synodo, quæ fuit ſuſpenſa, an ſuſtineatur; Et de requiſitis neceſſariis ad validitatem Concurſus. Et an, & quando ſit locus provocationi ad novum Examen.

SUMMARIUM.

1 *Concurſus requiritur in Parochialibus de jure patronatus Eccleſiaſtico*; Limita, ut ibi.

2 *Non verò in Parochialibus de jurepatronatus laicali*. Limita, ut ibi.

3 *Neque in Parochialibus de jurepatronatus mixto*. Limita, ut ibi.

4 *Enumerantur requiſita neceſſaria ad validitatem concurſus in Parochialibus de jurepatronatus Eccleſiaſtico*; & n.5.6.7.16.17.19.21.23.25.

7 *Examinatores Synodales, quas qualitates habere debent, ad hoc, ut validè coram ipſis fieri poſſit concurſus*. Vide ibi, & num. 8.9.10.

11 *Juramentum præſtari poteſt ab Examinatoribus Synodalibus etiam extra Synodum*.

12 *Officium Examinatorum Synodalium quamdiù duret?* Vide ibi.

13 *Si ex ſex Examinatoribus Synodalibus aliqui, vel omnes fuerint intrà annum ſuæ electionis demortui, quid facere debeat Epiſcopus?* Vide ibi.

14 *Concurſus eſt validus, ſi fiat examen coram Examinatoribus in locum defunctorum ſubrogatis, dummodo per eos fuerit præſtitum conſuetum juramentum; ſecus ſi tale juramentum fuerit ab eis omiſſum, vel inter ipſos, & ab eis approbatos intercesſerit ſimonia*, & n.15.

18 *Si contingat contemporanea vacatio plurium Parochialium, ad omnes quidem indici debet concurſus prævia affixione diſtinctorum edictorum pro unaquaque Eccleſia, non tamen Epiſcopus tenetur ſeparata peragere examina*.

20 *Concurſus non vitiatur, ſi concurrentes admiſſi ſint ad actum examinis non unitim, ſed in manſionibus ſeparatis*.

22 *Epiſcopus, in actu approbandi, vel reprobandi nullum votum habet deciſivum, ſed ſolùm jus accedendi; ad validitatem autem hujuſmodi adhæſionis, quid requiratur?* Vide ibi.

24 *Patronus ſi præſentaret ante nominationem plurium Perſonarum, & ante approbationem in concurſu, præſentatio eſſet nulla*.

26 *Ad Epiſcopum ſpectat eligere digniorem intrà approbatos, quando agitur de Eccleſiis Parochialibus liberis, aut jurispatronatus vacantibus in menſibus reſervatis*.

27 *Præelectio Dignioris, ſeu idonioris, poteſt etiam fieri à Vicario Apoſtolico à Summo Pontifice deputato ob ingraveſcentem ætatem Epiſcopi, & hæc ſuſtinetur ad excluſionem præelectionis factæ ab Epiſcopo ſene*.

28 *Concurſus factus coram Examinatoribus electis in Synodo, quoad ejus Conſtitutiones, & decreta, ſuſpenſa ſuſtinetur*.

29 *Simplex præſentia alicujus non Synodalis in examine, apta non eſt invalidandi concurſum*.

30 *Epiſcopus non tenetur inchoare examen ſtatim elapſo termino edicti, ſed poteſt illud differre ad ſui libitum, dummodo intrà quatuor, vel ſex menſes reſpectivè à die vacationis, examen expediatur*.

31 *Ad validitatem concurſus non requiritur, quòd expleatur per vota ſecreta*:

32 *Quando non conſtet de mala Præelectione*. Vide ibi, & num.33.

34 *Licitum eſt cuilibet ab irrationabili judicio Epiſcopi appellare*.

35 *In beneficiis curatis appellatio à præelectione, ſeu ab irrationabili judicio Epiſcopi non cauſat effectum ſuſpenſivum, ſecus in beneficiis non curatis*, ut n.36.

37 *Poſtpoſitus ab Epiſcopo in concurſu provocare valet præelectum ad novum examen, illudque eſt ipſi decernendum à Judice appellationis in Urbe*; Amplia, ut ibi, & n.38.

39 *Præſentatus à Patrono laico, ad Eccleſiam Parochialem, ſi in examine fuerit reprobatus, poteſt ab hac reprobatione ſe appellare, & eſt locus novo examini delegando in Curia*.

40 *Ad*

40 *Ad hoc, ut Judex appellationis decernere valeat novum examen, requiritur quod appellans det aliquem ſumum irrationabilitatis, & malæ præelectionis Epiſcopi.*

41 *Appellans ab irrationabili judicio Epiſcopi duram provinciam aggreditur.*

42 *Examen per concurſum requiritur etiam in beneficiis non Parochialibus, quando iſta ex lege fundationis conferenda ſint per concurſum.* Amplia, ut ibi.

CASUS I.

VAcata Eccleſia Parochiali A de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, ſpectante ad inſtitutionem cujuſdam Abbatis, fuit ab Epiſcopo convocatus concurſus, & intrà terminum decem dierum fuerunt plures à Patrono nominatæ Perſonæ coram Examinatoribus electis in ultima Synodo Diœceſana, quæ fuit à Sacra Congregatione Concilii quo ad Conſtitutiones, & decreta ſuſpenſa. Longè poſt decendium in edicto appoſitum fuit expletum examen, cum interventu non ſolùm dictorum Examinatorum, verùm etiam cujuſdam Canonici, qui tamen, nec examinavit, nec ſuffragium dedit; quo peracto Examinatores per vota publica approbarunt, & commendarunt Epiſcopo inter concurrentes, Titium, & Sempronium; Epiſcopus autem præelegit Titium, quem Patronus præſentavit præfato Abbati poſthabito Sempronio; qui prætendit nullum, non ſolùm concurſum, ſed etiam præelectionem, & eſſe locum provocationi ad novum Examen. Quero proindè in hoc Caſu.

Primò = *An conſtet de nullitate concurſus* =.

Secundò = *An conſtet de mala præelectione* =.

Tertiò = *An ſit locus provocationi ad novum examen* =.

Quoad primum videtur reſpondendum affirmativè; Ad validitatem namque concurſus neceſſarii quidem in Parochialibus de jurepatronatus Eccleſiaſtico juxta ſecundam concluſionem in *Commentario* deductam, niſi in limine fundationis de conſenſu legitimi ſuperioris fuerit excluſus *Garz. de beneſ. par.9. cap.2. numer.*270. *& ſeq. Barboſ. hic n.*147. non ve-
2 rò requiſiti in Parochialibus de jurepatronatus Laicali, juxta tertiam Concluſionem ibidem pariter deductam; niſi fortaſſe Patronus Laicus plures accumulativè præſentaret, tunc enim inter ipſos præſentatos deberet fieri examen per concurſum. *Gonzal. ſuper regul.*8. *cancell. gloſſ.*6. *n.*138. *Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. par.*2. *annot.*5. §.1.*n.*6. *Card. de Luc. de Paroch. diſc.*7. *n.*10. Minuſque
3 requiſiti in Parochialibus de jurepatronatus mixto. *Vivian. de jurepat. lib.*10. *cap.*1. *n.*34. *Barboſ. hic num.*144. *Card. de Luc. de Paroch. diſc.*15. *num.*3. *Monacell. formul. legal.*14. *tit.*5. *n.*1. *par.*1. niſi juſpatronatus magìs participet de Eccleſiaſtico, quam de Laicali. *Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. par.*2. *annot.*5. §.1. *n.*6. Ad validitatem inquam hujuſmodi concurſus plura requiruntur.

4 Requiritur primò quod ille, qui inſtituit concurſum ſit Epiſcopus, aut etiam alius inferior, qui tamen habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ac jus congregandi Synodum *Barboſ. hic num.*45. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*5.§.1. *n.*22. *ibiq. Carol. Anton. de Luc. n.*3.

5 Requiritur ſecundò, quod Epiſcopus proponat publicum Edictum concurſus, ad valvas Eccleſiæ Parochialis, aut in alio loco conſueto, ac in eo præfigat terminum decem dierum, concurrentibus ad ſua nomina deferenda, & deſcribenda, & poſtea hunc terminum non proroget ultra alios decem dies. *Barboſ. hic n.*65. *& ſeqq. & de Paroch. par.*1. *cap.*2. *num.*40. *Antonell. de regim. Eccleſ. lib.*3. *cap.*5. §.2. *n.*8. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*5. §.1. *num.*14. *& ſeq. Card. de Luc. de Paroch. diſc.*37. *num.*6.*& ſeq. Monacell. formul. legal.*10. *tit.*5. *num.*4. *par.*1. Non tenetur tamen Epiſcopus proponere edictum cum præfixione termini, decem, aut viginti dierum ſtatim à die notitiæ vacationis Eccleſiæ Parochialis, ſed eſt in arbitrio Epiſcopi illud proponere, quando ipſi opportunum videbitur, dummodò id fiat intrà ſemeſtre, ſi Parochialis vacaverit in ſuo menſe, vel intrà quadrimeſtre ſi vacaverit in menſe reſervato, ut teſtatur *Fagnan. in cap. cùm ſit ars num.*42. *& ſeqq. de ætat. & qualit. Barboſ. hic n.*57.

6 Requiritur tertiò; quod Epiſcopus, aut Patronus intrà terminum præfixum de-

decem dierum, aut prorogatum viginti dierum, plures perſonas idoneas nominat ad concurſum, & hoc requiritur de forma; liberum eſt etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre. *Fagnan. in d. cap. cùm ſit ars n.18. de ætat. & qualit. Lotter. de re benef. lib.2. quæſt.31. n.52. & ſeq. Ventrigl. in prax. par.2. annot.5. §.1. num.13. Monacell. formul. legal.14. n.1. tit.5. par.1. Rot. dec.102. n.3. & dec.80. n.11. coram Ubago*; ita ut appellatio interpoſita ab ipſis Patronis, vel ab eiſdem nominatis prætendentibus alios ad concurſum admitti non debere, concurſum aliàs legitimè inſtitutum impedire non poteſt, ut reſolvit S. Congregatio Concilii in *Florentina 22. Aprilis 1599. lib.9. pag.66.*

7 Requiritur quartò, quod Examinatores, qui examinare debent nominatos à Patrono; aut concurrentes, & deſcriptos intrà terminum præfixum, aut prorogatum ſint legitimi, nimirum, quod ſint electi, & approbati in Synodo Diœceſana quolibet anno celebranda ad minus ſex, nam ſi fuerint electi solùm quatuor, aut quinque, & coram his fieret examen; hoc eſſet nullum. *Ventrigl. in prax. p.2. annot.5. §.1. num.32. & 34.*, & quidem

8 quod ſint electi, & deputati in Synodo vera, & formali congregata per Epiſcopum, & Clerum ad tractandum de reformatione, & regimine Eccleſiæ, nam ſi congregaretur Clerus, ad alium finem, & ibi eligerentur Examinatores, iſti non dicerentur Synodales, & examen coram ipſis factum, eſſet nullum *Ventrigl. ubi ſupra n.31. Card. de Luc. in annot. ad Concil.*

9 *diſc.32. n.6.* Quod ſint Magiſtri, aut Doctores, aut licentiati in Theologia, vel jure Canonico, ſi extent, & in horum defectum ſunt alii Clerici, aut Sacerdotes eligendi, qui ad id ſint magìs idonei. *Barboſ. hic num.103. & de Paroch. par.1. cap.2. num.73. Ventrigl. in prax. par.2. annot.5. §.1. n.36.* Quod præſtent jura-

10 mentum, ſe quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros, aliàs ſi fieret concurſus coram Examinatoribus, qui non juraverint, concurſus eſſet nullus *Barboſ. hic n.105. & de Paroch. par.1. cap.2. num.76. & ſeq. Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.3. cap.5. n.3. Ventrigl. ubi ſupra num.37. & ſeqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.32. n.8. & de Paroch. diſc. 37. num.14.* Quod juramentum præſtari poteſt ab Examinatori-

11 bus Synodalibus etiam extra Synodum, & non eſt neceſſe, quod præſtetur in Synodo. *Barboſ. hic n.105. Pignattell. conſul.13. n.2. tom.1.*

12 Officium autem horum Examinatorum Synodalium in Synodo deputatorum durat, donec alii in alia nova Synodo deputati fuerint, ſed ſi elapſo anno aliquis ex eis mortuus fuerit, omnium officium expirat *Fagnan. in cap. cùm ſit ars de ætat. & qualit. n.54. Barboſ. hic n.94. Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.3. cap.5. n.2.*

13 Si ex ſex Examinatoribus aliqui fuerint intrà annum ſuæ electionis demortui, poteſt Epiſcopus alios, eo anno durante, in locum mortuorum eligere cum approbatione Capituli; ſi omnes ſex fuerint demortui intrà annum, debet ex antiquis Examinatoribus Synodalibus, ſi fuerint, eligere non pauciores, quàm ſex, & ſi non exiſtant omnes ſex examinatores antiqui Synodales, tunc Epiſcopus eligat illos, qui fuerint, & alios ſuppleat de novo, approbatos tamen à Capitulo uſque ad numeri præfati complementum. Verùm ſi nulli examinatores antiqui Synodales ſuperſtites fuerint, tunc Epiſcopus novos examinatores idoneos qui à Capitulo approbati ſint, non pauciores quàm ſex ſubſtituat, qui debent ſupradictum juramentum præſtare, & habere qualitates requiſitas à Concilio, & quorum officium durat uſque ad tempus celebrandi novam Synodum, ut declaratum fuiſſe à Clemente VIII. teſtantur *Barboſ. hic n.93. Fagnan. in cap. cùm ſit ars de ætat. & qualit. n.45. Antonell. de regim. Eccleſ. lib.3. cap.5. n.2. Ventrigl. in prax. par.2. annot.5. §.1. n.41. & ſeqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.32. n.7. Pignattell. conſult.119. n.1. tom.1.*

14 Adeout ſi fiat examen coram Examinatoribus in locum defunctorum ſubrogatis, & approbatis à Capitulo, ac præſtito per eoſdem Examinatores conſueto juramento, concurſus eſt validus, ut declaratum fuit à S. Congregatione Concilii in *Satrianen. Concurſus 28. Junii 1704. & in Abellinen. Concurſus 28. Febr. 1711.*

15 Secùs ſi fiat examen coram iſtis examinatoribus ſubrogatis, non præſtito priùs per

per eos juramento fideliter exequendi munus, aut ſi conſtet, quod interceſſerit Simonia inter dictos examinatores, & approbatos ab eis, tunc enim concurſus eſſet nullus, & eſſet deveniendum ad novum examen, ut fuit reſolutum ab eadem S. Congregatione in *Pennen. Concurſus* 23. *Junii* 1708., ubi poſt vacationem Parochialis Eccleſiæ S. Silveſtri Loci Cermignani Pennen. Diœceſis, indicto concurſu per Epiſcopum, quatuor fuerunt concurrentes, Nicolaus Adrianus, qui ex quinque Examinatoribus, qui cum licentia ſuppoſita quidem, & non exhibita, S.Congregationis interfuerunt, quatuor favorabilia vota reportavit; Joſeph Sebaſtianus,& Joannes Adrianus ſinguli tria, atque Joſeph de Caſtellis duo dumtaxat. Peracto examine renuit Epiſcopus prælectionis judicium proferre ſub pluribus aſſertis motivis nullitatis dicti concurſus, quod nempe Examinatores præviè ad examen haud juraverint ad Sancta Dei Euangelia ſeſe fideliter munus executuros, quod inſuper iidem examinatores non palàm inter ſe, ſed per ſuffragia ſecreta, vota ſua protulerint; quod tandem inter eumdem Nicolaum Adrianum, & nonnullos ex Examinatoribus ſimoniaca labes interceſſerit. Unde propoſito dubio ad inſtantiam prædicti Nicolai Adriani = *An conſtet de nullitate concurſus, itaut ſit deveniendum ad novum examen* = reſponſum fuit *Affirmativè*.

16 Requiritur quintò, quòd in examine interſint ſaltèm tres Examinatores Synodales, & quod non interveniat alius examinator extraneus, ſeu non Synodalis, qui ſimul ſuum ſuffragium det, ac referat ſuper vita, moribus, ac Doctrina, aliàs concurſus eſſet nullus. *Fagnan. in cap. cùm ſit ars de ætat. & qualit. n.*55. *Barboſ. hic n.*78. *& ſeq. & num.*102. *& de Paroch. par.*1. *cap.*2. *n.*71. *Pignattell. conſult.* 21. *n.*1. 4. *&* 11. *tom.*3. *& conſult.* 77. *n.* 50. *tom.* 9. *Antonell. de regim. Eccleſ. lib.*3. *cap.*5. *n.*1. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*5. §.1. *num.*28. *& ſeqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.*32. *n.*13.

17 Sextò requiritur, quod omnes deſcripti examinentur ſuper ſcientia, vita, & moribus,& prudentia, ab Epiſcopo, & eo impedito ab ejus Vicario Generali, & ab Examinatoribus Synodalibus, elapſo termino præfixo; adeò tamen, ut ſi fiat examen adhuc durante termino, non proindè concurſus ex hoc capite eſt nullus, ſi nemo compareat poſt examen, qui ſe ob id læſum prætendat, vel ſi compareant alii, & iſti etiam examinentur ante relationem Examinatorum, & electionem Epiſcopi. *Fagnan. in cap. cùm ſit ars n.*18. 48. *& ſeq. Antonell. de regim. Eccleſ. lib.*3. *cap.*5. §.2. *n.*12. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*5. §.1. *n.*19. *& ſeq. Monacell. formul. legal.* 10. *tit.*5. *n.*5. *par.*1.

18 Et ſi contingat contemporanea vacatio plurium Parochialium, ad omnes quidem indici debet Concurſus prævia affixione diſtinctorum edictorum pro unaquaque Eccleſia; non tamen Epiſcopus tenetur ſeparata peragere examina; ſed concurſus abſolvi poteſt unico concurrentium examine; quia finis, & ratio, propter quam Concilium requirit examen eſt, ut Eccleſia à dignis, atque idoneis Parochis gubernetur, ut diximus in *Commentario*; Cum autem Epiſcopus de majori, vel minori idoneitate, & habilitate concurrentium ad omnes Parochiales eodem tempore vacantes rectè valeat ſe certiorem reddere, judiciumque efformare abſque minima læſione conciliaris diſpoſitionis, mediante unico examine, hinc eſt,ut adimpleto primario fine per Concilium volito, curari non debet de materialitate plurium examinum literaliter non requiſitorum in ſimultanea plurium Eccleſiarum vacatione, ut reſolutum fuit à S. Rota *in Majoricen. Parochialis de Manacor* 2. *Julii* 1708. §. *utroque cum ſeq. coram R. P. D. Omanna*, & 22. *Febr.* 1709. §. *Diſcurſus cum ſeqq. cor. R.P.D. Aldrovando*.

19 Septimo requiritur, quod elapſo termino Edicti Epiſcopus inchoet quidèm examen, ſed illud eodem die non claudat, quando plures fuerunt deſcripti, ſed ſunt expectandi, vel vocandi, alioquin vitiatur concurſus, ſi unus tantùm ex deſcriptis examinetur, & his non citatis, neque expectatis claudatur concurſus. *Antonell. de regim. Eccleſ. lib.*3. *cap.*5. *n.*10. *Maſſobr. in prax. haben. concurſ. requiſit.*3.

20 *dub.* 10. Non vitiatur tamen concurſus ſi concurrentes admiſſi ſint ad actum examinis in manſionibus ſeparatis, non au-

tem unitim, prout in concurſibus aliarum Parochialium practicatum fuit, ut reſolvit S. Congregatio Concilii in *Æſina concurſus* 1. *Decembris* 1708.

21 Peracto examine, requiritur octavò, quod Examinatores Synodales ſimul congregati, & collegiativè, cum Epiſcopo, aut eo impedito cum Vicario Generali dent ſua vota; quæ non eſt neceſſe, ut dent ſecretè, ſed ſufficit, imò magis expediens eſt, quod illa ferant publicè, & deindè referant Epiſcopo; aut ejus Vicario Generali, quos idoneos repererint, & quos non, *Fagnan. in cap. eam te n.*15. *& ſeq. & in cap. cùm ſit ars num.*10. *de ætat. & qualit. Barboſ. hic n.*110. *& ſeqq. Tondut. quæſt. beneſ. cap.*59. *num.*1. *tom.*1. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*5. §.1.*n.*46. 52. *& ſeq. Antonell. de regim. Eccleſ. lib.*3. *cap.*5. *n.*4. *Card. de Luc. annot. ad Concil. diſc.*32. *n.*9. *&* 11. *& de Paroch. diſc.*37. *num.*19. Adeout in actu approbandi, vel

22 reprobandi Epiſcopus, vel eo impedito, Vicarius Generalis, nullum votum habet deciſivum; ſed ſolum jus accedendi; Ad validitatem autem hujuſmodi adhæſionis, ſeu ad hoc, ut Epiſcopus, vel Vicarius legitimè accedere poſſit, requiritur paritas votorum, ſeu quod omnes examinati ab examinatoribus ſint pares in votis, ſi enim unus ex examinatis habeat ultra dimidiam, e. g. ſi unus ex examinatis fuerit à duobus examinatoribus approbatus, & ab uno reprobatus, & alius pariter fuerit à duobus approbatus, & ab uno reprobatus, & tertius fuerit à tribus examinatoribus approbatus; Epiſcopus, aut ejus Vicarius non poteſt accedere habenti paritatem votorum, ommiſſo tertiò habente ultra dimidiam, ſeu habente tria vota, ſed iſte approbatus à tribus examinatoribus eſt inſtituendus. *Pignatell. conſult.*125. *per tot. tom.*4. *Barboſ. hic n.*115. *& ſeq. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſcept.*211. *num.*14. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.* 5. §.1. *n.*51. *Card. de Luc. de Paroch. diſc.*37. *n.*25.

23 Facta relatione ab Examinatoribus Synodalibus eorum, qui fuerint idonei approbati, in Parochialibus de jurepatronatus Eccleſiaſtico, ſi inſtitutio ſpectat ad Epiſcopum, requiritur nonò, quod Patronus eligat inter approbatos idoneum, aut magìs idoneum, & illum præſentet Epiſcopo, qui eum inſtituere debet intrà duos menſes à die præſentationis, aliàs inſtitutio devolvitur ad Metropolitanum, aut viciniorum Ordinarium, aut ad Sedem Apoſtolicam arbitrio Patronorum juxta Conſtitutionem Pianam, & tradit *Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.* 3.

24 *cap.* 5. *n.* 28. *in fin.* Adeò ut ſi Patronus præſentaret ante nominationem plurium perſonarum, & ante approbationem in concurſu, præſentatio eſſet nulla *Barboſ. hic nu.* 143. *& de Paroch. par.*1. *cap.*2. *ſub nu.*124. *Rot. deciſ.* 80. *nu.*8. *& ſeqq. & deciſ.* 102. *nu.*5. *& ſeq. coram Ubag.*

25 Si verò inſtitutio ſpectet ad inferiorem, tunc requiritur, quod Epiſcopus eligat idoniorem, quem Patronus præſentare debet inferiori, etſi ſecus fiat, inſtitutio eſt nulla. *Barboſ. hic nu.*141. *Gratian. diſcept.* 211. *nu.* 32. *& ſeq. Pignatell. conſult.* 78. *nu.* 11. *tom.* 9. Sicuti ad

26 Epiſcopum ſpectat eligere digniorem, & idoniorem inter approbatos ab Examinatoribus Synodalibus, quando agitur de Eccleſiis Parochialibus liberis, aut jurispatronatus vacantibus in menſibus reſervatis, quem præeligere poterit etiam extra locum examinis. *Fagnan. in cap. Eam te nu.* 21. *&* 24. *& in cap. Cùm ſit ars de ætat. & qualit. n.*52. *Barboſ. hic n.*120. *&* 140. *Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.*32. *n.*17. *& ſeq. & de Paroch. diſc.*37. *n.* 26.

27 Hujuſmodi prælectio dignioris, ſeu idonioris poteſt etiam fieri à Vicario Apoſtolico in Diœceſi à Summo Pontifice deputato ob ingraveſcentem ætatem Epiſcopi, & hæc ſuſtinetur ad excluſionem prælectionis factæ ab Epiſcopo ſene, ut deciſum fuit à S. Congregatione Concilii in *Foroſempronien. prælectionis ad Parochialem* 16. *Novembris* 1709. ubi vacata Eccleſia Parochiali S. Andreæ Caſtri Laureti de menſe Martii, Epiſcopus concurſum per edictum ſubſcriptum à Vicario indixit habendum vel coram ipſo, vel coram eodem Vicario Apoſtolico, ob ejuſdem Epiſcopi ingraveſcentem ætatem juſſu Summi Pontificis illi Diœceſi præpoſito. Poſt itaque publicatum, & affixum edictum ſub die 3. ejuſdem menſis cum termino decem dierum, habitus fuit, & abſolutus concurſus coram dicto Vicario Apoſtolico, ac tribus Exa-

Examinatoribus Synodalibus ſub die 13. ſæpedicti menſis. Septem fuere concurrentes, quos inter Regius, Coppa, & Battellus omnium Examinatorum favorabilia vota unuſquiſque reportavit, reliqui verò, cum duorum tantùm Examinatorum ſuffragiis, inter approbatos recenſiti extiterunt. Succeſſivè ſub die 15. ejuſdem menſis idem Epiſcopus utì magis dignum prælegit præfatum Coppam, mandavitque ad ejus favorem Bullas expediri, quemadmodum fuerunt expeditæ cum ſubſecuta poſſeſſione. Sed eademmet die Vicarius Apoſtolicus vigore ſuarum facultatum proteſtatus fuit in Cancellaria Epiſcopali Bullas fore expediendas ad favorem Regii tanquam magis idonei, qui ſimilem proteſtationem emiſit appellando, & pro nulla redarguendo prælectionem Epiſcopi. Unde quæſitum fuit = *An ſuſtineatur prælectio Vicarii Apoſtolici, ſive potius prælectio, & ſucceſſiva proviſio, Epiſcopi in caſu &c.* = cui S. Congregatio reſpondit = *Affirmativè quoad primam, & negativè quoad ſecundam partem* =

Hoc præſuppoſito; in caſu præſenti, concurſus, de quo agitur, qualificatus non videtur ſupradictis omnibus requiſitis, & conſequenter apparet nullus; fuerunt namque in eo adhibiti Examinatores electi non in vera, & formali Synodo, ſed electi in Synodo, quæ fuit ſuſpenſa: interfuit in examine alius, qui non erat Examinator Synodalis; & examen fuit expletum longè poſt decendium in edicto appoſitum, ac approbatio, & reprobatio concurrentium fuit facta ab Examinatoribus per vota publica.

His tamen non obſtantibus cenſeo præfatum concurſum eſſe validum; fuit namque in eo obſervata forma præſcripta à S. Concilio Tridentino in hoc *Canone*, & à Conſtitutione S. Pii V., dum in eo fuerunt adhibiti tres Examinatores Synodales, fuerunt propoſiti caſus ab Epiſcopo, & Examinatores ſuum officium expleverunt in interrogationibus, & in ſcrutinio reſponſionum.

28 Quin attendi mereatur, quod Examinatores non erant Synodales, ex quo Synodus, in qua fuerunt electi, fuerit à Sacra Congregatione Concilii ſuſpenſa; quoniam qualitas Examinatorum Synodalium nequit impugnari, cum illi deputati appareant in Synodo Diœceſana, quæ licèt fuerit à dicta Sacra Congregatione ſuſpenſa, tamen ſuſpenſio fuit quoad Conſtitutiones, & Decreta, non verò quoad deputationem Examinatorum; ut reſcripſit Sacra Congregatio Concilii in *Iſclana Parochialis* 23. *Julii* 1718., ubi cùm quidam Sacerdos rejectus in concurſu habito occaſione collationis Parochialis Eccleſiæ S. Spiritus Suburbii Celſæ in Civitate Iſclana, impugnaverit eumdem concurſum, inter cætera præſertim ex eo, quod examen fuerit factum ab Examinatoribus deputatis in Synodo, quæ fuit ſucceſſivè quoad ejus Conſtitutiones ſuſpenſa, non obſtante ſimili exceptione concurſus declaratus fuit validus. Et quidem hanc qualitatem faſſus fuit idemmet Sempronius ab Epiſcopo poſtpoſitus, qui cum ſe ſubjecerit judicio dictorum Examinatorum, in his illum concurrere agnovit, ac proindè eam impugnare non valet. *Rota in Pampilonen. Parochialis apud Garz. de benef. p.9. cap.2. n. 89. in fin.*

29 Minuſque officit, quod interfuerit in examine quidam Canonicus extraneus, ſeu qui non erat Examinator Synodalis, quoniam ille non examinavit, nec ſuffragium dedit, nec relationem fecit, ſed ſolùm ſimpliciter interfuit in examine; non enim ſimplex præſentia alicujus non Synodalis eſt apta invalidandi concurſum; ſed ad hunc effectum requiritur, quod idem extraneus ſimul examinet, votum ſuum det, ac referat juxta quintum Requiſitum ſuperiùs relatum, & tradit *Pignattell. conſult.* 21. *n.*5. & 11. *tom.*3.

30 Neque adverſatur, quod examen fuerit expletum longè poſt decendium e. g. elapſis tribus menſibus, & ultra à die expirati termini in edicto appoſiti, quia terminus decem, vel viginti dierum, qui præfigitur in hujuſmodi edictis non eſt ad perficiendum examen, ſed dumtaxat ad hoc, ut Patroni nominare valeant plures perſonas idoneas ad examen, vel ad convocandum eos, qui concurrere voluerint. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *qu.* 31. *nu.* 48. & *ſeq. Ventrigl. in prax. p.* 2. *annot.* 5. §. 1. *n.* 15. ibi = *Nec Epiſcopus tenetur incboare examen ſtatim elapſo termino edicti, ſed poteſt illud differre ad ſui libitum, dummodo intrà quatuor, vel ſex menſes*

menſes reſpectivè à die vacationis, *examen expediatur* = *Maſſob. in prax. haben. concurſ. requiſit.3. dub.*10. *n.*1. *& ſeq.*

Denique non obſtat, quod Examinatores in exquirendis qualitatibus Oppoſitorum non proceſſerint per ſuffragia ſe-
31 creta; Quoniam ad validitatem concurſus non requiritur, quòd explentur per vota ſecreta, immò magìs expedit, ut Examinatores palàm inter ſe ſua vota conferant, ut teſtantur *Garz. de benefic. p.9. cap.*2. *n.*107. *Barboſ. de offic. & poteſt. Paroch. p.*1. *cap.*2. *n.*68. & aliæ auctoritates ſuperiùs relatæ §. *Peracto*, & reſolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in *Monopolitana concurſus* 13. *Maji* 1713. ubi non obſtante, quòd examen fuerit expletum longè poſt decendium, & Examinatores proceſſerint per ſuffragia publica, fuit definitum concurſum eſſe validum.

32 Deſcendendo nunc ad ſecundum Dubium reſpondeo, non conſtare in hoc caſu de mala præelectione; Perpenſis namque omnibus, & ſingulis Oppoſitorum qualitatibus, præelectio magìs juſta, congrua, & rationabilis dari non poteſt: Siquidem Titius eſt major ætate, diutiùs inſervivit Eccleſiæ, pluries ad animarum curam fuit approbatus; ipſe eſt vitæ innocentia, bonis moribus, prudentia, zelo, & ſedulitate in ſacris gerendis imbutus. E contra Sempronius licèt ſit approbatus habilis ad hanc Parochialem ratione literaturæ; tamen deficiunt in eo ſupradictæ qualitates; ac proindè Epiſcopus rationabiliter præelexit Titium in Curatum dictæ Eccleſiæ Parochialis, dum imbutus bonis moribus, prudentia, zelo, licèt minùs doctus, præferendus eſt æquè docto, aut doctiori, cujus mores non ſint approbati. *Garz. de benefic. par.* 9. *cap.* 2. *n.* 111. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.*4. *n.* 112. *Card. de Luc. de Paroch. diſcurſ.* 1. *n.*19. *& diſc.*6. *n* 4. *Rot. deciſ.*5. *n.*4. *& ſeq. coram Celſo*, *& in Albanen. Archipresbyteratus* 2. *Junii* 1702. §. *Præterea coram R. P. D. Anſaldo*, *& in Lunen. Sarzanen. Parochialis* 14. *Januar.* 1707. §. *Si autem cum ſeq. coram R. P. D. Omanna*; Et attentis his qualitatibus emicantibus potius in præelecto, quàm in poſtpoſito, Sacra Congregatio Concilii in Abellinen. concurſus 28. Febr. 1711., & in *dicta Monopolitana concurſus* 13. *Maji* 1713. reſcripſit, non conſtare de mala præelectione.

33 Inſuper Titius totius populi curæ affectionem habet, illumque gentes omnes gratitudine, & benevolentia proſequuntur; è conversò Sempronius parum gratus hominibus illis, veluti non adeò illibatæ famæ in illorum opinione exiſtens, reperitur; quòd pariformiter rationi omninò conſonam Epiſcopi præelectionem convincit, cùm in ſeligendis Paſtoribus, ii ſemper præferendi ſint, qui populi affectione, & gratitudine potiantur, & è contra rejiciendi ſint, qui perſonis parùm grati ſunt, & in eorum mala opinione verſantur, dum promiſcua, & continua deſideratur dilectio inter Populum, & Rectorem. *Card. de Luc. de Paroch. diſc.*1. *nu.*19. *diſc.*2. *nu.*4. *diſc.*3. *nu.*11. *diſc.*137. *nu.*27. *Rot. in dicta Albanen. Archipresbyteratus* 29. *Januarii* 1703. §. *Parum*, *&* §. *Conſpirabat coram R. P. D. Anſaldo*; *& proſequitur Rot. in dicta Lunen. Sarzanen. Parochialis* 14. *Januar.* 1707. §. *Et denique coram R.P.D. Omanna.*

34 Ad tertium denique Dubium ſuperiùs propoſitum, videtur reſpondendum, eſſe locum provocationi ad novum examen; Clara namque eſt Conſtitutio S. Pii V. in *Commentario* relata, juxta quam licitum eſt cuilibet ab irrationabili judicio Epiſcopi appellare, & præelectum provocare ad novum examen coram Judice appellationis, adeò ut Poſtpoſitus appellare poteſt à præelectione, ſeu ab irrationabili judicio Epiſcopi, non quidem in ſuſpen-
35 ſivo, ſed tantùm in devolutivo, dum in beneficiis Curatis appellatio à præelectione, ſeu ab irrationabili judicio Epiſcopi non cauſat effectum ſuſpenſivum, nec impedit præelectum, quò minùs poſſeſſionem Parochiæ apprehendat. *Fagnan. in cap. Eam te nu.* 28. *& in cap. cùm ſit ars n.* 51. *&* 53. *de ætat. & qualit. Barboſ. hìc nu.*154. *&* 156. *Antonell. de regim. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 5. §. 6. *nu.* 51. *&* 53. *Tondut. quæſt. beneſ. cap.*59. *n.*2. *tom.* 1. *Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſcept.* 211. *n.* 11. *Pignattell. conſult.* 77. *nu.* 52. *tom.* 9. *Rot. deciſ.* 178. *n.* 6. *p.*18. *rec. & deciſ.*24. *n.*7.
36 *coram Celſo*. Quamvis in aliis beneficiis non curatis, ſed ſimplicibus, etiam juriſpatronatus, ad quorum conſecutionem requiritur quoque examen, ut ſupra vidimus

dimus *Canon. I.*, detur appellatio ſuſpenſiva à relatione, ſeu reprobatione Examinatorum, & Epiſcopi. *Rot. deciſ. 338. n. 3. & ſeq. coram Bich. & deciſ. 66. n. 9. coram Otthobon. & deciſ. 155. n. 3. p. 10. rec.*

37 Ac etiam idem Poſtpoſitus ab Epiſcopo in concurſu provocare valet præelectum ad novum examen coram Judice appellationis, qui illud decernere debet, & præelectus tenetur ſe ſubjicere novo examine coram Judice hic in Urbe, quamvis rejectus priùs non doceat de irrationabili judicio Epiſcopi, ut docet, & quampluribus reſolutionibus S. Congregationis Concilii probat *Fagnan. in cap. Eam te de ætat. & qualitat. n. 31. & ſeqq. Barboſ. hìc n. 157. Card. de Luc. in annot. ad S. Concil. diſc. 32. nu. 24. & de Paroch. diſc. 7. nu. 3. & 8. Rot. deciſ. 24. n. 5. & 13. coram Celſo; & deciſ. 9. n. 2. & ſeq. & deciſ. 10. n. 4. poſt Monacell. Formul. legal. tom. 4. & in Lunen. Sarzanen. Parochialis* 14. *Janu.* 1707. §. *Non enim coram R. P. D. Omanna, & in Comen. Præpoſituræ* 13. *Maji* 1707. §. *Clara coram eodem*, & reſolutum fuit ab eadem S. Congregatione Concilii in dicta *Iſclana Parochialis* 23. *Julii* 1718. *ad ſe-*

38 *cundum.* Ac non obſtantibus diſtantia loci, ingraveſcentia ætatis Oppoſitorum, & ingruentia bellorum, nam Conſtitutio Piana decernit provocationem ad novum examen coram *ipſo appellationis Judice fieri poſſe*, quæ verba præſentiam appellati neceſſariò requirunt. *Rota deciſ. 263. nu. 4. coram Peutinger. & deciſ. 5. nu. 14. & deciſ. 24. n. 13. & ſeq. coram Celſo, & in Placentina Parochialis* 25. *Februar.* 1707. §. *Abſoluta, uſque ad fin. coram R. P. D. Anſaldo, & in dicto Comen. Præpoſituræ* 13. *Maji* 1707. §. *Quodque coram Omanna*.

39 Imò ipſemet Præſentatus à Patrono laico, ſi in examine fuerit reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus, ab hac reprobatione poteſt ſe appellare, & eſt locus novo examini delegando in Curia, ſi per documenta doceat de ſua idoneitate, ut reſcripſit S. Congregatio Concilii in *Nucerina Paganorum Parochialis* 20. *Septembris* 1704., ubi quidam Sacerdos præſentatus à Patronis ad beneficium Curatum Terræ Angriæ Nucerinæ Diœceſis de jurepatronatus laicorum, dum inſtitutionem peteret ab Ordinario, fuit in examine tamquam inſufficiens ab Examinatoribus Synodalibus reprobatus per ſententiam, per quam etiam declaratur illum non eſſe ad dictum beneficium inſtituendum, ſed idem Sacerdos appellationem ab ea interpoſuit, exhibendo plura documenta de ſua idoneitate, & remiſſa cauſa ad dictam S. Congregationem, ac diſputatis in ea dubiis; Primo = *An ſit locus novo examini, & quatenus affirmativè.* Secundo = *An, & cui ſit delegandum* = placuit ipſi reſpondere ad primum *Affirmativè*; ad ſecundum *In Curia*.

40 Verùm his minimè attentis exiſtimo in hoc caſu non eſſe locum provocationi ad novum examen. Etenim, licèt ad effectum, ut Judex appellationis decernere valeat novum examen, non requiratur, quod appellans priùs doceat de irrationabili judicio Epiſcopi; requiritur tamen, quod det aliquem fumum irrationabilitatis, & malæ præelectionis Epiſcopi; e. g. quod Poſtpoſitus probet ſe eſſe æqualiter approbatum, & demonſtret etiam per fides extrajudiciales ſe eſſe magìs qualificatum, Præelectum eſſe familiarem Epiſcopi, eſſe inviſum populo, eſſe infamatum de incontinentia, fuiſſe aliquando inquiſitum, aut probet Epiſcopum ante examen concurrentium animum ſuum propalaſſe velle gratificare electo, aut prohibuiſſe Examinatoribus relationem facere in ſcriptis, prout fieri ſolet, ſed juſſiſſe ſibi verbaliter referri, quinam ex concurrentibus eſſent idonei; ex his enim omnibus ſuſpecta redditur electio, & præſumitur Epiſcopus talem eligendo non rationis tramitem ſequutus fuiſſe, ſed paſſionis affectum. *Fagnan in cap. Eam te de ætat, & qualit. num. 39. & ſeq. Monacell. Formul. legal. 1. tit. 15. n. 21. p. 2. Card. de Luc. de Paroch. diſc. 7. nu. 9. Rot. in Comen. Præpoſituræ* 13. *Maji* 1707. §. *Clara coram R. P. D. Omanna.* In caſu præſenti Sempronius poſtpoſitus nullum fumum dat de irrationabilitate judicii Epiſcopi; imò ex ſupradictis apparet præelectionem non poſſe eſſe magis juſtam, ac rationabilem, & conſequenter ipſi non eſt decernendum novum examen.

41 Advertere autem debet Appellans ab irrationabili judicio Epiſcopi ſe duram provinciam aggredi, tum quia cauſam appellationis proſequi tenetur in judicio Ordi-

Ordinario per tres ſententias conformes, tum quia etiam ſi probaret ſe eſſe magìs qualificatum in literatura, gradu, nobilitate, ætate, non proindè convinceret judicium, ſeu prælectionem Epiſcopi de irrationabilitate, quia illud interponi potuit ab Epiſcopo ob alias qualitates exiſtentes in Prælecto, quæ non exiſtunt in Poſtpoſito, eo quia e. g. prælectus ſit vitæ magìs exemplaris, prudentior, magìs gratus, & proficuus Parochianis. *Fagnan. in dicto cap. Eam te de ætat. & qualit. n. 32. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſc. 211. n. 1. Pignattell. conſult. 118. nu. 4. & ſeqq. tom. 1. Card. de Luc. de benef. diſc. 69. n. 14. & in annot. ad Concil diſc. 32. n. 20. Monacell. Formul. legal. 2. tit. 15. n. 22. p. 2.*

42 Et hìc nota, quod examen per concurſum non ſolùm requiritur in beneficiis Parochialibus; verùm etiam in beneficiis non Parochialibus, quando ex lege fundationis, aut ex alia diſpoſitione hujuſmodi beneficia ſimplicia conferenda ſint per concurſum adinſtar Parochialium, etiam ſi vacent in menſibus reſervatis, ſi lex fundationis ſit Beneplacito Apoſtolico munita, ut reſolutum fuit à S. Rota in *Derthuſen. Beneficii 22. Junii 1705. per tot. coram. R.P.D. Omanna.*

ARGUMENTUM.

An neceſſarius ſit Concurſus in proviſionibus Parochialium de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, quando per conſuetudinem ferè immemorabilem illæ ſolitæ fuerint provideri abſque Concurſu.

SUMMARIUM.

1 *Decretum irritans adjectum in diſpoſitione Conciliari, & Conſtitutioni Piana deſtruit, & prohibet omnem deſuetudinem, & contraventionem.*

2 *Immemorabilis numquam ſublata cenſetur, niſi per mentionem, & derogationem ſpecialem.* & num. 9. & 17.

3 *Immemorabilis obſervantia negativa concurſus in Parochialibus an ſit impoſſibilis, tam ante, quàm poſt Concilium*, & n. 4. & n. 10.

5 *Non eſt neceſſarius concurſus in Parochialibus de jurepatronatus Eccleſiaſtico, quando illæ per tempus ferè immemorabile conſueverint provideri abſque concurſu.* & n. 11. & 17.

6 *Conſuetudo ferè immemorabilis negativa concurſus, maximè ſi ſit introducta cum ſcientia, & patientia Papæ, præſumere facit Summum Pontificem voluiſſe obſervari Conciliarem concurſum in Parochiali.*

7 *Publica fama, & opinio, quod in proviſione Parochialis non ſit neceſſarius concurſus, probat eamdem Parochialem eſſe vel ex lege fundationis, vel ex privilegio Apoſtolico ab eo exemptam.*

8 *Enumerantur Caſus, in quibus non eſt neceſſarius concurſus in beneficiis Curatis.* & n. 18.

10 *Non omne initium excludit immemorabilem.*

12 *Obſervantia centenaria, & ferè immemorabilis dupliciter ſumi poteſt, & quomodo?* Vide ibi.

13 *Decretum irritans, quamvis inficiat obſervantiam centenariam in linea præſcriptionis, non inficit tamen illam in linea poſſibilitatis allegandi quemcumque titulum meliorem de mundo.* & n. 14.

15 *Quod Parochialis fuerit ab immemorabili collata abſque concurſu, prævio dumtaxat examine ſolius præſentati, ex quibus probetur?* Vide ibi, & n. 16.

CASUS II.

Per tempus ferè immemorabile Eccleſia Parochialis A de jurepatronatus Eccleſiaſtico fuit proviſa abſque ullo concurſu, ſolum ad nominationem Patroni, prævio examine ſuper doctrina, & qualitatibus ſolius præſentati; Prætendit nunc Epiſcopus, eadem Eccleſia vacante, illam conferre cum indictione concurſus, acriter contradicente Patrono; Quæritur an neceſſarius ſit concurſus in proviſione hujus Eccleſiæ, quando ferè ab immemorabili illa ſolita fuit provideri abſque concurſu?

Præceptor meus, ut audivi, dum apud ipſum ſtudebam, credit eſſe omnino ſervandam formam concurſus in Parochialibus de jurepatronatus Eccleſiaſtico, etiam ſi illæ ſinè concurſu ab immemorabi-

bili conſueverint provideri; Movetur ad ita ſentiendum ex eo, quia Concilium Tridentinum in hoc *Canone* proceſſit per viam novæ legis, tradendo novam formam in proviſionibus Eccleſiarum Parochialium, & conſequenter ſtatus antiquus dicitur immutatus, & alter de novo in poſterum introductus, ita ut nulla etiam immemorabilis inobſervantia ſuffragari poſſit ad tollendam hanc novam formam providendi propter decretum irritans adjectum in diſpoſitione Conci-
1 liari, & in Conſtitutione Piana, quod omnem deſtruit, ſeu prohibet deſuetudinem, & contraventionem juxta *Rot. deciſ.* 192. *n.* 10. *p.* 18. *rec. & in Novarien. Parochialis Loci Ciſti ſuper manutentione* 27. *Januar.* 1710. §. *fin. coram Eminentiſſimo Priolo*; ibi ⵌ *Quod ſi eo, vel magìs procedit, dum aſſiſtentia juris, quam habet Reverendiſs. Epiſcopus pro indicendo concurſu fundatur in diſpoſitione S. Concilii Tridentini ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 18. *& Conſtitutionis* 33. *B. Pii V. à quibus tamquam munitis decreto irritanti, contraria, ſi quæ adeſſet, poſſeſſio, infecta remaneret* ⵌ

2 Neque obſtare dicit ipſe rationem illam, quòd immemorabilis nunquam ſublata cenſeatur, niſi per mentionem, & derogationem ſpecialem, quam proindè, ſi Concilium non expreſſit, dicitur præſervaſſe, exemplo aliorum decretorum ipſius Concilii, quæ, ubi voluerunt, im-
3 memorabilem ſpecialiter derogarunt.

Quoniam reſpondet diſtinguenda eſſe tempora; Aut volumus deſumere immemorabilem *à parte antea*, ſcilicet antequam ſupervenerit hujuſmodi diſpoſitio Conciliaris, & hoc eſt impoſſibile, quia impoſſibile eſt, quod naſci potuerit conſuetudo, ſeu præſcriptio excluſiva formæ concurſus, antequam naſceretur ipſa forma concurſus, quia quod natum non eſt, præſcribi non valet, nec datur conſuetudo contra ſubjectum in rerum natura non præexiſtens, nec immemorabilis unquam eſt allegabilis quo ad ea, quæ ſuperveniunt de novo. *Rot. deciſ.* 150. *n.* 2. *verſic. Imò lib.* 1. *coram Puteo, & deciſ.* 386. *n.* 32. *coram Bich. & in Novarien. Parochialis Loci Ciſti ſuper bono jure* 27. *Januar.* 1710. §. *Hinc coram Eminentiſſimo Priolo*. ibi ⵌ *Hic autem tollitur qualibet ambigendi anſa, dum ex ſupra recenſitis actibus, nè dum non concluditur, ſed imò prorſus excluditur prætenſa immemorabilis, quæ ſicuti dici nequit introducta ante Concilium, cujus ſanctione dumtaxat præſcripta fuit forma providendi Parochiales per concurſum, ideoque proviſiones antea factæ ſinè concurſu, allegari ad hunc effectum non merentur* ⵌ

4 Aut verò deſumere volumus immemorabilem *à parte poſtea*, ſcilicet poſt Concilium, & eſt pariter impoſſibile, quia dato initio, non amplius datur immemorabilis, ſed ſolùm centenaria; iſta autem nec minus allegari valet, quia decretum irritans, quo munitur Concilium Tridentinum, & Conſtitutio Piana, adeò irritat omnem contrarium actum, ut non permittat ullo tempore, aliquam inchoari poſſe conſuetudinem, vel præſcriptionem, etiam centenariam, ut animadvertunt *Card. de Luc. de juriſdict. diſc.* 95. *n.* 7. *& ſeq. Pignattell. conſult.* 134. *n.* 16. *tom.* 1. *Garz de benef. p.* 5. *cap.* 4. *n.* 179. *& ſeq. & p.* 9. *cap.* 2. *n.* 345. *in fin. Rot. deciſ.* 317. *n.* 12. *& ſeqq. p.* 16. *& deciſ.* 32. *n.* 18. *& deciſ.* 192. *n.* 10. *p.* 18. *rec. & deciſ.* 572. *n.* 101 *& ſeqq. coram Cerro*.

5 At his non obſtantibus cenſeo in proviſione hujus Eccleſiæ Parochialis Patronalis, non eſſe ſervandam formam concurſus in hoc *Canone* præſcriptam; fuit namque hæc Eccleſia ab initio ſuæ fundationis uſque nunc, & ſic per lapſum pluſquam centum annorum ſemper proviſa abſque ulla indictione concurſus, prævio tantum examine ſolius præſentati, quæ obſervantia negativa pluſquam centenaria, & ferè immemorabilis præſumere facit dictam Eccleſiam vigore legis fundationis, aut alterius tituli melioris de mundo eſſe exemptam ab hujuſmodi concurſu; quia ſi non fuiſſet taliter exempta, Epiſcopi pro tempore, qui præſumuntur cordi habere obſervantiam Decretorum Concilii, non permiſiſſent per tanti temporis ſpatium, eam conferri abſque concurſu. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 18. *à n.* 45. *& gloſſ.* 33. *n.* 4. *Gratian. diſcept. forenſ.* 578. *n.* 11., & in terminis *Rot. deciſ.* 52. *n.* 2. *coram Ubago, & in Novarien. Parochialis, ſeu Vicariæ S. Martini* 2. *Julii* 1706. §. *Nibilominus coram R.P.D. Anſaldo* ibi ⵌ *Nihilominus quoties ſuper accedat*

dat in contrarium immomorabilis conſuetudo nuſquam , ut diximus , factæ indictionis concurſus, nuſquam practicati examinis, hoc totum tribuendum erat titulo præſumptivo conceſſionis Pontificiæ &c. Cùm conſuetudo immemorabilis , vel centenaria verè præſcripta , ſecum ferat facultatem allegandi omnem, & quemcumque titulum (ut dicunt noſtri Doctores) meliorem de mundo = Et *in Novarien. Parochialis* 16. *Decemb.* 1707. §. *Atque hinc coram eodem* ibi = *Atque hinc faciliùs ſternebatur altera via , in qua citrà fluctuationem , junctim reliqui Domini ambulabant , nempe quòd in omnem caſum eximeret collationem hujus Curæ à quolibet Conciliari , ſeu Piano concurſu , immemorabilis negativa conſuetudo* = Et in *Legionen. Parochialis* 11. *Januarii* 1706. §. *Quibus coram R. P. D. Kaunitz inferiùs legen.*

6 Imò hæc eadem negativa conſuetudo ferè immemorabilis præſumere facit, Papam reſpectu dictæ Parochialis Conciliarem concurſum ſervari noluiſſe , quia veriſimile non eſt in adeò longævo temporis decurſu nullam contigiſſe vacationem in menſibus reſervatis , ut ponderavit *Rot. deciſ.* 661. *n.* 11. *p.* 19. *rec. & in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Indubitantius coram R. P. D. Anſaldo*; & cùm non afferatur ullus concurſus factus ad hanc Eccleſiam Parochialem , veriſimile eſt , quòd ea fuerit proviſa à Sede Apoſtolica in menſe reſervato , quo vacavit, abſque concurſu, cum ſolo examine Proviſi Apoſtolici , ex quo ſequitur reſpectu hujus Eccleſiæ per non uſum ceſſare diſpoſitionem hujus *Canonis* , non obſtante decreto irritanti , quia proviſio hujus Eccleſiæ facta abſque concurſu cum ſcientia , & patientia Papæ præſumere facit Summum Pontificem , quo ad dictam Eccleſiam derogare voluiſſe huic Decreto , & ab hujus diſpoſitione recedere *Card. de Luc. de juriſdict. diſcept.* 53. *n.* 5. *& de Paroch. diſc.* 25. *n.* 5. *& de Regul. diſc.* 49. *n.* 13. §. *Pro iſto. Rot. dec.* 194. *n.* 17. *& ſeq. p.* 4. *tom.* 2. *rec.*

In idem coincidit animadverſio illa , quòd in tanti temporis decurſu numquam fuit dicta Parochialis ab ullo impetrata in Dataria Apoſtolica jure devoluto ob non ſervatam formam concurſus, prout impetrari permittitur à Conſtitutione Piana , quod præſumere facit eſſe publicam famam , & opinionem omnium, quòd in ejuſdem Eccleſiæ proviſione non

7 ſit neceſſarius concurſus, quæ publica fama , & opinio juncta cum poſſeſſione plusquam centenaria probat eamdem Eccleſiam vel ex lege fundationis , vel ex Privilegio Apoſtolico eſſe exemptam ab hujuſmodi concurſu *Card. de Luc. de jurepat. diſc.* 57. *n.* 16. *Gratian diſc.* 78. *n.* 35. *Rot. dec.* 314. *n.* 9. *p.* 6. *& dec.* 207. *n.* 6. *p.* 7. *rec.*

Abſque eo , quod hujuſmodi conſuetudo negativa ferè immemorabilis dici

8 valeat irrationabilis , dum videmus in pluribus caſibus non eſſe neceſſarium concurſum ; nimirum in beneficiis Curatis unitis , in beneficiis Curatis Regularibus , quæ conferuntur in titulum juxta diſpoſitionem Tridentini *cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* vel in beneficiis Curatis Regularibus , quæ ſæcularibus commendari conſueverunt ; in permutationibus , quæ fiunt de beneficio ſimplici , & Curato , in reſignationibus Parochialium factis in manibus Papæ ; in Parochialibus de jurepatronatus laicali , vel quæ ſint valde exigui redditus , ut nemo ſit , qui ſe examini quærat ſubjicere ; in dignitatibus , aut Canonicatibus habentibus curam Animarum annexam *Fagnan. in cap. Cùm ſit ars de ætat. & qualit. n.* 22. *& ſeqq. & in cap. Cùm ad noſtram de elect. n.* 22. *& ſeqq. Garz. de benef. p.* 9. *cap.* 2. *n.* 195. *& ſeq. Ventrigl. in prax. p.* 2. *annot.* 5: §. 2. *n.* 11. *cum ſeqq. Pignattell. conſult.* 78. *num.* 79. *tom.* 9. *Barboſ. hìc num.* 25. *& de Paroch. p.* 1. *cap.* 2. *n.* 23. *Gonzal. ſuper regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 6. *num.* 121. *Vivian. de jurepat. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 54. 63. *& ſeqq. Tondut. quæſt. benef. p.* 3. *cap.* 187. *num.* 3. *& ſeqq. tom.* 2. *Rot. in Novarien. Parochialis , ſeu Vicariæ S. Martini* 2. *Julii* 1706. §. *Abſque eo coram R. P. D. Anſaldo ; & in dicta Legionen Parochialis* §. *Multoque magìs inferiùs impreſſa , & in Novarien. Parochialis Loci Ciſti* 27. *Januar.* 1710. §. *Majorem coram Eminentiſs. Priolo .* Ergo non eſt, cur etiam Parochiales , quæ per tempus ferè immemorabile ſinè concurſu , conſueverint provideri , abſque eodem concurſu conferri ſucceſſivè non debeant .

Reſpondendo autem ad motiva contrariæ opinionis mei Præceptoris, admittitur

titur Concilium in hoc *Canone* induxiſſe novam formam providendi Parochiales; ſed cum in eo non legatur expreſſa derogatio contrariæ conſuetudinis immemorabilis, aut ferè immemorabilis; ſicuti legitur in *Canone I.* ubi præſcribitur ſimplex examen in beneficiis ſimplicibus Patronalibus, cenſetur illam voluiſſe præ-
9 ſervare; tanta enim eſt vis immemorabilis, ut illa, niſi ſpecificè abrogetur verbis quantumvis generalibus, & effrenatis numquam ſublata cenſeatur. *Rota deciſ.* 257. *num.* 5. *coram Ubaldo*, *& deciſ.* 32. *nu.* 4. *coram Celſo*, *& deciſ.* 52. *nu.* 7. *coram Ubago*.

10 Quin valeat reſponſio, quod ſit impoſſibile dari in hoc caſu immemorabilem; Quoniam licèt ſit impoſſibile dari immemorabilem *à parte antea*, ſeu ante Concilium ob rationem ibi expreſſam, tamen non eſt impoſſibile dari *à parte poſtea*, ſeu poſt Concilium; ſiquidem non omne initium excludit immemorabilem, ſtare enim benè poſſunt ſimul initium, & immemorabilis, ut pluribus exemplis probat *Card. de Luc. de alienat. diſc.* 3. *n.* 21. *Rot. deciſ.* 214. *nu.* 3. *& ſeq. lib.* 2. *p.* 3. *diverſ. & deciſ.* 243. *lib.* 3. *p.* 3. *diverſ. nu.* 2. *& ſeq.* Et quidem non deſunt Doctores, qui docent, quòd poſſeſſio centum annos excedens dicatur immemorabilis, ita enim de poſſeſſione centum, & octo annorum, quòd immemorabilis dicatur ſcripſit *Socin. jun. conſ.* 7. *ex nu.* 16. *lib.* 3. & de poſſeſſione centum, & viginti annorum, quòd immemorabilis dicatur, tradit *Jaſon. conſ.* 208. *nu.* 8. *lib.* 2. & poſſeſſionem etiam centum, & triginta annorum, eſſe immemorabilem, firmavit *Natta conſ.* 446. *nu.* 11. *& conſ.* 456. *nu.* 14. & quòd poſſeſſio centum, & quadraginta annorum dicatur immemorabilis, tradunt *Buratt. conſ.* 160. *lib.* 1. *Socin. jun. conſ.* 76. *n.* 57. 73. 90. *lib.* 1. *Natta conſ.* 446. *nu.* 11. *& conſ.* 456. & in poſſeſſione 174. annonorum docet *Decian. conſ.* 40. *n.* 54. *vol.* 1. præſumitur namque, quòd tanto tempore elapſo, non poſſit hominum memoria extare, quod eſt de ſubſtantia immemorabilis, ut hæc omnia refert *Caſtill. controv. jur. lib.* 5. *cap.* 93. §. 8. *num.* 52. *& ſeqq.*

11 Sed etiam per hypotheſim ommiſſo, quod ſit impoſſibile dari immemorabilem *à parte poſtea*; ſeu poſt Concilium, & quod ſolùm ſit poſſibilis poſt Concilium centenaria; adhuc dicendum eſt vigore iſtius negativæ obſervantiæ centenariæ, aut plus quàm centenariæ, & ferè immemorabilis; non eſſe neceſſarium concurſum in proviſione hujus Eccleſiæ Parochialis, non obſtante Decreto irritante, quod continent omnia Decreta Concilii per confirmationem Pii IV., & Conſtitutio Piana.

12 Quoniam præſupponendum eſt obſervantiam centenariam, & ferè immemorabilem ſumi poſſe in linea preſcriptionis, ſeu utì præſcriptivam contrarii uſus, & deſtructivam formæ concurſus demandatæ à Concilio in proviſionibus Parochialium de jurepatronatus Eccleſiaſtico, & in linea poſſibilitatis allegandi legem fundationis excluſivam concurſus, aut Privilegium Apoſtolicum, ſeu ut illativam legis fundationis excluſivæ concurſus, aut alterius tituli, ut animadvertit *Card. de Luc. de Regul. diſc.* 51. *nu.* 12. *& de alienat. diſc.* 3. *n.* 14. *& ſeq.*

13 Quamvis Decretum irritans inficiat, & irritet poſſeſſionem, ſeu obſervantiam centenariam in linea præſcriptionis, ſeu utì præſcriptivam, & deſtructivam diſpoſitionis Conciliaris, juxta auctoritates in contrarium relatas, quibus addo *Fagnan. in cap. Cùm olim n.* 37. *&* 53 *de majorit. & obed. & in cap. Non amplius nu.* 30. *& ſeq. de inſtit. Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 67. *n.* 12. *& ſeqq. Bonden. collect. legal.* 4. *volum.* 2. *num.* 166. *Card. de Luc. de præem. diſc.* 7. *n.* 28. *& in annot. ad Sac. Concil. diſcurſ.* 1. *nu.* 16. *& diſc.* 22. *nu.* 7. *& de Pa-*
14 *roch. diſc.* 14. *n.* 4. *Rot. deciſ.* 597. *n.* 2. *p.* 9. *tom.* 1. *rec.* Tamen non inficit, nec annullat obſervantiam centenariam, & ferè immemorabilem, ut illativam poſſibilitatis legis fundationis excluſivæ formæ concurſus, ſeu non impedit vim, & efficaciam, ſeu facultatem allegandi legem fundationis, aut alium titulum meliorem de mundo, quàm antiquiſſimum tempus tribuit *Card. de Luc. de alienat. diſcurſ.* 2. *n.* 8. *& de benef. diſc.* 65. *nu.* 18. *& de Paroch. diſc.* 24. *num.* 14. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 18. *à n.* 45. *Gratian. diſcept. forenſ.* 578. *n.* 11. *Rot. in Novarien. Parochialis*, *ſeu Vicariæ S. Martini* 2. *Julii* 1706. §. *Nihilominus coram R.P.D. Anſaldo*,

ſaldo, *& in Novarien. Parochialis* 16. *Decembris* 1707. §, *Atque hinc coram eodem.*

R. P. D. KAUNITZ

Legionen. Parochialis.

Lunæ 11. *Januarii* 1706.

SEcuta vacatione Parochialis Eccleſiæ *de Taranillo* ſitæ intrà limites Archidiaconatus de Zea, Archidiaconus in vim juris, quo gaudet præſentandi ad Beneficia ſui Archidiaconatus, Matthiam Garziam de Torres ad illam præſentavit, qui prævio examine, lataque ſententia contra Procuratorem Fiſcalem Tribunalis Eccleſiaſtici ab Ordinario Legionen. fuit inſtitutus, & in poſſeſſionem ejuſdem Parochialis immiſſus. Adversùs quem inſurgente Jacobo Fernandez Prieto ſub prætextu, quod proviſio Parochialis devoluta eſſet ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, ex quo non fuiſſet ſervatus concurſus in Parochialibus de jurepatronatus Eccleſiaſticorum exquiſitus à Sac. Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap.*18., & per Bullam ſan. mem. Pii V. in ordine *la* 33., idem Jacobus ex hoc capite Parochialem impetravit; Et licèt Matthias ſub clypeo immemorabilis conſuetudinis non ſervandi concurſum in Parochiali, de qua agitur niteretur excludere Jacobum, nihilominùs, quia informia dumtaxat documenta ad hunc effectum adducebantur per tres vices coram bo. mem. Pio, noſtrum Tribunal coactum fuit reſpondere pro executione litterarum Apoſtolicarum Jacobi.

Donec Defenſores Matthiæ opportunius inſiſtentes Cauſæ defenſioni mihi committi à Signatura Juſtitiæ curarunt cauſam appellationis à ſententia lata per memoratum bon. mem. Pium, & incontinenti in eadem nimirum Audientia, in qua coram me reſponſum fuit, procedendum eſſe ad legitimam executionem litterarum Apoſtolicarum Jacobi inſteterunt pro litteris remiſſorialibus, & compulſorialibus ad finem legitimè juſtificandi prædictam immemorabilem non practicandi concurſum, & ſuper petitis favorabilem reſolutionem obtinuerunt, ut ex Deciſione ſuper Remiſſoria, edita 7. Decembris 1703., compilatoque utroque Proceſſu, tam compulſoriali, quàm remiſſoriali, eoque ad Urbem tranſmiſſo, cùm perſpectum fuiſſet non extitiſſe tranſmiſſa ſimul cum litteris remiſſorialibus Judici Delegato etiam Interrogatoria data ex parte Jacobi, ex quo eædem litteræ jam Portitori conſignatæ fuerant, cum Interrogatoria fuerant in actis allata, hinc Rota ſub die 6. Junii 1704. reſcripſit = *Dilata, & iterum examinentur Teſtes cum Interrogatoriis Partis*, cujuſmodi decreto plenariè adimpleto, & hinc indè partibus jura ſua validè deducentibus reſponſum fuit = *Recedendum à deciſis*.

15 Ex teſtibus quippè formiter examinatis conſtitit Parochialem, de qua agitur, ab immemorabili fuiſſe collatam ad ſimplicem nominationem Archidiaconi, prævio dumtaxat examine ſuper qualitate, doctrina, & ſufficientia ſolius Præſentati; Deponunt enim, quod ipſi ultra ſpatium 40. Annorum viderint fieri proviſiones abſque concurſu,& audiviſſe à ſuis majoribus ita fuiſſe practicatum retroactis temporibus, quin nec ipſi, nec ſui majores quidquam audiverint in contrarium, nec aliter etiam rem eſſe potuiſſe, quin hoc ſciverint, reddentes cauſam, ex quo ſunt Advocati, & Notarii Curiæ Eccleſiaſticæ Legionen. Unde juncta eorum provecta ætate, bona qualitate, de qua etiam deponit Judex remiſſorialis, plenè probant controverſam immemorabilem ad præſcript. *gloſſ. in cap.*2. *verbo memoria de præſcript. in* 6. *Mareſcot. var. reſolut. lib.*3. *cap.*100. *num.*19. *& ſeqq. Saminiat. contr.*22. *n.*27. *Rot. deciſ.*690. *num.*2. *cor. Cerro*, *& dec.*116. *num.*55. *coram Zarat. & dec.*472: *n.*19. *par.*19. *rec.* Eoque magìs cùm id etiam reſultet ex alio conſimili, ac formali examine quinque Teſtium peracto uſque de anno 1685. ac legitimè compulſato ex authenticis libris nuncupatis de Bezerro per Notarios, & Officiales Legionen. cuſtoditis, qui cum ultra deponant de ſpecialibus actibus, in quibus, opponentibus Promotoribus Fiſcalibus, præfata immemorabilis fuit in contradictorio Judicio canonizata, inficiari non poteſt, quin novi Teſtes, juncto dicto antiquo examine aliorum, quàm maximè conducant ad intentum Præſentati

tati ab Archidiacono, ut de Teſtibus fomentum recipentibus ab aliorum examine facto in ſimili cauſa ſequitur *Rota deciſ.360. num.9. par.5. rec. & in Romana Immiſſionis 28. Januarii proximè præteriti §. Indubitantius, coram R. P. D. meo Omaña*, & de lite mota cum ſubſequuta ſuccumbentia Promotorum Fiſcalium moleſtantium firmat *Pariſ de Confid.qu.28. num.259. Garz. de Benefic. part.5. cap.9. n.106. & ſeqq. & in Melevitana Juriſpatron.31. Martii 1702. §. Etenim, coram R.P.D. meo Scotto*.

16 Iſtæque Teſtium qualificatæ depoſitiones validiſſimè apparuerunt corroboratæ ex plurimis ſcripturis compulſatis, ex quibus conſtitit collata fuiſſe Beneficia ad ſolam præſentationem Archidiaconi, nulla facta mentione concurſus, abſque eo quod nè quidem ulla afferri potuerit proviſio, in qua ille fuerit ſervatus; ex hoc enim datur intelligi, verè prædictum concurſum nunquam ſervatum fuiſſe, cùm alioquin Epiſcopi ſatis vigiles in curanda obſervantia Decretorum Concilii Tridentini tendentium in augmentum propriorum jurium, non omiſiſſent per adeò longum tempus, ac in tot ſequutis vacationibus illum indicere, ac ad actum perducere, *R.P.D.meus Anſald. in addit. ad dec.78. num.71. coram eodem Rot. in Neritonen. juriſpatronatus ſuper bono jure 26. Februarii 1703. §. Nec ad eruendum coram R. P. D. meo Priolo, & in Cremonen. Beneficii 11. Maji 1705. §. Nec proviſioni coram Me*.

Nec debilitari valuit enunciatum examen Teſtium, ex quo fuerit peractum extra terminum duorum menſium à die conſignationis factæ Portitori, ac ex eo, quod dum Teſtes ſe referunt ad collationes, nec minus fidem promereantur, legitimè non compulſatis; ac allatis enunciatis collationibus, quidquid enim Cauſæ Notarius extra ſphæram proprii officii aſſerere conatus fuerit, placuit DD. terminum duorum menſium incipere debuiſſe à die præſentationis litterarum remiſſorialium faciendæ Judici delegato, nam tempus duorum menſium alioquin eſſet nimis breve, detracta enim medietate, quæ penè abſumitur in itinere, non ſupereſt tempus ſufficiens, tam ad examinandum, quàm ad danda Interrogatoria Teſtibus, qui nec ad libitum quandoque conduci poſſunt, quinimò cùm ad reprobandum detur terminus unius menſis eſſet longior primo, quod non eſt admittendum, quare inſequendo potiùs praxim Curiæ tempus incipere ſolùm debet à die conſignationis faciendæ in partibus *Ridolphin. in prax. par.1. cap. 12. num.10.* fortius cum Teſtes bis ſuppoſiti fuerint examini, ac in hoc ſecundo fuerint data interrogatoria, proindèque non eſt adeò facienda reflexio lapſus termini à die conſignationis Portitori, dum principalis eſſentia examinis conſiſtit in interrogatoriis Partis, non autem, an terminus aſſignatus ex cauſa lapſus fuerit, cùm videamus etiam ſufficere teſtes intrà illum juraſſe, etiam in caſu, quo eſt certa temporis computatio, quamvis poſt terminum fuerint examinati, *Rot. dec.1228. num.7. coram Coccin.* Datio enim interrogatoriorum ſemper reputata fuit talis efficaciæ, ut noſtrum Tribunal plerumque ex ejus motivo ſumpſerit arbitrium pro ſananda nullitate examinis Teſtium, quamvis pars, quæ dedit interrogatoria fuerit proteſtata de non conſentiendo in juriſdictionem, & examen, *Adden. ad Buratt. dec.518. num.19. Manz.conſult.275. num.15*.

Collationes autem, ſententiæ, cæteraque documenta, ad quæ ſe referunt Teſtes, jam fuerunt compulſata in prima expeditione, contra quæ cùm nihil fuiſſet oppoſitum, ſicuti geſtum fuit contra Teſtes, quos ob id opus fuit repetere cum Interrogatoriis Partis, quæ in primo examine fuerant omiſſa, ſuperfluum fuit ad iteratum actum devenire, cùm niſi doceatur clarè, & incontinenti de nullitate prioris compulſationis, numquam debeat ad novam deveniri. *Rot. dec.1358. n.4. coram Emerix*.

17 Quibus præmiſſis facilè negocium fuit aſſequi, quàm incongrua, ac inſubſiſtens fuerit prætenſio irrelevantiæ prædictæ immemorabilis conſuetudinis, cùm planum ſit eamdem ſuffragari etiam contra citatam ſanctionem Conciliarem, ac Bullam Pianam ſuper indictione concurſus, quemadmodum firmat *Pilaja dec.Pontific. lib.3. deciſ.1. n. 144. circa finem, Rota deciſ.52. ex num.2. ad 8. coram Ubag. & in Novarien. Parochialis, ſeu Vicariæ S. Martini*

tini 22. *Junii* 1705. §. *Et nihilominus*, & *in eadem ſuper manutentione* §. *Non reſultante, coram R.P.D. meo Caprara*, & quidem non obſtante decreto irritanti, ac clauſula ſublata adjecta in confirmatione Concilii, ac in Bulla Piana, ex quibus prætendebatur, infectam remanſiſſe tam antecedentem, quàm ſubſequutam poſſeſſionem, quia per decretum quantumvis deſtructivum contrariarum conſuetudinum nunquam cenſetur ſublata immemorabilis, niſi de ea fiat ſpecifica mentio, *Gonzalez ad regul.*1. *Cancellar. gloſſ.* 33. *n.*5. & *ſeqq. Gratian. diſcept.*492. *n.*6. *Barboſ. ad Concil. ſeſſ.*24. *cap.*10. *de reformat. ſub n.*25. *Panimoll. deciſ.*1. *adnot.*10. *ex n.*23. & *adnot.* 11. *n.*38. *Rot. dec.*242. *ſub num.*1. & *dec.*610. *ante num.*2. *par.*2. *rec.* Et in terminis enunciatæ Conſtitutionis Pianæ *la* 33. *Rot. dec.* 197. *num.*5. *par.*9. & *dec.*516. *n.*16. *par.*18. *rec.* & *in Tarraconen. Parochialis* 2. *Maji* 1698. §. *Quia in contrarium*, *coram R. P. D. dell' Olmo*; Immemorabilis namque præſumere facit contrariam legem fundationis, ac etiam Privilegium Apoſtolicum, ac quemcunque alium meliorem excogitabilem titulum, ac proindè allegabilis eſt adversùs quamlibet ſanctionem contrariam, quamvis ſuffultam clauſula ſublata, ac irritanti decreto, *Fraſſ. de Reg. patronat. Indiar. cap.*31. *n.*31. *Card. de Luca de Benefic. diſc.*32. *n.*2. & 4. *Rot. in Derthuſen. juriſdictionis* 6. *Februarii* 1696. §. *Et diſpoſitione, coram bo. mem. Pio*.

18 Multoque magìs creſcit argumenti evidentia, ſi perpendatur, quod prædicta conſuetudo non poteſt cenſeri, nec contra bonos mores, nec contra legem Divinam; Paſſim enim videmus in tot caſibus poſitivè non eſſe neceſſarium concurſum, ut de Parochialibus juriſpatronatus Laicalis firmat *Fagnan. in cap. cum ad noſtram num.*28. *de elect. Romaguer. ad Synodal. Gerunden. lib.*3. *tit.*11. *cap.*8. *n.*2. *Murga de Benefic. quæſt.*3. *n.*55., & de Parochialibus unitis, & de Menſa *Noal. conſ.* 46. *num.*2. & *ſeqq. Romaguer. ad Synodal. Gerunden. d. lib.*3. *tit.*4. *cap.*8. *num.*9. *Rot. dec.*788. *num.*1. & *dec.*1701. *per tot. cor. Emerix.*, & de Beneficiis Regularium, quibus incumbit cura Animarum *Fagnan. in d. cap. cum ad noſtram ſub num.*22. *de elect. Barboſ. ad Concil. ſeſſ.*24. *d. cap.*18. *n.*8. & *de offic.* & *poteſtat. Paroch. par.*1. *cap.*2. *num.*15. & *ſeqq.* ubi plures alios caſus enumerat, in quibus non opus eſt concurſu, quos etiam innuit *Fagnan. in cap. cum ſit ars ſub num.*19. *de ætat.* & *qualit. Garz. de Benefic. par.*9. *cap.*2. *à n.*175. *ad* 199. Ratio autem eſt ſatìs convincens, quia inſpectis antiquis Canonibus Beneficia ſolùm capacibus, & idoneis conferenda ſunt per ſolùm examen, non autem per formalitatem concurſus, ut in *cap. ad hæc, verſ. ut qui Beneficiis de Offic. Archidiacon. cap. ad decorem de inſtitut. cap. quoniam verſic. ſi autem hoc de jurepatr.*, & per conſequens contraria conſuetudo non poteſt dici nutritiva peccati, ſeu doloſa; aut contra bonos mores, dum prædictis Canonibus inhæret *Gloſſ. in cap. cum tanto, verſic. rationabilis de conſuetud. Rot. dec.*560. *n.*10. *par.*19. *rec.*

Neque videtur Matthiam ſibi præcluſiſſe viam deducendi prædictam immemorabilem per gratiam *ſi neutri* ab eodem obtentam, quoniam ultra quod gratia ſi neutri eſt conditionalis, & effectum ſortitur in caſu, quo neutri collitigantium jus competere noſcatur, & Matthias nuſquam ea uſus fuit, juxta deducta per *Amayden. de Stylo Datariæ lib.*1. *cap.*23. *num.*20. Objectum urgeret, quatenus ipſe vellet jus ſuum allegare per viam actionis ad effectum obtinendi ejus canonizationem; Secus autem quando illud deducit per viam exceptionis, ad effectum excludendi jus adverſarii, cùm id ſibi omnibus modis licere debeat, etiam per allegationem proprii juris, nè alioquin gratia reſolvatur in Beneficii, ſeu litis renunciationem contra regulam *Textus in l. quod favore*, *Cod. de legibus*, *Rot. deciſ.* 1133. *n.*3. & *ſeqq. coram Emerix. jun.*

Et ita utraque &c.

CA-

C A N O N XI.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXV. Cap. V.

RAtio poſtulat, ut illis, quæ bene conſtituta ſunt, contrariis Ordinationibus non detrahatur, quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, ſeu fundatione, aut aliis Conſtitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt injuncta, in Beneficiorum Collatione, ſeu in quacumque alia diſpoſitione, eis non derogetur, Idem in Præbendis Theologalibus, Magiſtralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocunque ita conſtituta fuerint, obſervetur, ut eorum qualitatibus, vel ordinibus nihil in ulla proviſione detrahatur, & aliter facta proviſio ſubreptitia cenſeatur.

C O M M E N T A R I U M.

EX hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

CONDITIONIBUS, SEU QUALITATIBUS A FUNDATORE IN LIMINE FUNDATIONIS BENEFICII APPOSITIS DEROGARI NON DEBET = Quam concluſionem probant etiam *Fagnan. in cap. ut Abbates de ætat. & qualit. num.76. & in cap. conquerente de Cleric. non reſid. n.24. Garz. de benef. par.7. cap.1. num.111. Tondut. quæſt. benef. par.1. cap.68. num.6. & ſeq. Ventrigl. in prax. par.2. annot.28. §.2. num.47. Barboſ. hic num.11. Monacell. formul. legal.7. tit.2. num.21. par.3. Card. de Luc. de benef. diſc.96. n.7. Pignattell. conſult.* 111. *num.19. tom.9. Rot. deciſ. 66. num.4. coram Carill. & dec.354. num.33. par.19. rec., & in Farſen. Canonicatus* 11. *Decembris* 1711. §. *Ad effectum cum ſeq. coram* R.P.D. *Criſpo*, & dixi *Par.I. Can.V. Caſ.XVI. num.* 3.

1 Ratio autem hujuſmodi concluſionis eſt, quia omninò conveniens eſt, atque neceſſarium, ut Fundatorum voluntates inviolabiliter ſerventur, & adimpleantur, nè Fideles retrahantur à beneficiorum fundationibus. *Gonzal. in cap. nos de teſtam. num.7. Pignattell. conſult.82. n.5. tom.5. Rot. dec.375. num.5. & ſeq. p.4. tom.1. & dec.665. n.14. par.18. rec. & dec.73. n.14. & ſeq. coram Cerro.*

Quoad hanc concluſionem ſequentes differuntur caſus.

SUM-

ARGUMENTUM.

Impoſito à Fundatore in limine fundationis plurium Beneficiorum onera recitandi quotidie D. Officium in Collegiata, an Epiſcopus ex intervallo poſſit adjicere Beneficiatis onus recitandi unitim cum Clero ejuſdem Collegiatæ D. Officium, & cum cantu in ſolemnioribus Feſtivitatibus.

SUMMARIUM.

1 *Summus Pontifex poteſt imponere nova onera beneficiis, poſt eorum fundationem.*

2 *Epiſcopus, aut Patronus, fundatione executioni adhuc non demandata, poteſt qualitates beneficii mutare, alterare, & novas adjicere, ſecùs poſt perfectam fundationem*, & n.3. & 22. Et quare. Vide num.25.

4 *Epiſcopus extra limen fundationis beneficii nequit illud condecorare aliquo titulo.*

5 *Epiſcopus neque ex veriſimilibus conjecturis novum onus beneficiis imponere valet.*

6 *Beneficiatis habentibus onus recitandi D. Officium in Collegiata, poteſt Epiſcopus injungere onus illud recitandi unitim cum Clero, & canendi in Feſtivitatibus ſolemnioribus*, & n.19. & 20.

7 *Diſtinguuntur duæ ſpecies conditionum, ſeu onerum.*

8 *Imponere onus extrinſecum beneficio eſt ei imponere novum onus; Secus ſi imponatur ei onus quodamodo intrinſecum naturæ Beneficii.*

9 *Onus recitandi D. Officium unitim cum Clero, & cum cantu in Feſtivitatibus ſolemnioribus eſt quodammodo intrinſecum beneficio erecto in Collegiata, aut Cathedrali cum onere ibi recitandi D. Officium.*

10 *Epiſcopus injungendo hujuſmodi beneficio onus recitandi D. Officium unitim cum Clero, non dicitur ei injungere novum onus.*

11 *Cappellano habenti onus celebrandi Miſſam, poteſt ab Epiſcopo injungi onus, etiam illam applicandi; quamvis Fundator in limine fundationis nihil dixerit de hac applicatione*; Intellige, ut ibi.

12 *Parocho extra limen fundationis injungi poteſt onus applicandi Miſſam pro Populo.*

13 *Canonicis ſive Cathedralis, ſive Collegiatæ extra limen fundationis imponi poſſunt onera celebrandi, & applicandi Miſſam Conventualem, & intereſſendi quotidianis Concionibus tempore quadrageſimæ.*

14 *Miſſa Conventualis in Eccleſia Cathedrali, vel collegiata, omnibus diebus Dominicis, & Feſtivis eſt canenda cum Diacono, & Subdiacono*; & n.15.

16 *Canonici tempore Quadrageſimæ legitimè non impediti tenentur aſſiſtere Concioni, & nequeunt abeſſe*. Intellige, ut ibi.

17 *Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in forma quadraginta horarum non eſt permittenda in Feria quinta majoris Hebdomadæ.*

18 *Epiſcopus extra limen fundationis poteſt injungere Beneficiatis conſtituentibus unum Corpus cum Capitulo, onus accedendi cum eodem Capitulo ad omnes Proceſſiones ab Eccleſia fieri ſolitas.*

21 *Qualitates Sacerdotis, & Profeſſoris Muſicæ in Canonicatibus ex juris diſpoſitione, non ſunt neceſſariæ.*

23 *Qualitas Sacerdotalis canonicatui ſemel erecto amplius apponi nequit*. Amplia, ut num.35.

24 *Cantus peritia ex intervallo Canonicatui adjici nequit.*

26 *Reſervato Jurepatronatus paſſivo ad Canonicatum favore Perſonæ idoneæ de jure intelligitur reſervatum pro ſimplici Clerico.*

27 *Quod actus erectionis beneficii ſit perfectus; ex quibus probetur*. Vide ibi.

28 *Verba* erigen., & fien. *in nominatione ad Canonicatum, vel Cappellaniam appoſita, an demonſtrent erectionem Canonicatus eſſe imperfectam.*

29 *Vicarius ad hoc, ut validè præſtare poſſit conſenſum reſervationis juriſpatronatus in Canonicatu requiritur ſpecialis delegatio Epiſcopi.*

30 *In dotatione, & reſervatione juriſpatronatus non requiruntur plures conſenſus, ſed*

ſed ſufficit unus pro omnibus. Et quare? Vide n.31.

32 *Vicarius Delegatus ad auctorizandas fundationes juriſpatronatus, poteſt validè ſuam auctoritatem interponere; non ſolùm in fundatione beneficii ſimplicis, ſed etiam Canonicatus*; & n.33.

34 *Defectus incorporationis dotis aſſignatæ Canonicatui cum redditibus capituli non repugnat perfectioni illius erectionis*.

36 *Verbum* Preti, *vulgari ſermone prolatum verificari etiam poteſt de ſimplicibus Clericis*.

37 *Qualitas Sacerdotalis ex quibus præſumatur non ineſſe beneficio*, & n.39.

38 *Beneficium Sacerdotale argui non debet ex admiſſione, & nominatione, Sacerdotum ad illud*; intellige, ut ibi, & n.40.

CASUS I.

OCto beneficia fuerunt à quodam pio Teſtatore fundata in Eccleſia Collegiata A pro majori hujus decore, in eorumdem beneficiorum fundationis limine fuit de conſenſu Ordinarii impoſitum onus Beneficiatis recitandi quotidiè in dicta Collegiata Divinum Officium; Epiſcopus autem ex intervallo animadvertens dictos beneficiatos recitare Divinum Officium ſeparatim à Clero ejuſdem Collegiatæ, præſcripſit illud abſolvi unitim cum Clero, & quidem in ſolemnioribus Feſtivitatibus, cum cantu; acriter contradicentibus eiſdem Beneficiatis, quæro proindè, an iſti teneantur unitim cum Clero Divinum Officium recitare, & canere in Feſtivitatibus ſolemnioribus.

1 Reſpondendum videtur negativè; Etenim quamvis Summus Pontifex, veluti ſupremus Piarum voluntatum interpres, & adminiſtrator, poſt perfectam Beneficiorum fundationem poſſit eis imponere, nova onera, novaſque adjungere conditiones à Fundatoribus non præſcriptas, *ad Text. in cap. ſignificatum de præben.* ubi Innocentius Tertius confirmavit onus Miſſæ quotidianæ de Sancta Maria cuidam Præbendæ ab Epiſcopo, & Capitulo de novo impoſitum *ibique Abb. num.*1. *Jo. Andr. num.*1. *Butr. n.6. Fagnan. num.*1. *Rot. in Gerunden. Applicationis* 14. *Junii* 1706. §. *Multoque magis, coram Reverendiſſimo*

2 *Molines*. Et quamvis etiam ipſemet Epiſcopus, aut Patronus, fundatione adhuc executioni non demandata, conditiones, & qualitates à Fundatore deſideratas in limine fundationis, mutare, & alterare, aut novas adjicere valeat. *Tondut. quæſt. benef. par.*1. *cap.*68. *n.*8. *& ſeqq.*

3 Tamen poſtquam fundatio eſt in eſſe perfecto deducta, & executioni demandata, nequit Epiſcopus, aut alius Prælatus inferior auctoritate ordinaria, vel Patronus Beneficiis nova onera, conditiones, aut qualitates adjicere, & conſequenter in caſu præſenti Beneficiati prædicti, qui ſolùm ex lege fundationis habent onus recitandi Divinum Officium in dicta Collegiata, non tenentur obtemperare decreto Epiſcopi, & unitim cum Clero Divinum Officium recitare, & canere in Feſtivitatibus ſolemnioribus; *Fagnan. in cap. ſignificatum de præben. num.*2. *& ſeq. Lara de Anniverſ. lib.* 2. *cap.* 1. *num.*23. *Barboſ. hic num.*10. *& ſeq. Panimoll. deciſ.*21. *num.* 7. *Pignattell. conſult.* 111. *num.*17. *tom.*9. *Monacell. formul. legal.*7. *tit.*11. *num.*21. *par.*3. *Rot. dec.*405. *num.*7. *coram Peutinger. & in Farfen. Canonicatus* 11. *Decembris* 1711. §. *Ad effectum, & §. Cujus, coram R.P.D. Criſpo, inferius impreſſ.*, & fuit reſolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Tudertina Cappellaniæ* 12. *Martii* 1718., *& in Florentina* 12. *Martii* 1718. ſuperius relat. *Part.II. Can.XXVII. Caſ.IV.*

4 Immo Epiſcopus, aut Patronus extra limen fundationis beneficii, nequit illud condecorare aliquo Titulo, præcipuè exiſtente altero beneficio, quod ſimilem titulum obtineat, ut deciſum fuit ab eadem S. Congregatione in *Theleſina Archipresbyteratus* 31. *Julii* 1717., ubi nulla declarata fuit conceſſio Tituli Archipresbyteralis, & Archibresbyteri reſpectivè facta per ordinarium EccleſiæParochiali SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ejus pro tempore Parocho; non obſtante quod in eadem conceſſione fuerint appoſitæ clauſulæ præſervativæ jurium competentium Matrici, & Archipresbyterali Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ.

Non obſtat, ſi dicatur, quod Fundator erigendo dicta Beneficia in præfata Collegiata cum onere ibi recitandi quotidie

Divinum Officium, præſumitur veriſimiliter voluiſſe Beneficiatos recitare Divinum Officium unitim, & non ſeparatim à Clero ejuſdem Collegiatæ, & quidem cum cantu in Feſtivitatibus ſolemnioribus, prout expletur ab illis de Clero;

5 Quoniam Epiſcopus neque ex veriſimilibus conjecturis novum onus Beneficiis imponere valet; ut reſolutum fuiſſe à S. Congregatione Concilii teſtatur *Fagnan. in dict. cap. ſignificatum de præben. num.5.* ibi = *Rurſus cùm Epiſcopus Aſculanus impoſuiſſet onus paucæ eleemoſynæ cuidam Prioratui, quod eſt beneficium ſimplex, pro Miſſis bis in hebdomada celebrandis in Cathedrali Eccleſia; Idque quia licèt dictus Prioratus actu Eccleſiam non haberet, cùm tamen haberet redditus, & adeſſent veſtigia veteris Eccleſiæ, non erat veriſimile illam ſinè onere Miſſarum celebrandarum erectam fuiſſe, S. Congregatio conſulta, an id potuiſſet Epiſcopus, reſpondit nullum onus novum imponendum ex conjecturis veriſimilibus* =.

6 At his minimè attentis cenſeo præfatos beneficiatos teneri unitim cum Clero Divinum Officium recitare, & canere in Feſtivitatibus ſolemnioribus. Vera quidem eſt, & incontrovertibilis propoſitio, quod Epiſcopi, aut Patroni nequeant Beneficiis, poſt eorum perfectam fundationem, nova onera, ſeu conditiones addere, & imponere; ſed caſui præſenti eſt inapplicabilis, dum Epiſcopus injungendo dictis beneficiatis, ut recitent Divinum Officium in Eccleſia Collegiata unitim cum Clero, & cum cantu in Feſtivitatibus ſolemnioribus non adjecit eis novum onus.

7 Diſtinguendum eſt enim inter conditiones, qualitates, aut onera omninò extrinſeca naturæ beneficii, & conditiones, qualitates, aut onera quodamodo intrinſeca, & quæ inſunt ipſi naturæ Beneficii.

8 Licèt imponere conditionem, aut qualitatem, aut onus omninò extrinſecum beneficio, ſit imponere, & adjicere novum onus, tamen injungere onus intrinſecum naturæ beneficii, & quod in ſe intrinſecè habet ipſa natura Beneficii, non eſt addere Beneficio novum onus, ſed eſt injungere idem onus, quod in ſe habet imbibitum ipſum beneficium; ut per ſe patet.

9 Onus, de quo agitur, recitandi nimirum Divinum Officium unitim cum Clero, & cum cantu in Feſtivitatibus ſolemnioribus, eſt intrinſecum naturæ ſupradictorum beneficiorum; iſta namque cum fuerint erecta in Collegiata, cum onere recitandi ibi Divinum Officium, reputantur membra ejuſdem Collegiatæ, & Beneficiati coaleſcunt, & conſtituunt unum Corpus cum Clero, & Capitulo quoad actus Chorales, & alios concernentes Divina Officia. *Card. de Luc. de Paroch. diſc.28. num.13. Rot. in Illerden. Proceſſionum 23. Martii* 1703. §. *Nec cauſæ, cor. R.P.D. Kaunitz*. De natura autem membrorum eſt, quod ſint unita, & non ſeparata à ſuo capite, & ab aliis membris; & conſequenter de natura horum beneficiorum erit, quod Beneficiati conveniant in unum cum Clero dictæ Collegiatæ in recitatione Divini Officii, eodem modo, & forma, quibus illud recitat Clerus, ſcilicèt cum Cantu in diebus Solemnioribus, dum incongruum omninò eſt, ut quando illi de Clero dictæ Collegiatæ recitant, cum cantu, vel ſinè Divinum Officium, iſti Beneficiati, qui etiam ſunt de Clero, & conſtituunt unum Corpus cum Capitulo, cum maxima ſciſſura ſe abſtineant, & illud recitent ſeparatim. *Felin. in cap. Paſtoralis ſub num.10. de offic. Legat. Gratian. diſcept.* 111. *num.* 3. *Panimoll. deciſ.*1. *annot.*17. *ſub num.*1. *& ſeq.* & alii apud *Rot. in dicta Illerden. Proceſſionum* 23. *Martii* 1703. *dicto* §. *Nec cauſæ cum ſeq. coram R. P. D. Kaunitz*. Unde

10 Epiſcopus injungendo hujuſmodi Beneficiatis, ut celebrent unitim cum Clero Divinum Officium, non adjecit eis novum onus, ſed ſolùm onus, quod intrinſecè habebant dicta beneficia, & quod per abuſum, & irrationabilem deſuetudinem, non adimplebatur à Beneficiatis, injunxit, ut adimpleretur. Quicquid ſecùs eſſet ſi his Beneficiis non fuiſſet in limine fundationis adjectum onus recitandi Divinum Officium in dicta Collegiata, aut ſi fuiſſet adjectum; & ſimul fuiſſet prohibitum illud abſolvi unitim cum Clero; tunc non poſſet Epiſcopus ex intervallo, injungere eiſdem beneficiatis recitationem Divini Officii in Collegiata unitim cum Clero; & ſi id injungeret, eſſet eis imponere novum onus; quia in hoc

hoc caſu dicta beneficia non conſiderarentur, ut membra Collegiatæ, nec Beneficiati conſiderarentur, ut coaleſcentes, & conſtituentes unum Corpus cum Capitulo quoad actus Chorales; adeóque onus recitandi Divinum Officium unitim cum Clero, eſſet eis extrinſecum.

11 Sic Epiſcopus Cappellano habenti onus celebrandi quotidie Miſſam, poteſt injungere applicationem ejuſdem Miſſæ pro Anima Fundatoris, quamvis Fundator nihil dixerit in limine fundationis de iſta applicatione, dummodò hanc expreſsè, vel tacitè non excluſerit, & ei injungendo dictam applicationem non diceretur imponi novum onus, quia iſta applicatio eſt onus quodamodo intrinſecum Cappellaniæ habenti onus Miſſæ quotidianæ, & Cappellanus, qui ex lege fundationis tenetur celebrare, tenetur etiam applicare Miſſam pro Anima Fundatoris, ut dixi *Par. II. Can. XXVII. Caſ. XIII. n.1. & ſuperiùs hìc Can. I. Caſ. II. n.7.*

12 Eodem modo poteſt injungere Parocho applicationem Miſſæ pro Populo, licèt in limine fundationis Parochiæ Fundator de applicatione nullam mentionem fecerit, & injungendo Parocho hanc applicationem, non diceretur ei injungere novum onus, quia onus applicandi Miſſam pro Populo ineſt naturæ Beneficii Curati, & eſt ei intrinſecum, dum Curati tenentur applicare Miſſam pro Populo, ut firmavi dicta *Par. II. Can. XXVII. Caſ. XII. num.21.* Sicuti imponere valet
13 celebrationem, & applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus, & aſſiſtentiam, ſeu intereſſentiam quotidianis concionibus tempore quadrageſimæ, in caſu, quo non ſint legitimè impediti, Canonicis Cathedralis, aut Collegiatæ inſignis, quamvis in fundatione Cathedralis, aut Collegiatæ de hac applicatione, & de hoc onere expreſsè cautum non reperiatur; & imponendo hanc celebrationem, & applicationem, non diceretur eos gravare novo onere, quia hujuſmodi onus celebrandi, & applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus ineſt in ipſa natura Canonicatuum, & eſt quodamodo intrinſecum Canonicatibus, dum dignitates, & Canonici Cathedralis, aut Collegiatæ tenentur celebrare, & applicare Miſſam Conventualem pro Benefactoribus juxta auctoritates, & reſolutiones *dicto Caſ. XII.*, ubi ſupra relatas; quibus addo aliam reſolutionem S. Congregationis Concilii *in Verulana Viſitationis SS. LL.* 21. *Januarii* 1719., ubi declaratum fuit, *Primò*; quod Miſſa Con-
14 ventualis in Cathedrali Eccleſia ſit omnibus diebus Dominicis, & aliis Feſtivis de præcepto cantanda cum Diacono, & Subdiacono, & nullatenus permitti poſſit, ut in aliquibus diebus Dominicis, & aliis Feſtivis de præcepto Miſſa Conventualis cantetur ſinè Diacono, vel Subdiacono. *Secundò*; quod etiam in Eccleſia Colle-
15 giata cantanda ſit quolibet die Miſſa Conventualis, & quidem diebus feſtivis ſolemnioribus ab Epiſcopo deſignandis cum Diacono, & Subdicono; Ea ratione quia tam in Cathedralibus, quàm in Collegiatis Eccleſiis adeſt obligatio recitandi quotidie Officia Divina publicè, & in Choro, ſub quorum nomine comprehenditur, & quidem præcipuè Miſſa Conventualis, ut dixi dicto *Can. XXVII. Caſ. XII. n.7.* Et Miſſa Conventualis expoſcit Diaconum, & Subdiacouum, itaut in caſu ſolùm deficientiæ Miniſtrorum neceſſariorum cani valeat cum uno Miniſtro, qui præter ſolitas functiones cantat Epiſtolam, cantante Sacerdote celebrante Euangelium, uti docent *Suarez tom.3. in tertiam partem diſput.* 87. *ſect.*1. *Caſtald. in prax. lib.*2. *ſect.*5. *cap.*7. *Quart. ad Rubr. Miſſalis par.*1. *tit.*3. *ſect.*1. §. *Dubitari poteſt*; & tradunt quamplurimi alii Doctores. *Tertiò*, quod tempore
16 Quadrageſimæ Canonici Cathedralis Eccleſiæ legitimè non impediti teneantur aſſiſtere concioni, itaut permiſſum eſſe ipſis non debeat decantato Veſpere ab Eccleſia diſcedere, & concioni non aſſiſtere, niſi de licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii ad formam Decreti *Nicien. anni* 1623. *lib.*13. *decret. fol.*563., ubi fuit definitum = *Canonicos legitimè non impeditos tempore Quadrageſimæ quotidianis concionibus intereſſe debere, & ideo Epiſcopum decretum edere poſſe, ut Canonicis nequaquam liceat prædicto tempore ab Eccleſia abeſſe niſi de ipſius, vel ejus Vicarii licentia* = Et quia Canonici Eccleſiæ Cathedralis Verulanæ in feria quinta majoris hebdomadæ in eadem Cathedrali faciebant expoſitionem Sanctiſſimi Sacramen-

ti in forma quadraginta horarum, & dabatur benedictio ſolemnis Populo feria ſexta ſequenti poſt Miſſam, fuit declaratum.
17 *Quartò*; in poſterum tolerandum non eſſe, quod in Cathedrali Eccleſia feria quinta Majoris hebdomadæ fiat expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, & detur benedictio ſolemnis Populo feria ſequenti ſexta poſt Miſſam, quia hujuſmodi expoſitio videtur adverſari tum rubricis Miſſalis Romani, tum Cæremoniali Epiſcoporum; in Rubrica ſiquidem Miſſæ propriæ feriæ quintæ in Cœna Domini dicitur, quod ea die parari debet locus aptus ornandus cum velis, & luminibus, ubi Calix cum Hoſtia reponatur; In Cæremoniali autem *lib.*2. *cap.*23. legitur præparandum eſſe Sacellum intrà Eccleſiam, in quo poſt Miſſam recondendum ſit Sacramentum, quæ adverſari videntur expoſitioni Sanctiſſimi Sacramenti dicta feria quinta in forma quadraginta horarum, adeôque *Gavantus par.*4. *tit.*8. *ſuorum Comment. in Rubric. Miſſ.* ad ea verba Rubricæ *Reponit in Capſula*, ait = *non videndus eſt Calix à Populo, & multo minus Hoſtia patere Populo debet* = Et magìs ad rem ſubdit *Bauldri in Manual. Sacrar. Cæremon. cap.*9. *de feria quinta in Cœna Domini art.*1. *n.*3. ibi = *Nullo modo debet hac die poni Tabernaculum oſtenſorium, ſicut ſolet fieri in Feſto Corporis Chriſti, in quo appareat Sacramentum hac die, & ſequenti, neque etiam debet exponi, ut in Oratione quadraginta Horarum, contra quaſdam, qui in hoc maniſeſtè agunt contra intentionem Eccleſiæ, & contra Rubricam Miſſalis, & contraria conſuetudo videtur abuſus* =.
18 Injungere etiam poteſt Epiſcopus Beneficiatis, Cappellanis, Partionariis conſtituentibus unum Corpus cum Capitulo onus accedendi cum eodem Capitulo ad omnes Proceſſiones ab Eccleſia fieri ſolitas, etiamſi Fundator in limine fundationis dictorum Beneficiorum, aut Cappellaniarum, hoc onus non expreſſerit, & injungendo eis idem onus, non diceretur injungere novum onus, quia hujuſmodi onus in hoc caſu, eſt quodammodo intrinſecum dictis Beneficiis, aut Cappellaniis, dum ex diſpoſitione Tridentini *cap.*13. *ſeſſ.*25. *de regal.* obligentur accedere ad Proceſſiones à Rituali Romana in dictas, vel conſuetudine introductas Presbyteri, & Clerici tam ſæculares, quàm Regulares etiam exempti. *Lara de anniverſ. & Cappell. lib.*1. *cap.*24. *num.*29. *Tamburin. de jur. Abbat. tom.*3. *diſput.*5. *quæſt.*12. *n.*55. & 81., & firmatum fuit à *S. Rota in Illerden. Proceſſionum* 23. *Martii* 1703. *per tot. coram R.P.D. Kaunitz*.
19 Ergo etiam in caſu noſtro poterit Epiſcopus injungere dictis Beneficiatis onus recitandi Divinum Officium unitim cum Clero, & cum cantu in Feſtivitatibus ſolemnioribus, & præſcribendo hoc onus non diceretur eis injungere novum onus, quia illud in præſentiarum ineſt Naturæ dictorum Beneficiorum, & eſt ei quodammodo intrinſecum.
20 Et ita in terminis hujus Caſus reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Melevitana Divinorum Officiorum* 29. *Januarii* 1718. ubi inſtitutis, & erectis Auctoritate ordinaria à quadam Catharina valenti in Eccleſia Parochiali S. Pauli Urbis Vallettæ novem beneficiis, uno Parocho conferendo, & reliquis, Sacerdotibus à Fundatrice in ejus vita, & deindè ab ipſo Collegio Beneficiatorum præſentandis, cum onere, ut Beneficiati ultra unam Miſſam in Cantu, cum aliis lectis in Anniverſario ejus mortis, & aliam quolibet menſe celebrandam, quotidiè etiam Divina recitarent Officia, & Miſſam in Cantu celebrarent, ſequenti tamen adjecta declaratione = *Che nelli giorni, nelli quali in detta Chieſa ſarà altra Meſſa cantata, in tal caſo non ſiano tenuti, che dire la Meſſa baſſa in luoco di quella, che ſi doverà cantare* =; & cum onere diſtribuendi redditus aſſignatos = *tra li ſudetti Paroco, e Beneficiati pro rata ſervitiorum, e non altrimenti, etiam per qualſivoglia impedimento* =. Cum autem Clerus ſervitio dictæ Parochialis Eccleſiæ adſcriptus ex antiqua conſuetudine, & Synodalibus Conſtitutionibus, nullo recepto emolumento, ſoleat inter cætera diebus Sabbathi completorium canere cum Laudibus B. Mariæ Virginis, & ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto Miſſæ Parochiali aſſiſtere: Horam tertiam de mane, & poſt meridiem Veſperas decantare, non intervenientibus dictis Beneficiatis, qui ſeparatim Officium Divinum abſque cantu perſolvunt. Hinc Epi-

Epiſcopus in S. Viſitatione decrevit, ut Beneficiati cum Parocho, & Clero conveniant, & omnibus Cleri functionibus interſint, omneſque tam de numero Beneficiorum, quàm de reliquo Clero à Sacriſtia ad Chorum, ritu SS. Proceſſionum, binos binos accedere mandavit, impoſita quoad Beneficiatos, pœna pecuniaria, quoad alios Carceris; Officium Divinum, à Beneficiatis in ſolemnioribus Feſtivitatibus integrè etiam in cantu abſolvi præſcripſit Parocho primum ſtallum in Choro aſſignavit, & vetuit ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis per Menſem, nè quis alius, excepto Vice Parocho, illud occupet. Ab hujuſmodi Decretis Beneficiati acriter reclamarunt; propoſitis proindè dubiis.

Primò = *An Beneficiati fundati in Eccleſia S. Pauli per quondam Catharinam Valenti teneantur intervenire cum Clero dictæ Eccleſiæ in omnibus functionibus, quæ à dicto Clero peraguntur, in dicta Eccleſia, in caſu &c.*

Secundò = *An dicti Beneficiati teneantur Officium Divinum ſolemniter celebrare, & canere in certis Feſtivitatibus præſcriptis ab Ordinario, in caſu &c.*

Tertiò = *An dicti Beneficiati euntes ad Chorum teneantur proceſſionaliter incedere, juxa Decretum factum ab Ordinario in Sac. Viſitatione, & quatenus affirmativè.*

Quartò = *An ſuſtineatur pœna in dicto Decreto deſuper adjecta, in caſu &c.*

Quintò = *An in functionibus, in quibus Parochus dictæ Eccleſiæ intervenit tanquam unus ex dictis Beneficiatis, debeat ſemper habere primam Sedem, & ſtallum, & quatenus affirmativè.*

Sextò = *An ſuſtineatur pœna ſuſpenſionis à Divinis ab Ordinario adjecta Beneficiatis ſedentibus in dicto primo ſtallo.*

Septimò = *An dictus Parochus impeditus ratione Curæ, debeat haberi pro intereſſente, ad effectum lucrandi diſtributiones, in caſu &c.*

Octavò = *An in caſu abſentiæ ejuſdem Parochi poſſit Vice-Parochus ejus vices ſupplere ad formam Decreti Reverendiſs. Epiſcopi, & ſedere in ejus ſtallo cum ſtola, quamvis non adſcriptus inter Beneficiatos; in caſu &c.*

Fuit reſponſum ad primum: *Affirmativè in functionibus, quæ ſunt compatibiles cum fundatione* = Ad ſecundum *Affirmativè*; Ad tertium, *Affirmativè quando incedunt tantùm cum Clero*; Ad quartum *Negativè, ſed ſub pœnis mitioribus arbitrio Epiſcopi imponendis*; Ad quintum *Affirmativè*; Ad ſextum *Proviſum in quarto*; Ad ſeptimum *Negativè*; Ad octavum *Negativè, exceptis functionibus Parochialibus.*

R. P. D. C R I S P O

Farſen. Canonicatus

Veneris 11. *Decembris* 1711

INſimul contendentibus Clerico Joſepho Bufalerio, & Sacerdote Auguſtino ejuſdem cognominis ſuper literarum Apoſtolicarum executione, quas unuſquiſque ex iis expediverat; Primus nempe utì præſentatus à Societate S. Laurentii Terræ Tolphiæ, à cujus Confratribus majora reportaverat ſuffragia; Alter verò utì qualificatus ſuam proviſionem relaxari obtinuerat ſub expreſſione, quod dictus Canonicatus ordinem Præsbyteratus, necnon etiam officium Profeſſoris Muſicæ ex ſua primæva erectione annexum retineret; Sub die 8. Junii currentis anni coram Reverendiſs. D. meo Molines Decano utriuſque literis ſub acri cenſura poſitis, favore Joſephi præſentati decreta exiſtit executio, illiuſque etiam favore ſucceſſiva prodiit Rotalis ſententia, de cujus viribus coram Me diſceptati cùm oportuerit, non dubitavit etiam hodie Rota pro literis Apoſtolicis Joſephi iterum reſpondere, videlicet ad illarum legitimam executionem eſſe procedendum.

Ambigi ſiquidem nequit plenè juſtificatas dici literas Apoſtolicas pro præſentato per Joſephum expeditas, tales verò nequaquam reſultare alteras Auguſtini, qui ejuſdem Joſephi excluſionem in eo ſolummodò promovere totis viribus conatur, ex quo in controverſi Canonicatus erectione qualitas Sacerdotalis, & Profeſſoris Muſicæ in Canonico eligendo fuerit ſtatuta, qua cùm Joſeph non pollat, idem propterea tamquam non idoneus debeat ab ejuſdem Canonicatus aſſecutione repelli. In hujuſmodi expreſſionis verificatione uſque adhuc neceſ-

neceſſariæ probationes adductæ non apparent, ex quibus liquidè habeatur, quod Canonicatus à Societate nominandus, ita qualificatus eſſe perneceſſe teneatur, & contrarium omnino demonſtrat Inſtrumentum fundationis exaratum ſub die 25. Maji 1620., ac Ordinarii auctoritate roboratum, ubi hujuſmodi qualitates Sacerdotis, & Profeſſoris Muſicæ minimè adjectæ leguntur, prout nec minùs hoc legitur in altero Inſtrumento erectionis expleto ſub die 24. Junii ejuſdem anni cum reſervatione juriſpatronatus favore Societatis, cùm alias ex juris diſpoſitione non ſolùm in Collegiata, ſed nec etiam in Cathedrali hujuſmodi qualitates in Canonicatibus neceſſariæ comperiantur; quin imò in Collegiata ſimplices
21 quoque Clericos annorum 14. habiles eſſe nulla intercedere videtur hæſitatio, licèt reſpectu Cathedralis pro obtinendo Canonicatu major ætas 22. annorum requiratur, juxta diſpoſitionem *Sacri Concilii in ſeſſ. 24. cap. 12. verſ. Neminem deinceps*, de quo *Rot. in Senogallien. Canonicatus de Luchis 23. Junii 1710. §. Quocirca, coram R.P.D. Aldrovando*; Cùm circa Canonicatus in Collegiata Concilium nihil immutaſſe concors eſt Interpretum ſententia, de qua *Murga de benefic. qu. 3. n. 667. & 668.* & alibi paſſim.

Sub hac propterea narrativa ſuas literas Auguſtinus cùm ſubreptitiè impetraverit, non docto de veritate narratorum, inexequibilis remanet ejuſdem gratia à Sanctiſſimo reportata; & è converſo utì plenè juſtificata exequibilis altera pro præſentato à Joſepho expedita, cùm totum onus probationum convertatur in eodem Auguſtino; qui tamquam impetrator, & habens regulam contra ſe, quod Canonicatus qualificatus minimè præſumatur, niſi probetur, ut benè dixit *Murga de benef. quæſt. 2. n. 324.* gravatur onere exactæ, & rigoroſæ probationis ad effectum juſtificandi fundamentum gratiæ, cui Papa unicè adhæſit, ut millies contra Impetratores reſpondit *Rota*, & ſignanter *in Aſculana Beneficii, ſeu Abbatiæ 8. Martii 1700. §. Seorſim, coram R.P.D. meo Anſaldo, in Recanaten. beneficii 9. Maji 1701. §. Fundamentum, coram R.P.D. meo Lancettà, & in Roſſanen. Parochialis 19. Januarii hujus anni §. Quantùm patens, coram Me*.

Ad effectum autem probandi ſupradictas qualitates Canonicatui eſſe infixas perperam inſiſti videtur in Bulla Cardina-
22 lis Montalti tunc Abbatis Farfenſis ſub data 25. Martii 1621. in qua eidem Canonicatui appoſitum habetur onus, quod Canonicus eſſe debeat, *qui actu Presbyter ſit, vel ſaltèm in legitimâ ætate ad Sacrum Presbyteratus Ordinem ſuſcipiendum conſtitutus, & Muſicæ Profeſſor*. Omiſſo namque an Bulla, ſeu Diploma præfatum dici valeat in forma probanti, itaut tamquam legitimum documentum poſſit ad intentum deſervire; Hoc quidem ſatìs videri poterit, quod Bulla prædicta cùm edita fuerit poſt jam completam, & perfectam erectionem, ac poſt interpolationem novem menſium à prima erectione, nequivit Cardinalis Ordinarii figuram gerens novum onus fundationi deindè adjicere. Præcipue quia cùm prima erectio jam fuerit auctoritate Ordinaria ſui Vicarii per actum omnino completum perfecta; Hinc beneficio jam ſemel in eſſe deducto ad ſolum Papam, non autem ad inferiorem illius qualitates immutare, vel alterare ex *Sac. Concil. diſpoſitione ſeſſ. 25. de reformat. cap. 5.* pertinere ſancitum reperitur, & communiter explicant *Fagnan. in cap. Significatum num. 2. in fin. de Præbend. Ventrigl. in praxi Eccleſiaſt. p. 2. annot. 28. §. 1. n. 47. Corrad. in praxi benefic. lib. 2. cap. 10. n. 15. & ſeqq. Rot. in Aſten. Prioratus ſuper pertinentia 11. Junii 1708. §. Sed ex facto, coram R.P.D. meo Lancetta, & 7. Decembris ejuſdem anni §. Minimè ſuffragante, coram R. P. D. meo Aldro-
23 vando*, & in individuo, de qualitate Sacerdotali, quòd Canonicatui ſemel erecto amplius apponi nequeat dixit *Rot. coram Celſ. deciſ. 393. n. 8. & in recent. deciſ. 78. num. 10. p. 9.* & de cantus peritia,
24 quod pariter ex intervallo adjici non poſſit dictum fuit *in Gerunden. Applicationis 14. Junii 1706. §. Multò magis, coram Reverendiſſimo Domino meo Molines Decano*.

Cujus quidem præcipua ratio eſſe videtur, quia etſi cauſa efficiens, & conſtitutiva juriſpatronatus (ſinè qua locum
25 habere non poteſt Fundatoris diſpoſitio) ſit ipſa approbatio Ordinarii, ut latè dictum fuit *in Senogallien. Canonicatus de Luchis 25. Januarii 1709. §. Non attenta, coram*

coram R. P. D. meo Lancetta, & 23. *Junii* 1710. §. *Minimè relevante*, *coram R.P.D. meo Aldrovando*, & *in Aſten. Prioratus ſuper pertinentia* 20. *Martii* 1709. §. *Quamvis enim*, *coram eodem*; Quando tamen beneficium jam fuit erectum, & Ordinarii aſſenſu auctorizatum, tunc à litera fundationis amplius recedi non permittitur, nec novæ qualitates ab eodem Ordinario denuo ſuperimponi licitum eſſe conſtat; ſed juxta ipſius fundationis præſcriptum adamuſſim veniunt beneficia providenda, nè à beneficiorum fundatione fideles retrahantur, ut individualiter docuerunt *Riccius in prax. jur. Eccleſ. par.* 1. *reſol.* 203. *in fine*, *Pignat. conſult. Can.* 111. *à n.* 9. & *ſeqq.* & *ſiganter num.* 17. *tom.* 9. *Rot. coram Merlin. deciſ.* 249. *nu.* 3. *verſ. Prætenſa autem qualitas*, & *in Gerunden. eleemoſynæ panis ſuper bono jure* 20. *Martii* 1702. §. *Illud namque*, & *ſicuti*, *coram R.P.D. meo Priolo*, cum aliis *in Deciſ Cauſæ* §. *Non relevante*, *coram Reverendiſſimo D. meo Decano*.

In dubium autem revocari non valet, quod per dotationem à Confratribus ex-
26 pletam cum reſervatione juris præſentandi perſonam idoneam, quod intelligitur de ſimplici Clerico habente ætatem legitimam à Concilio præſcriptam, ut per *Text. in cap. Cùm in cunctis de Electlion. Rebuff. in prax. benefic. tit. form. Vicar. Archiepiſc. num.* 87. *Sbrozz. de offic. Vicar. lib.* 2. *quæſt.* 100. *n.* 1. & latè *in Vollaterrana beneficii* 7. *Decembris* 1708. §. *Collimant*, *cor. Me*, Canonicatus, de quo diſputatur dici debeat in eſſe perfecto deductus per actum plenè completum, ex
27 eaque dotatione abſolutam reſultare erectionem; Clara enim in hoc ſe offerunt verba Inſtrumenti exarati ſub die 24. Junii 1620. in quo non ſolùm aſſignatur dos pro fundatione Canonicatus, verùm etiam expreſſum extitit, dotem Cappellæ, ſeu Beneficii fore de jurepatronatus Confratrum, ipſiſque perpetuis futuris temporibus competere debere jus præſentandi perſonam idoneam quoties illud vacare contigerit; Necnon Confratres prædicti faſſi fuerunt ad eumdem actum deveniſſe vigore facultatis Pro-Vicarii Farfenſis ſpecialiter delegati ad effectum erigendi, & reſervandi juſpatronatus juxta auctoritatem eidem tributam in literis Vicariatus ſimiles præſtandi conſenſus fundationibus, & reſervationibus juriſpatronatus. Inficiari igitur non poterit, quod dotatio præfata cum his ſolemnibus, ac prævio Pro-Vicarii aſſenſu expleta, perindè habenda tamquam perfecta, & completa erectio ad ejus irrevocabilitatem, & validitatem nihil aliud expoſcens, ad benè animadverſa in his terminis per *Rot. in Majoricen. juriſpatronatus* 28. *Novembris* 1704. §. *Minimè*, & §. *Altera*, *coram bo. mem. Muto*, & *in Aſten. Prioratus ſuper pertinentia* 11. *Junii* 1708. §. *Quod autem*, *coram R. P. D. meo Lancetta*.

In nihilo adverſante, quod in eodem Inſtrumento deveniendo Patroni ad nominationem primi Cappellani in perſo-
28 nam Antonii Cretonii illum nominando in Canonicum, & Cappellanum Altaris, ſeu juriſpatronatus uſi fuerint verbis *erigen.* & *fien.* ex quo inferri contenditur, quod actus erectionis non fuerit tunc perfectus, & plenè completus, ac ſolùm ex ſucceſſiva Bulla Cardinalis Montalti ſuam perfectionem, & implementum reportaverit. Etenim verba prædicta *erigen.* & *fien.* minimè cadere valent ſuper ipſo Canonicatu, & jurepatronatus, ſed quidem ſuper Altari, & Cappella materiali, quæ tunc non erat reædificata, & ad quem effectum Confratres jam præcedenter deputaverant duos ex corpore Societatis pro opere prædicto perficiendo; Idque patens efficitur animadvertendo, quod ante dictum Inſtrumentum ſub die 25. Maji jam præceſſerat deſtinatio, qui ſanè prior actus, tamquam cadens ſuper erectione facienda de futuro, imperfectus verè eſſe valebat; Cùm autem poſtea ſub die 20. Junii ad alterum Inſtrumentum prævio Ordinarii aſſenſu, & cum omnibus ſolemnibus fuerit deventum, in quo Fundatores intellexerunt primævo altero Inſtrumento dotationis executionem tribuere, & ſibi juſpatronatus reſervare; Actus hic munitus omnibus neceſſariis, quæ ad perfectam, & validam beneficii erectionem exiguntur, nihil ultra ad ſui eſſentiam, & perfectionem deſiderans, ac in implementum eorum, quæ in priori Inſtrumento pro ipſa erectionis perfectione deficiebant, imperfectus nequaquam affirmari poterit, proindeque verba

ba illa *Cappellæ*, *ſeu jurispatronatus fien. & erigen.* nonniſi de ipſa Cappellæ materialitate, non verò de illius formalitate neceſſariè erunt accipienda; Quod nihil adimit perfectioni, & irrevocabilitati erectioni beneficii, cùm benè ſimul ſtare poſſit, quod ipſa materialis Cappella facienda, & erigenda foret, ipſum verò juſpatronatus irrevocabiliter erectum, & completum exiſteret: Cùm aliud ſit Cappella, aliud verò Cappellania in Cappella, quemadmodum diverſificat juſpatronatus Eccleſiæ à jurepatronatus beneficiorum, ut dixit *Rot. deciſ.* 1783. *n.6. coram Coccino*, & optimè probat *deciſ. Reverendiſs. Decani ſub die* 8. *Junii currentis anni* §. *Quin adverſaretur.*

Minimè relevante, quod etiamſi actus erectionis ex parte Confratrum pro erecto habitus eſſe valuerit, adhuc ex parte Ordinarii talis minimè poſſit dijudicari; ex eo quia conſenſus per Vicarium præſtitus non cadat ſuper reſervatione jurispatronatus, ſed ſuper ſola dotatione beneficii, ad quem effectum duplex conſenſus neceſſarius exigeretur, nec unicus ſufficeret, & quatenus jure ad utramque
29 extendi valeret, adhuc ejuſdem Pro-Vicarii aſſenſus validus reputari nequiverit, cùm agatur de reſervatione jurispatronatus in Canonicatu, ad quem effectum ſpecialiſſima requiratur Epiſcopi delegatio, quævè ſub generalitate demandatæ juriſdictionis de jure venire non poſſit, per ea, quæ docent *Peregrin. in prax. Vicar. p.*1. *ſect.*2. *ſub ſect.*2. *n.*22. *Sbrozz. de offic. Vicar. lib.*2. *quæſt.*32. *n.*1. *& qu.*117. *num.*2. *Amoſtazz. de cauſ. piis lib.*5. *cap.* 5. *nu.* 36. *tom.* 2. *Fraſs. de Reg. Patronat. Indiar. p.*1. *cap.*4. *n.*14. *in fine*.

Siquidem neutrum ex prædictis aſſumptis ſubſiſtere comperitur. Non primum reſpiciens conſenſum Ordinarii adjectum in ea parte Inſtrumenti, qua expletur dotatio Canonicatus, nullatenus verò repe-
30 titum in altera, ubi favore dotantium reſervatur juſpatronatus, cùm enim agatur de dotatione ex reſervatione jurispatronatus peracta in uno eodemque Inſtrumento, minimè exiguntur plures, & ſeparati conſenſus, ſed unus pro omnibus ſatìs eſſe videtur, ut benè explicat *Lambert. in contrarium citatus de jurepatronatus lib.*1. *par.* 1. *quæſt. princ. ſub num.* 108. *pag.* 199. quem refert., & ſequitur *Rot. in rec. p.*11. *deciſ.* 107. *ſub n.* 4. & tradunt *Sanch. conſ. Moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 48. *n.*7. *in fine*, & omnium latiùs *Amoſtaz. de cauſ. piis dicto lib.*5. *cap.*5. *n.*42.

31 Et ſumma quidem ratione, quia jurispatronatus acquiſitio promanat ex ipſa conſtructione Eccleſiæ, ſeu illius dotatione cum Epiſcopi conſenſu peracta, ſtatim ac igitur Epiſcopus dotationem admiſit, lex ipſa ob præmium boni operis Fundatorum favore juſpatronatus præſtare, demandat, ut colligi videtur *ex cap. Nobis* 25. *de jurepatronatus*, & eo fermè modo, quo olim, qui in operibus publicis de proprio impendebant eiſdem debitus honor à Civitate ædificantis nomen operi inſcribendo tribuebatur, *ut in l.* 2. *& ultima ff. de operibus publ.* ac tradit eruditus *Gonzal. in d. cap. à nobis n.* 4. Quapropter dotatione beneficii cum Ordinarii auctoritate, & aſſenſu ſequuta, ille ſolus conſenſus rite quoque deſervit ad reſervationem jurispatronatus, qui non ex ſpeciali ipſius Epiſcopi indulgentia, ſed ex ipſo favore dotationis beneficii conſequitur, ut notant communiter *Canoniſtæ in dicto cap. a nobis de jurepatron.* & ſignanter *Abb. notab. primo*, & conferunt tradita *in cap.*3. *de Privilegiis in* 6., ubi dicitur, quod abſente Canonico ex cauſa ſtudiorum cum conſenſu Epiſcopi, novus non exigatur conſenſus pro lucrandis fructibus, ſed ille prior conſenſus pro his ſatìs eſſe decernitur, & ita in noſtris individualibus terminis differendo optimè proſequitur poſt *Gonzalez loco cit. Amoſtaz. de cauſ. piis dicto lib.*5. *cap.*5. *n.* 42.

Ita pariter corruere videtur alterum objectum repoſitum in carentia auctoritatis Pro Vicarii præfatam erectionem approbantis; facultates enim eidem à Cardinali Abbate Farfenſi elargitæ hujuſmodi poteſtate ipſum præditum reddiderunt; Inter cæteros namque actus juriſdictionis in literis Provicariatus Generalis à dicto Cardinali traditis præcisè tributa
32 legitur hæc individualis facultas in fundatione jurispatronatus, ejuſque erectione conſenſum, & auctoritatem præſtandi. Unde cùm Vicarius ad auctorizandas fundationes jurispatronatus ab Ordinario delegatus literaliter exiſteret, dubitari nequit

nequit quin idem ſuam auctoritatem in hoc interponere rite valuerit *Rot. in Majoricen. Juriſpatronat.* 16. *Maji* §. *Haud ſubſiſtente*, & 28. *Novembris* 1704. §. *Minimè*, & 12. *Maji.* 1705. §. *Alter cum ſeqq. coram bon. mem. Muto*, & optimè *in Aſten. Prioratus ſuper pertinentia* 11. *Junii* 1708. §. *Quod autem cor. R. P. D. meo Lancetta*.

Quin valeat in aliquo vim facere, quod ageretur de Canonicatu in Collegiata;
33 Quia cùm facultas generaliter fuerit demandata, generaliter eadem venit intelligenda de quacunque approbatione Juriſpatronatus etiam in Canonicatibus, cùm etiam Canonicatus veniat appellatione Beneficii *Barboſ. appell. verb. utriuſque jur. appellat.* 32. *num.* 11. *Panimoll. deciſ.* 98. *annot.* 1. *num.* 2. maximè cùm fundationes Beneficiorum de novo licèt ſub vinculo juriſpatronat. ſemper dicantur actus favorabiles, ad differentiam quando ageretur de translatione juriſpatronatus jam erecti, & fundati, & in hoc caſu præſumptio urgere videtur pro facultate ſufficienti in Vicario, ut monet *Rot. deciſ.* 702. *num.* 4. *coram Buratt.* ultra quod in commiſſione Vicariatus, cùm præter ſpecialem expreſſionem facultatis approbandi fundationes juriſpatronatus fuerint etiam adjectæ aliæ clauſulæ valentes comprehendere cætera omnia, quæ ſpecialem, & magìs expreſſam requirerent declarationem; hinc hæſitari nequit, quod veniret hæc facultas approbandi fundationes Canonicatuum juriſpatronatus, cùm omnia ſpecialia commiſſa cenſeatur, per ea, quæ ad rem firmant *Sbrozz. de offic. Vicarii lib.* 1. *qu.* 65. *num.* 5. *verſ. quia tunc Pellegrin. Prax. Vicar. par.* 1. *ſect.* 2. *ſubſect.* 2. *nu.* 71. & 72. *Barb. de offic. & & poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 54. *nu.* 154.

Nec obeſſe poterit, quod Vicarius dotem Canonicatui aſſignatam in inſtrumento dotationis anni 1620. neque in-
34 corporaverit cum redditibus Capituli, neque id faciendi facultate eſſet donatus. Hic ſiquidem incorporationis defectus ad Canonicatus perfectionem, illiuſque erectionem nullatenus repugnare videtur; poteſt namque eadem erectio cum dote aſſignata validè ſubſiſtere abſque eo, quod dos prædicta cum redditibus Capituli uniri, & incorporari neceſſariò teneatur; cùm plures ſint Canonicatus, qui ſuam diſtinctam præbendam retineant, prout alii tres ejuſdem naturæ Canonicatus exiſtunt in hac Collegiata, de qua agitur; Cum materia, & forma Canonicatus conſiſtat in dotatione, & conſenſu Epiſcopi, quibus poſitis Canonicatus dicitur perfectè erectus, & fundatus, nec ullam deinde alterationem admittit, ut dictum fuit *ſupra in* §. *Cujus quidem*, & latè probavit *dec. Reverendiſs. D. mei Decani in* §. *Alterum*, & §. *Dubitari autem non poterat*.

Neque minus nullitas primævæ erectionis deduci meretur, ex quo Confratres adiverint Cardinalem Abbatem, à quo aſſerta Bulla erectionis emanavit, quia ſi Patroni Cardinalem adiverunt, id factum dici nequit, ex quo cognoverint neceſſitatem approbationis dictæ erectionis jam factæ, ſed vel propter præeminentias alioſque effectus, quos Canonicatus jam erectus, & in eſſe perfecto deductus expectabat, ut puta ſtallum in Choro, jus habendi vocem activam, & paſſivam in Capitulo, aliaque ſimilia; vel ad majorem uſque tunc geſtorum confirmationem, ut in ſpecie obſervat *Rot. in dicta Aſten. Prioratus ſuper pertinentia* 11. *Junii* 1708. §. *Nihilque refert coram R. P. D. meo Lancetta*.

Verùm præter præmiſſa ex alio etiam jure in Bulla Cardinalis Montalti quali-
35 tas Sacerdotalis novo Canonicatui injungi minimè valuit. Id enim redundabat in præjudicium antiquiorum Canonicatuum jam præexiſtentium, qui cùm nec de jure, nec de conſuetudine particulari Eccleſiæ annexum haberent Ordinem Sacerdotalem, ſi dictus Canonicatus noviter erectus ſub hac qualitate fundatus exiſteret novus Canonicus præferri utiquè debuiſſet aliis Canonicis antiquioribus, etiam ſi illi Sacerdotes deinde efficerentur juxta *Gregorii IX. reſponſum in c. ſtatuimus de majorit.*, & *obedient. Rot. deciſ.* 214. *par.* 4. *tom.* 2. *rec.* & *pluribus cumulatis latè in Romana præcedentiæ* 5. *Maji* 1710. §. *Hujuſmodi ſanè*, §. *Quia in aliquo*, & §. *Ita demum coram me*. Cùm igitur ageretur de præjudicio aliorum Canonicorum circa eorum præeminentiam, & prælationem, nequiverat ſanè Cardinalis Abbas

Abbas dictum novum Canonicatum tamquam Sacerdotalem erigere, niſi prævio antiquiorum Canonicorum conſenſu, ut firmat *Gratian. diſcept. forenſ. c.867. n.16. & 17.*, & ſolidè firmat *dec. Reverendiſs. D. mei Molines Decani* §. *Tertium denique fundamentum*.

Hinc non ſolùm haud obſtare, ſed potiùs retorqueri videtur, quod Cardinalis Montaltus in dicta Bulla adjecerit clauſulam *ſinè alicujus præjudicio*, ex ea namque nedum de jure, ſed etiam ex mente ejuſdem Cardinalis dicta qualitas Sacerdotalis, utì antiquioribus Canonicis præjudicialis pro non appoſita haberi debet; clauſula enim prædicta modificationem præſefert *Rot. coram Bich. dec.* 541. *n.*10. præſervatque omne, & quodcumque jus alterius, & operatur, ut ſi quid alteri præjudiciale appoſitum fuerit, pro non appoſito habeatur *Mareſc. var. reſ. lib.*2. *c.*137. *n.* 2. *Rot. cor. Dunozett. ſen. dec.*123. *n.*5. *& cor. Ubag. dec.* 87. *n.* 15. *&* 16. *& in rec. dec.*536. *n.*102. *par.*14.

Minùs ad evertendum hoc poſtremum fundamentum prodeſſe valebit decretum quoddam Cardinalis Farneſii tunc Abbatis Farfenſis, ex quo erui contenditur, quod Canonicatus jam præexiſtentes dici poſſent Sacerdotales attenta expreſſione ab eodem Cardinali facta in additione aliorum duorum Canonicatuum, *acciò la Chieſa ſia officiata da numero ſufficiente di Preti*. Quoniam ultra illegalitatem dicti decreti veluti informis, & extracti à privato Archivio Canonicorum, quod fidem non facit *Rot. dec.*195. *n.*11. *&* 12. *par.*9. *rec.* procedendo tamen per malam hypoteſim, quod dictum decretum ſit tamquam legale reputandum, adhuc convincere non poſſet, quòd Canonicatus antiquiores ſint verè Sacerdotales, dum nomen illud *Preti* non infert neceſſario, ut
36 indè Canonicatus ſint Presbyterales, dum verificari poteſt etiam de ſimplicibus Clericis, cùm nomen prædictum *Preti* vulgari ſermone prolatum includat omnes illos, qui non ſunt Laici, & ſimplicibus Clericis adaptari valeat, ut in terminis *Pignatell. conſult. can.*2. *n.* 6. *tom.*1. *Rot. cor. Merlin. dec.* 825. *nu.*12. *Ortonen. Beneſ.* 10. *Junii* 1709. §. *fin. cor. R. P. D. meo Polignac.*, & latè *in Melevitana Beneficiorum* 16. *Junii* 1710. §. *Ex qualitate*, *&* §. *Neque præmiſſis cor. R.P.D. meo Falconerio*, & de verbo *Sacerdote* noviſſimè dictum fuit in *Melphiten. Beneficii* 26. *Junii hujus anni* §. *Hinc non relevat coram R.P.D. meo Priolo*.

In prædictorum omnium confirmationem accedit demum ſubſequuta obſer-
37 vantia proxima erectioni Canonicatus, ac aſſerto diplomati Cardinalis Abbatis; Siquidem primo loco ab eodem Cardinali ad dictum Canonicatum inſtitutus exiſtit Antonius Cretonius ſimplex Clericus abſque ulla expreſſione peritiæ cantus, & abſque pariter decreto, quod intra annum ad Sacerdotium ſe promoveri curaret, prout opus fuiſſet in Canonicatu Sacerdotali. Triennio verò poſtea dictus Cretonius ad inſtantiam Confraternitatis ſubivit privationem Beneficii, ex quo non reſidebat, *nec etiam faciebat celebrare Miſſas*, ex hoc autem manifeſtè conſequitur, quod tam Ordinarius, quàm Patroni non reputaverint Canonicum eſſe adſtrictum ad aſſumendum Ordinem Presbyteratus, ſed quod verè per alium celebrare potuerit, indè propterea inſurgit, ut Beneficium nunquam dici poſſit Sacerdotale, ut in puncto dixit *Rot. cor. Celſo deciſ.*367. *nu.*14. *&* 15. *& in rec. deciſ.* 474. *ſub nu.* 4. *verſ. idq. etiam par.* 16. cum aliis *in d. Melphicten. Beneſ.* 26. *Junii currentis anni* 1711. §. *Cùm enim Fundator cor. R.P.D. Priolo*.

Sequuta poſtmodum privatione dicti Cretonii, ac in ejus executionem devenientibus Confratribus ad nominationem Clementis de Benedictis fuerunt tunc ad concurſum admiſſi, ac in ſcrutinio poſiti alteri duo Clerici ætate minores, & licèt electio ceciderit ſuper Clementem Sacerdotem, id tamen non evenit propter dictam qualitatem Sacerdotalem, qua inſignitus incedebat, ſed quia idem magìs idoneus inter cæteros fuit repertus, illius autem nominatio facta tanquam de magìs idoneo, ſatis denotat etiam alios licèt ſimplices Clericos idoneos ad Canonicatum aſſequendum fuiſſe reputatos, ut congruè notavit *Rot. deciſ.*137. *nu.*11. *&* 13. *cor. Duran.* Cùm major idoneitas non ex ſola Sacerdotali præeminentia, ſed ex moribus, & doctrina præſtetur, ut in puncto *in Ortonen. Beneſic.* 23. *Martii* 1708. §. *fin. coram R. P. D. meo Scotto*, prout

38 prout nec Beneficium Sacerdotale argui debet ex admiſſione Sacerdotum ad illud quando etiam ſimplices Clerici fuerunt ad nominationem recepti, qui cùm incapaces reputentur Beneficii Sacerdotalis, ex ipſorum ſola admiſſione pro excluſione qualitatis Sacerdotalis in Beneficio validum præſtatur argumentum, ut egregiè dixit *Rot. in d. Melevitana Beneficiorum 16. Junii* 1710. *ſub* §. *Obſervantia coram R.P.D. meo Falconerio*, & conferunt etiam deducta *in d. Melphicten. Beneficii, 26. Junii* 1711. §. *Sed neque allegati actus coram R.P.D. meo Priolo*.

39 Per renunciationem demum dicti Clementis favore Clerici Joſephi Benedicti ejus nepotis, cùm evenerit tertia collatio præfati Canonicatus per S. Sedem, non fuerunt Papæ expreſſæ qualitates Sacerdotis, & Muſicæ, nec à Papa fuit appoſitum decretum, ut proviſus intrà annum ad Sacerdotium promoveretur. Itidemque pariter in hac poſtrema electione facta in perſonam Joſephi Bufalerii ipſi Confratres, inter quos aderat Auguſtinus collitigans pariter pro certo habuiſſe promanat Canonicatum non eſſe Sacerdotalem, nec Muſicæ peritiam requirere cùm in ſcrutinio alios quatuor Clericos ætate minores, & nulla cantus peritia præditos poſuerint cum decreto, ut qui majora conſequeretur ſuffragia electus, & pro electo haberetur, inter quos Joſeph ſelectus cùm evaſerit, & nominationem reportaverit cum præciſa facultate celebrandi per alium, hæc quemadmodum eſt excluſiva qualitatis Sacerdotalis *Roſa de execut. lit. Apoſt. par.* 1. *cap.* 6. *nu.* 179. *cum aliis in ſæpè allegata Melphicten. Beneſ. 26. Junii proximè præteriti* §. *Cùm enim cor. R.P.D. meo Priolo*, ita ex ea dijudicari oportet, Canonicatum qualitate Sacerdotali non fuiſſe gravatum, ac ſemper pro ſimplici Clericali inter partes habitum, ut notavit *dec. præcedentis inſtantiæ in* §. *Certius autem*, cùm ex obſervantia Fundatorum optimè arguatur Beneficium non eſſe Sacerdotale, ſed merè Clericale, juxta plenè cumulata per *Rot. in dicta Melevitana Beneficiorum 26. Junii* 1710. §. *Fruſtrà coram R.P.D. meo Falconerio*, & *in mox d. Melphicten. Beneficii* §. *Et ſi adhuc coram R.P.D. meo Priolo.*

Quicquam in contrarium non relevante contraria obſervantia, quæ deſumitur ex productione diplomatis Cardinalis Montalti ſequuta de anno 1692. ac etiam ex relatione ad eamdem Bullam facta in nominatione expleta à Confratribus, ac in ſententia ſuper inſtitutione, nec non ex nominatione, ut plurimum ſequuta in perſona actu Sacerdotum, his enim omnibus, congruè ſatisfactum legitur *in dec. Reverendiſs. Decani in* §. *Nec præadducta*, cum quibus etiam hodie Domini pertranſierunt; Et ulterius addi poteſt, quod relationes habitæ ad dictam Bullam, illiuſque productio potuit verificari in his, quæ reſpiciunt alios effectus, qui ex intervallo, & poſt actum plenè completum potuerint ab Ordinario ſanciri, non autem qualitates Sacerdotis, & cantus, qui cùm ſapiant alterationem primævæ erectionis ſicuti nequiverunt ab eodem apponi, ita ex productione validæ effici non valuerunt. Tantò magìs, quod hoc non obſtante Canonicatus numquam ſub præciſa conditione ſe promoveri faciendi intrà annum fuit ſimplicibus Clericis collatus, quin imò Confraternitas ad eun-
40 dem nominavit Joſephum cum facultate celebrandi per alium. Proviſiones verò, ſeu nominationes ex accidenti ſequutæ in perſona aliorum actu Sacerdotum, cùm non doceantur coactè expletæ, ac ſub hac præciſa qualitate, non arguunt Beneficium eſſe Sacerdotale, ut in terminis ultra allegat. *in dec. Cauſæ d.* §. *Nec præadducta obſervantia in fine*, *Vivian. de jurepatronat. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 37. & *ſeqq. cum aliis in Melevitana Beneficior. 16. Junii* 1710. §. *Obſervantia cor. R. P. D. meo Falconerio*.

Et ita omiſſis reliquis, quibus fusè, & ſolidè ſatisfecit *deciſ. Reverendiſs. D. mei Decani emanata ſub die* 8. *Junii proximè præteriti*, & quam in reliquis Domini hodie approbarunt ſub utriuſque partium valido certamine pro proceſſu ad legitimam executionem literarum Apoſtolicarum Joſephi reſponſum emanavit.

ARGUMENTUM.

Reperto ex intervallo inſtrumento fundationis Cappellaniæ, ſi in eo legatur impoſitum Cappellano ſolùm onus officiandi unum Altare pro Anima Fundatoris, & nulla fiat mentio de onere celebrandi Miſſam, an Cappellanus teneatur continuare in celebratione Miſſarum pro Anima ejuſdem Fundatoris, vel potiùs hac omiſſa; recitare D. Officium in Choro cum Canonicis.

SUMMARIUM.

1 *Impoſito onere Cappellano in limine fundationis officiandi unum Altare pro Anima Fundatoris, idem Cappellanus tenetur Miſſam celebrare pro Anima ejuſdem Fundatoris.*

2 *Verbum* officiare *eſt æquivocum, & ſumi poteſt pro* recitare Pſalmos, *& pro* celebrare Miſſas.

3 *Quando ſumatur pro* celebrare Miſſas? Vide ibi, & n.4.

4 *Anima majus ſuffragium recipit à celebratione Miſſarum, quam à recitatione horarum Canonicarum.*

5 *Si reperiatur inſtrumentum Fundationis, & Beneficiatus non ſit qualificatus ad formam illius; an ipſe vigore ſuæ proviſionis poſſit retinere dictum beneficium, vel potius indigeat diſpenſatione, quæ dicitur* perinde valere, *& an hæc ſit ei concedenda.*

6 *Cappellanus tenetur deferre Pluviale, & obſervare alia onera in Tabellis præſcripta, quando non reperitur inſtrumentum fundationis eorumdem onerum excluſivum.*

CASUS II.

Expoſitus fuit in S. Congregatione Concilii ſequens Caſus. Editis anno 1625. ab hac Sacra Congregatione notiſſimis Decretis de celebratione, & reductione Miſſarum, Capitulum Parochialis, & Collegiatæ Eccleſiæ S.Laurentii Florentiæ compoſitum ex Cappellanis triginta tribus diſtributionum participantibus, aliiſque ſexdecim non participantibus, ſed præbendam omnibus habentibus ſcutor. 15., ſupplicavit die 12. Januarii anni 1630., ut Miſſæ, quas dicti Cappellani ſinè applicatione, aliiſque receptis eleemoſynis celebrabant, reducerentur ad manualem eleemoſynam juxta redditUum proportionem cujuſcumque Cappellaniæ, cum onere Cappellanis illas pro Fundatoribus applicandi, & facultate pro reliquis Miſſis eleemoſynam recipiendi; quæ inſtantia remiſſa fuit arbitrio, & conſcientiæ Archiepiſcopi Florentini. Iſte autem expenſis Cappellaniarum redditibus, de quarum fundatione non conſtabat, certum numerum Miſſarum pro Fundatoribus applicandarum per Cappellanos præfixit, & inter cætera mandavit, ut Cappellanus Cappellaniæ Conceptionis B. M. V. Miſſas biſcentum triginta, ut ſupra celebraret; Modernus Cappellanus fundationem ejuſdem Cappellaniæ in præſens producit, in qua Angela Fundatrix per actum donationis inter vivos expletum ab anno 1458. mandat *eligi unum Cappellanum Eccleſiæ S.Laurentii ad officiandum, & qui officiare debeat in dicta Eccleſia unum Altare, ſeu Cappellam intitulatam ſub nomine Conceptionis B.M.V. pro Anima dictæ Agnolettæ &c., ut faciunt Cappellani dictæ Eccleſiæ S. Laurentii in Cappellis dictæ Eccleſiæ &c., & etiam cum pacto, quod Cappellanus ſic eligendus teneatur, & debeat facere quolibet anno in perpetuum duo Anniverſaria, ſeu Officia pro Anima dictæ Agnolettæ &c. in die Feſto Conceptionis V. Mariæ, & alium in die ſequenti, in quibus Anniverſariis celebrentur una Miſſa canenda, & viginti Miſſæ planæ pro quolibet* =. Prætendit Cappellanus abolendum eſſe onus Miſſarum biſcentum triginta modo, & forma, quibus ſupra impoſitum ea præcipua ratione, quia verbum *Officiare*, potiùs Sacram Pſalmodiam Chori in Horis Canonicis, quam celebrationem Miſſarum denotet; Diſputatum proindè fuit dubium = *An, & ad quæ onera Miſſarum, & Anniverſariorum, & ad eorum applicationem pro Fun-*

Fundatrice Cappellanus orator teneatur.

1 Studens in hac Cauſa meum aperiendo votum ſentiebam, dictum Cappellanum teneri ad duo Anniverſaria, & ad Miſſas ad formam Decreti Archiepiſcopi; & nullatenus hæc onera adimplere ommittere poſſe; Cappellania namque hujuſmodi non solùm habet annexum onus duorum Anniverſariorum quolibet anno, verum etiam habet onus celebrandi Miſſas ad Altare Sanctiſſimæ Conceptionis, dum Fundatrix voluit quod Cappellanus Officiare debeat in dicta Eccleſia Collegiata S. Laurentii unum Altare, ſeu Cappellam intitulatam ſub nomine Conceptionis B. V. Mariæ pro ejus, ſuorumque Animabus, ut faciunt alii Cappellani dictæ Eccleſiæ S.Laurentii in dictis Cappellis dictæ Eccleſiæ, & debeat facere quolibet anno in perpetuum duo Anniverſaria, ſeu Officia pro Anima &c. Verbum
2 autem *Officiare* cùm ſit æquivocum, & ſumi poſſit tam pro *recitare Pſalmos*, quam pro *celebrare Miſſas*, cum nomine *Officii* veniant ordinata tam in Breviario, quàm in Miſſali, concurrunt hic quamplures conjecturæ, quæ veriſimiliter ſuadent Fundatricem voluiſſe ſumere verbum *Officiare*, pro *celebrare Miſſas*.

3 Prima conjectura eſt, quia verbum *Officiare* fuit directum à Fundatrice non ad Eccleſiam, ad cujus Altare majus recitantur horæ Canonicæ, ſed particulariter ad Altare Sanctiſſimæ Conceptionis; etenim ſi nomine *Officiare* intellexiſſet Fundatrix recitare horas Canonicas, non autem celebrare Miſſas, illud direxiſſet ad Eccleſiam Collegiatam, & non ad particulare Altare; aliàs cùm etiam mandaverit, quod ſuus Cappellanus officiaret Altare Sanctiſſimæ Conceptionis, ut faciunt alii Cappellani dictæ Eccleſiæ Sancti Laurentii in Cappellis ejuſdem Eccleſiæ tot eſſent Chori, quot Cappellæ, ſeu Altaria.

4 Secunda eſt, quia voluit, quod Cappellanus officiaret Altare pro Anima ſua, ac ſuorum, adeout intendit ſuffragium Animæ; majus autem ſuffragium Anima recipit à celebratione Miſſarum, quam à recitatione horarum Canonicarum. *Amoſtaz. de Cauſ. piis lib.2. cap.3. n.4. & ſeq. Pignattell. conſult. Canonic.* 139. *num.*11. & 13.*tom.*1., & conſequenter nomine *Officiare* Altare, voluit celebrationem Miſſarum; Et ita reſolutum fuit ab eadem S. Congregatione *in Florentina Abolitionis oneris* 11. *Decembris* 1717.

5 Supponamus, quod ſimplex Clericus ætatis viginti annorum e. g. obtinuerit Beneficium A, obtineri ſolitum à ſimplicibus Clericis ea ætate conſtitutis: ſi deinde reperiatur Inſtrumentum fundationis, & ibi legatur, quod dictum beneficium ſit actu Sacerdotale, ſit reſidentiale, & requirat ætatem triginta quinque annorum; quæritur an Præfatus Clericus non qualificatus ad formam fundationis, poſſit retinere dictum beneficium, vigore ſuæ proviſionis, vel potius indigeat diſpenſatione, quæ dicitur *Perinde valere*, & an hæc ſit ei concedenda?

Reſpondeo non poſſe præfatum Clericum vigore ſuæ proviſionis retinere dictum beneficium, utpote non qualificatum ad formam hujus fundationis, ſed indigere diſpenſatione, quæ dicitur *Perinde valere*; & hanc eſſe ei in hoc caſu concedendam, attenta ejus bona fide, qua fuit adeptus poſſeſſionem beneficii, nec non præcedenti obſervantia, qua ejuſdem Prædeceſſores in ſtatu ſolius Clericatus id Beneficium ſunt aſſequuti, & in ætate minori, quàm annis triginta quinque; ac attento, quod nullus exiſtat contradictor, ut in terminis hujus caſus reſolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in *Parmen. diſpenſationis* 12. *Aprilis* 1710.

Supponamus è contra, quod non reperiatur Inſtrumentum fundationis Cappellaniæ erectæ e. g. in Eccleſia Cathedrali; & Cappellanus renuat adimplere onera ab Epiſcopo in Tabellis præſcripta; &uſque adhuc ab omnibus Cappellanis pro tempore obſervata, eo præcipuè fundamento, quod in aliis fundationibus Cappellaniarum erectarum in eadem Cathedrali dicta onera non inveniantur; Quæro an idem Cappellanus teneatur obſervare eadem onera in dictis Tabellis demandata?

6 Reſpondeo affirmativè, quia cum non inveniatur inſtrumentum fundationis, & Tabellæ fuerint continuo ab omnibus Cappellanis pro tempore obſervatis, non eſt proinde permiſſum moderno Cappellano ſe à prædictis oneribus in Tabellis præ-

præſcriptis eximere; ut noviſſimè reſolutum fuit ab eadem S. Congregatione Concilii *in Callien.* 4. *Martii* 1719. ubi mos eſt antiquus Eccleſiæ Callienſis, quod fiant Tabellæ, tum pro diebus, in quibus Sacerdotes debent deferre Pluvialia, tum pariter pro diebus, & horis, in quibus Miſſæ ſunt celebrandæ, cùm autem Patroni cujuſdam Cappellaniæ ſub invocatione S. Bernardini in Cathedrali Eccleſia Callienſi erectæ contenderent Cappellanum à ſe nominatum non teneri deferre Pluviale certis diebus, & celebrare certis pariter diebus, & horis præſcriptis, uti demandatum fuit ab Epiſcopo in Tabellis pro regulanda officiatura ejuſdem Cathedralis exaratis inter cætera, eo ſub motivo, quod licèt non inveniatur fundatio dictæ Cappellaniæ, adſunt tamen aliæ fundationes aliarum Cappellaniarum, in eadem Eccleſia erectarum, in quibus recenſita onera non inveniuntur; hoc tamen non obſtante, fuit injunctum eidem Cappellano deferre Pluviale, & Sacrum celebrare certis diebus, & horis præſcriptis in Tabellis.

ARGUMENTUM.

An Religioſo concedenda ſit facultas mutandi diſpoſitionem, & reſervationem Juriſpatronatus factam de tempore Novitiatus, accedente conſenſu illius, favore cujus reſervatum fuit Juſpatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Pontifex concedere poteſt Regularibus facultatem diſponendi, & mutandi diſpoſitionem ab ipſis in ſæculo factam.*

2 *Referuntur exempla, quibus hujuſmodi facultas diſponendi fuit Regularibus conceſſa.*

3 *Moniali poſt demandatam in ſæculo fundationem Cappellaniæ de propriis bonis poſt ſuum obitum erigendam non eſt concedenda facultas mutandi, & diſponendi de iiſdem bonis favore ſui Monaſterii.* Intellige, ut n.7.

4 *Regulari non eſt concedenda licentia revocandi teſtamentum ante Profeſſionem ab ipſo conditum, hæredem relinquendo ſuum Monaſterium*; Intellige, ut n.8.

5 *Religioſo eſt concedenda facultas mutandi antiquam diſpoſitionem, & reſervationem juriſpatronatus factam de tempore novitiatus, quando nova diſpoſitio eſt rationabilis, & nemini præjudicialis.*

6 *Commutatio voluntatis ſolet à Summo Pontifice permitti, non obſtante Tertii præjudicio merè eventuali, & incerto.*

CASUS III.

TRes, quædam Monialis, dum erat in Novitiatu, & ante Profeſſionem, inſtituit Cappellanias, & jus ad eas nominandi ſibi reſervavit, & poſt ſuum obitum jus illud detulit ad nonnullos ſuos conſanguineos, quibus deficientibus ad Patrem Rectorem Collegii Societatis Jeſu, Civitatis A, abſque eò, quod tamen Eccleſiam expreſſerit, in qua Cappellani deberent Miſſas celebrare. Cupit modò eadem Monialis, ut à Summo Pontifice ſibi indulgeatur facultas diſponendi, primo, quod Cappellani nominandi deberent eſſe ex ſuis Conſanguineis intrà quartum gradum, & in eorum defectu, ex pauperioribus, & magìs egenis Sacerdotibus, ſuo Monaſterio inſervientibus; Secundò, quod Miſſæ ſemper in Eccleſia ſui Monaſterii celebrarentur; & tertio, quod jus nominandi Cappellanos deferretur ad ejuſdem Monaſterii Abbatiſſam, ſubdendo Patrem Rectorem Collegii Societatis Jeſu ſe promptiſſimum, & paratiſſimum exhibere ad renunciandum pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus juri nominandi ſibimet, vel ſucceſſoribus ſuis deferendo poſt obitum dictæ Monialis. Quo caſu quæritur an eidem Moniali concedenda ſit hujuſmodi facultas?

1 De Poteſtate Pontificia, ſeu quod Summus Pontifex poſſit concedere Regularibus facultatem diſponendi, & mutandi diſpoſitionem ab ipſis in ſæculo factam nulla eſt hæſitatio; quia cum tota prohibitio diſponendi tam inter vivos, quàm in ultima voluntate quoad Monachos, & Moniales deſcendat à jure poſitivo, nimirum à Textu *in authentica ingreſſi C. de Sacroſanctis Eccleſiis, & à cap. quia ingredien-*

dientibus de Teſtam. Summus Pontifex ſua Auctoritate hanc prohibitionem tollere, & juri poſitivo derogare valet, ut patet
2 pluribus exemplis, & caſibus in S. Congregatione Concilii ventilatis, præſertim in quadam cauſa *Florentina 13. Julii 1686.*, ubi eadem Congregatio indulſit Fratri Camillo Lando ordinis S. Auguſtini, ut accedente conſenſu Fratrum ſui Conventus renunciare poſſet juribus ſibi competentibus ſuper quadam domo favore ſui Fratris germani; & in alia cauſa *Limana 27. Junii 1699.* conceſſit cuidam Moniali, ut de certa quantitate diſponeret, cujus diſpoſitionem ſibi reſervaverat in Teſtamento, quod fecerat antè Profeſſionem; Difficultas ſtat in voluntate, ſeu an Summus Pontifex debeat, & ſoleat hujuſmodi facultatem Regularibus concedere.

Negativam reſponſionem ſuadent quamplures Reſolutiones Sacræ Congregationis Concilii, quibus apparent conſimiles
3 petitiones rejectæ; In quadam enim cauſa *Toletana die 8. Julii 1668.* Sacra Congregatio negativè reſpondit petitioni cujuſdam Monialis Sanctæ Claræ, quæ poſt demandatam in ſuo teſtamento, quod in ſæculo condiderat, Cappellaniæ fundationem poſt ſuum obitum erigendam, & ad quam ſuos vocaverat Conſanguineos, poſtulabat facultatem de iiſdem bonis
4 diſponendi favore ſui Monaſterii. Item in quadam Cauſa *Bononien. die 25. Febr. 1679., & die 23. Auguſti 1692.*, eadem Sacra Congregatio noluit concedere licentiam revocandi teſtamentum cuidam Regulari, qui ante Profeſſionem illud condiderat, hæredem relinquendo ſuum Monaſterium, licèt ageretur de Profeſſo inter Jeſuatos, & licèt ordo Jeſuatorum, tempore petitionis, fuiſſet jam ſuppreſſus à Summo Pontifice Clemente IX.

5 His tamen non obſtantibus in quadam cauſa *Toletana* propoſita in Sacra Congregatione Concilii, ubi ſimilis caſus diſputabatur, ſentiebam eſſe annuendum petitioni præfatæ Monialis, prævia tamen renunciatione juris nominandi facienda per Præpoſitum Generalem; Supradicta namque nova diſpoſitio, quam eadem Monialis vellet explere, eſt rationabilis, quia per eam conſulitur Eccleſiæ proprii Monaſterii, quæ non habet ſufficientem numerum Miſſarum, non eſt ulli præjudicialis, non quidem Conſanguineis, quibus reſervatum fuit jus activuum nominandi, quia iſti jam deceſſerunt, nec eſt præjudicialis juri paſſivo, quia iſtud nulli fuit in prima diſpoſitione reſervatum; neque præjudicium infert alicui Eccleſiæ, quia in eadem prima diſpoſitione non fuit expreſſa Eccleſia, in qua Miſſæ eſſent celebrandæ.

Non officit, quod ſi concedatur facultas deveniendi ad dictam novam diſpoſitionem, præjudicetur Rectori Collegii Societatis Jeſu; quia in primis hujuſmodi conceſſio eſt permittenda prævia renunciatione juris nominandi facienda per Præpoſitum Generalem; deinde cum jus nominandi Cappellanos vigore primæ diſpoſitionis devolvatur ad Patrem Rectorem poſt obitum dictæ Monialis, non agitur de jure quæſito eidem Patri Rectori, ſed quærendo, & conſequenter præjudicium illud generale, quod ſuboritur ex nova reſervatione juris nominandi Cappellanos favore Abbatiſſæ, non eſt
6 conſiderabile, ſed eo non obſtante permitti ſolet à Summo Pontifice commutatio voluntatis. *Gabriel. conſ. 183. n.19. & ſeq. lib.2. Card. de Luc. de Teſtam. diſc. 87. n.4. verſ. ac etiam, Rot. in Gerunden. Applicationis 14. Junii 1706. §. Levioris, coram Reverendiſſimo Molines.* Et ita reresolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione Concilii in *dicta Toletana 7. Maji* 1718.

Contrariæ verò reſolutiones ſupra re-
7 latæ *num. 3. &* 4. non obſtant; Prima namque proceſſit, quia oratrix ad mutationem diſpoſitionis deveniebat non tam ex amore erga ſuum Monaſterium, quam ex odio concepto adversùs conſanguineos; Secunda autem habuit ori-
8 ginem, ex eo quia in ea cauſa, nè dum aderat præjudicium Monaſterii hæredis inſtituti in primo Teſtamento, cujus bona, & jura ad Sedem Apoſtolicam erant devoluta, ſed ulterius Papa Religionem ſupprimendo, Profeſſis permiſerat tranſitum ad aliam Religionem, & quatenus in ſeculo permanſiſſent in habitu Clericali, præſtationem ex redditibus Monaſterii aſſignaverat; ut colligitur ex eiſdem reſolutionibus in dictis Cauſis editis.

AR-

ARGUMENTUM.

Papa an, & quando ſoleat pias Fundatorum, aut Teſtatorum voluntates commutare?

SUMMARIUM.

1 *Papa poteſt Pias Defunctorum voluntates commutare; etiam abſque cauſa, de plenitudine poteſtatis*, ut n.2.

3 *Ex æquitate non ſolet commutare dictas voluntates, nec ſtatum beneficiorum alterare ſinè juſta, & neceſſaria cauſa*; & num.7.

4 *Erectio Canonicatus commutari ſolet; in erectionem ſimplicis beneficii, quando ſequi non poſſit ob diſſenſum Capituli*. Limita, ut n.9.

5 *Ex impoſſibilitate exequendi legatum permittitur illius commutatio*.

6 *Ex ſubſidiis relictis à Teſtatore Puellis in certis permitti ſolet, ut deſumantur nonnulla, & applicentur Puellæ egenæ, & Conſanguineæ Fundatoris, ad effectum ſe monachandi*.

8 *Enumerantur caſus in quibus denegata fuit commutatio ultimarum voluntatum*; & num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

CASUS IV.

AD materiam hujus *Canonis* utile exiſtimavi enumerare nonnullos caſus, in quibus Summus Pontifex pias Fundatorum, aut Teſtatorum voluntates commutavit, & in quibus hujuſmodi commutationem denegavit.

1 Nullatenus eſt ambigendum, quod Papa poſſit pias Defunctorum voluntates commutare in alia opera itidem pia; ita enim ex *Clement. quia contingit in princip. de Relig. domib.* tuentur omnes Canoniſtæ, quos refert *Mart. de juriſdict. par.*4. *caſ.*74. *num.*4. *Mandoſ. in prax. ſignaturæ Gratiæ verb. commutatio ultimæ voluntatis, verſ. plures, Monet. de commut. ultim. volunt. cap.*5. *n.*144. *Fagnan. in cap. nos quidem de teſtam. n.*36. & 40. *cum ſeqq. Barboſ. de univerſ. jur. Eccleſ. lib.*3. *cap.*27. *n.*57. *Amoſtaz. de cauſ. piis cap.*14. *lib.*1. *num.*1. *cum ſeq. Card. de Luc. de teſtam. diſc.*72. *n.*14. *Rot. coram Buratt. diſc.*883. *num.*1.

2 Sed idem Summus Pontifex licet de plenitudine poteſtatis, abſque ulla cauſa, hujuſmodi commutationes permittere poſſit juxta *Fagnan. in dicto cap. nos quidem n.*36. *de teſtam. Sanchez de Matrim. lib.*2. *diſput.* 15. *num.*3. *Amoſtaz. de cauſ. piis*

3 *dicto cap.*14. *num.*4., tamen ex ſumma ejus juſtitia, & æquitate ſinè cauſa juſta, & neceſſaria commutare, vel derogare Teſtatorum voluntatibus, ſtatumque beneficiorum alterare non debet, nec ſolet. *Fagnan. in d. cap. nos quidem n.*36., indè eſt, quod Concilium Tridentinum *cap.*6. *ſeſſ.*22. *de reform.* ſtatuit quod commutationes ultimarum voluntatum non niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debent; ibi = *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ nonniſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debent &c.* =

Ut igitur deveniatur ad hanc commutationem, requiritur juſta, & neceſſaria cauſa, quæ ſi concurrat, Papa certò equidem ſolet commutare, & derogare voluntatibus Teſtatorum. Sic commutat

4 erectionem Canonicatus demandatam à Teſtatore cum reſervatione juriſpatronatus activi, & paſſivi favore nonnullarum Perſonarum in erectionem ſimplicis Beneficii, aut Manſionariæ cum reſervatione ejuſdem Juriſpatronatus, quando erectio Canonicatus ſequi non poteſt ob diſſenſum Capituli Cathedralis capitularitèr præſtitum, ut apparet ex reſolutione S. Congregationis Concilii in *Aretina declarationis, ſeu commutationis voluntatis* 9. *Novembris* 1698. confirmata 19. *Februarii* 1701., & *in Maceraten. Commutationis voluntatis* 30. *Auguſti* 1704.

Relictis à Teſtatore nonnullis bonis cum onere erogandi eorum redditus aſcendentes e. g. ad annua ſcuta centum, uno anno, inveſtiendis tot pauperibus, altero anno, in dotanda puella paupere, & egena matrimonium contrahere volente, fuit derogatum voluntati Teſtatoris, & fuerunt applicati redditus illius anni, in quo fieri debebat erogatio dotis, cuidam Puellæ ad effectum ſe monachandi, attentis hujus paupertate, & conſanguinitate cum eodem Teſtatore, ut ex reſolu

ſolutione ejuſdem S. Congregationis in *Cuſentina ſubſidii dotalis* 7. *Febr.* 1711.

5 Stante impoſſibilitate exequendi Legatum, permittitur illius commutatio, uti permiſſa fuit in *Salisburgen. commutationis voluntatis* 1. *Junii* 1715., ubi injuncto per Comitem Bennum de Martiniz Præpoſitum Wiſſegradenſem onere, ſuo hæredi, vendendi propriam domum Pragæ, & pro pecunia alias duas levioris pretii Neopragæ ad Wiſſegrad emendi, & in illis duodecim Nobilibus Bohemis ſtudioſis ſub directione alicujus Regentis nudam, liberam habitationem tribuendi; cùm hoc legatum nunquam fuerit exequutum, neque erat exequibile, eo quod nullus ex nobilitate Bohema in longo annorum curriculo repertus fuit, qui vellet puram habitationem habere in prælibata Civitate Neopragæ, ubi nulla ſive vicinarum Scholarum, ſive exercitiorum equeſtrium commoditas eſt, nullusque Regens inventus fuit, qui ſinè ullo ſtipendio tantum onus ſubire ſit paratus; fuit proindè commutatum in manutentionem tot Alumnorum in Domo Salisburgenſi, vel in alia Domo Clericorum in commune viventium.

6 Ex ſubſidiis dotalibus, relictis à Teſtatore Puellis incertis ad effectum nubendi in ſæculo, vel in Domino, permitti ſolet, ut deſumantur nonnulla, & applicentur pro commoditate Puellæ, quæ ſit ſanguine conjuncta cum Teſtatore, & ſit pauper, ut ipſa Monialis effici poſſit, utì fuit permiſſum in *Romana*, *ſeu Sabinen. ſubſidii dotalis* 24. *Aprilis* 1717., *& in Romana dotium* 24. *Septembris* 1718.

7 E' contra deficiente, & non concurrente juſta, & neceſſaria cauſa Summus Pontifex has piorum Teſtatorum voluntatum commutationes, & derogationes, irritat, atque denegat.

8 Sic ſi redditus pro Veſtiario Pauperum à Teſtatore deſtinati erogentur, commutentur, aut applicentur ab Epiſcopo pro reparatione, ſeu nova conſtructione Frontiſpitii Eccleſiæ Cathedralis, talis commutatio, & applicatio non ſuſtinetur, præſertim ſi forma Frontiſpitii ex operibus voluntariis appareat magis ornata, quam ipſius Fabricæ neceſſitas exquirat, & Legatum Veſtiarii eſt reintegrandum, ut definitum fuit à ſæpè dicta S. Congregatione in *Gerunden. Commutationis voluntatis* 25. *Septembris* 1700. *ad ſecundum, & tertium*.

9 Non ſolet Summus Pontifex commutare erectionem Canonicatus à Teſtatore demandatam cum reſervatione Juriſpatronatus, in erectionem ſimplicis Beneficii, ſeu non ſolet loco præbendæ Canonicalis permittere erectionem beneficii ſimplicis, ex eo, quod Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ renuant aſſentiri erectioni Canonicatus, attenta tenuitate Capitalis aſſignati pro diſtributionibus quotidianis, quando dictum Capitale ex redditibus ab eodem Teſtatore relictis poſſit augeri, ut fuit dictum in *Placentina Commutationis voluntatis* 18. *Febr.* 1702.

10 Relicto à Teſtatore Capitali magnæ pecuniarum ſummæ cum onere erogandi tertiam partem fructuum illius pro alimentis trium Adoleſcentium Theologiæ ſtudentium; aliam tertiam partem in redemptionem captivorum, vel ſubſidium alicujus Judæi Catholicam fidem amplectentis, & aliam tertiam partem pro dotandis tribus honeſtis Puellis, non ſolet Summus Pontifex ſuſpendere iſtud Legatum in totum, & omnes illius redditus exigendos ſpatio alicujus temporis applicare, & aſſignare pro ſubſidio dotali pauperum Puellarum etiam ejuſdem Teſtatoris conſanguinearum, in piæ mentis Teſtatoris, & aliorum vocatorum præjudicium, uti ſimilis ſuſpenſio, & applicatio legati denegata fuit in *Aquilana Commutationis voluntatis* 16. *Junii* 1703. confirmata 28. *Julii ejuſdem anni*.

11 Diſpoſito à Teſtatore, ut de omnibus ſuis bonis intrà biennium erigeretur Conventus Ordinis S. Franciſci Fratrum Recollectorum, quo infra biennium non erecto, infra aliud biennium conſtrui deberet Monaſterium Monialium Minimarum S. Franciſci de Paula, quo pariter non fundato fieret coæqualis diviſio dictorum bonorum inter certum Hoſpitale; & quædam Eremitoria. Si neutrum ex dictis Monaſteriis fuerit erectum intrà tempus ſtatutum ob denegatum aſſenſum regium, & oppidanorum, non debet permitti commutatio iſtius Legati in erectionem novi Monaſterii alterius Religionis, ſed Bona à Teſtatore relicta ſunt conſignanda, & reſtituenda tertio loco voca-

tis, nimirum Hoſpitali, & Eremitoriis ſupradictis, & inter ipſa ſunt æqualiter dividenda, uti ſimilis commutatio denegata fuit in *Giennen. Commutationis voluntatis* 12. *Januar.* 1704.

12 Legatum à Teſtatore relictum pro dotandis duabus, vel tribus Orphanellis in Monaſterio Orphanellarum degentibus, commutari non debet in Alimoniam tot Puellarum Orphanarum Monialium, ut fuit reſcriptum à dicta Sacra Congregatione in *Tarentina Commutationis voluntatis* 21. *Aprilis* 1708.

13 Legatum à Teſtatore relictum pro erectione Monaſterii duodecim Monialium S. Claræ cum reſervatione Juris nominandi Puellas ibi monachandas favore ſuorum hæredum, non fuit commutatum in manutentionem Alumnorum Seminarii, aut Collegii, non obſtante diſſenſu Epiſcopi, ac non obſtantibus quampluribus difficultatibus ab eo oppoſitis contra erectionem ejuſdem Monaſterii, nimirum, quòd domus à Teſtatore deſignata pro Monaſterio erigendo erat jam à ſuis Dominis diſtracta, quòd incongrua videbatur nominationis Puellarum reſervatio Laicis juxta deciſiones 265. 321. & 336. *coram Cavaler.*, quòd aliud deſideretur capitale pro ſuppellectilibus Eccleſiæ exterioris, & manutentione miniſtrorum ipſius Eccleſiæ, & Monaſterii, ad quorum proviſionem prætendunt dicti hæredes ſeſe non teneri, & quòd in eodem loco vigeant quinque Monialium Monaſteria, inter quæ ſub eadem regula S. Claræ; ſed injunctum fuit Epiſcopo, ut incumberet erectioni Monaſterii, ut fuit reſolutum in *Cæſenaten. Commutationis voluntatis* 5. *Maji* 1708.

14 Ob inſubſiſtentiam cauſarum adductarum fuit denegata commutatio Legati relicti pro fundatione, & erectione Oratorii, ſeu conſervatorii Puellarum, in erectionem Collegiatæ in *Cremonen. Commutationis voluntatis* 7. *Decembris* 1709.

15 Requiſitis in limine fundationis beneficii oneribus actualis Sacerdotii, celebrandi per ſe ipſum, ac inhabitandi in Domo hæreditaria Fundatoris, fuit denegata ſimplici Clerico ad dictum beneficium præſentato diſpenſatio ſuſcipiendi Sacerdotium infra annum, & inhabitandi dictam domum, ac denegata fuit facultas celebrandi per alium in *Regien. diſpenſa-*
16 *tionis* 24. *Maji* 1710. Fuit etiam denegata erectio Legati Miſſarum à quodam pio Teſtatore relictarum in Beneficium Eccleſiaſticum, non obſtante quod Teſtator voluerit Cappellanum ad ejuſdem Legati Titulum promoveri poſſe in *Romana Cappellaniæ* 14. *Junii* 1710.

17 Inſuper non fuit permiſſa commutatio celebrationis Miſſæ ab una Eccleſia ad aliam ex cauſa, & eo fine, ut Populus illectus occaſione audiendi ſacrum in hac alia Eccleſia, inibi quoque eodem tempore perciperet Catecheſim rudimentorum Fidei, quæ de mane ibi habetur, antequam Sacrum incipiat in *Ariminen. commutatiouis Miſſæ* 14. *Martii* 1711., confirmata 13. *Junii ejuſdem anni*. Sicuti non
18 fuit permiſſa commutatio, ſeu translatio celebrationis Miſſæ à Teſtatore demandatæ in una Eccleſia ex devotione erga ipſam, ab ea, ad aliam Eccleſiam ex cauſis minus legitimis, & neceſſariis, nimirum propter incommoditates itineris, perquirendi Clavem Eccleſiæ, quæ modò ſit apud unum, modò apud alium, & inveniendi ab Eccleſiis diſtantibus lumen, vinum, aquam, & cætera neceſſaria pro celebratione Miſſarum, & propter anguſtiam Eccleſiæ, ubi Miſſa fuit demandata in *Caſalen. Commutationis voluntatis* 24. *Septembris* 1718.

19 Denique fuit denegata applicatio dotium uſui, & commoditati Eccleſiæ dotantis ad eam reverſarum, eo quia dotata matrimonium contraxit, ſed deceſſit abſque liberis, vel quia Puellæ dotatæ nolunt, aut non poſſunt nuptias contrahere aut in ſæculo, aut in Domino, ſed illæ dotes reverſæ ſunt iterum diſtribuendæ Puellis in ſæculo, vel in Domino nupturis juxta mentem Fundatoris; in *Romana dotium* 24. *Septembris* 1718.

AR-

ARGUMENTUM.

Erectio Cappellaniæ facta ab Epiſcopo diverſo modo ab eo, quo fuit diſpoſitum à Fundatore, eſt reformanda ad formam diſpoſitionis ejuſdem.

SUMMARIUM.

1 *Negligente hærede, aut Patrono adimplere voluntatem Fundatoris, Epiſcopus devenire valet ad illius adimplementum.*

2 *Cappellania erecta in titulum perpetui beneficii contra voluntatem Fundatoris volentis illam eſſe amovibilem, eſt reformanda in Cappellaniam amovibilem ad formam teſtamentariæ diſpoſitionis.*

CASUS V.

RElatum fuit in Sacra Congregatione Concilii in *Æſina Cappellaniæ* 22. *Aprilis* 1719., quod anno 1672. Joannes Jacobus de Ambroſiis à fundamentis extruxit in Câſtro Roſorii Eccleſiam in honorem S. Ambroſii, emiſſa jurata promiſſione de eadem dotanda, in cujus obligationis executionem die 8. *Octob.* 1695. pro dote aſſignavit Prædium in vocabulo *li Pratelli*, cujus annui redditus ſcutorum circiter 50., percipi deberent à Cappellano, cui fuit impoſitum onus celebrandi per ſe, vel per alium quatuor Miſſas qualibet hebdomada. Et in eo, quod attinet ad Juſpatronatus activum, illud reſervavit pro ſua, & deſcendentium maſculorum à Sindulpho Germano Fratre Familia in infinitum; in eoque quod ſpectat ad Juſpatronatus paſſivum, ad illud vocavit Sacerdotes, & Clericos, ex prædictis Familiis, quatenùs adeſſent, in qua hypotheſi ſtatuit, quod nominatus amoveri non poſſet, & quatenus ex dictis Familiis Clerici, aut Sacerdotes non adeſſent ita ut exteri eſſent præſentandi, tunc voluit, quod Præſentatus eſſet amovibilis ad beneplacitum Patronorum, cumque voluerit ſe ſubjicere prædictis legibus, & ſibi per conſequens plenam aſſeruerit libertatem in præſentando, nominavit, & præſentavit ad Cappellaniam quendam ſuum conſanguineum Vincentium Durellum Monachum ordinis Ciſtercienſis Romæ commorantem, quatenus à Sede Apoſtolica diſpenſationem obtinuiſſet, & facultatem tranſeundi ad ordinem Cluniacenſium, huncque à ſe nominatum voluit, quod Rector eſſet, & perpetuus Cappellanus.

Paulò poſt aſſignationem dotis, Joannes Jacobus è vita deceſſit, cùmque nominatus, ſeu præſentatus ab ipſo propter incapacitatem à ſtatu Monachali derivantem, Cappellaniam obtinere non potuerit, non fuit ab hæredibus facta inſtantia pro erectione Beneficii; quo circa accedente Epiſcopo Æſino ad viſitationem Caſtri Roſorii anno 1697., poſt facta nonnulla Decreta, tam quoad quamdam januam, per quam habebatur ingreſſus in Eccleſiam à Joanne Jacobo extructam, quàm quoad ſupellectilia Altaris, fuit ab eodem præfixus terminus duorum menſium hæredi ad petendam erectionem Beneficii, & proviſionem Rectoris, ipſoque negligente adimplere mandata intrà tempus præfixum, inſtante Promotore Fiſcali, Epiſcopus declaravit, Beneficium eſſe ad ſe devolutum, illudque auctoritate ordinaria erexit, & inſtituit in beneficium perpetuum, impoſita Cappellano obligatione celebrandi quatuor Miſſas qualibet hebdomada, juxta ea, quæ fuerunt à Fundatore præſcripta, & Cappellaniam contulit Sinibaldo Durello Germano fratri Patris Vincentii Durelli, qui præſentationem, uti diximus, à Fundatore reportaverat.

Sinibaldus immiſſus fuit in poſſeſſionem Cappellaniæ die 19. *Septembris* 1699. ſed mortuo Patre Vincentio Durello *anno* 1713., delataque hujus mortis notitia ad Philippum de Ambroſiis, fuit ab hoc tamquam Patrono nominatus ad Cappellaniam Nicolaus Bartolinus, exortaque inter hunc, & Sinibaldum controverſia, poſt prolatam à Vicario Æſino ſententiam favore Sinibaldi, inter cætera diſputatum fuit in Sacra Congregatione ſequens dubium = *An erectio Cappellaniæ S. Ambroſii Caſtri Roſorii ad titulum perpetui beneficii ſit reformanda in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra familiam*

liam Fundatoris ad formam diſpoſitionis ejuſdem ⩵ .

Putabat Sinibaldus Cappellaniam Sancti Ambroſii erectam in titulum perpetui Beneficii non eſſe reformandam in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris, non obſtante ejuſdem voluntate. Etenim negli-
1 gente hærede, & Patrono adimplere voluntatem Fundatoris, dum interpellatus ab Epiſcopo in viſitatione anni 1697., & expectatus per biennium ſemper renuit erectionem petere beneficii, nominationem Rectoris explere, Miſſas celebrare, aut celebrari facere, nec non ſuppellectilia, aliaque neceſſaria præſtare, ob tantam Patroni negligentiam, & contraventionem, juſtè potuit Epiſcopus devenire ad erectionem Cappellaniæ, & eam efficere ſimpliciter perpetuam, cum ad ipſum ſpectet omnium Beneficiorum ſuæ Diœceſis inſtitutio, & fundatio, nec abſque ejus aſſenſu ea fundari poſſint, juxta diſpoſitionem *Canonis XXVIII. Part.II.*, & Auctoritates ibi in *Commentario* relatas; quæ erectio eſt attendenda, & prævalere debet cuicumque diſpoſitioni Fundatoris juxta ſuperiùs firmata dicta *Part.II.Can.I. & II. Caſ.VII. num.9.*

2 Ego verò ſtudens in hac cauſa, meum aperiendo ſenſum, cenſebam ſupradicto dubio *Affirmativè* eſſe reſpondendum; Clara namque ſunt verba Fundatoris diſponentis Cappellaniam debere eſſe amovibilem in hypotheſi, in qua ad eam præſententur Cappellani extra Familiam Fundatoris, ibi ⩵ *Quod Cappellanus eligendus ab hæredibus maſculis regulariter ſit amovibilis, ſemperque eligatur unus de Familia, quatenus exiſtat, quod vult eſſe perpetuum, & quatenus non exiſterent Sacerdotes, ſeu Clerici de Familia Ambroſiana, eo caſu Cappellanus, ſeu Rector ſit amovibilis* ⩵ Unde Epiſcopus non poterat hanc legem fundationis alterare, & efficere hanc Cappellaniam ſimpliciter perpetuam, contra voluntatem ejuſdem Fundatoris omnino ſervandam juxta Auctoritates ſuperiùs relatas *dicto Caſ. VII.* ubi ſupra *n.*4., & conſequenter quicquid malè geſſerit ordinarius reducendum venit ad juſtitiæ tramites, & erectio Cappellaniæ ab ordinario facta in titulum beneficii perpetui licèt do nec quouſque reſcindatur, & reformetur, obſervanda veniat, ut notavi dicto *Caſ.VII. num.9.*, tamen eſt reformanda in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris ad formam diſpoſitionis ejuſdem. Et ita reſolutum fuit ab eadem Sac. Congregatione dicta *die* 22. *Aprilis* 1719.

CANON XII.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXV. Cap. IX.

SIcuti legitima Patronatuum jura tollere, piaſque fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare, æquum non eſt, ſic etiam, ut hoc colore Beneficia Eccleſiaſtica in ſervitutem, quod à multis imprudenter fit, redigantur, non eſt permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio obſervetur, decernit Sancta Synodus, ut titulus Juriſpatronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico fundamento, & aliis jure requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundùm

juris

juris diſpoſitionem. In iis verò perſonis, ſeu Communitatibus, vel Univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potiùs quæſitum præſumi ſolet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: Nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quàm ſi præter aliqua ad eam neceſſaria, præſentationes etiam continuatæ, non minori ſaltèm, quàm quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis Scripturis probentur. Reliqui Patronatus omnes in Beneficiis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, ſeu Parochialibus, vel Dignitatibus, aut quibuſcumque aliis Beneficiis in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia, ſeu facultates, & Privilegia conceſſa tam in vim patronatus, quàm alio quocumque jure nominandi, eligendi, præſentandi ad ea, cùm vacant, exceptis patronatibus, ſuper Cathedralibus Eccleſiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, alioſque ſublimes, ac ſupremos Principes, jura imperii, in dominiis ſuis habentes, pertinent, & quæ in favorem ſtudiorum generalium conceſſa ſunt; in totum prorſus abrogata, & irrita cum quaſi poſſeſſione indè ſequuta intelligantur; Beneficiaque hujuſmodi tanquam libera à ſuis Collatoribus conferantur: ac proviſiones hujuſmodi plenum effectum conſequantur. Ad hæc liceat Epiſcopo præſentatos à Patronis, ſi idonei non fuerint, repellere; Quod ſi ad inferiores inſtitutio pertineat; ab Epiſcopo tamen juxta alia ſtatuta ab hac S. Synodo examinentur; alioquin inſtitutio ab inferioribus facta irrita ſit, & inanis. Patroni autem beneficiorum cujuſcumque ordinis, & Dignitatis, etiamſi Communitates, Univerſitates, Collegia quæcumque Clericorum, vel Laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum, quorumcumque Beneficiorum, etiamſi verè de Jurepatronatus ipſorum ex fundatione, vel donatione eſſent, nullatenus, nullave cauſa, vel occaſione ſe ingerant, ſed illos liberè Rectori, ſeu Beneficiato, non

obſtante

obſtante etiam quacumque conſuetudine, diſtribuendos dimittant. Nec dictum Juſpatronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo, in alios contra Canonicas ſanctiones transferre præſumant; ſi ſecus fecerint excommunicationis, & interdicti pœnis ſubjiciantur, & dicto Jurepatronatus ipſo jure privati exiſtant. Inſuper acceſſiones per viam unionis factæ de Beneficiis liberis ad Eccleſias Juriſpatronatus, etiam Laicorum ſubjectas tam ad Parochiales, quàm ad alia quæcumque Beneficia etiam ſimplicia, ſeu Dignitates, vel Hoſpitalia, itaut prædicta Beneficia libera ejuſdem naturæ cum iis, quibus cùm uniuntur, efficiantur, atque ſub jurepatronatus conſtituantur: Hæ ſi non dum plenarium ſortitæ ſunt effectum, vel deinceps ad cujuſvis inſtantiam fient, quacumque Auctoritate etiam Apoſtolica, conceſſæ fuerint, ſimul cum unionibus ipſis per ſubreptionem, obtentæ intelligantur, non obſtante quacumque in iis verborum forma, ſeu derogatione, quæ habeatur pro expreſſa, nec executioni ampliùs demandentur, ſed Beneficia ipſa unita, cùm vacaverint, liberè, ut antea, conferantur. Quæ verò à quadraginta annis citra factæ, effectum, & plenam incorporationem ſunt conſecutæ, hæ nihilominus ab ordinariis, tanquam à Sede Apoſtolica delegatis, revideantur, & examinentur, ac quæ per ſubreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, ſimul cum unionibus irritæ declarentur, ac Beneficia ipſa ſeparentur, & aliis conferantur. Similiter quoque Patronatus quicumque in Eccleſiis, quibuſcumque aliis Beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis, acquiſiti a 40. annis citra, & in futurum acquirendi, ſeu ex augmento dotis, ſeu ex nova conſtructione, vel alia ſimili cauſa etiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ ab iiſdem ordinariis uti delegatis, ut ſupra, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis impediantur, diligenter cognoſcantur, & quos non repererint ob maximè evidentem Eccleſiæ, vel Beneficii, ſeu Dignitatis neceſſitatem legitimè conſtitutos eſſe, in totum

revo-

revocent, atque Beneficia hujuſmodi ſinè damno illa poſſidentium, & reſtituto Patronis,eo, quod ab eis idcirco datum eſt, in priſtinum libertatis ſtatum reducant. Non obſtantibus Privilegiis, conſtitutionibus, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus:

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = Juspatronatus probari debet ex authentico documento fundationis, vel dotationis, aut ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum; aut alias secundum juris dispositionem =.

Secunda = Juspatronatus competens personæ potenti, probari debet per instrumentum fundationis, vel constructionis, vel dotationis, eoque deficiente per immemorabilem, una cum præsentationibus continuatis, et effectum sortitis spatio quinquaginta annorum, et probatis per authenticas scripturas =.

Tertia = Juspatronatus competens alicui ex mero privilegio est ablatum, et revocatum, exceptis Patronatibus Regiis, et aliis competentibus supremis Principibus, jura imperii in dominiis suis habentibus, et quæ in favorem studiorum generalium concessa sunt =.

Quarta = Si institutio spectat ad inferiorem Præsentatus examinari debet ab Episcopo =.

Quinta = Patroni non possunt disponere de redditibus Ecclesiæ Patronatæ, sed illi consignandi sunt ejus Rectori. =

Sexta = Juspatronatus, emi, vel vendi non potest, sub poenis illius privationis, excommunicationis, et interdciti =.

Septima = Æcclesiæ liberæ uniri non possunt Ecclesiis Patronalibus =.

Octava = Juspatronatus acquisitum, vel per viam accessionis, aut ex augumento dotis, aut ex reædificatione, a quadraginta annis citra a die acquisitionis ad diem confirmationis Concilii revideri potest ab Ordinario, qui illud revocare debet, si non repererit ob Ecclesiæ evidentem necessitatem legitime constitutum = Quas concluſiones ſequuntur etiam. *Fraſſ. de Patron. Reg. tom.*1. *cap.*2. *n.*4. *cap.*3. *num.*36. *cap.*5. *n.*18. *cap.*7. *num.*2. *cap.*30. *num.*38. *cap.*31. *n.*3. *& ſeqq. cap.*69. *n.*50. *cap.*85. *n.*51. *cap.*92. *n.*15. *Spad. conſ.*12. 18. 19. *&* 21. *lib.*2. *Noal. conſ.*87. *num.*9. *& conſ.*88. *ſub num.*2. *Fagnan. in cap. cum vos de offic. ordin. n.*6. *& in cap. querelam de elect. n.*5. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*1. §.2. *n.*1. *& ſeqq. & annot.*18. §.1. *num.*28. *Barboſ. hic. Capic. Latro conſult.*153. *num.*5. *tom.*2. *Roſa de execut. Litt. Apoſtolic. par.*1. *cap.*16. *num.*45. *Oliva de for. Eccleſ. par.*1. *quæſt.*7. *n.*28. *& ſeq. Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.*3. *cap.*6. §.5. *n.*40. *& ſeqq. & de tempor. legal. lib.*2. *cap.*104. *num.*1. *Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.*11. *& de Jurepat. diſc.*3. *& diſc.*58. *Bertachin. vot. dec.*138. *num.*1. *Pignattell. conſult.*82. *per tot. tom.*9. *Capon. diſcept.*12. *num.*33. *& ſeqq. tom.* 1. *& diſcept.*74. *n.*22. *Gratian. diſcept.* 197. *n.*12. *ibique Carol. Anton. de Luc. num.*1. *& ſeqq. Gonzal. ad regul.*8. *Cancell. gloſſ.*18. *num.*15. *Garz. de benef. par.*5. *cap.*9. *n.*70. *Tondut. quæſt. benef. par.*3. *cap.*192. *Rot. poſt Vivian. de jurepat. deciſ.*17. *n.*2. *& dec.*142. *n.*1. *& ſeqq. coram Buratt. & deciſ.*162. *n.*1. *& ſeqq. & dec.*188. *n.*2. *& dec.*148. *n.*9. *& ſeqq. coram Bich. & deciſ.*247. *n.*2. *& dec.*461. *n.*1. *& deciſ.*464. *num.*2. *& dec.*469. *n.*1. *& ſeq. & dec.*25. *num.*1. *& ſeqq. & dec.*1784. *n.*18. *& ſeqq. cor. Coccin. & deciſ.*42. *per tot. & dec.*352. *n.*1. *& ſeqq. coram Millin. & dec.*34. *n.*17. *coram Arguell. & dec.*453. *n.*1. *coram Peutinger. & dec.* 445. *n.*9. *coram Cerro, & dec.*498. *n.*1. *& ſeqq. &* 572. *num.*2. *& ſeq. & dec.*604. *n.*1. *coram eodem; & dec.* 383. *n.*5. *& ſeq. cor. Priolo, & dec.*71. *n.*3. *&* 8., *& dec.*174. *n.*1. *& dec.*176. *num.*4. *coram Carill. & dec.*80. *num.*2. *&* 140. *n.*2. *& deciſ.*115. *n.*1. *& dec.*223. *n.*8. *&* 9. *& deciſ.*355. *n.*1. *& dec.*420. *num.*10.

*num.*10. *coram Rembold. & dec.*196. *num.*4. *par.*5. *tom.*1. *& dec.*630. *n.*85. *& ſeq. par.*4. *tom.*3. *& deciſ.*82. *num.*17. *par.* 7. *& dec.*63. *num.*2. *par.*16. *& dec.*782. *num.*1. *& ſeqq. & deciſ.*576. *num.*9. *& ſeqq. par.*18. *& deciſ.*6. *num.*1. *& ſeqq. & dec.*8. *num*4. *& ſeq. & dec.*136. *num.*1. *& ſeqq. par.*19. *rec.*, *& in Beneventana Juriſpatronatus* 10. *Maji* 1700. §. *Siquidem coram bo. me. Caprara*, *& in Mediolanen. Beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §. *Et ob id*, *coram R.P.D. Anſaldo*, ſuperiùs *impreſſ. Par.II. Can.XXII. XXIII. & XXIV. Caſ.IV. n.*17., *& in Bononien. Archipresbyteratus* 10. *Martii* 1710. §. *Addito*, *coram R.P.D. Aldrovando*, *&* 23. *Febr.*1711. §. *Atque*, *coram Reverendiſſimo Molines*, *& in Arianen. Archipresbyteratus* 14. *Martii* 1710. §. *Quibus poſitis*, *coram Eminentiſſimo Scotto*, *& in Vicen. Parochialis de Aqualata* 31. *Martii* 1713. §. *Hujuſmodi*, *coram R.P.D. Criſpo*, *& in Compoſtellana Parochialis* 16. *Novembris* 1716. §. *Agitur*, *coram R.P.D. Falconerio*, *& in Triviana Juriſpatronatus* 17. *Junii* 1718. §. *Et ſanè*, *cor. R.P.D. Foſcaro*.

1 Frequentiſſimè ante Concilium contingebat uſurpatio Juriſpatronatus, dum Perſonæ Potentes, quibus Ordinarii contradicere, vel reſiſtere non de facili poterant, maxima facilitate Eccleſias, & Beneficia in ſervitutem redigebant, & ſibi arrogabant Juſpatronatus, præſertim occaſione abſentiæ Sedis Apoſtolicæ ab Urbe, & Italia; Hinc proindè Sapientiſſimi Patres ſicuti in anteriori *Canone* providerunt indemnitati Patronorum, quando revera conſtat de eorum Jurepatronatus, prohibendo nimirum derogare, & alterare qualitates, & conditiones in limine fundationis beneficiorum per ipſos appoſitas; ita in hoc *Canone* providere non omiſerunt Libertati Eccleſiarum inducendo novam rigoroſam formam probationis Juriſpatronatus in Perſonis potentibus, nimirum, vel ex authentico inſtrumento fundationis, aut dotationis, vel per immemorabilem unà cum præſentationibus effectum ſortitis non minori ſpatio annorum quinquaginta, per documenta juſtificandis.

Quoad quartam Concluſionem jam plura diximus ſuperiùs in *hac Parte Can.I.* Quintam concluſionem probant etiam *Canon. IV. Par.I. & Canon. XXVII. Par. II.* Sextam confirmant *Canones XII. & XIII. dicta Par.II.* Quoad ſeptimam quamplurima tetigimus hìc *Can. IX.*

Quoad alias verò Concluſiones infraſcripti diſputantur Caſus.

ARGUMENTUM.

Enumerantur probationes ſufficientes ad probandum Juſpatronatus Privatorum.

SUMMARIUM.

1 *Omnia beneficia de jure præſumuntur liberæ collationis.*

2 *Libertas beneficii probatur ex ſubſecuta obſervantia.*

3 *Ultimus ſtatus in beneficialibus attenditur.*

4 *Atteſtationes conformes aſſiſtentiæ juris ſunt attendendæ.*

5 *Juſpatronatus in perſona privata probari poteſt ordinaria juris communis probatione.*

6 *Juſpatronatus privatum, quot modis probari poſſit.* Vide ibi, & num. 7. uſque ad 24., & num. 32. uſque ad num. 39.

25 *Proviſiones Apoſtolicæ non immutant ſtatum, & naturam beneficii*; & num. 42.

26 *Proviſiones beneficii factæ ab Ordinario, tamquam de libero, an, & quando non ſint adverſativæ ſtatui Patronali?* Vide ibi, & num. 27. & 28.

29 *Ultimus ſtatus nequit conſtituere Epiſcopum in poteſtate liberè conferendi, quando re integra à contrariis probationibus remanet abſortus.*

30 *In conflictu plurium Teſtium ſunt attendendi illi, qui ſunt numero plures, & magìs qualificati.*

31 *In Patronis Regularibus nulla cadit præſumptio uſurpationis.*

40 *Sententia in ſolo poſſeſſorio reſtricta non impedit, quin poſt aſſumptum examen petitorii contrarium decidatur:*

41 *Teſtes examinati non citata parte, non probant.*

CASUS

CASUS I.

PRæſentavit Titius ad beneficium A vacans quemdam Clericum idoneum, quem Ordinarius admittere, & inſtituere recuſavit, eo ſub pretextu, quod dictum Beneficium eſſet liberæ collationis, non verò juriſpatronatus; Fundabat Epiſcopus ſuam intentionem, in quibuſdam proviſionibus Apoſtolicis factis abſque ulla mentione juriſpatronatus; & in nonnullis aliis proviſionibus factis à ſe, & à ſuis anteceſſoribus de eodem beneficio, tamquam de libero, & in atteſtationibus quorumdam teſtium deponentium ſuper libertate ejuſdem beneficii. Orta proinde lite inter Titium, & Epiſcopum, quæritur in hoc caſu an conſtet de jurepatronatus?

Videtur non conſtare de jurepatronatus, ſed ſupradictum beneficium eſſe li-
1 beræ collationis. Si quidem in primis militat pro libertate hujus beneficii aſſiſtentia juris, per quam omnia beneficia præſumuntur liberæ collationis per *Text. in can. Omnes Baſilicæ* 16. *qu.* 7. *& eſt Theorica Innocentii in cap. Cùm venerabilis n.*9. *de exception.* quam ſequuntur *Rot. coram Cavaler. deciſ.* 159. *n.* 1. *& coram Seraph. deciſ* 1353. *num.* 2. *& ſeq. & coram Royas deciſ.* 99. *n.* 4. *& deciſ.* 514. *n.* 2. *par.* 17. *& deciſ.* 395. *n.* 4. *par.* 19. *& in Cremonen. Beneficii* 11. *Maji* 1705. §. *Non ſolùm coram R.P.D. Kaunitz. & in Lucana Beneficii* 22. *Febr.* 1709. §. *Quo enim in fin. coram R. P. D. Falconerio* impreſſ. *Par. II. Can. XXII. XXIII. & XXIV. Caſ. III. n.* 3. *& in Bovinen. Archipresbyteratus* 10. *Martii* 1710. §. *Conſtito coram R. P. D. Aldrovando, & in Abulen. Cappellaniæ* 28. *Junii* 1715. §. *Parum coram R. P. D. Anſaldo*.

2 Deinde eamdem libertatem concludit ſubſequuta obſervantia; Hujuſmodi namque beneficium fuit per duas vices proviſum à Sede Apoſtolica, nulla facta mentione juriſpatronatus; & per alias duas vices ab Ordinariis tamquam de libero, nimirum una vice ab Ordinario defuncto, & altera vice à moderno Epiſcopo, per cujus proviſi obitum modò vacat dictum beneficium, quæ proviſiones abſque dubio qualificare videntur ejuſdem beneficii libertatem, dum ſi hoc non fuiſſet liberum, ſed Patronale; Patronus non permiſiſſet illud provideri tamquam de libero, ut in ſimilibus terminis conſideravit *Rot. in Mediolanen. Prioratus ſuper dubio ignobilium* 15. *Junii* 1703. §. *Quod autem, & ſuper qualitate agnatitia* 18. *Junii* 1702. §. *final. coram Eminentiſs. Scotto, & in Cremonen. Beneficii* 14. *Maji* 1706. §. *Tantò facilius coram R. P. D. Kaunitz.* adeò ut vacante nunc eodem beneficio, debet Ordinarius manuteneri in poſſeſſione illud liberè conferendi; Cùm in
3 Beneficialibus ultimus ſtatus ſemper veniat attendendus, ut quam pluribus auctoritatibus probat *Rot. in Mediolanen. beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §. *Adeò coram R.P.D. Anſaldo, & in Abulen. Cappellaniæ* 28. *Junii* 1715. §. *Indubitantius coram eodem*.

4 Accedunt inſuper atteſtationes duorum Teſtium deponentium ſuper libertate dicti beneficii, quæ atteſtationes cùm ſint conformes aſſiſtentiæ juris, eis deferendum venit, ut admonet *Card. de Luc. de decim. diſc.* 13. *nu.* 8. *Rot. deciſ.* 1135. *nu.* 4. *coram Seraph. & deciſ.* 51. *n.* 2. *coram Gregor. & deciſ.* 931. *num.* 4. *coram Cerro*.

Hæc prima fronte ſuadere videntur libertatem hujuſmodi beneficii; ſed re melius perpenſa cenſeo in hoc caſu illud non eſſe liberum, ſed juriſpatronatus Ti-
5 tii. Quoniam non agitur de Perſona Potenti, ſed de Perſona privata, in qua cùm non præſumatur uſurpatio juriſpatronatus non habet locum diſpoſitio hujus *Canonis* inducentis novam rigoroſam formam probationis in Perſonis potentibus, ſed ad demonſtrandam exiſtentiam juriſpatronatus, & qualitatem patronalem in beneficio ſufficit ordinaria juris communis probatio. *Rot. deciſ.* 211. *n.* 2. *par.* 1. *& deciſ.* 360. *nu.* 2. *par.* 2. *rec. & deciſ.* 142. *nu.* 2. *&* 13. *& ſeq. coram Buratt. & deciſ.* 352. *nu,* 2. *coram Millin. & deciſ.* 445. *n.* 9. *& ſeq. coram Cerro, & deciſ.* 493. *n.* 1. *& ſeq. coram eodem*.

6 Juxta autem juris communis ordinariam probationem juſpatronatus privatorum probari poteſt. Primò. Per Inſtrumentum, Teſtamentum, aut Codicillum, continentia fundationem, conſtructionem, aut dotationem. Quod Inſtrumentum,

tum, aut Teſtamentum debet eſſe confectum per publicum Notarium, etſi ſit deperditum, poteſt probari per copiam extra Protocollum, dummodo Teſtes aſſerant illam convenire cum originali. *Ventrigl. in prax. de jurepat. annot.* 1. §. 2. *n.* 2. *& ſeqq. Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 18. *n.* 32. *Rot. deciſ.* 1037. *n.* 1. *cor. Pœnia.*

7 Secundò. Per Teſtes deponentes de publica voce, & fama, quæ in antiquis cùm poſſeſſione quadragenaria præſentandi probat juſpatronatus, ubi uſurpationis præſumptio non intrat, *Rota deciſ.* 77. *n.*2. *par.*1. *rec. & deciſ.* 154. *nu.*3. *& deciſ.* 541. *nu.* 3. *par.* 2. *& deciſ.* 172. *n.*6. *par.* 3. *& deciſ.* 159. *n.* 6. *& dec.*169. *nu.* 5. *par.* 10. *& deciſ.* 329. *nu.* 6. *par.* 9. *tom.* 2. *rec. & deciſ.* 142. *nu.* 4. *coram Buratt. & deciſ.* 162. *n.* 12. *& ſeq. cor. Bich. & in Aſculana juriſpatronatus* 26. *Januarii* 1703. §. *Rurſus coram Eminentiſſimo Scotto.*

8 Tertiò. Per decretum, quo Epiſcopus decrevit alicui danda eſſe alimenta, tamquam Patrono Eccleſiæ.

9 Quartò. Per confeſſionem, & atteſtationem, quam facit Epiſcopus in literis erectionis juriſpatronatus præſtando ſuum conſenſum, *Rot. deciſ.* 168. *num.*12. *par.*10. *rec.*

10 Quintò. Per inſignia, ſeu arma alicujus familiæ appoſita in Eccleſia, ſeu Cappella *Bald. conſ.* 310. *lib.* 5. *Ancharan. conſ.*113. *n.*34. *Rot. deciſ.* 172. *par.* 3. *rec.*

11 Sexto. Per inſcriptiones, & epitaphia antiquiſſima mentionem facientia de familia,& jurepatronatus, *Ventrigl. in prax. de jurepat. annot.* 1. §. 2. *num.* 11. *& ſeqq. Garz. de Benef. par.* 5. *cap.* 9. *nu.*113. *Navar. qu. for. lib.*1. *cap.*49. *Barboſ. hìc.*

12 Septimò. Per multiplicatas præſentationes antiquas, & effectuatas per 100. annos, *Ventrigl. ubi ſupra nu.*16. *& ſeqq. Rot. deciſ.*211. *num.*1. *par.*1. *& deciſ.* 159. *num.* 4. *par.* 10. *& deciſ.* 164. *n.*1. *&* 245. *nu.*10. *par.*9. *tom.*1. *& deciſ.*329. *nu.*5. *&* 446. *nu.*3. *par.*9. *tom.* 2. *rec. & deciſ.* 445. *nu.*12. *coram Cerro, & deciſ.*34. *nu.* 20. *& ſeqq. coram Priolo, & in Pampilonen. juriſpatronatus* 19. *Januarii* 1703. §. *Docuit coram Eminentiſs. Scotto, & in Aſculana juriſpatronat.* 26. *Januarii* 1703. §. *Quod coram eodem.*

13 Octavò. Per enunciativas antiquas à diverſis Notariis, & in diverſis Inſtrumentis contentas, quæ habent vim famæ, & probant juſpatronatus, *Rot. deciſ.* 211. *nu.*1. *in fin. par.* 1. *rec. & deciſ.* 360. *nu.*3. *&* 4. *par.*2. *& deciſ.*172. *n.*3. *& deciſ.*661. *n.*1. *&* 4. *par.*3. *rec.* Et etiam per enunciativas emanatas ab ipſis Patronis probatur juſpatronatus, dummodo actus, in quibus emanarunt, ſint geſti ab ipſiſmet Ordinariis, vel ab illis approbati *Rot. deciſ.* 661. *nu.*6. *par.* 3. *rec.* Sed ſolæ enunciativæ, vel fama non ſufficiunt ad probationem juriſpatronatus, niſi concurrant adminicula. *Dec. conſ.* 113. *in fine Rot. deciſ.*360. *n.*5. *par.*2. *rec.*

14 Nonò. Probatur juſpatronatus per actus factos per Rectores Eccleſiæ Patronis in recognitionem juriſpatronatus. *Rot. deciſ.* 360. *n.* 10. *par.*2. *rec.*

15 Decimò. Per viſitationes, in quibus Viſitatores receperunt informationes à Teſtibus, qui ſub juramento aſſerant beneficium eſſe de jurepatronatus, *Rot. deciſ.*360. *n.*11. *par.*2. *rec. & deciſ.*168. *n.*24. *par.*10. *rec.*

16 Undecimò. Probatur per aſſertionem Epiſcopi, cui videtur multum deferendum, cùm Ordinarii ſoleant eſſe difficiles in admittendo aliquod beneficium eſſe de jurepatronatus propter præjudicium, quod affertur eorum liberæ collationi. *Rot. deciſ.*360. *nu.*12. *par.*2. *& deciſ.*164. *n.*6. *par.*9. *tom.*1. *& deciſ.*329. *n.*8. *par.*9. *tom.*2. *rec. Card. de Luc. de jurepat. diſc.* 9. *nu.* 17. *Rot. in Aſculana juriſpatronatus* 26. *Januarii* 1703. §. *Accedunt cor. Eminentiſs. Scotto.*

17 Duodecimò. Per libros ſervatos in Archivio Epiſcopatus, in quibus Eccleſia tamquam de jurepatronatus deſcripta extitit, vel per alia jura ab Archiviis publicis extracta, qui plenè probant exiſtentiam juriſpatronatus. *Rot. deciſ.* 100. *& deciſ.*172. *n.* 7. *par.* 3. *rec. & in Tarraconen. Inſignium ſuper manutentione* 3. *Julii* 1702. §. *Neque obſtant cor. bo. me. Caſfarello, & in alia Tarraconen. juris punctandi ſuper negotio principali* 26. *Februarii* 1703. §. *An propterea, cor. bon. mem. Omanna, & in Vicen. Parochialis de Aqualata prima Julii* 1712. §. *Perperam coram R.P.D. Criſpo.*

18 Decimotertiò. Per aſſertionem, & abſolutam

ſolutam narrativam Papæ abſolutæ aſſerentis beneficium eſſe de jurepatronatus juxta *Clementin.* 1. *de probat.* ſed narrativa Papæ concepta per verba, ut *aſſeritur*, non probat juſpatronatus. *Rot. deciſ.* 510. *n.* 1. *par.* 3. *rec.*

19 Decimoquartò. Per ſententiam Ordinarii prolatam cauſa cognita, vigore cujus præſentatus fuit inſtitutus, maximè ſi iſta ſententia fuerit lata paulò poſt ſanctionem conciliarem. *Rot. deciſ.* 169. *n.* 11. *&* 27. *par.* 10. *&* *deciſ.* 245. *nu.* 21. *par.* 9. *tom.* 1. *rec.* *&* *in Pampilonen. juriſpatronatus* 19. *Januarii* 1703. §. *Et demum cor. Eminentiſs. Scotto*, *&* *in Aſculana juriſpatronatus* 26. *Januarii ejuſdem anni cor. eodem*, *&* *in Arianen. Archipresbyteratus* 14. *Martii* 1710. §. *Rurſus cum ſeqq. cor. Eminentiſs. Scotto*.

20 Decimoquintò. Probatur juſpatronatus per proviſiones beneficii factas ab Ordinariis tamquam de jurepatronatus, ſiquidem ſi Epiſcopi pro tempore non agnoviſſent exiſtentiam juriſpatronatus, non eſt veriſimile, quod beneficium providiſſent ad nominationem eorum, qui aſſerebant ſe eſſe Patronos. *Rot. deciſ.* 169. *n.* 26. *&* *deciſ.* 32. *n.* 12. *par.* 10. *rec.* *&* *deciſ.* 352. *n.* 3. *coram Millin.* *&* *in Colonien. Paſtoratus* 10. *Junii* 1718. §. *Si verò coram R. P. D.*

21 *Cerro*. Probatur etiam per proviſiones Apoſtolicas factas cum derogatione juriſpatronatus; ex tali enim derogatione per Pontificem facta neceſſariò venit dicendum dictum juſpatronatus extitiſſe, & extare. *Buratt. conſ.* 324. *n.* 3. *lib.* 3. *Rot. deciſ.* 164. *n.* 12. *&* *deciſ.* 245. *nu.* 63. *par.* 9. *tom.* 1. *rec.*

22 Decimoſextò. Probatur, ſi de libertate Eccleſiæ nullus minimus detur fumus, ſeu ſi nulla exhibeatur moderni, vel antiqui temporis collatio facta ab Ordinario; hujuſmodi enim tam longæva obſervantia, quamvis negativa apertè oſtendit, quod Ordinarii agnoverint Eccleſiam non eſſe liberæ collationis, cùm non ſit veriſimile, quod tot Epiſcopi neglexiſſent illam conferre jure proprio, niſi fuiſſent certi de ſtatu beneficii, de quo præſumuntur plenam notitiam habuiſſe. *Card. de Luc. de beneſ. diſc.* 9. *ſub n.* 12. *&* *alii apud Rot. in Pampilonen. juriſpatronatus* 19. *Januarii* 1703. §. *Quæ omnia coram Eminentiſſimo Scotto*.

23 Denique probatur ex inſtrumento donationis Eccleſiæ, ſive beneficii confirmatæ à Sede Apoſtolica, quæ donatio Eccleſiæ, ſive beneficii reſolvitur in veram juriſpatronatus conceſſionem juxta *Rot. in Vicen. Parochialis de Aqualata prima Julii* 1712. §. *de qualitate*, *&* 31. *Martii* 1713. §. *Patronalis cor. R. P. D. Criſpo*, *&* *in Colonien. Paſtoratus* 20. *Junii* 1718. §. *Pertinentia coram R. P. D. Cerro*, & alias auctoritates ſuperiùs relatas *Par. II. Can. XVI. XVII. XVIII. XIX. &* *XX. Caſ. I. num.* 4.

Enumeratis hujuſmodi probationibus, ſeu modis, quibus probari poteſt exiſtentia juriſpatronatus, multa ex illis in caſu

24 præſenti concurrunt. Affert enim Titius Inſtrumentum donationis, in quo legitur ſuis anteceſſoribus, & ſibi donatum à Patronis juſpatronatus; affert etiam antiquam ſententiam Ordinarii tunc temporis; in qua cauſa cognita, & ſervatis ſervandis fuit canonizata pertinentia juriſpatronatus dicti beneficii favore ſui, ac ſuorum, à quibus habet cauſam; docet de obſervantia hujuſmodi Inſtrumenti donationis, ac ſententiæ; quampluribus præſentationibus inde ſequtis, & effectum ſortitis, & depoſitionibus multorum Teſtium deponentium de publica voce, & fama; ex quibus omnibus probari exiſtentiam, & qualitatem Patronalem in perſonis privatis tradunt auctoritates ſuperiùs relatæ *nu.* 7. 12. 19. *&* 23. quibus addo *Rot. in Compoſtellana Parochialis* 16. *Novembris* 1716. *per tot. coram R. P. D. Falconerio inferiùs legen.*

25 Quin mereantur attendi proviſiones Apoſtolicæ hujus beneficii factæ, abſque ulla mentione juriſpatronatus, quia ut ſæpè dictum fuit Proviſiones Apoſtolicæ non immutant ſtatum, & naturam beneficii ob præſumptam mentem Pontificis nunquam præjudicandi Patronis. *Rot. deciſ.* 265. *n.* 4. *cor. Dunozett. ſen.* *&* *dec.* 252. *n.* 11. *coram Priolo*, *&* *in Aſculana juriſpatronatus* 26. *Januarii* 1703. §. *Quo poſito cor. Eminentiſs. Scotto*, *&* *in Vicen. Parochialis de Aqualata* 1. *Julii* 1712. §. *Alteræ cor. R. P. D. Criſpo*.

26 Minuſque obſtant non nullæ Proviſiones factæ ab Ordinario de hoc eodem beneficio, tamquam de libero; quia in primis Ordinarius non habet facultatem mutan-

mutandi ſtatum, & qualitates beneficii juxta diſpoſitionem antecedentis *Canonis*; & quia iſtæ proviſiones non conſtat eſſe factas ab Ordinario animo præjudicandi Patronis, & cùm horum ſcientia, & patientia. *Adden. ad Gregor. deciſ.*434.*n.*20. *& deciſ.*452. *n.*13. *cor. Dunozett. ſen. & in dicta Aſculana juriſpatronatus ubi ſupra* §. *final.*

27 Et quidem unamquamque ex dictis proviſionibus ab Ordinariis tamquam de libero factis ſingulariter perpendendo; Prima non eſt adverſativa ſtatui Patronali, quia cùm plures inſtitutiones tam antecedentes, quàm ſucceſſivæ ejuſdem beneficii ſunt pro ejus qualitate patronali, illa utpotè inter media præſumitur correcta, & excludere nequit qualitatem juriſpatronatus. *Rot. in Romana Cappellaniæ S. Nicolai* 28. *Junii* 1709. §. *Diximus cor.* R.*P.D. Anſaldo*, *& in Bononien. Beneficiorum de Caſtello* 21. *Martii* 1712. §. *Reſpectu verò*, *&* 12. *Decembris ejuſdem anni* §. *Unionem in fin. coram R. P. D. Criſpo*, *& in Vicen. Parochialis de Aqualata* 31. *Martii* 1713. §. *Ad prædictam cor. eodem*.

28 Neque eſt adverſativa ſtatui Patronali ultima conſimilis collatio, quia cùm fuerit facta abſente Patrono, iſte non poterat contradicere, nec præſentare, ut animadvertit *Rot. in dicta Vicen. Parochia-*
29 *lis ubi ſupra* §. *Ad dictam*, & conſequenter nequit conſtituere Epiſcopum in poteſtate liberè conferendi, nec præjudicare Titio Patrono, qui re integrâ comparuit, & qualitatem patronalem ex ſupradictis probationibus verificavit, præſertim, quia hujuſmodi ultima proviſio abſorpta penitùs remanſit in illo genere probationum, quas ad limitationem *Canonis XXVI. Par.II.* communiter admittunt Canoniſtæ, de quo differit, *Rot. in Mediolanen. beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §. *Quod ſi non adhuc*, *&* §. *Ceſſante*, *cor.* R. *P. D. Anſaldo*, impreſſ. *dicta Par. II. Can. XXII. XXIII. & XXIV. Caſ. IV. n.*13. *&* 38.

30 Denique nihil officiunt depoſitiones duorum Teſtium ex adverſò ſuperiùs allatæ; quia cùm adſint quam plurimi alii Teſtes deponentes de exiſtentia, & pertinentia juriſpatronatus dicti beneficii; in horum conflictu potiùs iſti, qui ſunt numero plures, & magìs qualificati, & qui ſunt adminiculati ex pluribus conjecturis, & dicto inſtrumento publico donationis, quam illi ſunt attendendi. *Rot. deciſ.*285. *nu.*5. *par.*8. *& deciſ.* 53. *nu.* 17. *par.* 13. *rec. & in Pampilonen. juriſpatronatus* 19. *Januarii* 1703. §. *Fama coram Eminentiſs. Scotto*.

R. P. D. FALCONERIO

Compoſtellana Parochialis.

Lunæ 16. *Novembris* 1716.

Ex morte ſecuta in menſe Decembris 1713. Hyacinthi Nogueiri Palatios Rectoris Parochialis Eccleſiæ S. Juliani de Luagna, cui reperitur ſubjectivè unita Eccleſia S. Mariæ de Comanda, ortum habuit judicialis contentio inter Abbatem, & Monaſterium S. Mariæ de Sobrado Ordinis Ciſtercienſis, & Promotorem Fiſcalem Curiæ Archiepiſcopalis ſuper libertate, ſive potiùs Patronali qualitate ejuſdem Parochialis, ob quam cauſam renuente Proviſore Compoſtellano indicere concurſum intrà quadrimeſtre à Conſtitutione Piana perfinitum, ad effectum, ut Abbas valeret unum ex approbatis præſentare; Antonius Crux Vega eamdem Parochialem à S. Sede impetrare ſatagebat, ob non factum concurſum intrà quadrimeſtre à Conſtitutione Piana præfixum, & contemporaneè Joannes Gonzalez Brios ab Abbate præſentatus pro illius collatione pariter inſtabat; Quamobrem à Dataria Apoſtolica relaxatis utriuſque ſupplicationibus; & executione Literarum Apoſtolicarum illarum vigore expeditarum mihi directa, ex quo Antonius noluit amplius liti inſiſtere, hac de re ad inſtantiam Abbatis contendentis de pertinentia juriſpatronatus propoſui dubium = *An conſtet de jurepatronatus favore Monaſterii de Sobrado*, & in contumaciam Promotoris Fiſcalis pluries, pluriesque laceſſiti *pro informante DD. reſponderunt*.

31 Agitur enim de Patronis Regularibus, in quibus nulla cadit præſumptio uſurpationis ad tradita per *Spad. conſ.* 10. *per tot. vol.*3. *Card. de Luc. de jurepatr. diſc.*5. *n.*5. *Rot. deciſ.*401. *nu.*7. *par.*5. *rec.* cum aliis

aliis congeſtis *in Olmucen. juriſdictionis 5. Maji* 1694. §. *Rurſus*, & 14. *Maji* 1708. §. *Nec huic cor. Reverendiſs. D. meo Molines Decano*. Ideoque in hac ſpecie Patronatus, etiamſi propter ſui antiquitatem non exhibeatur Inſtrumentum fundationis, attamen non eſt præcluſa via, quin valeat recurri ad alia remedia probatoria à jure communi approbata, cùm *Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ.* 25. *de Reformat. cap.* 9. tantummodò coarctaverit formam probandi juſpatronatus Potentium, non autem immutaverit in jurepatronatus Privatorum antiquum probandi modum à jure communi admiſſum; Quinimò illum expreſsè præſervaverit in ſua prima parte, ibi = *aliaſve ſecundùm juris diſpoſitionem* = quæ verba indigitant alium diverſum modum à ſupra expreſſo conſiſtente in authentico documento fundationis, vel donationis, ſive multiplicatis præſentationibus expletis per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 18. *nu.* 52. & *ſeq. Garz. de Beneſ. par.* 5. *cap.* 9. *nu.* 81. & *ſeq. Barboſ. de Offic. & Poteſt. Epiſcop. par.* 3. *allegat.* 72. *num.* 40. & *ſeq. Vivian. de jurepat. par.* 2. *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 46. *Rot. cor. Coccin. deciſ.* 1278. *n.* 1. & 2. & *in recent. deciſ.* 312. *nu.* 2. *par.* 1. & *in Olmucen. Juriſdictionis* 19. *Januarii* 1693. §. *Quintum objectum*, *cor. bon. mem. Muto*.

32 Probat ſanè Monaſterium originem acquiſitionis dicti juriſpatronatus ex ultimis voluntatibus, atque ex Inſtrumentis donationum ſibi factarum à pluribus Chriſtifidelibus ſub diverſis temporibus, nimirum de anno 1045. à Didaco Pelagio, de anno 1229. ab Alphonſo, & Munio Pelagiis, de anno 1239. ab Uraca Petri de Beſenzo, de anno 1251. à Maria Petri, & de anno 1256. à Maria Pelagia, quæ abſque dubio probant acquiſitionem dicti juriſpatronatus favore Monaſterii, *Vivian. de jurepat. dicto lib.* 11. *cap.* 5. *ſub n.* 16. *Rot. deciſ.* 707. *n.* 1. *par.* 1. *recent.* præſertim concurrente ſubſecuta obſervantia, dum de anno 1461. Archiepiſcopus Compoſtellanus ad præſentationem Abbatis, & Monaſterii S. Juſti ad eamdem Parochialem inſtituit Rodericum Monis, itaut, nec amplius in diſcrimen revocari queat legitima translatio juriſpatronatus in Monaſterium, neque pariter opponi valeat dictas donationes non fuiſſe ab Archiepiſcopo approbatas, ut proſequitur *eadem Rot. in d. deciſ.* 707. *n.* 2. & 5. *par.* 1. *rec.* repetita poſt *Vivian. de jurepat. deciſ.* 23.

33 Hæc pervetuſta acquiſitio dicti juriſpatronatus favore Monaſterii plura ſæcula involvens corroboratur à pluribus aliis circumſtantiis, quæ in antiquis veniunt conjungendæ ad faciendum unum totum, ut ait *Vivian. d. lib.* 11. *cap.* 5. *n.* 41. *in fine*, & *n.* 42. Et primò à dicta ſententia Archiepiſcopi Compoſtellani lata de anno 1461. in qua judicavit juſpatronatus ſpectare ad Monaſterium, & Præſentatum ab illius Abbate eſſe inſtituendum; unde elicitur, quod cùm ageretur de extenuanda Ordinaria Juriſdictione, ob quam conſervandam Epiſcopi ſolent eſſe valde difficiles in admittendo Beneficium de jurepatronatus, ac in inſtituendo Præſentatos à Patronis, niſi eis verè conſtet de pertinentia Patronali, idcircò eorum ſententiæ ſufficienres reputantur pro probando jurepatronatus, *Paul. de Cittadin. de jurepatronat. par.* 6. *quæſt.* 37. *nu.* 3. *Vivian. d. lib.* 11. *cap.* 5. *n.* 59. *Barboſ. de Offic. & Poteſt. Epiſc. par.* 3. *allegat.* 72. *nu.* 47. *Rot. cor. Coccino deciſ.* 233. *nu.* 3. & *in rec. deciſ.* 472. *n.* 10. *par.* 19. *tom.* 2. & *in Arianen. Archipresbyteratus* 27. *Junii* 1708. §. *De anno cor. Eminentiſs. Scotto*, & *in Vicen. Parochialis de Aqualata prima Julii* 1712. §. *Sed verùm coram R. P. D. meo Criſpo*.

34 Secundo validum præbent huic veritati adminiculum viſitationes expletæ ab Archiepiſcopis Compoſtellanis pro tempore poſt publicationem Sacri Concilii Tridentini, nempe ab anno 1579. uſque ad annum 1617. legitimè compulſatæ anno ſequenti 1618. ex quibus conſtat dictam Eccleſiam Parochialem fuiſſe viſitatam, tamquam de jurepatronatus Abbatis, & Monaſterii S. Juſti: Ex quo ſanè concludere oportet, tot, tantaſque enunciativas in actu ſerio, & proportionato emiſſas in præjudicium Ordinarii enunciantis, confirmare qualitatem patronalem in Eccleſia viſitata *Pax Jordan. elucubrat. Can. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 7. *de jurepat. nu.* 104. *Vivian. ubi ſupra nu.* 58. *Lotter. de re beneſic. l.* 2. *quæſt.* 13. *n.* 151. *Rot. coram*

Zarat.

Zarat. deciſ. 50. *nu.* 8. *& 9. cor. Coccin. deciſ.* 229. *nu.* 1. *& coram Merlin. deciſ.* 403. *num.* 1.

35 Tertiò pro eadem patronali pertinentia maximoperè confert antiquus Archiepiſcopalis Liber nuncupatus *il Bezerro* = compulſatus in eodem anno 1618. in quo adnotatæ reperiuntur omnes Eccleſiæ de jurepatronatus totius Diœceſis Compoſtellanæ, inter quas Eccleſia Parochialis S. Juliani deſcripta apparet ſub qualitate patronali Abbatis, & Monaſterii S. Mariæ de Sobrado ex *Text. in cap. Cùm cauſam*, *ibique gloſſ. in verb. per libros antiquos de probat. Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 13. *num.* 150. *Vivian. de jurepatr. lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 68. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 72. *ſub n.* 50. *Pax Jordan. d. lib.* 10. *tit.* 7. *n.* 102. *&* 105. *Rot. cor. Peutinger. deciſ.* 471. *n.* 7. *cor. Zarat. deciſ.* 50. *n.* 4. *& in rec. dec.* 77. *n.* 1. *par.* 1.

36 Quartò probationes augentur ex duobus aliis antiquis Libris, altero exiſtente in Archivio Collegii Societatis Jeſu, altero verò in Archivio Monaſterii S. Martini Ordinis S. Benedicti, in quibus continentur omnes Eccleſiæ Patronales univerſæ Diœceſis Compoſtellanæ compulſatis pariter de dicto anno 1618. ſimilique modo in illis iſta Eccleſia S. Juliani, enunciatur eſſe de jurepatronatus Monaſterii S. Juſti; Cùm igitur plures adſint Libri in diverſis Archiviis conſervati, qui abſque ulla variatione teſtimonium perhibent de dicta pertinentia Patronali, indè ſequitur, ut plena ſit illis præſtanda fides optimè *Ripa in leg.* 1. *nu.* 72. *& ſeq. ff. ſi cert. petat. Gratian. conſ.* 9. *nu.* 6. *Rot. in Conſtantien. præcedentiæ ſuper manutentione* 27. *Januarii* 1713. §. *De cætero cor. R.P.D. meo Anſaldo.*

37 Quintò eadem pertinentia Patronatus confirmatur à vetuſtiſſima, & huc uſque ad hæc tempora nunquam interrupta contributione Salmarum ſex frumenti, quæ à Rectore dictæ Parochialis S. Juliani annuatim Monaſterio S. Juſti præſtatur, ex qua certò certiùs oritur argumentum ſubjectionis, & pertinentiæ patronalis favore ejuſdem Monaſterii, ut ad rem conſiderat *Rot. deciſ.* 360. *n.* 10. *par.* 2. *rec. coram Peutinger. deciſ.* 471. *n.* 10. *& coram Zarat. deciſ.* 50. *n.* 10. Maximoperè quia hujuſmodi contributio de annis 1535. & 1547. ab Abbate, & Monaſterio fuit ad vitam locata Petro Muniz, & Petro de Valera, excepto tamen jure præſentandi Rectorem in dicta Parochiali Eccleſia, quatenus durantibus præfatis locationibus, caſus vacationis eveniſſet, & in præfatis Inſtrumentis iidem Conductores ſe obligarunt in caſu neceſſitatis dictam Parochialem Eccleſiam propriis ſumptibus reſtaurare, unde gemina promanant argumenta pro eruenda qualitate patronali favore dicti Monaſterii; Alterum ex dicta duplicata enunciativa in Inſtrumentis dictarum locationum exarata ſuper præſervatione Juris præſentandi Rectorem in caſu vacationis, quæ, et ſi fuerit à Monaſterio ad ſui favorem adjecta, nihilominus in hypotheſi plenè probat, tum quia eſt antiqua, & recipit fomentum ab ipſo actu locationis dictæ contributionis ab Eccleſia patronali facienda. *Add. ad Buratt. deciſ.* 172. *ſub nu.* 33. *Rot. cor. Coccin. deciſ.* 386. *nu.* 5. *& coram Merlin. deciſ.* 128. *num.* 4. tum etiam quia non eſt ſimplex, & nuda, ſed corroborata remanet à tot, tantiſque aliis adminiculis, & probationibus ſuperiùs expenſis, ut proſequitur idem *Add. ad Buratt. ubi ſupra verſ. Secundò fallit*, & *Rot. coram Merlin. d. dec.* 128. *n.* 5. *cor. Put. dec.* 149. *n.* 2. *lib.* 3. *cor. Coccin. dec.* 235. *n.* 6. *& deciſ.* 242. *n.* 2. *& in rec. dec.* 75. *nu.* 3. *par.* 1. Alterum verò ex ipſo onere Conductoribus injuncto, reparandi in caſu neceſſitatis dictam Eccleſiam Parochialem, quod præſefert apud Monaſterium reſidere juſpatronatus, cùm ex diſpoſitione *Sac. Concilii Tridentini ſeſſ.* 21. *cap.* 7. *de Reformat.* quando Eccleſia eſt pauper ad Patronos ſpectat illam reficere, & reaptare propter reciprocam obligationem, quæ intercedit inter Eccleſiam, & Patronos; Nam ſicuti Eccleſia dat eis jus honorificum, & præſentandi Rectorem, atque ſi ad inopiam vergant alimenta ſuppeditat, ut probat *Amoſtaz. de Cauſ. piis lib.* 4. *c.* 10. *n.* 39. & fuit plenè firmatum *in Salernitana Alimentorum* 17. *Decembris* 1712. *cor. Me*; Ita pariter Patroni tenentur eam reficere, ſeu reparare, ſi propter inopiam nequeat ſuis expenſis id agere, & ultrà literalem diſpoſitionem *Sac. Concilii Tridentini*, ubi ſupra, ferè in verbis concordat

Amoſtaz. de Cauſ. piis lib. 5. cap. 6. nu. 20. *Bellett. Diſquiſit. Clerical. par.* 1. *tit. de Cleric. debit.* §.14. *n.*20. *Franch. de Eccleſ. Cathedr. cap.* 13. *n.* 67. *& ſeq. Ventrigl. in prax. rer. notab. annot.* 18. §. *unico n.*15.

38 Sextò omnia uſque adeò probata pro educenda dicta Parochiali pertinentia favore Monaſterii magìs certa efficiuntur à depoſitionibus plurium Teſtium formiter examinatorum, tam de anno 1592. quàm etiam de anno 1618. unico ore concludentium Eccleſiam Parochialem S. Juliani de Luagna à tempore immemorabili, quoties vacare contigerit in menſibus Ordinarii fuiſſe proviſam ad præſentationem Abbatis, & Monaſterii S. Juſti, ac Præſentatos inſtitutionem, & poſſeſſionem obtinuiſſe à Curia Archiepiſcopali Compoſtellana, ſubdentium ulterius, ut omnes in ſubſtantia concordant, ibi = *E così era pubblico, e notorio, ſenza che giammai habbiano veduto, nè ſentito coſa in contrario di queſto, e ſenza contradizione alcuna, e perche oltre di che li detti Vecchj dicevano di avere ſempre veduto così, dicevano di più, che avevano ſentito dire lo ſteſſo dalli loro Padri, ed Avi, e da altri Maggiori, e più vecchj, ed anziani, e che lo ſteſſo dicevano avere veduto, e ſentito lo ſteſſo, e così è ſtata ed è coſa pubblica, e notoria, pubblica voce, e fama, e comune opinione, ſenza, che il Teſtimonio giammai alcun tempo abbia veduto, e ſentito coſa in contrario &c.* = Qua de re, cùm dicti Teſtes deponant non ſolùm de publica voce, & fama, quæ in antiquis probat, præcipuè, quando, prout hic, hoc caſu, eſt tantoperè qualificata ab aliis conjecturis, & adminiculis, ut pluribus relatis probat *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 3. *allagat.* 72. *n.*44. & formiter diſcuſſo articulo *Rot. cor. Peutinger. deciſ.* 471. *n.* 1. *& ſeq.* ubi *ſub num.*2. ſubdit hoc ſufficere, etiamſi quaſi poſſeſſio non probetur; Sed etiam concludant immemorabilem, cum omnibus requiſitis præſcriptis *à Gloſſ. in cap.* 1. *verb. Memoria de præſcript. in ſexto*, prout ex profeſſo *Rot. in Trojana Delationis Crucis* 10. *Decembris* 1708. §. *Verùm, uſque ad finem, cor. R.P.D. meo Aldrovando*, & in confirmatoria 13. *Decembris* 1709. *à* §. *Hinc ſemota, uſque ad finem, cor. Eminentiſs. Priolo*, quæ de per ſe ſola eſt ſufficiens ad probandam pertinentiam jurispatronatus, & legitimam illius acquiſitionem, *Felin. in cap. Cauſam n.*6. *de præſcript. Vivian. de jurepatron. par.*2. *lib.* 11. *cap.*5. *n.*41. *& n.*46. *in fine*, cum aliis relatis *à Rot. in Arianen. Archipresbyteratus* 27. *Junii* 1708. §. *Quæ porrò, cor. Eminentiſs. D. Scotto.*

39 Septimò demum pro omnium complemento additur confeſſio Proviſoris Compoſtellani emiſſa in ſtatu anni 1592. in quo vacata dicta Parochiali in menſe Januarii S. Sedi reſervato, in quo Patroni Eccleſiaſtici præſentare nequibant ob illius comprehenſionem ſub regula menſium *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.*18. *n.*6. *Gratian. diſcept. for. cap.* 809. *num.*5. *Rot. cor. Priolo deciſ.*362. *n.*10. *& ſeqq. & deciſ.*383. *n.*14. *& in rec. deciſ.* 152. *n.* 30. *par.* 12. fuit convocatus concurſus, & ſucceſſivè ad S. Sedem tranſmiſſus cum prælectione Joannis de Sanmartino, ſed quia S. Sedes vacabat per obitum Summi Pontificis Innocentii IX. hac de cauſa ceſſabant omnes reſervationes contentæ in regulà 9. Cancellariæ; Unde dictus Proviſor non audito, nec citato Abbate poſt examinatos Teſtes concludentes dictam Parochialem fuiſſe de jurepatronatus Eccleſiaſtico, illam contulit d. Joanni magìs idoneo in concurſu reperto, ſub expreſſa tamen præſervatione jurium favore Patronorum, & ideo dicta proviſio non contradicente Patrono, cum probatione jurispatronatus, & illius præſervatione, etiamſi non ſit facta per viam inſtitutionis, ſed per viam collationis, adhuc ſuffragatur eidem Patrono, ut egregiè dixit *Rot. cor. Coccin. dec.* 2108. *n.* 14. cum allegatis.

Sic comprobata patronali pertinentia hujus Eccleſiæ favore Abbatis, & Monaſterii S. Juſti, nullum obſtaculum præbere viſum fuit decretum latum à Nuncio Hiſpaniarum de anno 1619. ſuper manutentione Archiepiſcopi in poſſeſſione, ſeu quaſi juris liberè conferendi dictam
40 Eccleſiam Parochialem, quia ſententia in ſolo poſſeſſorio reſtricta non impedit, quin poſt aſſumptum formale examen petitorii contrarium decidatur, ut fuit obſervatum *in Nolana jurispatronatus* 8. *Junii cur. anni* 1716. §. *Poſt hæc cor. R.P.D. meo Criſpo*; Eoque magìs quia in dicto decreto manutentionis fuerunt præſervata

vata jura Monaſterii in petitorio, quod operatur, ut conſtito in dicto judicio de pertinentia Patronali favore Monaſterii, non ſolùm remaneat dictum poſſeſſorium abſorptum, juxta plenè firmata *in Mediolanen. Beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §. *Tetigimus cor. R.P.D. meo Anſaldo*, ſed inſuper indè promanet ejuſdem manutentionis reſolutio, ut fuit concluſum *in Arianen. Archipresbyteratus* 27. *Junii* 1708. §. *Neque urget cor. Eminentiſſ. Scotto, & in Ceſenaten. Manutentionis* 10. *Februarii* 1716. §. *Minuſque cor. R.P.D. meo Criſpo.*

41 Neque pariter obſtare poſſunt depoſitiones Teſtium à Promotore Fiſcali inductorum de dicto anno 1618. nec quoque aliorum examen modò additum; Quia quoad primos Teſtes cùm Monaſterium non fuerit in eorum examine citatum, nequeunt proinde ullum probationis gradum in hoc diverſo judicio afficere ex *Text. in leg. Si quando Cod. de Teſtibus, & in cap.* 2. *eodem tit. & utrobique gloſſ.* & communiter ſcribentes; Potiſſimè quia inhærent actibus collativis, tamquam de libero ab Archiepiſcopo expletis, quibus non exhibitis, omni prorſus vi remanet eorum depoſitio deſtituta, *Decius in auth. Si quis in aliquo n.*45. *verſ. reſtringitur Cod. de æden. Pariſ. conſ.*7. *n.*4. *lib.*3. *Rot. cor. Dunozett. junior. deciſ.*868. *n.*8. *& in recent. deciſ.* 152. *nu.* 18. *par.*4. *tom.* 3. *& deciſ.* 569. *n.*14. *par.* 19. *tom.*2. Quo verò ad modernos Teſtes, non ſolùm eamdem patiuntur exceptionem, ſed inſuper ab evidentia facti convincuntur de mendacio, dum tantum abeſt Promotorem Fiſcalem poſſe exhibere collationes, tamquam de libero expletas, ab anno 1618. uſque ad præſens, ut ex duabus vacationibus poſt dictum tempus eventis impoſſibilitas detegatur. Nam
42 de anno 1650. Parochialis fuit à S. Sede collata Didaco de Seraun propter reſignationem illi factam ab Antonio Romero Moſcoſo antiquo Rectore, quæ non immutant ſtatum Beneficii, *Rot. cor. Achill. de Graſſ. deciſ.*13. *de jurepatronat. & in rec. deciſ.*77. *n.*4. *in fine par.*1. *& dec.*360. *nu.* 14. *in fine par.*2. & ſignanter in Patronatu Eccleſiaſtico, cui abſque Patronorum conſenſu derogatur per ſimplicem collationem factam à Papa, *Angel. in leg. Sed ſi hac* §. *Patronum*, *ff. de in jus vocan. Pariſ. de Reſignat. lib.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 38. *Caſſador. deciſ.* 4. *de probat.* De anno verò 1684. cùm dictus Didacus Reſignatarius obierit in menſe Apoſtolico, hac de re conquieſcente Patronorum Eccleſiaſticorum facultate præſentandi, juxta ſuperiùs firmata *in* §. *Septimò demum*, una cum aliis relatis *in Majoricen. Beneficii* 9. *Martii* 1711. *ſub* §. *Quoniam proviſio, cor. bo. me. Caſarello*, fuit a Sede Apoſtolica Parochialis collata Hyacintho Nogueiro Palatios in Concurſu prælecto, per cujus obitum evenit in menſe Ordinario hodierna vacatio; Quamobrem è medio ſublatis dictis Teſtibus, & ſatis probata pertinentia Patronali favore Abbatis, & Monaſterii S. Juſti onus eſt Promotoris Fiſcalis probandi libertatem dictæ Eccleſiæ, ut cenſuit *Rot. in Vicen. Parochialis* 12. *Junii* 1711. §. *Excluſa, cor. Reverendiſſ. D. Molines Decano, &* 31. *Martii.* 1713. §. *Attenta, cor. R. P. D. meo Lancetta.*

Et ita unica &c.

ARGUMENTUM.

Conſtito de Jurepatronatus, univerſitatis Laicalis, aut alterius Perſonæ Potentis, Præſentatus ab ea eſt inſtituendus, ad excluſionem Proviſi Apoſtolici, tamquam de libero.

SUMMARIUM.

1 *Pertinentia Jurispatronatus probatur ex Bulla erectionis Beneficii, & ex decreto ſuper illius executione interpoſito.*

2 *Conſtito de Jurepatronatus, eſt relaxanda ſupplicatio Præſentati, & retardanda ſupplicatio Proviſi Apoſtolici tamquam de libero.*

3 *Juspatronatus non dicitur acquiſitum, ſi non fuerit adimpleta conditio, ſub qua fuit reſervatum.*

4 *Reſervato Jurepatronatus Eccleſiæ ſub promiſſione aſſignandi certam ſummam pro illius dote an in hac ſumma promiſſa comprehendantur, & computari poſſint, nonnulli ducati prius Eccleſiæ donati*; & nu.5.

6 *Pro-*

6 *Promiſſa dote Eccleſiæ Collegiatæ libera ab omni onere, poteſt illa aſſignari cum oneribus aſſociandi Cadavera, & celebrandi Miſſam conventualem, Et quare?*

CASUS II.

SUpplicantibus Oppidi Atrani decurionibus, & Opificio Lanæ Præpoſitis, Summus Pontifex anno 1706., ex Sententia S. Congregationis Concilii, Parochialem, & Receptitiam Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ in Collegiatam ſub certis conditionibus erigi per ſuas Literas Apoſtolicas demandavit; Et modernus Archiepiſcopus delegatam erectionem peregit, in qua inter cætera Univerſitati, nomine, & titulo Fundationis, reſervatum fuit Juſpatronatus quatuor ex duodecim Canonicatibus, qui unà cum Præpoſitura Collegiatam conſtituunt. In hoc rerum ſtatu Joachim de Lieto præſentatus ab Univerſitate ad unum ex quatuor Canonicatibus ſub ejus Jurepatronatus reſervatis, cùm renueret Curia Archiepiſcopalis inſtitutionem concedere, inſtetit in dataria pro expeditione Bullarum Proviſionis pro Præſentato; cumque contemporaneè Antonius Colundeſius eumdem Canonicatum uti liberum, & vacatum in menſe Sedi Apoſtolicæ reſervato expoſtularet, orta fuit inter ipſos lis, & controverſia. Colundeſius nullam erectionem Collegiatæ, & Jurispatronatus reſervationem prætendit, eo quia erectio in Literis Apoſtolicis decernatur; *Poſtquam Univerſitas, nec non Deputati, ſeu Regentes Montis Artis Lanæ annuos ducatos 405. tutos, & ſecuros, ac omni onere liberos aſſignaverint*. Univerſitas autem ultra annuos ducatos 45., quos antiquitus Archipresbytero, qui erat de ejus Jurepatronatus ſolvebat, ſolùm alios ducatos 100. donavit; & Regentes Montis Artis Lanæ nihil de novo contribuerunt, ſed redditus ex Amurca provenientes jam ab annis 1617. & 1642. donatos Eccleſiæ Parochiali pro dote novæ Collegiatæ, ejuſque Capituli calcularunt; Quæritur proinde = *An ſit relaxanda ſupplicatio Antonii Colundeſii; vel potiùs conſtet de Jurepatronatus Canonicatus, de quo agitur favore Univerſitatis Loci Atrani, itaut ſit relaxanda ſupplicatio Joachim de Lieto ab ea præſentati, in caſu &c.*

Hujuſmodi dubium diſputatum fuit in Sacra Congregatione Concilii, dum ſtudebam apud R.P.D. Anſidæum, nunc digniſſimum Sancti Officii Aſſeſſorem; cui meum aperiendo votum; negativè quoad primam, & affirmativè quoad ſecundam partem reſpondendum ſentiebam.

1 Conſtat enim de pertinentia Jurispatronatus Canonicatus, de quo agitur favore Univerſitatis Loci Atrani titulo oneroſo fundationis, & dotationis ex Bulla erectionis Collegiatæ, & ex Decreto ſuper illius executione interpoſito ab Archiepiſcopo; ubi reſervatur Juſpatronatus favore dictæ Univerſitatis reſpectu quatuor Canonicatuum titulo fundationis, & dotationis, ex quibus concludenter probatur pertinentia Jurispatronatus, ut in puncto docent *Rot. deciſ.* 510. *n.*1. *par.*3. *& dec.*168. *n.*12. *&* 17. *par.*10. *rec.*, & aliæ Auctoritates in ſuperiori *Caſu* relatæ *num.*6. Ac proinde relaxanda venit

2 ſupplicatio Joachim de Lieto à dicta Univerſitate præſentati, & è contra retardanda ſupplicatio Antonii Colundeſii, tamquam ſubreptitia, quoniam ſi Papa ſciviſſet præfatum Canonicatum eſſe de Jurepatronatus dictæ Univerſitatis, Gratiam tamquam de libero eidem Colundeſio, aut non conceſſiſſet, aut difficilius, cùm non ſoleat Papa præjudicare Juripatronatus Laicorum ex fundatione, & dotatione, nec illud comprehendere ſub reſervationibus Apoſtolicis, niſi de eo fiat ſpecialis mentio, nè Laici retrahantur à fundatione, & dotatione Eccleſiarum juxta *Gonzal. ſuper regul.*8. *Cancell. gloſſ.*18. *n.*1. *& ſeqq. Lotter. de re benef. lib.* 3. *quæſt.*8. *n.*2. *Roſ. de execut. Liter. Apoſtolic. par.*1. *cap.*6. *n.*334. *Rot. dec.*168. *n.*44. *& ſeq. par.*10. *rec.*, & alibi paſſim.

Non obſtat quòd reſervatio Jurispatronatus in dicta Bulla fuerit conditionalis, nimirum, *poſtquam Univerſitas, & Homines prædicti, nec non deputati Artis lanæ annuos ducatos* 405., *tutos, & ſecuros, ac omni onere liberos aſſignaverint*; Quæ

3 conditio cum non ſit per Univerſitatem adimpleta, ſequitur quod nec ſit ab ea acquiſitum dictum Juſpatronatus. *Rot. deciſ.*952. *n.*1. *&* 8. *coram Seraph. & deciſ.*285. *n.*140. *coram Duran. & dec.*630. *num.*68. *& ſeqq. par.*4. *tom.*3. *rec.* Licèt

namque per ipſam fuerint aſſignati annui ducati 405., in his tamen ducatis 405. computati, ac comprehenſi fuerunt ducat. 45., ab antiquo donati ab eadem Univerſitate, occaſione dotationis Archipresbyteratus; ac ducati 120. antiquitùs pariter donati à Collegio Mercatorum, & tertia pars reddituum ex Amurca provenientium antiquitus quoque donata ad effectum inveſtiendi in beneficium Eccleſiæ; itaut in totum de novo aſſignati fuerint ducat. 150., vel 160. circiter; non verò 405. Ulterius aſſignati fuerunt dicti ducati 405. non liberi ab omni onere, ſed cum onere aſſociandi Cadavera, & applicationis duarum Miſſarum conventualium qualibet hebdomada.

4 Reſpondendo ſiquidem huic objecto; Per aſſignationem dictorum ducat. 405. factam ab Univerſitate, & ſi in eis comprehendantur ducati antecedenter donati, perfectè adimpleta fuit conditio, ſub qua fuit reſervatum eidem Univerſitati dictum Juſpatronatus, dum Univerſitas in ſupplicatione Erectionis Eccleſiæ Archipresbyteralis in Collegiatam, non promiſit aſſignare dotem ducat. 405., nec Summus Pontifex in Gratia Erectionis conceſſa ad formam ſupplicationis exegit aſſignationem dotis ducat. 405. ultra ducatos antecedenter donatos, ſed tam Univerſitas, quàm Summus Pontifex in ducatis 405. intellexerunt comprehendere ducatos priùs à dicta Univerſitate donatos; ut reſultat ex ſubſecuta erectione Collegiatæ, & reſervatione Juriſpatronatus quatuor Canonicatuum favore Univerſitatis facta ab Archiepiſcopo in executionem Bullæ Erectionis, ad quam reſervationem Juriſpatronatus, utique Archiepiſcopus non deveniſſet, ſi agnoviſſet in ducatis 405. promiſſis, & aſſignatis, non fuiſſe comprehenſos ducatos priùs donatos; Ordinarii enim non ſolent eſſe faciles in admiſſione Juriſpatronatus, cum agatur de proprio, & Eccleſiæ præjudicio. *Rot. deciſ.* 168. *n.* 13. *par.* 10. *& dec.* 1141. *coram Seraph. & in Arianen. Archipresbyteratus* 27. *Junii* 1708. §. *De anno*, *cor. Eminentiſſimo Scotto*, & juxta alias auctoritates in antecedenti *Caſu n.* 16. relatas.

5 Ac patet ex relatione Archiepiſcopi, ubi aſſeritur annuus introitus certus Collegiatæ conſiſtere in ſolis ducatis 450. junctis aliis annuis ducatis 45., ex nonnullis cenſibus ad Eccleſiam ſpectantibus, quod non ſubſiſteret, ſi in ducatis 405. non fuiſſent comprehenſæ ſummæ præcedenter donatæ, nam aliàs Collegiata haberet majorem ſummam. Et etiam reſultat ex prætentione Juriſpatronatus reſtricta per Univerſitatem ad ſolos quatuor Canonicatus; quod utique ſequutum non fuiſſet, ſi in ducatis 405. non habuiſſet intentionem comprehendendi ſummas priùs donatas, ſed veriſimiliter prætentio Juriſpatronatus fuiſſet ab ea extenſa reſpectu omnium duodecim Canonicatuum; cum dos ducat. 405. ultra ducatos priùs donatos ad rationem ducatorum 34. circiter pro quolibet, eſſet ſufficiens pro dictis duodecim Canonicatibus.

6 Et licet fuerint aſſignati ducati 405. cum oneribus aſſociandi Cadavera, & applicandi duas Miſſas Conventuales qualibet hebdomada, adhuc adimpleta dicitur conditio, ſub qua reſervatum fuit Juſpatronatus; quia libertas ab omni onere promiſſa ab Univerſitate in ducatis 405. intelligitur quoad expenſas utenſilium, & reparationis Eccleſiæ, pro quibus ſe obligavit Univerſitas; non verò quoad alia onera, præſertim quoad onus applicandi Miſſam Conventualem, ad quod tenentur Canonici non ſolùm bis in hebdomada, ſed quotidiè; ut dixi ſuperiùs *Can. IX. Caſ. I.*, & alibi.

Et ita reſolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione Concilii in *Amalphitana Canonicatus* 10. *Aprilis* 1717.

AR-

ARGUMENTUM.

Forma rigoroſa hìc à Concilio præſcripta, an requiratur, quando prætenditur Juſpatronatus ab univerſitate laicali, ſimul, & à Perſona privata; & quæ ſint probationes inſufficientes, & quæ ſufficientes ad probandam exiſtentiam Juriſpatronatus in Perſonis Potentibus.

SUMMARIUM.

1 *Juſpatronatus competens Parochianis, aut Univerſitati ſæculari, præſumitur eis competere ex uſurpatione.*

2 *Juſpatronatus probari debet à Perſona ſuſpecta de uſurpatione, vel per inſtrumentum publicum fundationis, aut dotationis, vel per immemorabilem unà cum præſentationibus ſpatio* 50. *annorum effectuatis, quando agitur contra ordinarium; ſecus ſi lis ſit ſolùm inter Perſonas hinc inde Potentes, aut inter eorum Præſentatos*; & n.3.

4 *Sententia extracta à copia informi, injuſta, & totaliter ineffectuata non probat juſpatronatus.*

5 *Præſentationes allatæ in cartulis informibus juſpatronatus non probant.*

6 *Juſpatronatus ad formam Concilii non probatur per enunciativas emiſſas in edicto, aut in inſtitutionibus Ordinariorum: neque per Teſtes*, & n.7.

8 *Ex proviſionibus Eccleſiæ Parochialis factæ prævio concurſu, colligitur ipſam non eſſe de jurepatronatus laicali.*

9 *Forma rigoroſa hic à Concilio præſcripta non habet locum quando juſpatronatus prætenditur à Perſona Potenti laica ſimul, & à Perſona Privata.*

10 *Neque quando prætenditur à Perſona Popotenti, ſeu ab Univerſitate Eccleſiaſtica.*

11 *Immemorabilis à Concilio requiſita, ex quibus probetur.* Vide ibi.

12 *Præſentationes, quando dicantur effectuatæ.*

13 *Immemorabili ſatisfacit etiam centenaria ad probandum juſpatronatus Potentium.*

14 *Forma rigoroſa à Concilio hic præſcripta, non requiritur, quando agitur de jure nominandi ad Cappellanias merè laicales.*

15 *Inſtitutio eſt concedenda legitimè præſentato*, & num.24.

16 *Juſpatronatus Potentium ex quibus probetur?* Vide ibi, & n.17. 18. 19.

20 *Sola diffamatio an ſufficiat ad impediendam beneficii aſſecutionem.*

21 *Ad arcendum aliquem ab aſſecutione beneficii, an ſufficiat ſimplex atteſtatio Cancellarii de eodem delicto?* & n.22. & 23.

25 *Præſentatus dicitur habere jus certum, quo privari non poteſt per ſolam diffamationem.*

CASUS III.

Vacante Eccleſia Parochiali A, maxima orta fuit controverſia inter Epiſcopum ex una parte aſſerentem Eccleſiam eſſe liberæ collationis; & inter Parochianos pro una voce, & Titium pro altera voce, prætendentes ex altera parte Eccleſiam eſſe Juriſpatronatus; Quæritur in hoc caſu an conſtet de jurepatronatus;

1 Reſpondendum videtur negativè agitur enim de Perſona ſuſpecta nimirùm de Univerſitate Sæculari Parochianorum, cui præſumitur competere juſpatronatus ex uſurpatione, quia non ita de facili plures conveniunt ad ædificandam, vel conſtruendam Eccleſiam, & quia regulariter Eccleſiæ ſolent fieri ex eleemoſynis plurium, & ſic non animo reſervandi ſibi juſpatronatus *Fagnan. in cap. querelam de elect. n.*8. *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæſt.*13. *n.*124. *Rot. dec.*1. *de jurepat. apud Creſcen. n.*2. *& ſeq.*, *& dec.* 25. *n.*3. *coram Coccin.*, *& dec.*80. *n.*1. *& dec.* 140. *n.*2. *cor. Rem-*
2 *bold.* Quo caſu cùm agatur contra ordinarium ejuſdem Eccleſiæ libertatem vindicantem Parochiani tenentur probare exiſtentiam, & pertinentiam Juriſpatronatus uno ex duobus modis à Concilio hìc præſcriptis; nimirum per Inſtrumentum fundationis, vel dotationis, eoque deficiente per immemorabilem, unà cum præſentationibus continuatis, & effectum ſortitis ſpatio quinquaginta annorum, & pro-

probatis per authenticas ſcripturas, aliàs
ſi probatio hæc deficiat in minimo, vel ſit
turbida, & minus concludens, non eſt re-
cedendum ab aſſiſtentia juris, quæ favet
libertati Beneficii in hac materia ſuſpe-
ctiſſima de uſurpatione, in qua plenior,
& exactior probatio ad docendum verum
titulum requiritur juxta *Fagnan. in cap.
conſultationibus num.8. de jurepat. Anto-
nin. var. reſol. lib. 1. reſol. 3. n.7. Adden.
ad Buratt. dec.139. num.11. & ſeqq. Rot.
dec.247. n.4. & ſeqq. & dec.245. n.45. &
ſeqq. par.9. tom.1. & deciſ.187. n.3. & 4.
par.12. & dec.539. n.4. par.19. tom.2. rec.,
& in Beneventana juriſpatronatus* 10.
Maji 1700. §. *Siquidem*, & 28. *Novembris*
1701. §. *Quamvis, coram bo. me. Eminen-
tiſſimo Caprara, & in Arianen. Archipresby-
teratus* 27. *Junii* 1708. §. *Minus relevat,
coram Eminentiſſimo Scotto*; & alias Au-
ctoritates in *Commentario* relatas, & fuit
reſolutum à Sacra Congregatione Con-
cilii in *Nullius* 25. *Octobris* 1592. *lib.7.
Decr. pag.74. & in Frequentina* 12. *Julii*
1604. *lib.10. Decr. pag.4. à tergo*. Quid-
3 quid ſecus eſſet ſi ordinarius non compa-
reret, ſed lis ſolùm eſſet inter Perſonas
hinc indè potentes, aut inter Præſenta-
tos ab eis, tunc enim ad probandum juſ-
patronatus, rigor formæ conciliaris non
eſſet obſervandus, ſed ſufficerent levio-
res probationes. *Lotter. de re benef. lib.2.
quæſt.13. n.128. Antonell. de regim. Eccleſ.
lib.3. cap.6. §.5. n.49. & de tempore legal.
lib.2. cap.104. n.8. Carol. Anton. de Luca
ad Gratian. diſcept. 597. n.7. Rot. dec.82.
n.19. & ſeq. par.7. rec.*

Hoc ſuppoſito talis probatio deficit in
præſenti; dum tam Parochiani, quàm
Titius non probant exiſtentiam, & perti-
nentiam juriſpatronatus per publicum
inſtrumentum fundationis, aut dotationis
ſed ſolùm afferunt quamdam ſententiam,
qua centum ab hinc annis fuit definitum
dictam Eccleſiam Parochialem eſſe de ju-
repatronatus pro una voce, dictorum Pa-
rochianorum, & pro altera voce Titii,
quæ ſententia nihil probat, quia *Canon*
ſupradictus in defectu inſtrumenti funda-
tionis, aut dotationis, ad probandum
juſpatronatus in Perſonis Potentibus re-
quiſivit immemorabilem pro forma, quæ
per æquipollens nequit adimpleri. *Lotter.
de re benef. lib.2. quæſt.13. n.127. Rot. de-
ciſ.25. num.2. coram Coccin.* maximè ſi di-
4 cta ſententia eſſet extracta, & copiata ex
copia informi, aut eſſet injuſta, aut tota-
liter ineffectuata, quo caſu multo minus
probant, ut de ſententia ex copia informi
extracta firmat *Rot. dec.1295. n.2. & ſeqq.
& dec. 1351. n.3. cor. Coccin. & dec.55c.
in fin. cor. Gregor. & in Recanaten. Benefi-
cii* 20. *Martii* 1702. §. *Denique in fin. cor.
Eminentiſſimo Caprara*. De ſententia in-
juſta docet *Rot. dec.25. n.13. verſic. non
obſtat poſt Vivian. de jurepat. & in Mele-
vitana Juriſpatronatus* 31. *Martii* 1702.
*coram Eminentiſſimo Scotto, & in Cremonen.
Beneficii* 14. *Maji* 1706. §. *Tum demum*,
*coram R.P.D. Kaunitz, & in Lucana Bene-
ficii* 22. *Febr.* 1709. §. *Accedit*, & 2. *Ju-
nii ſubſequentis* §. *Multo minus, cor. R.P.D.
Falconerio*. Et de ſententia ineffectuata,
tradit eadem *Rota in Cremonen. Beneficii*
11. *Maji* 1705. §. *Nec proviſioni*, & 14.
Maji 1706. §. *Tum etiam, coram R.P.D.
Kaunitz*.

5 Afferunt etiam quaſdam præſentatio-
nes, ſed iſtæ non merentur attendi, ut-
pote allatæ in quibuſdam cartulis infor-
mibus, quæ nihil probant juxta *Rot. in
Recanaten. Beneficii* 20. *Martii* 1702. *cor.
bo. me. Eminentiſſimo Caprara*.

6 Neque probatio hujuſmodi Juriſpa-
tronatus ad formam hujus Canonis adim-
pleta remanet per enunciativas emiſſas
in edicto, aut in Inſtitutionibus Ordina-
nariorum, ut firmavit *Rot. deciſ.349. n.2.
in fin. coram Merlin., & dec.174. num.11.
coram Carill., & in Bononien. Archipresby-
teratus* 10. *Martii* 1710. §. *Non in genere,
coram R.P.D. Aldrovando*. Neque per Te-
7 ſtes, quia de ipſis Concilium non confi-
dit, ſed tantùm de authenticis ſcripturis,
ut ſæpius deciſum fuit per Sacram Con-
gregationem Concilii, ut teſtantur *Gon-
zal. ad regul.8. gloſſ.18. n.79. Pax Jordan.
tom.2. lucubrat. lib.10. tit.7. n.113. verſ.
quinto tandem. Mantic. deciſ.89. n.2. Ad-
den. ad Gregor. deciſ.222. num.11. Coccin.
dec.1784. n.51.*

8 Fortius per hæc omnia Parochiani, ac
Titius non probarent exiſtentiam, & per-
tinentiam juriſpatronatus; ſi è contrario
Ordinarius oſtenderet dictam Eccleſiam
Parochialem fuiſſe ſemper proviſam præ-
vio concurſu; ex hujuſmodi namque
proviſionibus colligeretur eamdem Ec-
cle-

cleſiam non eſſe de jurepatronatus laicali; nam ſi fuiſſet talis, ex juſtitia non fuiſſet facta proviſio per concurſum, ſed ad præſentationem Patronorum, prævia approbatione Ordinarii. *Fagnan. in cap. cùm autem à n.*31. *de jurepat. Vivian. eod. tract. lib.*10. *cap.*1. *n.* 58., & alii penès *Rot. in Bononien. Archipresbyteratus* 10. *Martii* 1710. §. *Maximè*, *coram R.P.D. Aldrovando*.

9 At his omnibus poſthabitis exiſtimo conſtare in hoc caſu de pertinentia juriſpatronatus favore Parochianorum, & Titii; Siquidem in præſentiarum non habet locum forma rigoroſa ab hoc *Canone* præſcripta, dum non agitur de Univerſitate, aut perſona Potenti laica; quæ ſola prætendat juſpatronatus dictæ Eccleſiæ; quo caſu certo equidem eſſet juſpatronatus rigorosè probandum uno ex ſupradictis modis juxta Auctoritates in *Commentario*, & hic *num.*2. relatas; ſed verſamur in Univerſitate, ſeu in perſona Potenti laica, quæ unitim cum Perſona privata contendit ad ſe ſpectare Juſpatronatus; in quibus terminis non intrat rigor formæ Conciliaris, quia cum pro unà parte ceſſet præſumptio uſurpationis, ceſſare etiam videtur pro alia parte ſpectante ad perſonas ſuſpectas. *Fagnan. in cap. querelam de elect. n.*10. *& ſeq. Antonell. de regim. Eccleſ. lib.*3. *cap.*6. §.5. *n.*45. *& ſeqq. & de tempor. legal. lib.*2. *cap.*104. *n.*3. *Card. de Luc. de jurepat. diſc.*58. *n.*22. *Adden. ad Buratt. dec.*142. *num.*14. *& deciſ.* 604. *n.*1. *coram Buratt.*, *& deciſ.* 290. *num.*19. *coram Cerro*; Sicuti idem rigor
10 non eſt obſervandus quando agitur de Perſona potenti, aut de Univerſitate Eccleſiaſtica, uti ſunt Capitula Cathedralium, aut Collegiatarum, quia cum in tali caſu Eccleſia ſit Patrona, in ea ceſſat uſurpationis præſumptio. *Fagnan. in d. cap. querelam de elect. n.*14. *& ſeqq. Card. de Luc. d. diſcur.*58. *n.*30. Unde etiamſi in probatione juriſpatronatus, non obſervetur à ſupradictis Parochianis, & Titio, rigoroſa forma hujus *Canonis*, non proindè abſolutè dici poteſt non conſtare de eorum jurepatronatus; ſi hoc aliundè reſultet ex probationibus ſufficientibus ad probandum Juſpatronatus Privatorum.

Sed etiam per malam hypotheſim admiſſo, quod in hoc caſu quoque requiratur obſervantia rigoroſæ formæ Conciliaris, adhuc venit dicendum conſtare de jurepatronatus dictorum Parochianorum, & Titii; Quoniam licèt deficiat primum genus probationis elicitum ex publico inſtrumento fundationis, aut dotationis, eo quia illud ſit deperditum, & non reperiatur, non deficit tamen alterum genus probationis conſiſtens in immemorabili, unà cum præſentationibus ſpatio ad minus quinquaginta annorum effectuatis;
11 Et quidem immemorabilis in præſenti probata remanet ex ſententia, centum ab hinc annis emanata, authenticè extracta, juſta, ac effectuata, qua ab Ordinario tunc temporis, cauſa cognita, & ſervatis ſervandis declaratum fuit conſtare de jurepatronatus controverſæ Eccleſiæ Parochialis pro una voce favore Parochianorum, & pro altera favore Titii; Ex inſtitutionibus ab antiquo tempore uſque nunc continuatis, ex actibus negativis, nimirum ex eo, quod intra lapſum tanti temporis nulla detur collatio facta ab Ordinario, ac etiam ex depoſitionibus Teſtium teſtantium cum requiſitis *Gloſſæ in cap.*1. *de præſcription.* præfatos Parochianos, ac Titium ſemper fuiſſe ab immemorabili in poſſeſſione præſentandi Rectorem, quoties Eccleſia vacare contigerit, ex quibus omnibus probari immemorabilem, & conſequenter etiam juſpatronatus inter Perſonas Potentes docet *Card. de Luc. de jurepat. diſc.*4. *per tot. Rot. in Beneventana juriſpatronatus* 10. *Maji* 1700. §. *Siquidem*, *&* 28. *Novembris* 1701. §. *Et quantum*, *coram bo. me. Eminentiſſimo Caprara*, *in Neritonen. Juriſpatronatus ſuper bono jure* 11. *Decembris* 1702. §. *In caſu autem*, *coram Eminentiſſimo Priolo*, *& in Arianen. Archipresbyteratus* 14. *Martii* 1710. §. *Quibus coram Eminentiſſimo Scotto*, *& in Trivicana juriſpatronatus* 17. *Junii* 1718. §. *Et ſanè cum ſeqq. coram R. P. D. Foſcaro inferiùs impreſſ.*

12 Conſtat etiam per authenticas ſcripturas de præſentationibus ſpatio 50. annorum effectum ſortitis, cùm afferantur quatuor præſentationes in publica forma, quæ, cum quilibet ex præſentatis fuerit proviſus per obitum alterius, dicuntur effectuatæ. *Adden. ad Buratt. deciſ.*142. *num.*17. *Rot. in Pampilonen. juriſpatronatus*

natus 19. *Januarii* 1703. §. *Quod enim*, *coram Eminentiſſimo Scotto*.

Parum relevante, quod non conſtet de immemorabili, ex quo appareat de initio, ideſt à ſententia lata centum ab hinc annis; Etenim cùm hæc ſententia, ſit fundata in Bulla erectionis deperdita, ac in præſentationibus anteactis temporibus factis, & effectum ſortitis, ſatis dicitur conſtare de immemorabili, cui ſatisfacit
13 etiam centenaria ad probandum juſpatronatus Potentium. *Card. de Luc. de jurepatr. diſc.* 58. *n.* 5. *Rot. dec.* 168. *n.* 37. *par.* 10. *rec. & in dicta Beneventana juriſpatronatus* 10. *Maji* 1700. §. *Nec obſtat*, *cor. bo. me. Eminentiſſimo Caprara*.

14 Ex his collige quod forma rigoroſa probandi juſpatronatus Potentium requiritur in beneficiis Eccleſiaſticis, ſecus in Cappellaniis merè laicalibus, in quibus non cadit inſtitutio; in eis namque ſi Perſona potens prætendat juſpatronatus, ſeu jus nominandi, in hujus probatione, eadem Perſona potens non tenetur obſervare hanc rigoroſam formam Conciliarem. *Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſcept.* 597. *num.* 8. *Rot. deciſ.* 2. *num.* 25. *par.* 13. *rec.*

R. P. D. FOSCARO

Trivicana Juriſpatronatus.

Ven. 17. *Junii* 1718.

PRæſuppoſito jurepatronatus ſuper Eccleſia Parochiali Oppidi S. Nicolai de Ripa Trivicanæ Diœceſis pertinente ad D. Ducem Flumaris, utì Baronem ejuſdem Oppidi S. Nicolai, exhibitaque ejuſdem D. Ducis præſentatione canonicè expleta de Antonio Gliugliaro; Conſtitoque demum de ejuſdem Præſentati ideoneitate ex nonnullis literis teſtimonialibus ab Ordinario reportatis, Domini ſub congruo dubio conſulti meritò
15 reſponderunt, dandam eſſe Antonio inſtitutionem, cùm hæc, concurrente idoneitate, deneganda non ſit ei, qui legitimam præſentationem à Patrono reportaverat ad *Text. in can. Monaſterium* 16. *quæſt.* 7. *Rot. deciſ.* 444. *n.* 1. *par.* 14. *rec. in Bituntina juriſpatronatus* 31. *Januarii* 1716. §. *Conſtitit*, *& in Pampilonen. juriſpatronatus* 14. *Februarii ejuſdem anni* §. *Primo coram Me*.

Et ſanè reſpectu pertinentiæ Patronalis nulla ſuboriri poterat difficultas, nam
16 quamvis ageretur de Barone loci, contra quem urgere poſſent uſurpationis ſuſpicio contra perſonas Potentes inducta per *Sac. Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* tot nihilominus, tantaque concurrebant argumenta comprobativa ejuſdem pertinentiæ, ut præfatam ſuſpicionem, omnino pœnituſque eliminaſſent. Et quidem ſe obtulit primò, quod in proximè præterita vacatione ſecuta anno 1704. cùm ad inſtantiam Promotoris Fiſcalis hæc ipſa excitata fuiſſet exceptio, Teſtes formiter examinati unanimiter depoſuerunt, Baronem S. Nicolai reperiri ab immemorabili in pacifica quaſi poſſeſſione præſentandi; Cùmque in eorum perſonis, & depoſitionibus omnes verificentur circumſtantiæ à *Gloſſ. in cap.* 1. *verb. memoria de præſcript. in* 6. requiſitæ ad probationem immemorabilis, hinc ad ſenſum etiam ejuſdem Sacri Concilii conſtabilita cenſeri debet pertinentia Patronalis, ut in terminis firmavit *Rot. in deciſ.* 444. *num.* 3. *& ſeq. par.* 14. *deciſ.* 136. *n.* 13. *par.* 19. *rec. cor. Benincaſa dec.* 352. *nu.* 2. *& ſeq. in Neritonen. juriſpatronatus ſuper bono jure* 11. *Decembris* 1702. §. *In caſu coram Eminentiſs. Priolo*, *&* 11. *Aprilis* 1704. §. *Quandoquidem coram bo. mem. Kaunitz*.

Acceſſerunt inſuper præſentationes à
17 duobus ferè ſæculis, ab anno ſcilicet 1536. per Barones uſque ad moderna tempora expletæ, quæ pariter quamcumque removebant difficultatem, cùm indè concludentiſſimè probata remaneat biſcentenaria, quæ ad hunc effectum immemorabili æquiparatur, ut tenent *Garz. de benef. par.* 7. *cap.* 9. *nu.* 103. *& ſeq. Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 38. *nu.* 35. *Card. de Luc. de jurepat. diſc.* 58. *ſub nu.* 5. & firmavit *Rot. in rec. deciſ.* 168. *n.* 35. *& ſeq. cor. Emerix jun. deciſ.* 1195. *&* 1271. *utrobique n.* 2. *& ſeq. in Beneventana juriſpatronatus* 10. *Maji* 1700. *ſub* §. *Non obſtat coram clar. mem. Card. Caprara*, *& in Arianen. Archipresbyteratus* 27. *Julii* 1708. §. *Minus relevat*, *&* 14. *Martii* 1710. §. *Quibus poſitis coram Eminentiſs. Scotto*; Quin relevaſſet, quod præſentationes, non

non appareant continuatæ, quodque omnes probentur effectum ſortitæ; utramque etenim exceptionem planè ſubſtulerant temporis antiquitas, & longa earumdem præſentationum ſeries cum poſitiva probatione, quod admiſſæ extitiſſent per octo vices ab Ordinariis; Nam in his terminis non conſtito, quod Parochialis proviſa fuerit tanquam libera, ſubintrat præſumptio, quod reliquæ proviſiones temporis injuria fuerint deperditæ, & cum aliis ſtatibus ſint conformes, ut in ſpecie dixit *Rot. cor. Emerix. jun. dicta deciſ.* 1195. *in fine, in Hyeracen. Parochialis ſuper negotio principali* 25. *Junii* 1700. §. *Non obſtante cor. bo. me. Muto*; *& in citata Arianen. Archipresbyteratus* 27. *Junii* 1708. §. *Neque urget cor. Eminentiſs. Scotto*. Adeòut cùm exinde jam conſtet, quod concurrat immemorabilis cum præſentationibus per quinquaginta annos effectum ſortitis ſatis adimpleta remanſerat probatio in his terminis à Sac. Concilio requiſita, juxta *præadductas authoritates*.

Rursùs valdè aſſumptum comprobarunt quamplures enunciativæ, tum ab
18 Epiſcopo Magneſio anno *1639.* tum ab aliis Epiſcopis pro tempore, & præſertim à Moderno in actibus ſeriis emiſſæ ſuper eo, quod Baro S. Nicolai eſſet Patronus Eccleſiæ Parochialis ejuſdem loci, quibus adſtipulantibus validior efficitur juriſpatronatus probatio, eo quia Ordinarii pro eorum libera conferendi facultate difficiles eſſe ſolent ad exponendas hujuſmodi confeſſiones, ut paſſim advertit *Rot.* & ſignanter *cor. Seraph. deciſ.* 1141. *nu.*8. *coram Buratt. deciſ.* 142. *n.*12. *cor. Cavaler. deciſ.*547. *n.*4. *cor. Benincaſa deciſ.*352. *n.*13 *in recent. deciſ.* 168. *n.*27. *par.* 10. *& in Neritonen. juriſpatronatus ſuper bono jure* 26. *Februarii* 1703. §. *Nec ad evertendum coram Eminentiſſimo Priolo*, *&* 11. *Aprilis* 1704. *ſub* §. *Immemorabilis coram bo. me. Kaunitz*. Unde etiam non leve reſurgit argumentum, ex quo nulla adhuc exhibita fuerit collatio tamquam de libero, quæ in tanto temporis ſpatio utique non deficeret, niſi omnes Epiſcopi juſpatronatus recognoviſſent, ut conſentaneè ad proximè relatas deciſiones ponderatum fuit *in dicta Arianen. Archipresbyteratus* 14. *Martii* 1710. *ſub* §. *Quibus poſitis coram Eminentiſſimo Scotto*.

Et denique cæteris conſultò omiſſis, indubia juriſpatronatus emerſit probatio
19 ex tribus rebus judicatis exortis in contradictorio judicio Promotoris Fiſcalis, prima ſcilicet anno 1568. ſecunda anno *1626.* & tertia anno 1704. juxta quas cùm ſæpedictus Baro declaratus extiterit Patronus prædictæ Eccleſiæ S. Nicolai, ſublata indè remanebat quæcumque uſurpationis ſuſpicio, quæ redditur inallegabilis, dum poſt Conſtitutionem Conciliarem juſpatronatus fuerat in judicio canonizatum, ut diſtinguendo ſententias ante, & poſt Concilium latas tradunt *Gonzal. ad regul.*8. *Cancell. gloſſ.* 18. *n.*26. *Barboſ. in annot. ad idem Conc. cap.*9. *n.*26. *ſeſſ.*25. *de reform. Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.*13. *n.*140. *Spad. conſ.*28. *n.*11. *lib.*2. *Card. de Luc. de jurepat. diſc.* 58. *ſub n.* 20. *Rot. in rec. deciſ.*444. *ſub n.*18. *par.*14. *deciſ.*136. *n.*22. *& ſeq. par.* 19. *cor. Beninc. caſ. deciſ.* 352. & latè *in alleg. Hyeracen. Parochialis* 25. *Junii* 1700. §. *Nullatenus*, *& in Neritonen. juriſpatronatus ſuper manutentione* 11. *Decembris* 1702. §. *Quatenus cum ſeq. cor. Eminentiſs. Priolo*.

Conſtabilita autem pertinentia Patronali acriter in Partibus impugnata, quæ longè exuberabat in præſenti manutentionis judicio, in quo regulariter leviores ſufficiunt probationes, & mitiùs proceditur, non obſtitit exceptio hodie contra Antonium Præſentatum promota, quod ſcilicet ille reperiatur pluribus, & quidem graviſſimis criminibus inquiſitus, & proceſſatus, adeòut incapax cenſen-
20 dus ſit aſſequendi Beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curata, ſaltèm ratione diffamationis, quæ ex ſe ſola ſufficeret ad impediendam beneficii aſſecutionem, juxta diſtinctionem inter jus quærendum, de qua *Card. de Luc. de benef. diſc.* 70. *nu.*4. *&* 5. *Rot. cor. Seraph. deciſ.* 516. *n.* 4. *in rec. deciſ.*78. *n.*16. *deciſ.*267. *nu.*8. *& ſeq. & deciſ.*366. *n.*1. *&* 2. *par.*12. *deciſ.*291. *nu.*1. *& ſeq. & deciſ.*501. *n.*1. *&* 2. *par.* 19. Etenim de prætenſis delictis, non aliud exhibitum fuit documentum, niſi ſimplex atteſtatio Cancellarii, quæ de per ſe
12 nullam probationem conſtituit, cùm ad hunc effectum requiratur plena, & concludens delictorum probatio *Garz. de benefic.*

neſic. par. 7. cap. 8. n. 7. & 8. Rot. cor. Peutinger. deciſ. 402. nu. 15. & ſeq. cor. Reverendiſs. Anſaldo deciſ. 32. nu. 17. in rec. deciſ. 323. n. 21. par. 16. & in Sagonen. Plebaniæ 10. Decembris 1706. §. Prout coram bo. me. Omanna, & S. Rota requirere conſueverit ſententias ſuper iiſdem criminibus latas, nec non tranſportationem actorum, unde illarum juſtitia remaneat comprobata, ut dictum fuit *in dicta deciſ.* 402. *nu.* 16. *cor. Peutinger. deciſ.* 393. & 408. *utrobique n.* 7. *& ſeq. cor. Bich. in Senogallien. Canonicatus de Luchis* 23. *Julii* 1710. §. *Ex quibus cor. R. P. D. meo Aldrovando*, & *in Roſſanen. Parochialis* 19. *Januarii* 1711. §. *Præter autem cum ſeq. cor. R.P.D. meo Criſpo*.

Eidemque atteſtationi, eò minus deferri poſſe Domini cenſuerunt, animad-
22 verſo, quod idem Antonius, nedum uſque adhuc nullam paſſus fuit inquiſitionem, ut pandunt tres conformes atteſtationes annis 1707. 1711. & 1712. à Reverendiſſimo Epiſcopo reportatæ, in quibus præterea bonæ vitæ, famæ, & conditionis enunciatur, ac ad exercendum Animarum Curam idoneus, ſed inſuper eamdem Curam per plures annos adminiſtravit in Eccleſiis Parochialibus Terræ Caſtelli, ubi Epiſcopus reſidebat in modum, ut exinde, aliiſque Eccleſiaſticis muneribus laudabiliter abſolutis, collaudari promeruerit tam à Clero, quàm ab Univerſitate dictæ Terræ, quodque magis relevat, ſecuta hujus Parochialis vacatione, idem Epiſcopus ejus doctrinam, morumque honeſtatem commendaverit Eminentiſs. Urſino Metropolitæ, ut idem D Cardinalis illius præſentationem à D. Duce procuraret. Quibus ſtantibus impoſſibile ferè, ac penitùs improbabile reddebatur, quod perpetraſſet tam multa crimina relata per Cancellarium, propter quæ nec per momentum in Curæ, & Sacramentorum adminiſtratione debuiſſet tolerari, ut arguunt *Sanchez conſ. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 6. n. 28. Rot. in rec. deciſ. 327. n. 23. & ſeq. deciſ. 400. nu. 6. & ſeq. par. 16 deciſ. 207. n. 41. & ſeq. par. 17. cor. Reverendiſs. Anſaldo dicta deciſ. 32. n. 18. & in alleg. Sagonen. Plebaniæ 10. Decemb. 1706. §. Prout, & ſeq. cor. bo. me. Omanna*.

Tanto magis, quia poſt ſecutam præ-ſentationem non levia supervenerunt jur-
23 gia, & diſſentiones cum D. Duce, & cum Germano fratre ejuſdem Antonii, qui reperiebatur Syndicus Terræ Caſtelli, ut emerſit ex deductis in Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium. Unde eo certiùs ſpernenda erat præfata atteſtatio Cancellarii; Cùm eadem ſuperveniſſe cauſa, ſuſpicari liceat, prætenſa delicta ideata, & adinventa fuiſſe ad hunc præciſum effectum repellendi Antonium ab aſſecutione Parochialis, ut inferunt *Navarr. conſ. 6. nu. 2. & ſeq. lib. 5. de accuſat. Sanch. conſ. moral. tom. 1. lib. 6. cap. 3. dub. 6. nu. 27. & ſeq. & Rot. in d. Sagonen. Plebaniæ 10. Decembris 1706. ſub §. Quin. attendenda ſit cor. bo. me. Omanna*.

Non obſtante igitur contraria atteſtatione, integra ex præmiſſis adhuc manet
24 Antonii fama; Et tamen quatenus exinde orta per hypotheſim dici vellet diffamatio, adhuc ex ea denegari non poterat Inſtitutio; Quia licèt Præſentatus ex ſola præſentatione beneficium actualiter non acquirat, ex ea nihilominus adeò firmum deſcendit jus, ut niſi ſupervenerit cauſa juſta, & concludenter probata denegari nequeat inſtitutio ſinè labe injuſtitiæ. *Vivian. de jurepatron. lib. 12. cap. 7. n. 1. Rot. cor. Bich. deciſ. 118. n. 19. cor. Emerix. jun. deciſ. 66. in fine in rec. deciſ. 156. num. 14. par. 17.* & in *Melevitana juriſpatronatus 13 Januarii* 1708. §. *E converſo cor. bon.*
25 *mem. Omanna*; Quare habere dicitur jus certum, & perfectè quæſitum, *Tambur. de jur. Abb. tom. 1. diſput. 10. quæſt. 4. n. 4. Rot. poſt eundem deciſ. 25. nu. 14. & in rec. deciſ. 74. nu. 8. par. 16. coram Emerix jun. deciſ. 1247. n. 4.* & in *Tolentina juriſpatronatus 16. Februarii* 1714. §. *Animadvertentibus cor. Eminentiſs. Scotto*, quo privari non poſſet per ſolam diffamationem, niſi inſuper exhibeatur certa delictorum probatio, ut in terminis Præſentati *Lamber. de jurepatronat. par. 1. lib. 2. quæſt. 9. art. 16. per tot. Garz. de Benefic. part. 7. cap. 8. nu. 47. & ſeq. Rot. in rec. deciſ. 323. n. 21. & ſeq. par. 16. cor. Reverendiſs. Decano deciſ. 32. n. 16. & in Senogallien. Canonicatus de Luchis 23. Junii* 1710. §. *Ex quibus cor. Reverendiſs. Aldrovando*, & de eo, qui mandatum de conferendo reportaverit, *Felin. in cap. accedens 23. ſub n. 2. de accuſat. Anchar. ibidem nu. 3. & 4. Rodoan.*

*Joan. de Simon. par.*4. *cap.*12. *à nu.*19. *Rot. cor. Comitulo dec.*10. *repetit. poſt* 1. *lib. conſ. Farinac.* & latè in *rec. deciſ.* 207. *n.* 44. *& ſeq. par.* 17.

Quibus non adverſantur authoritates in oppoſitum allegatæ, nam illæ loquuntur, & procedunt in themate, quo plures fuiſſent electi, vel Præſentati, quorum reſpectu non eadem militat ratio, cùm illorum admiſſio, ſecluſa quoque diffamatione pendere dicatur à futuro, & ancipiti præelectionis eventu, id quod nullatenus verificatur in unico Præſentato, cui ut dictum eſt poſt reportatam præſentationem ex juſtitia debita eſt inſtitutio, ut diſtinguendo caſus optimè firmatum fuit in *Bovinen. Archidiaconatus* 27. *Junii* 1715. §. *Ac propterea cor. Eminentiſs. Card. Scotto*.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Juſpatronatus acquiſitum, vel per viam acceſſionis, aut ex redotatione, aut reædificatione à quadraginta annis citra à die acquiſitionis ad diem confirmationis Concilii an revideri poſſit ab Ordinario, quando aliàs fuerit ab anteceſſoribus Epiſcopis reviſum, & approbatum.

SUMMARIUM.

1 *Juſpatronatus acquiſitum ex redotatione, aut reædificatione à quadraginta annis citra recognoſci poteſt ab Ordinario, ſi nunquam fuerit recognitum; ſecus ſi pluries fuerit reviſum, & approbatum*; & num. 3.

2 *Patronus exiſtens in poſſeſſione præſentandi, donec revidetur juſpatronatus, eſt in ea manutenendus.*

CASUS IV.

Fuit acquiſitum juſpatronatus anno 1540. à quadam perſona ex reædificatione Eccleſiæ, quæ minabatur ruinam; iſtud juſpatronatus fuit pluries recognitum per anteceſſores Epiſcopos, & fuit ſucceſſivè proviſum beneficium ab ipſis ad præſentationem Patroni; Modernus autem Epiſcopus prætendit illud de novo revidere; quæritur an hoc poſſit?

1 Videtur reſpondendum affirmativè, quia juſpatronatus ſupradictum fuit acquiſitum titulo reædificationis Eccleſiæ anno 1540. & ſic cùm à die illius acquiſitionis ad diem confirmationis Concilii, quæ fuit anno 1564. de menſe Maji, non fuerint elapſi quadraginta anni, ſed ſolùm vigintiquatuor anni, ſequitur quod poſſit ab Epiſcopo recognoſci, & ſi reperit ob maximè evidentem Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem, legitimè non eſſe conſtitutum, valeat Epiſcopus illud revocare, reſtitutis, ac ſolutis Patrono, quæ ipſi de proprio contulerit, ut reſolutum fuiſſe à S. Congregatione Concilii teſtatur *Pignatell. conſult.* 82. *n.* 26. *tom.* 9. *Rot. deciſ.* 162. *n.* 21. *cor. Bich. & dec.* 469.
2 *n.* 2. *& ſeq. cor. Coccin.* Nec talis reviſio eſt ullatenus præjudicialis Patrono, quia donec revidetur Patronus exiſtens in poſſeſſione præſentandi eſt in ea manutenendus. *Capon. diſc.* 12. *nu.* 35. *tom.* 1. *Rot. d. deciſ.* 162. *n.* 22. *cor. Bich. & d. deciſ.* 469. *n.* 4. *cor. Coccin.*

3 Contrarium tamen tuetur *Capon. eadem diſcept.* 12. *n.* 39. quia cùm tale juſpatronatus non ſemel tantùm, ſed pluries fuerit recognitum ab anteceſſoribus Epiſcopis cum illius ſubſequuta approbatione, mediantibus inſtitutionibus indè ſequutis ad præſentationem Patroni, non debet de novo revideri, aliàs litium nullus daretur finis, quia poſt hanc cognitionem poſſet alius Epiſcopus cognoſcere, & ſic in infinitum; Quam ſententiam puto veriorem; contraria ſolùm procedente, quando juſpatronatus nunquam fuerit recognitum.

Animus mihi erat in hoc *Canone*, ubi revocantur Patronatus ex privilegio; exceptis Regiis, de jurepatronatus Regio, Imperatoris, & de Primariis precibus, nec non de jurepatronatus Regum Galliarum, Hiſpaniarum, Portugalliæ, & Poloniæ, ac Ducis Sabaudiæ, pertractare, ſed melius cogitavi hujuſmodi Tractatum typis minimè mandare, quia ſemper audivi, loquendum de Principe nihil.

CANON XIII.

CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXV. Cap. XI.

MAgnam Eccleſiis perniciem afferre, ſcilicet, cùm earum bona repræſentata pecunia in ſucceſſorum præjudicium aliis locantur: omnes igitur hæ locationes, ſi anticipatis ſolutionibus fiant, nullatenus in præjudicium ſucceſſorum validè intelligantur: quocumque indulto, aut privilegio non obſtante: nec hujuſmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur; Non liceat etiam, juriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus locare, nec conductoribus per ſe, aut alios ea exercere, aliterque conceſſiones etiam à Sede Apoſtolica factæ ſurreptitiæ cenſeantur &c.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

LICITUM NON EST LOCARE JUSPATRONATUS, SEU FACULTATEM NOMINANDI, ET DEPUTANDI VICARIOS, ET BENEFICIATOS. = Quam concluſionem firmat etiam *Lambertin. de jurepatr. lib.* 1. *par.* 2. *quæſt.*8. *n.*1. ibi = *Et dic juſpatronatus per ſe conſideratum locari non poſſe* = & ſequitur *Barboſ. hic n.*6. *& ſeq. Pacion. de locat. & conduct. cap.*11. *nu.*31. *& ſeqq. Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. par.*1. *annot.*1. §.1. *n.*3.

1 Quamvis in generali locatione Univerſitatis bonorum comprehendatur etiam juſpatronatus ei annexum, ut firmavi ſuperius *Par. II. Can. XIV. & XV. Caſ. I.* tamen prohibetur locari juſpatronatus per ſe ſumptum, quia eſſet ſimonia.

Quoad hanc concluſionem vide quæ dixi *dicta Par. II. ubi ſupra*.

I N

IN CANONES
DE JURE-PATRONATUS
Deſumptos ex Bullis, ſive Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ex Regulis Cancellariæ.

COMMENTARIA.
PARS SEXTA.

1 BUllæ, ſive Conſtitutiones Apoſtolicæ, & Regulæ Summorum Pontificum, licèt non ſint inſertæ in Corpore Juris, cùm tamen emanaverint à Fonte Apoſtolicæ Poteſtatis, abſque dubio robur habent legis; Ita enim ſcripſit, ac notificavit Nicolaus Papa *in Can. ſi Romanorum diſt.*19. Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Gallias conſtitutis, reprobando quoſdam, qui nolebant recipere Decretales Epiſtolas, quia in corpore Canonum non legebantur, ibi = *Si Romanorum Pontificum Decreto, cæterorum opuſcula tractatorum approbantur; itaut, quod Sedes Apoſtolica probavit, hodie teneatur acceptum & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto potius, quæ ipſa pro Catholica Fide, pro ſanis dogmatibus, pro variis, & multifariis Eccleſiæ neceſſitatibus, & Fidelium moribus, diverſo tempore ſcripſit: omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus in quibuslibet opportunitatibus, diſcretione, vel diſpenſatione magiſtra, reverenter aſſumi?* = Et infra = *His ita divina favente gratia prælibatis, oſtendimus nullam differentiam eſſe inter illa Decreta, quæ in Codice Canonum habentur, Sedis Apoſtolicæ Præſulum, & ea, quæ præ multitudine vix per ſingula voluminum corpora reperiuntur; cum omnia, & omnium Deceſſorum ſuorum Decretalia conſtituta, atque decretales Epiſtolas, quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab Urbe Roma, dederunt, venerabiliter fore ſuſcipiendas, & cuſtodiendas, eximios Præſules, Leonem ſcilicet, & Gelaſium mandaſſe probavimmus* = Et probant *Card. à Turrecrem. in ſum. de Eccleſ. cap.*108. *per tot. Fagnan. in cap. ſtatuimus n.*42. *de ſupplen. neglig. Prælat. Roderic. quæſt. Regul. tom.*1. *quæſt.*6. *art.*2. *in fin.* Improprium proinde, Lector, Tibi videri non debet, ſi hìc nomen *Canonis* ſortiantur. Accipe igitur, grato animo, ex Bullario Romano novo, & ex noviſſimis Regulis Cancellariæ à Sanctitate Domini Noſtri CLEMENTIS XI. feliciter Regnantis, initio ſui Pontificatus promulgatis, ſequentes Canones, materiam Juriſpatronatus concernentes.

CANONI I.

GREGORIUS NONUS Conſtit. VII. Bull. Rom. Tom. 1.

Ann. 1234. QUia refrigeſcente charitate multorum adeò iniquitas abundavit, ut quorundam ſuccenſa velut ignis impietas, contra Eccleſias, & Perſonas Eccleſiaſticas tantò validiùs inflammetur, quantò rariores, qui eas tueantur contra pravorum incurſus, invenit objectores; Hos quibus ipſarum Cura, & ſollicitudo incumbit, ibi fortius inſurgere cogimur, ubi Perſecutorum immanitas periculoſiùs exardeſcit: Sicut enim nobis ex parte veſtra gravis eſt oblata querela, nonnulli Principes, ac Nobiles occaſione Juriſpatronatus, Advocatiæ, ſive cuſtodiæ, quam in Monaſteriis, Grangiis, Cellariis, vel Domibus veſtris ſe habere proponunt, interdum etiam pro ſuæ libito voluntatis, & quidam Eccleſiarum Prælati, à quibus deberetis, non gravamen, ſed ſolamen potius expectare, bladum, vinum, evectiones, animalia, & res alias, pro ædificatione, ac munitione Caſtrorum, & Villarum, nec non pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, & aliis uſibus eorundem, à vobis exigunt, & extorquent, alias vos talliis, & exactionibus indebitis multipliciter aggravando: Præterea quidam ex ipſis, & alii carnes comedere in veſtris Domibus, ac mulieres etiam eaſdem Domos ingredi, contra inſtituta veſtri ordinis non verentur, propter quod, & quies monaſtici ordinis perturbatur, & grave commiſſis vobis Monaſteriis imminet detrimentum. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut ſuper his paterna providere ſollicitudine dignaremur: Nos igitur, & veſtræ providere quieti, & moleſtantium malitiis obviare volentes, auctoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus; nè quis à vobis præmiſſa exigere, vel extorquere, aut in veſtris domibus uti carnibus, ſeu mulierem aliquam eas intrare præſumat contra ordinis inſtituta.

COM-

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

Patroni occasione Jurispatronatus a monasteriis Ordinis Cisterciensis quidquam exigere non possunt, nec in domibus Ordinis carnes comedere, nec mulieres introducere = Quam concluſionem probant etiam *Canon. IV. Par. I.*, *Canon XXVII. Par. II.*, *&* *Canon V. & XII. Par. V.*, & omnes Auctoritates ibi in *Commentario* relatæ, quibus addo *Cherubin. in Compendio hic*; *& R.P.D. Petra in Comment. hujus Conſtitutionis num.3. Roderic. quæſt. Canon. de Regul. tom.1. quæſt.48. art.1. Tondut. quæſt. benef. tom.1. par.1. cap.10. n.9. & tom.2. verb. Monaſteria Regularium n.49.*

I. Continuò vexabantur Abbates, & Monaci Ciſtercienſes à Patronis, & eis inferebantur quamplurima gravamina, dum Patroni, aut illi, qui habebant Advocatiam, & Cuſtodiam eorumdem Monaſteriorum, extorquebant ab ipſis pro eorum libito bladum, frumentum, evectiones, animalia &c., in eorumdem Monachorum Domibus, & Monaſteriis veſcebantur carnibus, & introducebant mulieres cum maximo periculo, & ipſorum detrimento; Hinc Gregorius IX. Monachorum quieti, ac indemnitati proſpicere volens; etſi reſpectu cujuſcumque Eccleſiæ Patronalis eſſent à ſupradictis *Canonibus* interdictæ Patronis hujuſmodi indebitæ exactiones, tamen hic ſpecialiter eis prohibuit quidquam exigere à præfatis Abbatibus, & Monachis; veſci carnibus in eorum Monaſteriis, aut Domibus; ac in ea introducere fœminas; ut ſic à publicis, & mundanis conſpectibus ſeparati, iidem Religioſi omninò ſervire Deo valeant liberius, & laſciviendi opportunitate ſublata, eidem corda ſua, & corpora, in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire, uti loquitur Bonifacius VIII. *in cap. unic. de ſtat. regul. in 6.*

Quoad hanc Concluſionem ſequentes examinantur Caſus.

ARGUMENTUM.

Patronus poteſt recipere Candelam in die Purificationis à Monachis Ciſtercienſibus illam ſpontè dantibus; & exigere ab illis, ea, quæ ſibi competunt ratione Juriſpatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Gregorius IX. liberavit Monachos Ciſtercienſes à moleſtiis Patronorum.*

2 *Patronis non eſt probibitum recipere Candelam, die Purificationis, aut aliud à Ciſtercienſibus ſpontè dantibus.*

3 *Patronus exigere poteſt à Ciſtercienſibus retentionem ſcamni propè Altare majus Eccleſiæ Patronalis; & hujuſmodi retentio non eſt ei deneganda*; Amplia, ut num.7.

4 *Laicis Nobilibus non ſolùm permiſſa eſt retentio ſedilis in Eccleſia, ſed etiam illud expoſtulando denegari non valet.*

5 *Cæremoniale facit legem, & pro lege eſt ſervandum.*

6 *Retentio ſcamni in Eccleſia eſt effectus conſecutivus, & promanans à jurepatronatus.*

8 *Patronus non eſt privandus ſcamno in Eccleſia abſque juſta, & rationabili cauſa.* Amplia, ut n.9.

10 *Patronus exigere poteſt à Ciſtercienſibus, aut à Rectore Eccleſiæ Patronalis notificationem omnium luitionum Cenſuum ſpectantium ad eorum Monaſterium, ac conſignationem notulæ inſtrumentorum & jurium concernentium dotem ejuſdem Monaſterii.*

11 *Poteſt etiam exigere ab eiſdem Religioſis alimenta in caſu inopiæ; & alia jura de quibus*, num.12.

13 *Gregorius IX. non prohibuit exigere à Ciſtercienſibus ea, quæ de jure competunt Patronis ratione juriſpatronatus.*

CASUS

CASUS I.

Occaſione Feſtivitatis Purificationis accedens Patronus ad Eccleſiam Monaſterii A Monachorum Ciſtercienſium de ejus jurepatronatus, ad audiendam Concionem, quæ ibidem tenebatur in laudem Beatiſſimæ Virginis, inſtetit pro elargitione Candelæ, quam Monachi quolibet anno ipſi ſpontè tradebant; pro retentione ſcamni prope Altare majus; pro notificatione omnium Juitionum cenſuum ſpectantium ad Monaſterium, ac pro conſignatione notulæ inſtrumentorum, & jurium concernentium dotem ejuſdem Monaſterii. Non repugnabant Monachi tradere Patrono ſolitam Candelam, ſolùm renuebant cætera ſupradicta præſtare; quæritur an Monachi ad ea teneantur, ſeu an Patronus poſſit ab ipſis ea omnia exigere.

1 Diſpoſitio hujus *Canonis* negativam reſponſionem ſuadere videtur dum Gregorius IX. liberavit Monachos Ciſtercienſes à moleſtiis Patronorum, prohibens his quicquam pro libito exigere ab illis occaſione juriſpatronatus.

2 Sed veritas eſt in contrarium; Siquidem quod attinet ad Candelam, poteſt Patronus die Purificationis illam legitimè recipere à Monachis; quia prohibetur ab hoc *Canone* exigere, quòd eſt propriè ab invitis extorquere, non verò inhibetur Patronis aliquid recipere à Ciſtercienſibus ſpontè dantibus; ut optimè animadvertit *Cherubin. in compendio Bullar. ad hanc Conſtitutionem VII. Gregorii IX. pag. mihi* 15.

3 Quo verò ſpectat ad alias prætentiones ejuſdem Patroni, iſte certò equidem exigere valet à præfatis Monachis, ut retineatur pro ſe, & eis de ſua Familia ſcamnum prope Altare majus Eccleſiæ Patronalis; Hujuſmodi namque ſcamni retentio, non ſolùm eſt conformis diſpoſitioni juris Canonici concedentis digniori uſum ſedilium, in Eccleſiis, & omnimodam præcedentiam in ſeſſionibus, & in quolibet alio actu per *Text. in cap. ſtatuimus de major. & obedien. cap. cum olim de conſuetud. ibique Gloſſ. verb. ſeſſionibus. Ciarlin. tom.2. controv.*119. *n.*8. *& n.*54. *Gratian. cap.*210. *num.*13. *Rot. deciſ.*4. *ex num.*29. *ad* 33. *coram Otthobon.*, *& in Pampilonen. Præeminentiarum* 26. *Junii* 1702. §. *Et ſeriatim, coram Reverendiſſimo Molines.*

4 Præcipuè Laicis ſanguinis nobilitate præfulgentibus, quibus non ſolùm permiſſa eſt retentio ſedilis in Eccleſia, ſed illud expoſtulando denegari non valet, cùm id peculariter ſit præſcriptum in Cæremoniali *lib.*2. *cap.*13., in quo conceduntur hujuſmodi Sedes Nobilibus, atque illuſtribus viris, dummodo extra Chorum, vel Presbyterium collocentur, ut per præciſa verba decernitur, ibi = *Sedes autem pro Nobilibus, atque illuſtribus viris Laicis, plus minuſvè pro cujuſvè dignitate, & gradu ornatas decet extra Chorum, & Presbyterium collocari juxta Sacrorum Canonum præſcriptum, laudabiliſque antiquæ diſciplinæ documenta, jam indè ab Exordiis Chriſtianæ Religionis introducta, ac longè*

5 *obſervata* = Quod quidem Cæremoniale, cum fuerit à Clemente VIII. confirmatum, & extenſum per univerſum Orbem Catholicum facit legem, ac pro lege ſervandum eſſe in omnibus Eccleſiis firmavit *Card. de Luc. in Miſcell. diſc.*37. *n.*10. *Rot. dec.*647. *n.*3. *par.*4. *tom.*3. *rec.*

6 Verùm etiam eadem retentio ſcamni eſt effectus conſecutivus, & promanans à Jurepatronatus, vigore cujus competit patrono honor, & præeminentia, & conſequenter ipſe Primus in Eccleſia Patronali, ſive Sæculari, ſive Regulari ſedere debet, & præ cæteris ſede nobiliori honorandus, ut firmavi ſuperiùs *Par. I. Can. I. & II. Caſ. I. n.*4. *& Can. IV. Caſ. VII. n.*13.

7 Eoque magìs cùm probet ſe per quadragenariam, imò per immemorabilem conſuetudinem eſſe in poſſeſſione retinendi ſcamnum in deſignato loco prædictæ Eccleſiæ; in qua poſſeſſione proindè venit manutenendus. *Giovagnon. conſ.*8. *n.*12. *&* 23. *Ciarlin. controv.* 119. *n.*9. *Manriq. tract. de Præced. q.*5. *n.*4. *& quæſt.*18. *per tot. Palm. Nep. conſult.* 30. *n.*11. *Pignatell. conſult.* 7. *n.*23. *tom.*1. *& conſult.* 48. *num.*1. *tom.*7. *Sanfelic. deciſ.*333. *per tot. Rot. in Pampilonen. Præeminentiarum* 7. *Martii* 1701. §. *Iterum coram R.P.D. dell' Olmo, &* 26. *Junii* 1702. §. *Certius, cor. Reverendiſſimo Molines, & in Baren. ſcamni* 4. *Junii* 1703. §. *Quamobrem, coram R.P.D. de Omaña.* Non vero eſt ea ſpolian-

8 liandus, & privandus à ſupradictis Monachis abſque juſta, & rationabili cauſa, dum retentio dicti ſcamni pro Patrono, & tota ejus familia prope Altare majus, non eſt incommoda, nec præjudicialis Eccleſiæ, neque impeditiva functionum Eccleſiaſticarum. *Pariſ. conſ.149. num.2. & ſeq. lib.4. Lara de Anniverſ. & Cappell. lib.1. cap.24. num.12. Lagunez. de fructibus par.1. cap.30. §.1. n. 29. & ſeq. Antonell. de loco legal. lib.1. cap.3. n.55. Pignatell. tom.7. conſult.48. n.1.* Etiam in hypo-
9 teſi, quod retentio ex cauſa facultativa proceſſerit; nam licet conceſſio fuiſſet, ab initio gratuita, ex poſt tamen effecta fuit neceſſaria, & irrevocabilis. *Romaguer. ad Synod. Gerunden. lib. 3. tit. 14. cap.2. num. 6. Giovagnon. d. conſ. 8. n. 18. & ſeqq. Gratian. diſcept. forenſ. 110. n.18. & ſeq.*, & alii *in dicta Baren. ſcamni 4. Junii* 1703. §. *De jure cor. R.P.D. de Omaña.*

10 Poteſt etiam idem Patronus exigere à Ciſtercienſibus, quod ſibi not ficentur omnes luitiones cenſuum ſpectantium ad eorum Monaſterium, quod propriis ſumptibus ædificavit, & dotavit, ac etiam, quod ſibi conſignetur notula Inſtrumentorum, & jurium concernentium dotem ejuſdem Monaſterii; quia Patronus habet jus defendendi Eccleſias, & Monaſteria Patrimonialia, ut dixi *Par.I. Can.IV.*, & curare debet, ut eorum bona conſerventur, non dilapidentur, neque alienentur; ut in ſimilibus terminis reſcripſit *Rota in Barchinonen. Beneficiorum 30. Junii* 1704. §. *final. cor. R.P.D. Omaña.*

11 Sicuti poſſet exigere ab eiſdem Ciſtercienſibus alimenta in caſu inopiæ, deductis priùs neceſſariis pro Monaſterii, ac Monachorum ſuſtentatione, & pro Divino Cultu, & reparatione Eccleſiæ, juxta firmata *Par.I. Can.III.* & tradit *Tamburin. de jure Abbat. tom.1. diſput.7. quæſt.5. n.22.*

12 Ac etiam ab eiſdem exigere, ut Miſſam offerre teneantur quotidiè, ſi fieri poteſt, pro Animabus Patronorum defunctorum; quòd Patroni tam vivi, quàm Defuncti participes fiant ſpiritualis fructus, quem dicti Religioſi orando, jejunando, aliaque pia opera tam communia, quàm particularia exercendo apud Deum lucrantur; quod poſtquam fuerit facta electio Miniſtrorum Monaſterii, debet eam ſignificare Patrono pro tempore, ad effectum, ut ſi voluerit, ſuum honeſtum impartiatur aſſenſum, juxta diſpoſitionem Sacrorum Canonum; dummodo hujuſmodi conditiones in limine fundationis Monaſterii fuiſſent à Fundatore appoſitæ, & à Sede Apoſtolica approbatæ; utì de facto approbatæ fuerunt ab Alexandro VII. de voto Sacræ Congregationis Concilii, in limine fundationis trium Conventuum Fratrum Congregationis Hiſpaniæ Ordinis B. Mariæ de Mercede Provinciæ Andaluſiæ favore Ducum Medinæ Sidoniæ, ùt apparet ex ejus Conſtitutione la *66. Bullar. Rom. tom.V.*

Quin ullatenus obeſt eidem Patrono præſens *Canon*; quia Gregorius ibi non prohibuit exigere à Ciſtercienſibus, ea quæ de jure competunt Patronis, ratione Juriſpatronatus, ſed ſolùm ea, quæ pro libito, occaſione, & non ratione juriſpatronatus, indebitè ab ipſis extorquebant, nimirum bladum, vinum, evectiones, Animalia, & res alias pro ædificatione, ac munitione, ſuorum Caſtrorum, & Villarum, ac pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, & aliis uſibus eorumdem Patronorum.

ARGUMENTUM.

An Imperatrices, & Reginæ introduci poſſint à Patrono in Domus, & Monaſteria Ciſtercienſium.

SUMMARIUM.

1 *Mulieribus eſt prohibitum ingredi Domos, & Monaſteria Virorum, etiam ſi eſſent Fundatrices*, ut num.2. Limita, ut ibi.

3 *Viris eſt prohibitum ingredi Monaſteria Monialium, etiam ſi eſſent Fundatores*; & n.4. Limita, ut ibi.

5 *Patronus introducere Poteſt in Domus, & Monaſteria Ciſtercienſium Reginas, & alias Perſonas Regias.* Et quare, vide n.7.

6 *Pontifex prohibendo Patronis introducere Fœminas in Domus Ciſtercienſium, intelligitur de illis Domibus, quæ ſunt intrà*

tra, non verò extra Clauſtra Monaſterii.

8 *Concedi ſolet à Sede Apoſtolica Fundatricibus Monaſteriorum Monialium præſertim Nobilibus facultas ingrediendi cum honeſto comitatu Clauſuram eorumdem Monaſteriorum certis anni temporibus.*

CASUS II.

QUidam Princeps Supremus Patronus Monaſterii A Ordinis Ciſterciensis introduxit Reginam cum tota ejus comitiva in quadam eorum Domo contigua Monaſterio, ad effectum videndi Corpus cujuſdam Sancti, quod in Cappella ibi ſituata ſervabatur; Quæritur an id fieri potuerit per Patronum?

1 Videtur negativè reſpondendum, quoniam prohibitus eſt ingreſſus Mulierum in Monaſteria Virorum non ſolùm ex cenſura hujus *Canonis* ſpecialiter reſpectu Monachorum Ciſterciensium, verum etiam generaliter reſpectu cujuſcumque Ordinis etiam ſub pœna excómunicationis ex Conſtitutione Divi Pii V. incipien. *Regularium Perſonarum*, in qua prohibetur mulieribus cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis Domos, & Monaſteria Regularium ingredi, quam refert *Roderic. quæſt. regul. tom.*1. *quæſt.*48. *art.*1., & eſt communis omnium Doctorum ſententia, præſertim ipſius *Roderici ubi ſupra*; *Lezan. in ſum. tom.*1. *cap.* 10. *n.* 9. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.*3.

2 *alleg.*102. *n.*85. Quod procedit etiam ſi mulieres eſſent Fundatrices dictorum Monaſteriorum, niſi aliter fuerit ſtatutum de conſenſu Summi Pontificis in limine fundationis, aut erectionis, juxta *Paſſerin. in cap. periculoſo de ſtat. Regul. n.*124. *Lezan. ubi ſupra n.*10.

3 Sicuti è contra pari ratione eſt etiam prohibitus ingreſſus virorum in Monaſteria Mulierum, ſeu Monialium, ut expreſsè diſponitur *in cap. periculoſo de ſtat. Regul. in* 6. *ibiq. Monach. Archid. Ancharan. Paſſerin. num.*97. *& ſeqq.*, & confirmavit Concilium Tridentinum *ſeſſ.*25. *de Regul.*

4 *cap.*5., etiam ſi eſſent Fundatores eorumdem Monaſteriorum, niſi in Literis Apoſtolicis erectionis ſecus expreſsè caveatur; & etiamſi eſſent Imperatores, & Reges *Paſſerin. ubi ſupra num.* 122. *Nicol. in Floſcul. verb. fundator n.*2. *Barboſ. ad Concil. ſeſſ.*25. *de Regul. cap.*5. *n.*48.

5 Sed hoc non obſtante cenſeo dicendum in hoc caſu Patronum introducere potuiſſe Reginam in præfata Domo Ciſterciensium, nec per hujuſmodi introductionem contraveniſſe diſpoſitioni hujus

6 *Canonis*; quia in primis Pontifex prohibendo hìc Patronis introducere Fœminas in Domibus Ciſterciensium, intelligitur de illis Domibus, quæ ſunt intrà ſepta, & Clauſtra Monaſterii, non verò de eis, quæ ſunt extra Clauſtra, uti eſt hæc, de qua agitur. *Paſſerin. ubi ſupra num.*8. *Ventrigl. in prax. par.*1. *annot.* 5. §.1. *num.*2. *Lezan. in ſum. tom.* 1. *cap.*10. *n.*11. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. p.*3. *alleg.*102. *n.*87.

7 Deindè in hujuſmodi prohibitione numquàm præſumitur comprehendere voluiſſe Fœminas Regias, quæ propter earum ſublimitatem, ac generis claritatem cùm ſint dignæ ſpecialis mentionis, in materia odioſa non veniunt ſub ſimplici, & generali nomine mulierum; Et revera quod non ſit prohibitum his Perſonis Regiis modeſtè, tamen, ac devotè ingredi Monaſteria virorum declaratum fuit per Gregorium XIII. ex Sententia Sacræ Congregationis Concilii ad inſtantiam cujuſdam Religioſi Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula; cui quærenti, an per ſupradictam Conſtitutionem Pii V. cenſeretur derogatum ſuæ Regulæ, ut ſingulæ Dominæ de ſtirpe Regia procreatæ, ac etiam omnes hujus Ordinis Fundatrices, quæ locorum ejuſdem Ordinis ſepta communiora videre poſtulaverint, eædem honeſtè cùm ſua Comitiva intrare, ac devotè viſitare tolerentur, fuit reſponſum; non cenſeri derogatum *quoad Reginas, vel Fundatrices dumtaxat*, ut referunt *Roderic. quæſt. regul. tom.*1. *dicta quæſt.*48. *art.*1. §. *Circa. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.*3. *alleg.* 102. *n.*96. Et hanc ſententiam tuentur idem *Barboſ. ubi ſupra n.*92. *Lezan. in ſum. tom.*1. *dicto cap.*10. *n.*10., ibi = *Idem dico de Imperatricibus, aut Reginis ſaltèm quando intrant Monaſteria non occultè, ſed magno Comitatu, & ex bono fine, cùm enim Pontifices non fecerint in prædictis Bullis mentionem de illis, credendum eſt noluiſſe ipſas comprehendere* =.

Et

8 Et quidem talis, ac tanta eſt prærogativa Fundatorum, & Fundatricum Monaſteriorum præſertim nobilium, & illuſtrium, ut ipſis petentibus in limine fundationis facultatem ingrediendi certis anni temporibus eadem Monaſteria cum honeſto comitatu, hujuſmodi facultas pro ſimilibus perſonis nobilibus, & illuſtribus concedi ſolet à. S. Sede Apoſtolica, utì de facto noviſſimè conceſſa fuit à S. Congregatione Concilii in *Magdalunen.* 22. *Aprilis* 1719. ubi cùm inter cætera peteret Duciſſa Carlotta occaſione fundationis Monaſterii pro virginibus Deo dicandis in Oppido Magdaluni, quod ſibi, & Duciſſis in futurum, ſemel obtenta licentia Sedis Apoſtolicæ, liceret ingredi clauſuram Monialium duodecies per annum, & cum competenti aliarum nobilium, vel honeſtarum fœminarum numero, fuit à Sac. Congregatione reſcriptum, pro *facultate ingrediendi per ſex vices quolibet anno, & cum Comitatu ſex Matronarum, quo ad Duciſſam Carlottam, & quo ad alias in Ducatu ſuccedentes, pro facultate ingrediendi, per tres vices quolibet anno, & cum tribus tantùm Matronis, ſervata in reliquis forma aliarum clauſularum, quæ in conſimilibus Brevibus pro ingreſſu in Monaſteriis apponi ſolent.*

CANON II.

NICOLAUS QUINTUS Conſtit. I. §. 4. *Bull. Rom. Tom.* 1.

AD Sacram Petri Sedem Divina diſpoſitione ſublimati: *Et infra*: Placet etiam nobis, quod per quamcumque aliam reſervationem, gratiam, expectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſub quacumque verborum forma, per nos, vel auctoritate noſtra factam, vel faciendam non impediamus nos, quo minùs de illis cùm vacabunt de Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris, & Decembris menſibus, liberè diſponatur per illos, ad quos eorum collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinebat: Reſervatione, aliave quavis diſpoſitione, auctoritate noſtra factis, vel faciendis, non obſtantibus quibuſcumque. Quoties verò aliquo vacante Beneficio in Januarii, Martii, Maji, Julii, ſeptembris, & Novembris menſibus ſpecialiter diſpoſitioni dictæ Sedis reſervatis, non apparuerit infra tres menſes à die notæ vacationis in loco Beneficii, quod alicui de illo Apoſtolica auctoritate proviſum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo liberè diſponere poterit, & ad finem, ut hæc ordinatio collationum Beneficiorum non reſervatorum per alternos menſes poſſit per dictam Nationem publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant Ann. 1447.

eam acceptandi; tunc quo ad dictam Sedem à Kalendis Junii proximè futuris ipſa currere incipiet, & durabit deinceps, niſi in futuro Concilio de conſenſu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone infraſcripta deducitur concluſio.

De Beneficiis Germaniæ vacantibus extra Romanam Curiam in menſibus Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris, et Decembris poteſt Ordinarius, aut alius, ad quem ſpectat collatio, proviſio, præſentatio, ſeu quævis alia diſpoſitio libere providere. Poteſt etiam Ordinarius, aut alius, ad quem ſpectat collatio, aut præſentatio libere providere de eiſdem vacantibus in menſibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, et Novembris reſervatis, niſi apparuerit intra trimeſtre a die notæ vacationis in loco Beneficii de eis proviſum a Sede Apoſtolica. = Quam concluſionem confirmavit etiam Clemens VII. in

1 Ann. 1534. ejus Conſtitutione incipien. *Admonet la* 41. §. 2. *Bullar. nov. tom.* 1. ubi declaravit nullas, & irritas collationes, & proviſiones beneficiorum vacantium in dictis ſex menſibus reſervatis factas ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Collatoribus, ſive liberè, ſive ad præſentationem Patronorum, ac decrevit ab eis Proviſos eſſe intruſos, & malæ fidei Poſſeſſores, & ad reſtitutionem fructuum teneri, ac inſuper reſervavit quæcumque jura Proviſis de Beneficiis in Menſibus Apoſtolicis vacantibus, etiam agendi quandocumque contra intruſos; ibi = *Nos igitur qui à dictis Concordatis, quæ olim Romanæ Eccleſiæ unione, ac pace, & tranquillitate inter Eccleſiam, & Nationem prædictas perpetuò ſolidandis, & conſervandis, laudata, concluſa, & acceptata fuerunt, nullatenus recedere intendimus, nè dicti præſumptores, & contemptores, aut per eos in dictis beneficiis intruſi, ex hujuſmodi temeraria præſumptione gloriari valeant, nevè ipſi intruſi ex adulterinis eorum titulis aliquem fructum reportent, nec illis, quibus de beneficiis prædictis, per nos, aut dictam Sedem, ſeu ejus auctoritate proviſum extitit, & in futurum providebitur, per alicujus temporis fluxum, ſeu aliquam patientiam, vel tolerantiam præjudicium fiat, aut factum cenſeatur, ex Paſtoralis officii debito providere volentes, ac concordatis prædictis firmiter inhærentes, motu proprio, & ex noſtra matura deliberatione, ac certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium declaramus prætenſas collationes, & alias diſpoſitiones, de quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis cum cura, & ſinè cura, nobis, & dictæ Sedi, ut præfertur, reſervatis, per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, ac ſæculares Principes, & Dominos quoſcumque dictæ Nationis, ſeu ad eorum præſentationem, vel nominationem, etiam per Ordinarios ipſorum Beneficiorum Collatores à tempore dictæ directionis citrà, contra tenorem, & formam dictorum Concordatorum quomodolibet factas, & in poſterum faciendas perſonis, quibus, aut in quarum favorem factæ ſunt, aut in poſterum fient, niſi ſint per nos, aut noſtra, vel dictæ Sedis auctoritate approbatæ, nullum titulum, vel colorem ipſa beneficia poſſidendi tribuiſſe, aut in futurum tribuere, ſed & illis pro malæ-fidei poſſeſſoribus, & merè intruſis ab omnibus haberi, & cenſeri, ac fructus per eos ex beneficiis hujuſmodi perceptos, & percipiendos nullo unquam tempore ſuos facere, ſed ad illorum reſtitutionem in utroque foro efficaciter obligatos eſſe, & ad illorum reſtitutionem, ad eorum, quorum intereſt, ſeu etiam Fiſci noſtri inſtantiam, omnibus viis juris, & remediis, compelli poſſe, & debere, & eos nullo unquam tempore, beneficio Regularum de Annali, & Triennali pacifico poſſeſſore gaudere potuiſſe, aut poſſe* = Nec non declaravit Gregorius XIII. & in ejus Conſtitutione incipien. *Quæ in Eccleſiam la* 41.

2 Ann. 1576. §. 2. *Bullar. Rom. tom.* 2. ibi = *Nos indignum rati, quod temporis mora, quam ad perſcrutandam accuratius talium probitatem, induſtriam, & alia requiſita intercedere pro utilitate Eccleſiæ neceſſe eſt, locum injuriis aperiat, attendenteſque verba prædicta* in loco beneficii,

neficii, *cum verbis*, notæ vacationis, *quæ protinus antecedunt*, *conjungi*, *& ad illa dumtaxat referri*, *ac voluntatem concedentis*, *ſenſumque conceſſionis*, *& literarum prædictarum ſic eſſe*, *ut diſpoſitio beneficii intrà tres menſes à die notæ vacationis à Sede prædicta fieri*, *deque gratia facta alicubi apparere debeat*, *quemadmodum re inter utriuſque juris interpretes jam pridem controverſa*, *ſumma ratione judicatum apparet*, *vix enim eſt*, *ut itineribus non modo infeſtis*, *aut prohibitis*, *quod ferè ſemper alicui contingit*, *ſed etiam expeditis*, *quis ex tam longinquis regionibus ad dictam Sedem profectus*, *& in ea ad expediendum negotium*, *vel pauliſper moratus*, *in eaſdem ſe recipere tanta temporis anguſtia poſſit. Quo circa æquitate*, *& juſtitia ſuadentibus præſentium auctoritate declaramus*, *conceſſionem Nicolai Papæ*, *& literas prædictas locum omninò non habere*, *quod Ordinarii*, *aut alii Collatores prædicti poſt lapſum trium menſium ex die notæ vacationis in loco beneficii diſponere poſſint de ullis beneficiis prædictis*, *aliàs ſub conceſſione*, *& literis prædictis comprehenſis extra Romanam Curiam*, *in menſibus prædictis quoquo modo vacantibus*, *vel vacaturis*, *de quibus intra dictum tempus trium menſium per Romanum Pontificem*, *ac dictam Sedem*, *qualiſcumque gratia*, *vel diſpoſitio*, *aut conceſſio facta fuerit. Nè tamen cuiquam licitum ſit factam à Sede prædicta diſpoſitionem hujuſmodi in longum obtegere*, *illi*, *quibus deinceps gratiæ hujuſmodi concedentur*, *etiam conceſſionum fidem*, *& teſtimonium intrà tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii hujuſmodi*, *vel dictis Collatoribus ſignificare*, *vel in ipſo beneficii loco publicare quoquomodo teneantur* = Et eam communiter probant *Branden. ad concordata Germaniæ quæſt.* 1. *num.*8. *& ſeqq. & quæſt.*5. *num.*9. *& in primo*, *& in ſecundo notabili*, *Nicolarts ad concordata Germaniæ tit.*1. *dub.*1. §.14. *&* 21. *& dub.* 5. §.7. *& dub.*11. §.1. *Gonzal. ſuper Regul.*8. *Cancell. gloſſ.*25. *num.*4. *Cherubin. in Compend. Bullar. hìc*, *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.*3. *alleg.*57. *nu.*54. *Rot. deciſ.*522. *num.*6. *par.* 19. *rec. & deciſ.*572. *nu.*13. *cor. Cerro*, *& in Auguſtana Canonicatus* 12. *Januarii* 1703. §. *His coram Reverendiſſimo Molines*, *& in Monaſterien. Vicariæ* 12. *Martii* 1706. §. *Juſtificatio coram R.P.D. Omanna*, *& in Monaſterien. Decanatus* 26. *Aprilis* 1709. §. *Juſtificatio*, *& §. Nullius coram. bon. mem. Caſſarello*, *& in Monaſterien. Vicariæ* 3. *Aprilis* 1713. §.1. *cor. R.P.D. Lancetta*, *& in Virdunen. Abbatiæ* 3. *Aprilis* 1702. §. *Magìs in aperto coram Reverendiſſimo Molines*, *& in Monaſterien. Canonicatus* 13. *Maji* 1715. §.1. *coram R. P. D. Falconerio*, *& in Treviren. Parochialis* 26. *Junii* 1715. §. *Parochialem coram R. P. D. Lancetta*, *&* 10. *Februarii* 1716. §. *Literas coram R. P. D. Foſcaro*.

3 Conventum fuit inter cætera anno 1446. Francofurti inter Deputatos Eugenii IV. Summi Pontificis, & Legatos Frederici III. Imperatoris, & Principes tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares inclitæ Nationis Germanicæ, ut ſuper reſervatione, & collatione Eccleſiarum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum opportunè provideretur, ideò Nicolaus V. Eugenii ſucceſſor ad ſedandas diſcordias, ac pro unione, pace, & Tranquillitate Eccleſiæ Romanæ cum præfata Natione Apoſtolica Auctoritate laudavit, approbavit, & confirmavit ſequentia concordata.

4 Primò nimirùm renovando Reſervationes Extravagantium *Execrabilis*, *& ad Regimen. de Præben. & Dignit.* reſervavit ſibi, & S. Sedi Apoſtolicæ omnes Eccleſias Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales, Monaſteria, & omnes dignitates, ac omnia beneficia tam ſæcularia, quam regularia, & cujuſcumque generis, ſive conditionis, quocumque modo vacantia apud Sedem Apoſtolicam.

5 Secundo, omnia beneficia cujuſcumque generis, & conditionis ubilibet vacantia per depoſitionem, privationem, aut tranſlationem beneficiati auctoritate Apoſtolica factas, vel faciendas.

6 Tertio, omnia beneficia electiva quando apud Sedem, vel alibi ubicumque, contingit electionem ad illa caſſari, poſtulationem repelli, & renunciationem per electos, aut poſtulatos factam auctoritate Apoſtolica admitti.

7 Quarto, omnia beneficia cujuſcumque generis, & conditionis Cardinalium S. Romanæ Eccleſiæ, & officia Vicecancellarii, Camerarii, ſeptem Notariorum Auditoris, Literarum contradictarum, & Apoſtolici Palatii cauſarum Auditorum, correctorum centum, & unius, ſcriptorum Literarum Apoſtolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ

S. Sedis, & vigintiquinque Abbreviatorum, Commenſalium Summi Pontificis, viginti quatuor Cappellanorum ejuſdem Sedis, quorumcumque Legatorum, Collectorum, ac in Terris Romanæ Eccleſiæ Rectorum, ac Theſaurariorum, ubicumque vacantia.

8 Quinto: omnia beneficia cujuſcumque generis, & conditionis venientium ad Romanam Curiam, aut ab ea recedentium, vacantia per iſtorum obitum ſequutum in Locis à dicta Curia ultrà duas dietas Legales non diſtantibus.

9 Sexto, omnia beneficia quorumcumque Curialium peregrinationis, infirmitatis, ſeu recreationis, vel alia quacumque cauſa ad quævis loca ſecedentium, vacantia per eorum obitum in locis ultra duas dietas ab eadem Curia non remotis.

10 Septimo reſervavit inſuper S. Sedi omnia beneficia cujuſcumque generis, & conditionis vacantia per promotionem ad Patriarchatum, Archiepiſcopatum, Epiſcopatum aut de regimine Monaſteriorum.

11 Octavo; omnia beneficia cujuſcumque generis, & conditionis vacantia per pacificam aſſecutionem incompatibilium.

12 Nono confirmavit, & approbavit quod in Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis Germaniæ etiam immediatè non ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, & in Monaſteriis immediatè ſubjectis vacantibus extra curiam fiant Electiones Canonicæ, ad formam *Cap. Quia propter de elect.* quæ ad Sedem Apoſtolicam pro obtinenda confirmatione deferantur intrà tempus conſtitutum à Nicolao III. *in Cap. Cupientes de elect. in 6.* nimirum intrà unum menſem, & ſi Canonicæ fuerint confirmantur à Papa, niſi ex rationabili, & evidenti cauſa, ac de Cardinalium conſilio, de dignori, & utiliori perſona duxerit providendum.

13 Decimo, ſi de Eccleſiis Metropolitanis, & Cathedralibus, etiam immediatè non ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, aut de Monaſteriis eidem immediatè ſubjectis extra curiam vacantibus non fuerint factæ Electiones Canonicæ; aut fuerint factæ, ſed non fuerint delatæ intrà tempus ſtatutum ad Sedem Apoſtolicam pro confirmatione obtinenda, reſervavit ſibi, & eidem Sedi earumdem Eccleſiarum Proviſiones.

14 Undecimo reſervavit etiam eidem Sedi Monaſteria Monialium quæ ſunt exempta, minimè tamen non exempta.

15 Duodecimo; (quod pertinet ad noſtram materiam, de qua agimus) approbavit, & confirmavit quod vacantibus cæteris Dignitatibus poſt majores in cathedralibus, & principales in Eccleſiis Collegiatis, & quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus quam regularibus extrà Curiam in Menſibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris, poſſint Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii ad quos ſpectat eorumdem beneficiorum collatio, proviſio, electio, & præſentatio, liberè ea providere. Vacantibus verò in aliis ſex menſibus nimirùm Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris, ſibi, & S. Sedi de eis providere reſervavit, & ad ea providenda, & conferenda conſtituit Trimeſtre, à die notæ vacationis, intrà quod ſi Sedes Apoſtolica eadem beneficia non contulerit, aut ſuper eis nullo modo appoſuerit manus, Juſconferendi redit ad ordinarios collatores; ſic ſumma benignitate permittendo, quod etiam contra Jus commune, *Cap. Per veſtras de ſupplen. neglig. Prælat.* devolutio fiat de Supremo ad Inferiorem.

16 Ex quibus patet, quod hujuſmodi concordata ſint magìs favorabilia Nationi Germanicæ, quam ſint Regulæ Cancellariæ, ſiquidem per has reſervantur abſolutè, & ſimpliciter diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ omnes Cathedrales; per ea vero, reſervantur eædem Cathedrales, quando vacant apud Sedem; Per Regulas Cancellariæ beneficia vacantia in menſibus reſervatis perpetuò manent affecta, nec de illis alius, quam Pontifex ullo tempore manus apponere poteſt; Per concordata autem permittitur ordinariis procedere ad collationem beneficiorum vacantium etiam in menſibus reſervatis, ſi intrà tres menſes non apparuerit de Proviſione Apoſtolica.

Quoad ſupradictam concluſionem ſequens differitur caſus.

AR-

ARGUMENTUM.

Beneficia Juriſpatronatus an comprehendantur ſub Concordatis Germaniæ. Et an, & quando elapſo Trimeſtre Summo Pontifici competente ad conferenda beneficia vacantia in ſex Menſibus ex, vi concordatorum reſervatis, Ordinarius nequeat illa libere conferre.

SUMMARIUM.

1 *Beneficia Juriſpatronatus non cadunt ſub concordatis Germaniæ.* Intellige ut num.8.

2 *In Impetrationibus Beneficiorum eſt exprimendus verus valor.*

3 *Ordinarius jure devoluto ex vi Concordatorum poteſt liberè providere beneficium vacatum in menſe reſervato; ſi Papa intrà Trimeſtre de eo nullo modo providerit.* Limita ut n.12. & 13.

4 *Literæ Apoſtolicæ in omnibus juſtificatæ ſunt exequendæ.*

5 *Beneficia vacantia in Menſe Januarii, & in aliis quinque menſibus ex vi Concordatorum ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata.* Amplia ut ibi.

6 *Officia Eccleſiaſtica, quæ non dantur in titulum, aut Cappellaniæ merè laicales non non comprehenduntur ſub concordatis.*

7 *Beneficia Juriſpatronatus Eccleſiaſtici cadunt ſub Concordatis.* Amplia ut ibi.

8 *Beneficia Juriſpatronatus mixti non cadunt ſub concordatis.*

9 *In canonicatibus, & beneficiis Germaniæ juxta concordata, valor exprimi ſolet in vigintiquatuor ducatis.*

10 *Proviſio, ſeu appoſitio manus Summi Pontificis intrà trimeſtre ſufficit ut Canonicatus, aut beneficium ſit ſpecialiter affectum, etiamſi Literæ Apoſtolicæ in eodem termino non fuerint expeditæ,* & num.20. & 23.

11 *Proviſio Apoſtolica non eſt nulla, ſi omiſſum fuerit fieri publicationem obtentæ proviſionis intrà tres menſes.* & n.22.

14 *Papa ſi ob aliquod legitimum impedimentum non conferat beneficium reſervatum intrà Trimeſtre, Jus conferendi non redit ad Ordinarium, nec per viam præſcriptionis, nec per viam devolutionis,* & num.15.

16 *Papa elapſo Trimeſtre, poteſt conferre beneficium per viam purgationis moræ.*

17 *Dies vacationis beneficii an computetur in Trimeſtre.*

18 *Si erigeretur, & fundaretur beneficium in menſe reſervato an caderet ſub concordatis.*

19 *Menſis Septembris eſt Sedi Apoſtolicæ ex vi concordatorum reſervatus.*

21 *Ordinarius non poteſt diſponere de beneficio, alteri intrà Trimeſtre à Papa collato.*

CASUS UNICUS.

VAcato prima die Januarii in quadam Eccleſia Cathedrali Germaniæ Canonicatu de Jurepatronatus Capituli quidam Sacerdos illum impetravit menſe Februarii in dataria Apoſtolica tamquam de reſervato, & ſub expreſſione valoris non excedentis annuos ducatos vigintiquatuor aureos de Camera, Literas tamen Apoſtolicas non expedivit niſi in Menſe Aprilis; E' contra Ordinarius elapſis tribus Menſibus, cùm in loco Canonicatus nemo comparuiſſet à S. Sede Apoſtolica Proviſus, contulit eumdem Canonicatum jure devoluto alteri Sacerdoti; Quæritur an Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ vel potiùs Proviſio Ordinarii ſit ſuſtinenda?

Literas Apoſtolicas non eſſe exequendas ſuadetur ex eo, quod ipſæ primò aſpectu appareant ſubreptitiæ, tum quia non fuit notificatum Summo Pontifici, quod ſupradictus Canonicatus erat de Jurepatronatus; ſi enim Papa id ſciviſſet, Canonicatum tanquam de reſervato non contuliſſet, cùm Beneficia Juriſpatronatus
1 nòn cadant ſub concordatis, & aliis reſervationibus Apoſtolicis, ſed quocumque tempore vacent ſemper ad Patronorum præſentationem ſunt providenda, nè Chriſti fideles à beneficiorum, & Eccleſiarum fundationibus retrahantur juxtà: *Alexand. conſ.75. in princip. n.1. volum.4. Roch. de Curt. de Jurepat. verb. honorificum quæſt.4.n.22. & ſeq. & quæſt.24. n.54.*

*n.*54. *Lambertin. eodem tract. lib.*2. *p.*1. *q.*9. *art.*22. *Gonzal. ad Regul.*8. *Cancell. gloſſ.*18. *n.*1. *& ſeqq. Garz. de benef. p.*5. *cap.*1. *n.*571. *& ſeqq.* & in terminis concordatorum *Nicolarts ad Concordat. German. tit.*1. *dub.*5. §.8. *Chokier ad Regul.*8. *cancell. gloſ.*1. *n.*3. *& gloſſ.*8. *per tot. & ad Preces primarias ſect.*2. *lit. Q. verſ. Præſentationem, Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi p.*3. *alleg.*57. *num.*25. *& ſeqq. & num.*144.

2 Tum quia non fuit expreſſus verus valor ejuſdem Canonicatus, cùm ille aſcendat ad annuos ducatos 400. contra determinationem Regulæ 55. Cancellariæ, ubi expreſsè ſancitur, quod in impetrationibus beneficiorum ſit exprimendus verus valor ſub pœna nullitatis gratiæ; Unde non ſunt exequendæ, ſed retardari merentur juxta auctoritates, quas refert, & ſequitur *Rot. in Parmen. Beneficii* 28. *Januar.*1701. §. *Cum enim coram Eminentiſs. Scotto.*

Et conſequenter ſuſtinenda venit proviſio ab Ordinario facta de eodem Canonicatu, non ſolùm quia iſte utpote Patronali, non cadit ſub concordatis
3 Germaniæ; verùm etiam quia etiam admiſſa ejus comprehenſione ſub eiſdem concordatis, tamen cum non apparuerit in loco beneficii Papam intrà tres menſes à die notæ vacationis providiſſe de eodem Canonicatu, potuit proinde ex forma concordatorum Ordinarius illam jam devolutò validè conferri ex ſuperiùs firmatis in *Commentario.*

4 At his omnibus poſthabitis, & minimè attentis cenſeo præfatas Literas Apoſtolicas eſſe exequendas, & cùm ſint in omnibus plenè juſtificatæ, plenam etiam merentur executionem *ad Text. in cap. Si Capitulo de conceſſ. præben. in* 6. *Rot. deciſ.* 141. *n.*2. *p.*19. *rec.* & alibi paſſim. Juſtificatio autem dictarum Litterarum in eo quod attinet ad controverſi Canonicatus reſervationem, clariſſimè reſultat ex illius vacatione in Menſe Januarii, qui Menſis, ut patet ex hoc *Canone*, eſt Sedi Apoſtolicæ reſervatus, adeò ut cæteræ
5 dignitates poſt Majores in cathedralibus, & principales in Eccleſiis Collegiatis, & quæcunque alia beneficia vacantia in dicto menſe, & in aliis quinque menſibus ibidem enumeratis, comprehenduntur ſub concordatis, & ſunt Papæ reſervata, & ad ejus liberam collationem pertinentia ſive ſint, erecta antè, ſive poſt datam, & publicationem concordatorum, ſive ſint monocularia (quæ dicuntur, quoties in Eccleſia unum dumtaxat eſt beneficium, vel quoties collatori competit unius tantùm beneficii collatio), ſivè denique ſint officia Eccleſiaſtica, dummodò tamen dentur in titulum, & ad vitam Titulati,
6 ſecùs ſi non dentur in titulum, uti ſunt officia cuſtodis, Cellarii, Protonotariorum, nec non Cappellaniæ merè laicalis, & ad nutum amovibilis, aut legata Miſſarum, iſta enim non comprehenduntur ſub concordatis, neque ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata, quocumque menſe vacent; ut de his omnibus tradit *Nicolarts ad concordata Germaniæ tit.*1. *dub.*2. §.3. *& dub.*3. §.2. *cum ſeqq. & dub.*4. §.2. quem ſequitur *Rot. in Monaſterien. Decanatus* 26. *Aprilis* 1709. §. *Siquidem coram R.P.D. bo: me: Caffarello, & in Monaſterien. Vicariæ* 3. *Aprilis* 1713. §. *Neque coram R.P.D. Lancetta.*

7 Non obſtante quod idem Canonicatus ſit Juriſpatronatus, quia cùm ſit Juriſpatronatus Capituli dictæ Eccleſiæ Cathedralis, dicitur eſſe Juriſpatronatus Eccleſiaſtici, & conſequenter concordatis ſubjectus; cùm Beneficia Juriſpatronatus Eccleſiaſtici cadant, & comprehendantur ſub eiſdem concordatis, etiam ſi adeſſet contraria obſervantia, quia decretum irritans, quo concordata ſunt munita, deſtruit omnem conſuetudinem, & ponit in mala fide præſcribere prætendentem, ut expreſsè tuentur *Nicolarts ad Concordat. German. tit.*1. *dub.*5. §.7. *Cochier ad Regul.*8. *Cancell. gloſſ.*8. *num.*1. *Rot. dec.*572. *num.*11. *coram Cerro, & in Monaſterien. Vicariæ* 12. *Martii* 1706. §. *Juſtificatio coram R.P.D. Omanna, & in Monaſterien. Decanatus* 26. *Aprilis* 1709. §. *Qui tamen coram bo: me: Caffarello.*

8 Contrariis Auctoritatibus ſuperiùs relatis *n.*1. procedentibus in Beneficiis de Jurepatronatus laicali, quæ certo equidem ex ratione ibi deducta non cadunt ſub concordatis, ſicuti ſub eiſdem non cadunt beneficia Juriſpatronatus Mixti ut teſtatur idem *Nicolarts ubi ſupra* §.14.

Reſultat etiam Juſtificatio earumdem Literarum in eo, quod ſpectat ad expreſſio-

ſionem valoris, ex eo quod iſte fuerit expreſſus per non exceſſum in viginti quatuor ducatis, quod ſufficit ad hoc, ut dicatur juſtificatus dum in Canonicati-
9 bus, & beneficiis Germaniæ juxta concordata valor ex primi ſolet in viginti quatuor ducatis. *Card. de Luc. de benef. diſc.90. n.15. Rot. dec.69. n.3. p.12. & in Monaſterien. Vicariæ 3. Aprilis 1713. §. Illæ coram R. P. D. Lancetta, & in Hildeſimen. Canonicatus 16. Martii 1716. §. Pro exequendis coram R.P.D. Criſpo.*

Quin ullatenùs officiat objectum, quod cùm Proviſio Apoſtolica dicti Canonicatus intrà tres menſes à die vacationis non innotuerit in partibus, validè potuerit Epiſcopus ad formam hujus *Canonis* eumdem Canonicatum jure devoluto conferre. Siquidem Summus Pontifex providit dictum Canonicatum intrà trimeſtre, dum ſignavit ſupplicationem à Proviſo Apoſtolico porrectam menſe ſubſequenti Februarii; quæ proviſio ſeu appo-
10 ſitio manus Summi Pontificis intrà trimeſtre ſufficit ad hoc, ut dictus Canonicatus dicatur remanſiſſe diſpoſitioni Papæ ſpecialiter affectus, etiam ſi in eodem termino Literæ Apoſtolicæ non fuerint expeditæ, & ad hoc ut nemo de eodem tamquam devoluto diſponere poſſit juxta declarationem Gregorii XIII. de qua ſupra *in Commentario num.2. & ad Text. in Extravag. Romani Pontificis §. Romani quoque de præben. Lotter. de re benef. lib.2. q.25. n.33. & ſeqq. cum aliis in Treviren. Parochialis 26. Junii 1715. §. Quoniam cumſeq. coram R. P. D. Lancetta* inferiùs impreſſ. quæ fuit confirmata 10. *Febr. 1716. coram R.P.D. Foſcaro.* Et quamvis
11 idem Gregorius ubi ſupra ad excitandam diligentiam Proviſorum velit ſignificationem obtentæ Proviſionis intrà tres menſes fieri debere, non proinde annullat proviſionem, ſi hoc omiſſum fuerit *Rot. in Colonien. Canonicatus* apud *Branden. ad concordat. German. in 2. Notabili n.4. & ſeq.* Adeóque cùm Papa intrà tres menſes contulerit, nulla, & irrita remanſit collatio dicti Canonicatus facta ab Epiſcopo ſub falſa devolutionis Cauſa. *Rot. in Auguſtana Canonicatus 12. Januar. 1703. §. Cum itaque coram Reverendiſſimo Molines, & in dict. Treviren. Parochialis 10. Febr. 1716. §. Abſque eo coram R.P.D. Foſcaro.*

Sed etiam per hypotheſim admiſſo quod Papa intrà Trimeſtre nullo modo apposuerit manus ſeper dicto Canonicatu, non proinde eſt abſolutè, & indefinitè verum, quod Ordinarius poſſit illum jure devoluto conferre, dum in duobus caſibus fieri poteſt, quod, non obſtante, quod Summus Pontifex in termino Trimeſtris non appoſuerit manus ſuper beneficiis vacantibus in menſibus reſervatis, jus liberè conferendi non redeat ad Ordinarium.

12 Primus eſt, ſi Papa poſt illos tres Menſes præveniat Ordinarium in conferendo beneficium, hujuſmodi namque præventio, & proviſio Apoſtolica præventivè facta impedit, & aufert facultatem Ordinario liberè conferendi, adeòut ſi Ordinarius poſtea provideat, Proviſus Apoſtolicus præfertur, & excludit Proviſum ab ordinario; Ratio eſt, quia Papa dando ordinariis facultatem in hoc *Canone* conferendi beneficia vacata in menſibus reſervatis lapſo trimeſtri, præſumitur non ſe ſpoliaſſe, imò ſibi reſervaſſe facultatem concurrendi cum ordinariis etiam in eorum Menſibus *ad Text. in cap. Dudum & cap. Quamvis il 2. de præben. in 6. Branden. ad concordata Germaniæ quæſt.6. n.18. & in prim. notab. n.1. & ſeqq. Nicolarts ad concordat: German. tit.1. dub.11. §.3. Rub. in ann. ad dec.2. ex n.208. p.3. rec. Lara de anniverſ. & Cappell. lib.2. cap.10. n.22. Rot. in Auguſtana Canonicatus 12. Januar. 1703. §. Propterea coram Reverendiſſ. Molines.*

13 Secundus caſus eſt, ſi Papa fuerit legitimè impeditus conferre beneficium intrà Trimeſtre, eo quia e. g. ſit graviter infirmus, aut ex eo, quia durante adhuc Trimeſtre, Sedes Apoſtolica vacaverit, in hoc caſu lapſus Trimeſtris non nocet Papæ, ſed remanet ei jus ſalvum ad *Text. in cap. Quia diverſitatem de conceſſ. præben. ibique Fagnan. n.1. idem in cap. Nulla n.33. eod. tit. Sabell. in Summ. §. Impedimentum ſub num.2. Rebuf. in prax. tit. de devolut. n.13. Lotter. de re benef. lib.2. q.24. n.10. Murga de benef. q.3. n.403. Garz. eod. tract. p.10. cap.2. n.17.* Neque elapſo eodem Trimeſtre, Jus conferendi redit ad ordinarium; Ratio eſt, quia aut volumus ad-
14 mittere jus conferendi redire ad ordinarium per viam præſcriptionis juxta *Butr. in cap. ſtatutum de præben. in 6. n.8. ibiq. Joan.*

*Joan. Andr. n.*1.; & hoc dici non poteſt cum non valenti agere non currat præſcriptio. *Text. in l. cum potiſſimè* §. *In iis*, *&* §. *Illud C. de præſcript. l. prima c. de annal. except.* cum aliis adductis per *Rot. coram Coccin. dec.*517. *n.*8. *& deciſ.*1699. *n.*13. *coram Cerr. dec.*209. *n.*2. *coram Priolo dec.*417. *n.*22. *& in Rec. deciſ.*330. *n.*17. *& dec.*366. *n.*5. *p.*19. *rec.*. Aut per
15 viam devolutionis, & hoc pariter dici nequit, quia cùm hujuſmodi devolutio ſupponat negligentiam, hæc in Pontifice legitimè impedito conſiderari nequit, ſicque quælibet devolutio excluſa remanet per *Text. in cap. Illa nè Sede vacante*, *ibique Gloſſ. Barboſ. de poteſt. Epiſcopi p.*3. *alleg.*123. *ſub n.*28., & optimè conſideravit *Rot. in Auguſtana Canonicatus* 12. *Januar.*1703. §. *Quin imò coram Reverendiſs. Molines*. Sed Papa in hoc caſu, etiam ſi
16 ſit lapſum Trimeſtre, poteſt nihilominus conferre beneficium per viam purgationis moræ juxta *Gloſſ. in cap. ſtatutum verb. per ſe ipſos de præben. in* 6. *ibique Barboſ. n.*7. *idem in tract. de Jur. Eccleſ. lib.*3. *cap.*13. *n.*35. *Ventrigl. in prax. p.*2. *annot.* 2. §.1. *n.*18. & alii apud *Rot. in d. Auguſtana Canonicatus ubi ſupra* §. *Propterea.* Qua proptèr illa propoſitio, quod ex forma concordatorum Germaniæ poſſint Ordinarii in menſibus etiam reſervatis liberè providere, ſi non appareat Papam providiſſe infra tres menſes à die notæ vacationis, intelligenda venit, quatenùs poſt illos tres menſes Papa non præveniat, & quatenùs non fuerit legitimè impeditus beneficium providere intrà Trimeſtre, & beneficium non conferat per viam purgationis moræ.
17 Ad perfectam notitiam præſentis *Canonis*, Quæro in hoc caſu. Primo. An dies vacationis computetur in Trimeſtre, vel potius ſupputatio Trimeſtris incipienda ſit à die immediatè ſequenti? Reſpondeo diem vacationis non computari in Trimeſtre, quia cum in ſupradictis concordatis legantur ſequentia verba = *Non apparuerit intrà tres menſes à die notæ vacationis quod alicui de illo Apoſtolica Auctoritate proviſum fuerit*, *ex tunc*, *& non antea Ordinarius &c.* =, & cùm in Bulla Gregoriana ſuperius in *Commentario* relata *num.*2. habeantur hæc = *Poſt lapſum trium Menſium ex die notæ vacationis* = Hujuſmodi dictiones *A*, *Ex*, operantur ut computatio temporis non ſit facienda de momento ad momentum nec dies vacationis computetur in Trimeſtre, imò à præfixo termino excludatur. *Gloſſ. in cap. Statutum verb. numerandum n.*3. *de præben. in* 6. *ibique Barboſ. n.*5. *&* 14. *Rot. in d. Auguſtana Canonicatus* 12. *Januar.* 1703. §. *Huc uſque coram Reverendiſs. Molines*.
18 Secundo quæro; ſi beneficium de Jurepatronatus Eccleſiaſtico vacaret prima vacatione per ejus erectionem, & fundationem in menſe reſervato; ſeu ſi erigeretur, & fundaretur beneficium in menſe reſervato, an caderet ſub concordatis, & Regulis reſervatoriis? *Garzias de benef. p.*5. *cap.*1. §.11. *n.*520. cenſet non comprehendi ſub concordatis, quia durum ſibi videtur, & à mente Papæ longè alienum, quod ſi in Menſe Apoſtolico crearetur, & erigeretur beneficium per Ordinarium, quod eſſet de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, Ordinarius ipſe non poſſet illud conferre pro prima vice, nec Patronus Eccleſiaſticus præſentare; *Gonzalez verò ad regul.*8. *Cancell. gloſſ.*9. §.1. *n.*50. affirmativam tuetur ſententiam, nempè tale beneficium venire ſub concordatis, & Regulis reſervatoriis, etiam in prima vacatione per creationem, & erectionem. Nicolartz autem *ad concordata Germaniæ tit.*1. *dub.*4. §.4. prior ſententia magis placet, nè Fundatores à fundationibus beneficiorum arceantur, ſi ſimulatque creata eſſent, in menſe videlicet Apoſtolico, Proviſis Apoſtolicis deberentur.

R. P. D. LANCETTA

Triviren. Parochialis.

Mercurii 26. *Junii* 1715.

PArochialem Eccleſiam S. Martini de Ryoll, quam utì vacatam in menſe reſervato Matthias à Sanctiſſimo obtinuerat ſub datum quinto idus Novembris anni 1713. Abbas S. Matthiæ Ordinis Benedictinorum apud Treviros jure devoluto ſucceſſivè contulit Petro Mentges ſub die 13. Januarii ſubſequentis anni, ad cujus inſtantiam commiſſa mihi ex integro per Signaturam Juſtitiæ Cauſa, de-

dedi dubium an Literæ Apoſtolicæ eſſent exequendæ. *Et exequendas eſſe*, DD. reſcripſerunt, quia plenè conſtitit de illarum juſtificatione, tùm quoad Clericatum ex approbatione ab eodem in concurſu reportata coram Examinatoribus, tùm quoque quoad reſervationem, ex quo vacatio contigit de menſe Septembris, qui S. Sedi Apoſtolicæ reſervatus eſt, ut patet ex tenore Bullæ, quam vo-
19 cant Concordatorum Germaniæ Nicolai Papæ V. & dixit *Rota dec.*522. *n.*6. *p.*19., *& in Monaſterien. Decanatus* 26. *Aprilis* 1709. §. *Juſtificatio coram bo. me. Caffarello*.

Non obſtat quod jam elapſis tribus menſibus à die notæ vacationis in loco Beneficii, cùm nemo comparuiſſet à S. Sede Apoſtolica proviſus, ritè rectèque potuerit Abbas S. Matthiæ Ordinarius Collator ad formam eorumdem Concordatorum d. Parochialem Eccleſiam jure devoluto conferre.

Quoniam cùm Sanctiſſimus uſque ſub
20 die 9. Novembris 1713. atque ideò duobus nondum effluxis menſibus à die vacationis, & obitus ultimi poſſeſſoris ſuper hoc beneficio manus appoſuiſſet, illudque Matthiæ contuliſſet, nemo ſubinde potuit ſive Epiſcopus, ſive alius quicumque Ordinarius Collator de eodem beneficio tamquam devoluto diſponere, quia illud poſt ejuſmodi manus appoſitionem ſtatim remanſerat diſpoſitioni Papæ ſpecialiter affectum, ad *Text. in Extravag. Romani Pontificis* §. *Romani quoque de præben. Lotter de re benefic. lib.*2. *q.*25. *n.*33. *& ſeqq. Rot. dec.*112. 237. *& ſeq. & dec.*333. *n.*8. *part.*16. cum aliis *in Gerunden. Canonicatus* 25. *Junii* 1714. §. *Conſiſtit coram Me*.

Atque ex hac ratione nihil urget, quod
21 Matthias non prius quàm ſub die 8. Februarii 1714. jam lapſo dicto trimeſtri literas ſuæ proviſionis in partibus exhibuerit; Nam etiam hoc caſu propter obſtaculum dictæ affectionis, & præventionis non poſſe Ordinarium diſponere de beneficio jam alteri intrà dictum Trimeſtre à Papa collato declaravit noſtrum Sacr. Tribunal 13. Februarii 1559. coram Fabio Accorambono, cujus interpretationem tamquam juri, & æquitati maximè conformem, vim legis habere, ſubinde juſſit ſa. me. Gregorius XIII. ſpeciali in id edita Conſtitutione *impreſſ. in Bullar. nov. tom.*2. *inter ſuas la* 41. ut præciſè reſpondendo huic objecto dictum fuit *in una Colonien. coram Comitulo*, *quæ eſt deciſio* 69. *penès Poſth. de manut. n.*4.

Quemadmodum neque pariter ex hoc capite gratia Apoſtolica ab eodem Mat-
22 thia obtenta nulla aut irrita remanſit, quia tametſi in prælaudata Gregorii Conſtitutione ad excitandam diligentiam eorum, quibus à S. Sede beneficia conferri contingat, ſtatutum ſit, ut intrà prædictos tres menſes ſignificatio aliqua obtentæ proviſionis in partibus fieri debeat, nullitatis tamen pœna incuſſa non legitur, ut benè obſervat *Nicolarts poſt eamdem Conſtitutionem ad concordata Germaniæ tit. de reſervatis n.*2. *Kochier. ad regulas Cancell. reg.*8. *gloſſ.*10. *n.*4. *&* 5. & reſpondit *Rot. d. dec.*69. *penès Poſth. n.*4.

Abſque eo quod replicare juvet, quod Literæ Proviſionis Apoſtolicæ expeditæ
23 fuerint à Matthia ſub die 19. Januarii 1714., adeòque poſt collationem Ordinarii factam uſque ſub die 13. ejuſdem menſis; nàm cum ſupplicatio, illius nomine, Sanctiſſimo porrecta, longè ante ſignata fuerit, nempè ſub die 9. Novembris 1713., ab hac die dicitur Papa manus appoſuiſſe, & impedivit collationem cujuſcumque alterius inferioris, ut diſertè cavetur in laudata Conſtitutione Gregorii, cujus diſpoſitio in hac quoque parte maximè convenit cum Jure communi, juxta quod unicè attenditur tempus datæ literarum, licèt ipſæ longè poſt expeditæ fuerint *Wammes de Jur. Pontific. tom.*1. *conſ.*1. *n.*5. *Gonzal. ad regul.*8. *gloſſ.*12. *ſub n.*45. *Corrad. in praxi benef. lib.*3. *cap.*8. *n.*4. *Rota coram Merlin. dec.*281. *n.*13., *& in Colonien. Canonicatus primæ gratiæ* 13. *Decembris* 1709. §. *Ea verò coram Me*.

Et ita utraque &c.

CANON III.

INNOCENTIUS VIII. Conſtit.V. Bullar. Rom. Tom.1.

Ann.1485. CUm ab Apoſtolica Sede; *Et infra*. Nos igitur attendentes, quòd juxta Canonicas Sanctiones Juſpatronatus præſentandi ad Regimina Monaſteriorum, Prioratus, Præpoſituras, & alias Conventuales, nec non in Cathedralibus, Metropolitanis, & Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi Dignitates (ad quas perſonæ idoneæ per Conventus, & Capitula illarum, ſeu illorum, dum pro tempore vacant, eligi conſueverunt) in Laicum nullo modo cadere poteſt, niſi ex ſpeciali Sedis prædictæ Privilegio, quod nonniſi ex maximis, & urgentibus Cauſis alicui per Sedem eamdem concedi conſuevit, quodque etiam conveniens non videtur, quod juſpatronatus ad Beneficia Eccleſiaſtica pro nulla, ſeu levi, & facili cauſa acquiratur, & præſertìm cum juris alieni præjudicio. Volentes nè Sedis prædictæ Authoritas, & Locorum Ordinariorum, aliorumque Collatorum, & Collatricum juriſdictio propterea in dies minuantur, ac Monaſteria, Dignitates, & alia Beneficia, Hoſpitalia, & pia loca ſupradicta ex Conceſſionibus, & reſervationibus juriſpatronatus hujuſmodi, aliqua detrimenta (prout propterea contingit), patiantur, ſeu Monaſteria, & aliæ Dignitates Electivæ, ac (in quibus reſervationes, & Conceſſiones hujuſmodi pro nulla, ſeu levi Cauſa factæ fuerunt) alia Beneficia, Hoſpitalia, & pia loca prædicta, ſeu ſolita gaudeant libertate, debitè, prout noſtro incumbit officio, providere, deliberatione ſuper his cum Fratribus S.R.E. Cardinalibus præhabita diligenti, etiam expreſſis, & certis aliis nobis notis, legitimis, & id ſuadentibus cauſis, omnes, & ſingulas Conceſſiones, Reſervationes, & Aſſignationes juriſpatronatus, & præſentandi, ſeu nominandi perſonas hujuſmodi ad Monaſteria Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, Dignitates, Perſonatus, adminiſtrationes, officia, Canonicatus, Præbendas, alia-

que

que Beneficia, ac hoſpitalia, & pia loca ſupradicta, per Sedem, ac Legatos, & Nuntios prædictos à dictis 25. annis citrà, Regibus, Reginis, Ducibus, Marchionibus, & aliis perſonis ſupradictis, nec non Civitatibus, Univerſitatibus, Confraternitatibus, & Collegiis hujuſmodi, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, & ex quibuſcumque Cauſis, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine factis, quoad Monaſteria videlicet, ac Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, & alias Dignitates, ac Beneficia electiva, etiamsì quaſcumque conditiones, propterea impoſitas adimpleviſſent.; Quæ verò ad non electiva, ac Hoſpitalia, & alia pia loca hujuſmodi factæ fuerunt, ſi fructus, Redditus, & Proventus Beneficiorum non electivorum, ac Hoſpitalium, & aliorum piorum Locorum prædictorum, ad medietatem veri annui valoris, fructus, redditus, & Proventus eorumdem, ſecundum communem Æſtimationem de propriis eorum bonis non auxerunt, vel Eccleſias de novo in illis non ædificarunt, ſeu omnino funditus dirutas, & deſtructas non reædificarunt, aut Loca, ſeu Fundos, in quibus ædificarentur, non conceſſerunt, etiamſi Conditiones, ad quas alias forſan, quam modis præmiſſis tenebantur, executioni demandaſſent, de eorumdem Fratrum Conſilio, Auctoritate Apoſtolica, & etiam ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium revocamus, caſſamus, irritamus, & annihilamus, ac pro nullis caſſis, & infectis omnino haberi volumus; Ordinariis, & aliis Collatoribus, & Collatricibus quibuſcumque concedentes, ut ceſſantibus Reſervationibus Apoſtolicis, hactenùs ſic pro tempore factis, Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, Officia, Canonicatus, & Præbendas, ac alia Beneficia ſupradicta cùm deinceps pro tempore vacaverint, nulla expectata præſentatione, ſive nominatione conferre, ac hoſpitalia, & alia pia loca committere, Monaſteriis verò hujuſmodi de perſonis idoneis providere, ſeu alias de illis diſponere, ac Conventibus, & Capitulis Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præpoſitatuum, ac aliarum Dignitatum,

præſertim Conventualium, nec non Eccleſiarum Cathedralium etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum, ut in electione perſonarum idonearum ad illa ex Beneficiis ſupradictis, quæ electiva eſſe conſuevisſent, ſimilibus ceſſantibus Reſervationibus, procedere liberè poſſint, & debeant in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi Conceſſiones, Reſervationes, & Aſſignationes jurisſpatronatus hujuſmodi, ut præmittitur, factæ fuerunt, nè de cætero occurrentibus vacationibus Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præpoſitatuum, Dignitatum, Perſonatuum, Adminiſtrationum, ad Præſentationem, ſeu nominationem aliquam procedere, ac Ordinarios, alioſque Collatores, & Collatrices prædictos; quominus illa conferant, & eos, ad quos Electio pertinet, nè eligant, directè vel indirectè impedire, contra præſentium tenorem, quoquomodo præſumant.

C A N O N IV.

HADRIANUS SEXTUS Conſtit. III. Bull. Rom. Tom. 1.

Ann. 1522. SAnctiſſimus Dominus Noſter Hadrianus Papa VI.: *Et infra* ideo ut per ſanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam liberiùs de Perſonis benemeritis, dictis Cathedralibus Eccleſiis, & Monaſteriis provideatur, & de illis, ac aliis dignitatibus, Beneficiis, Hoſpitalibus, & Piis locis hujuſmodi diſponatur, opportunè providere volens, felicis recordationis Innocentii Papæ VIII. ſuæ Sanctitatis Prædeceſſoris inhærendo veſtigiis, omnes, & ſingulas reſervationes, & conceſſiones jurisſpatronatus, ac facultates, & indulta præſentandi, ſeu nominandi Perſonas hujuſmodi ad Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, Officia, Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia Eccleſiaſtica cum Cura, & ſinè Cura, ſæcularia, & ordinum quorumcumque regularia, qualitercumque qualificata, ac

Hoſpi-

Hoſpitalia, & alia Pia Loca per Prædeceſſores, & Sedem Apoſtolicam, aut ejus Legatos, Nuncios, Executores, & Subexecutores, ab anno primo Pontificatus ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris citra, quibusvis Regibus, Reginis, Ducibus, & Marchionibus, ac aliis Principibus, & Perſonis, nec non Communitatibus, Univerſitatibus, Confraternitatibus, & Collegiis ſæcularium perſonarum cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentibus, etiam ex motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, aut etiam conſiſtorialiter, & aliàs tam ſimpliciter, quàm ſub quibuſvis conditionibus, & promiſſionibus, & aliàs quomodocumque, et qualitercumque, et ex quibuſvis Cauſis, præter quàm ratione Ereptionis Locorum, in quibus Eccleſiæ, Monaſteria, et Beneficia prædicta conſiſtunt ex infidelium manibus, et poteſtate facta, et conceſſa, quorum omnium formas, et tenores eadem ſua Sanctitas haberi voluit pro expreſſis, quoad Metropolitanas, ac alias Cathedrales Eccleſias, & Monaſteria, nec non Prioratus, & Præpoſituras, ac alias Dignitates Conventuales, & alia electiva, etiam ſi ii, quibus reſervationes, & conceſſiones, facultates, & indulta hujuſmodi facta, & conceſſa fuerunt, quaſcumque conditiones eis propterea quomodolibet impoſitas, & promiſſiones per eos propterea factas adimpleverint. Quo verò ad alia Beneficia, ac Hoſpitalia, & Pia loca hujuſmodi, ſi illi, quibus reformationes, & conceſſiones, ac facultates, & indulta hujuſmodi facta, & conceſſa fuerunt, ut præfertur, illorum occaſione fructus proximè dictorum Beneficiorum Hoſpitalium, & Piorum Locorum ad medietatem unius annui valoris fructuum eorundem ſecundùm communem æſtimationem de propriis eorum Bonis non auxerunt, vel eorum Eccleſias, aut Hoſpitalia, & Pia loca hujuſmodi de novo fundamentaliter non ædificarunt, ſeu funditùs non reædificarunt, ſeu fundos, in quibus ædificia

in

in præſentiarum ſubſecuta non conceſſerunt, ad quorum, augmentis ædificationis, reædificationis, & conceſſionis reſpectivæ probationem eos, qui tali Jurepatronatus, ſeu præſentandi, & nominandi directè, vel indirectè uti voluerint, eadem Sua Sanctitas teneri decrevit, etiamſi conditiones, ad quas aliàs quàm modis præmiſſis tenebantur, Executioni demandatæ fuiſſent, & in litteris reformationum, & primo dictarum conceſſionum, ſeu facultatum, & indultorum hujuſmodi cautum ſit, quod dictum Jus ſimpliciter, vel ſub certis conditionibus, modis, & formis ex fundatione, vel dotatione pertineat, aut pertinere cenſeatur, vel perindè habeatur, ac ſi ex fundatione, vel dotatione predicta pertineret, & quod reſervationes primo dictas, conceſſiones, facultates, et indulta hujuſmodi revocari non poſſint, et clauſulæ etiam Derogatoriarum derogatoriæ fortiores efficaciores, et inſolitæ in dictis literis pro illarum præſervatione deſuper adjectæ ſint, illarum formas, et tenores prò expreſſis habendo, revocavit, caſſavit, et annullavit, ac Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras dignitates, et Beneficia hujuſmodi ad primævam eorum naturam, præmiſſis non obſtantibus reduxit.

COMMENTARIUM.

Ex iſtis duobus Canonibus hæc deducitur concluſio.

JUSPATRONATUS EX MERO PRIVILEGIO, AUT EX REDOTATIONE, AUT REÆDIFICATIONE ACQUISITUM REVOCATUR, SI AUGUMENTUM FRUCTUUM DOTIS NON EXCEDAT MEDIETATEM, ET SI ECCLESIA REÆDIFICATA NON FUERIT OMNINO DIRUTA, ET DESTRUCTA. = Quam concluſionem probant etiam *Cherubin. hic Lotter. de re benef. lib.2. q.8. n.14. & ſeqq. Vivian. de Jurepat. p.1. lib.2. cap.5. n.17. & ſeq. Card. de Luc. de Jurepat. diſc.2. n.6. & diſc.11. n.10. & diſc.65. n.17. Præceptor meus diſcept. Eccleſ.33. n.14. §. Bene verum eſt Rot. dec.753. n.7. coram Coccin. & dec.1271. num.6. coram Emerix. Jun. & dec.510. n.2. p.3. & dec.29. n.13. p.7. & dec.492. n.6. p.13. & dec.449. n.1. p.14. rec. & in Bovinen. Archipresbyteratus* 10. *Martii* 1710. §. *Quocirca coram R.P.D. Aldrovando*. Et confirmavit Concilium Tridentinum *cap.9. ſeſſ.25.* de quo ſupra *Par.V. Can.XII.*

1 Maxima cum facilitate antiquitus à Summis Pontificibus, & ad eorum imitationem, ab Ordinariis concedebantur Eccleſiæ liberæ in Juſpatronatus; Sed quia illi, quibus conceſſum fuit Juſpatronatus ex privilegio, ſeu ſimpliciter ſinè ulla cauſa, ſeu ſub certis conditionibus, uſurpabant, & convertebant in prophanos uſus, fructus, & redditus

Mo-

Monaſteriorum, Præpoſiturarum, dignitatum, & quorumcumque beneficiorum; quod ut commodius facere poſſent, præſentabant, & inſtitui procurabant perſonas minùs idoneas, & ſibi dependentes, proindè Innocentius VIII. optimè ſciens axioma illud Gregorii Magni relat: à *Gratian. in cap. Privilegium* 11. *q.3.* nimirùm, quod Privilegium omninò mereatur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, revocavit hìc Juſpatronatus ex Privilegio, & ex quibuſcumque cauſis, & conditionibus etiam adimpletis, conceſſum retroactis temporibus, & præſertim vigintiquinque annis citrà à Summis Pontificibus, aut à Legatis Sedis Apoſtolicæ, aut à Nunciis, etiam cum poteſtate Legati de Latere, Regibus, Reginis, Ducibus, & Marchionibus, & aliis Principibus, Communitatibus, Civitatibus, Univerſitatibus Oppidorum, Caſtrorum, Villarum, & aliorum Locorum, Confraternitatibus, & Collegiis Sæcularium Perſonarum, nec non aliis tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus Perſonis, quoad beneficia electiva, nempè quoad Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, & Perſonatus, ac dignitates conventuales tam in Cathedralibus, quàm Metropolitanis, & collegiatis poſt Pontificales majores, nec non adminiſtrationes, officia, Canonicatus, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica electiva. Revocavit etiam Juſpatronatus quoad beneficia non electiva, & quoad hoſpitalia, & alia pia Loca in duobus caſibus, nimirum in caſu, quo redditus, & proventus hujuſmodi beneficiorum, & Locorum piorum non fuerint aucti ad medietatem veri annui valoris, & in caſu, quo Eccleſiæ non fuerint fundatæ, nec de novo ædificatæ, vel omninò dirutæ, & diſtructæ non reædificatæ.

2 Hujuſmodi autem revocatio ob ſuperventam nimiam liberalitatem ſucceſſorum Pontificum præſertim Leonis X. neque ſufficiebat; unde ſupervenit Conſtitutio Hadriani VI. quæ ſimiliter revocavit omnia Privilegia conceſſa ab anno primo Pontificatus Innocentii VIII.; & ſucceſſivè diſpoſitio S. Concilii Tridentini dicto *Canone XII.* ubi ſupra. Spectant ad hos *Canones* illi duo Caſus, quos ſuperiùs examinavi *Part.I.*, nimirum Caſus X. *Canon.III.*, & Caſus III. *Canon.IV.*, quos ibi legere poteris; Hìc verò ſequentia adduntur.

ARGUMENTUM.

Beneficium de Jurepatronatus laicali ex augmento dotis acquiſito an cadat ſub Concordatis Germaniæ, & aliis reſervationibus Apoſtolicis.

SUMMARIUM.

1 *Juſpatronatus laicale ex augmento dotis acquiſitum non cadit ſub concordatis Germaniæ, & aliis reſervationibus Apoſtolicis.* Intellige ut nu.4. & 5.

2 *Beneficium vacans in menſe Januarii cadit ſub concordatis Germaniæ.*

3 *Augmentum dotis conſiderari poteſt ad effectum impediendi revocationem juriſpatronatus, & ad effectum excludendi reſervationes Apoſtolicas, & quæ ſit differentia inter utrumque.* Vide ibi, & nu. 4.

6 *Ad effectum evitandi reſervationes Apoſtolicas an, & quando præſumatur augmentum præponderare gratiæ, quando Patronus eſt in poſſeſſione præſentandi.* Vide ibi.

CASUS UNICUS.

CUm redditus Eccleſiæ Parochialis A in partibus Germaniæ exiſtentis aſcendentes ad annua ſcuta viginti, eſſent inſufficientes pro congrua ſuſtentatione Parochi, quidam pius Teſtator mandavit in ejus Teſtamento, ut augerentur de propriis bonis in aliis annuis ſcutis duodecim cum reſervatione Juriſpatronatus favore ſui, ſuorumque hæredum. Poſt multi temporis decurſum vacata eadem Eccleſia Parochiali menſe Januarii ex vi concordatorum S. Sedi reſervato, fuit illa impetrata à quodam Sacerdote in Dataria Apoſtolica: Quæritur an hujuſmodi impetratio ſuſtineatur.

1 Negativè reſpondendum videtur, quia dicta Eccleſia Parochialis eſt de jurepatronatus laicali, cum ejus dos fuerit aucta pluſquam ad medietatem à præfato Teſtatore de bonis propriis laicalibus, ac proin-

proinde ſub concordatis Germaniæ, & aliis reſervationibus Apoſtolicis cadere minimè poteſt, ex ſuperiùs firmatis *Can. II. Caſ. I. n.* 1. *&* 8.

2 Sed hoc non obſtante contrarium veriùs de jure cenſeo; Etenim Eccleſia hæc Parochialis vacavit in menſe Januarii Sedi Apoſtolicæ reſervato non ſolùm ex vi Concordatorum Germaniæ, ut dixi dicto *Can. II.* verùm etiam ex Regula IX. Cancellariæ, ut dicam infrà *Can.XXIII.* unde validè impetrari potuit in Dataria.

Quin ullatenus adverſetur, quòd dicta Eccleſia ſit de jurepatronatus laicali ex
3 augumento dotis acquiſito; Quoniam ſciendum eſt, quod augumentum dotis Eccleſiæ, ſive beneficii ad medietatem, conſiderari poſſit ad duplicem effectum; nìmirum ad effectum impediendi revocationem juriſpatronatus ab his *Canonibus* demandatam, & ad effectum excludendi reſervationes Apoſtolicas. Si conſideretur ad effectum impediendi revocationem juriſpatronatus, tunc medietas ſufficit, quod calculetur, habito reſpectu ad antiquam dotem, adeò ut ſi augumentum excedat medietatem antiquæ dotis, licèt ſit antiqua dote inferiùs, juſpatronatus non dicitur ab his *Canonibus* revocatum, ſed Patronus ex augumento dotis, vacato beneficio in menſe Ordinario, poterit
4 ad illud præſentare; Si verò conſideretur ad effectum excludendi reſervationes Apoſtolicas, tunc medietas non ſufficit, quod calculetur, habito reſpectu ſolùm ad antiquam dotem, ſed calculari debet, habito reſpectu ad antiquam dotem ſimul, & novam, adeò ut nova dos, quæ augetur, debet præponderare antiquæ, vel eſſe coæqualis antiquæ doti, & ſi non præponderet, vel non ſit coæqualis antiquæ, juſpatronatus conceſſum ex hujuſmodi augumento non dicitur conceſſum ex juſtitia, ſed ex privilegio, & cadit ſub reſervationibus Apoſtolicis non obſtante, quod ſit laicale; ut docet *Card. de Luc. de jurepat. diſc.*2. *n.*8. *& diſc.*10. *n.*3. *&* 4. *& diſc.*65. *n.*26. & optimè *Præceptor meus diſcept. Eccleſ.*33. *n.*14. §. *At æquivocum*, *Rot. dec.*58. *&* 88. *par.* 1. *& dec.*29. *par.* 7. *& deciſ.*492. *par.* 13. *& deciſ.* 449. *par.* 14. *recent. & deciſ.* 753. *nu.* 9. *coram Coccin.*

5 In caſu præſenti augumentum dotis controverſæ Eccleſiæ Parochialis in ſcutis duodecim non excedit, nec eſt coæqualis antiquæ doti ſcutorum viginti; unde licèt juſpatronatus ad illam non ſit revocatum; comprehenditur tamen ſub concordatis, & ſub reſervationibus Apoſtolicis, præſertim Regulæ IX. Cancellariæ, quæ derogat omnibus privilegiis juriſpatronatus non conceſſi ex vera fundatione, & dotatione, ut tradunt *Lotter. de re benef. lib.*2. *qu.*8. *n.*78. *& ſeqq. Vivian. de jurepatr. lib.*4. *cap.*10. *n.*27. *Barboſ. ad Concil. ſeſſ.* 25. *cap.*9. *n.* 71. *Panimoll. deciſ.*9. *annot.*3. *n.*11. *& ſeqq. Adden. ad Gregor. deciſ.*397. *nu.*6. *verſic. hæc verò omnia*, *Rot. deciſ.*469. *n.*4. *& ſeq. & deciſ.* 1056. *n.*18. *& ſeq. cor. Coccin.*

6 Non meretur attendi, ſi dicatur, quod Patronus ſit in poſſeſſione præſentandi ad dictam Eccleſiam Parochialem, ex quo ſequitur, quod ad effectum evitandi reſervationes Apoſtolicas præſumatur augumentum præponderare gratiæ; ſiquidem hujuſmodi concluſio procedit, quando concurrit longæva poſſeſſio præſentandi in menſibus reſervatis, cùm enim ſtare ſimul poſſit, quod juſpatronatus ſit validum, & non revocatum per hos *Canones*, ita ut in menſibus Ordinarii poſſit Patronus præſentare, & per contrarium, quod adhuc beneficium ſit reſervatum, quando non probatur augumentum præponderare gratiæ, ut dixi ſuperiùs *num.*4. Exinde ſequitur, ut non ſufficiat poſſeſſio præſentandi in menſibus Ordinarii ad præſumendam hanc præponderantiam, ſed requiritur poſſeſſio præſentandi in menſibus reſervatis, & quidem longæva quadraginta, & ultra annorum, & contra reſervationes Apoſtolicas, dum unica præſentatio facta in menſe reſervato ſuffragari non poteſt ad effectum relevandi Patronum ab onere probandi augumentum dotis præponderare privilegio, quando eſt in poſſeſſione præſentandi in menſibus reſervatis; juxta *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæſt.*8. *nu.*70. *& ſeqq.* ubi firmat contra Regulam octavam non ſuffragari quaſi poſſeſſionem ex unico actu quæſitam. *Gonzal. ad regul.* 8. *gloſſ.* 18. *nu.*24. *in fin. Vivian. de jurepatr. lib.*4. *cap.*10. *n.*16. *Rot. dec.*58. *n.*1. *par.*1. *& dec.*725. *n.*8. *par.*18. *rec. & dec.* 1056. *n.*32. *& dec.* 1077. *n.*5. *& ſeq. cor. Coccin.* ubi

ubi quòd ultimus ſtatus ſuffragatur quando agitur inter Epiſcopum, & Patronum non contra Datariam, ſeu reſervationem Regulæ IX.

C A N O N V.

PAULUS TERTIUS Conſtit. III. §. 1. *Bull. Rom. Tom.* 1.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater: *Et infra*. Eadem Sanctitas Sua hujuſmodi ambiguitatem in futurum tollere volens ex certa ſcientia declaravit Referendarios, & alios Officiales ex dicto Palatio panem habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotæ, Acolytos, Scutiferos, Secretarios, literarum Apoſtolicarum Scriptores, Cubicularios, ac Milites S. Petri, reliquoſque Officiales eidem Sanctitati Suæ, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, in Palatio deſervientes, aut cuſtodiam facientes, licèt in eodem non habitaverint, nec habitent, nec forſan habitabunt, nec in tinello comederint, nec comedant, nec in futurum forſan comedent, in poſterum veros, & indubitatos Sanctitatis Suæ, & Romanorum pro tempore Pontificum, & non per privilegium, nec fictè Familiares continuos Commenſales cenſeri, reputari, & eſſe, itaut regulis tam editis, quàm edendis, de veris Familiaribus, & continuis Commenſalibus Suæ Santitatis, & Romanorum pro tempore Pontificum loquentibus in poſterum potiantur, & gaudeant, ac eis quoque, quo ad omnia ſubjiciantur; etiam ad hoc, ut Sanctitas Sua, & alii Pontifices occurrentibus vacationibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos obtentorum, & obtinendorum, qualitercumque qualificatorum per obitum eorumdem in Romana Curia, vel extra, ad collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem quorumcumque Collatorum, & Collatricum communiter, vel diviſim pertinentium providere, & de illis diſponere liberè valeant in omnibus, & per omnia, ac ſi Referendarii, Secretarii, Scriptores, & alii Officiales hujuſmodi, ac deſervien- Ann. 1543.

tes ſupradicti in Palatio habitaſſent, & in tinello verè, & realiter comediſſent.

CANON VI.

JULIUS TERTIUS Conſtit. XXI. §. 2. Bull. Rom. Tom. 1.

Ann.1558. SAnctiſſimus in Christo Pater: *Et infrà*. Et Sanctitas Sua de Beneficiis Eccleſiaſticis per eos pro tempore obtentis qualitercumque qualificatis, & ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem quorumcumque Collatorum etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiam Indultum ſpeciale ſuper conferendis Beneficiis ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem pertinentibus, à Sanctitate Sua, aut Sede Apoſtolica habentium, communiter, vel diviſim ſpectantibus, quæ per eorum obitum in Romana Curia, vel extra eam in poſterum vacabunt, tamquam Sanctitatis Suæ ratione familiaritatis, & continuæ commenſalitatis hujuſmodi generaliter reſervatis providere, & de illis diſponere liberè, & licitè poſſint, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi ipſi Prælati in dicto Palatio habitarent, & ultrà panem alia victui humano neceſſaria haberent.

COMMENTARIUM.

Ex his Canonibus ſequens deducitur concluſio.

BENEFICIA TAM LIBERA, QUAM PATRONALIA FAMILIARIUM SUMMI PONTIFICIS SUNT SEDI APOSTOLICÆ RESERVATA = Quam concluſionem probant etiam *Gomes ſuper Regul. 3. Cancell. §. Quo ad tertiam partem Garz. de benef. par. 5. cap. 1. §. 5. n. 237. Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 32. nu. 22. & 61. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 51. n. 16. & ſeqq. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 2. §. 2. n. 33. Tondut. quæſt. benef. tom. 1. par. 2. cap. 3. §. 30. n. 10. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 57. n. 106. & ſeqq. Card. de Luc. de Benef. diſc. 3. n. 10.*

1 Reſervatio ex capite familiaritatis jam pridem inducta fuit ex Regula quarta Cancellariæ, quam unuſquiſque Pontifex initio ſui Pontificatus renovat, & per quam Papa expreſsè reſervat Beneficia non ſolùm ſuorum Familiarium, verùm etiam & Cardinalium ibi = *Reſervavit etiam Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, ac alias Dignitates Conventuales, & Præceptorias generales Ordinum quorumcumque (ſed non militiarum,) ac quæ-*

quæcumque beneficia, quæ ſui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore exiſtentes, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore Cardinalium Familiares continui commenſales obtinent, & inpoſterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, ſeu ad quæ in eis competit, aut competierit, etiamſi ab ipſa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel alias receſſerint = Sed quia pluries dubitatum fuit, quinam verè Familiares Papæ dicerentur; proinde tam Paulus III., quàm Julius III. declararunt hic eſſe veros Familiares Summi Pontificis omnes Referendarios, & alios Officiales ex Palatio Apoſtolico panem habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotæ, Acolytos, Scutiferos, Secretarios, Literarum Apoſtolicarum Scriptores, Cubicularios, ac Milites S. Petri, reliquoſque Officiales deſervientes, & cuſtodiam facientes in Palatio Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, nec non etiam omnes, & ſingulos Eccleſiarum Prælatos, ſolùm ratione Perſonæ ſuæ, & non alicujus officii per eos pro tempore obtenti, panem ex Palatio Apoſtolico quotidiè habentes; & eodem tempore confirmando præfatam Regulam reſervarunt S. Sedi Apoſtolicæ omnia eorum beneficia etiam juriſpatronatus, per eorum obitum in Romana Curia, vel extra vacantia. Iidem Cubicularii, & Scutiferi, ac Milites S. Petri declarati etiam fuerunt verè Familiares, & continui commenſales Papæ à Leone X. *Conſtit.* 14. *&* 36. Milites S. Pauli, à Paulo III. *Conſtit.* 5. *&* 16. Milites Lauretani, Conclaviſtæ, Commiſſarius Cameræ, Theſaurarius Datariæ, Auditor Cameræ, Confidentiarum à Sixto V. *Conſtit.* 32. 35. 44. 47.
Quo ad hanc concluſionem ſequens diſſeritur Caſus.

ARGUMENTUM.

Beneficia Juriſpatronatus Eccleſiaſtici vacantia per obitum Familiarium Officialium, ſeu Familiarium Papæ an ſint Sedi Apoſtolicæ reſervata.

SUMMARIUM.

1 *Familiaritas ad effectum inducendi reſervationem eſt concludentiſſimè probanda;* Et quare vide nu. 2.

3 *Quem non eſſe Familiarem colligitur ex eo quod ejus nomen non ſit appoſitum in Albo, ſeu Rotulo Familiarium.*

4 *Ad conſtituendum aliquem Familiarem ad effectum Regulæ quartæ Cancellariæ neceſſario intervenire debent Mens, & Dens.* Intellige, ut nu. 8.

5 *Quis dicatur Familiaris?* Vide ibi.

6 *Servitium propriè, & immediatè non reſpiciens Papam, an efficere poſſit Familiarem Papæ?*

7 *Beneficium juriſpatronatus Eccleſiaſtici vacans per obitum Familiaris Officialis, ſeu Familiaris Papæ, eſt S. Sedi reſervatum.*

9 *Milites Lauretani, Referendarii, Secretarii Apoſtolici, Scriptores Apoſtolici Cubicularii, Milites S. Petri, Protonotarii non participantes inter Familiares Papæ adſcripti ſunt.*

10 *Inſerviens inſervienti Papæ, & viventi expenſis Papæ dicitur ſaltèm mediatè inſervire Papæ, & vivere hujus expenſis.*

11 *Beneficia Patronalia; ad quæ Familiaris Papæ habet jus ad rem irrevocabiliter per præſentationem Patroni Eccleſiaſtici ſunt ex capite Familiaritatis Sedi Apoſtolicæ reſervata.*

12 *Beneficia Germaniæ ad hoc, ut ſint affecta Sedi Apoſtolicæ ratione Familiaritatis, requiritur Familiaritas vera, non verò acquiſita ex Privilegio, & per modum fictum;* Et nu. 20.

13 *Arbitrium regulari debet ad tramites juris.*

14 *Probatio primæ Dignitatis in Collegiata, ex quibus reſultet?* Vide ibi.

15 *Ea, quæ circa beneficiorum qualitatem ſunt expoſita Summo Pontifici, ſunt juſtificanda juxta ſtatum vigentem de tempore impetrationis.*

16 *Obſervantia eſt optima mentis, & intentionis interpres.*

17 *Simplex fides eſt irrelevans ad faciendam probationem.*

18 *Aſſertioni Vicarii Generalis, aut Magiſtratus eſt deferendum.*

19 *Qualitas primæ Dignitatis in Archidiacono an excludatur ex eo, quod ipſe ſit Canonicus*

nonicus, vel ex eo, quòd Sedes Apoſtolica nunquam Archidiaconatum contulerit? Vide ibi.

21 *Non facta electione Decani à Capitulo in tempore, jus illum liberè conferendi devolvitur ad Epiſcopum.*

CASUS UNICUS.

VAcato beneficio de jurepatronatus Eccleſiaſtico per obitum ejus, qui erat de familia cujuſdam Familiaris Papæ; Ordinarius illud contulit cuidam Sacerdoti ad præſentationem Patroni; è contra autem paucos poſt dies fuit idem beneficium ab alio Sacerdote impetratum in Dataria tamquam de reſervato, ex diſpoſitione Regulæ quartæ, & horum *Canonum*; Quæritur proindè in hoc caſu; an dictum beneficium ſit reſervatum; vel potiùs ejus proviſio ſpectet ad Ordinarium.

Primo aſpectu dicendum videtur hujuſmodi beneficium reſervationi Apoſtolicæ in præſentiarum minimè eſſe ſubje-
1 ctum; Quando quidem præmiſſo, quod Familiaritas concludentiſſimè ſit probanda, vel per Rotulum, ſeu librum, in quo deſcribuntur omnes Familiares; vel per aliquam diſpoſitionem Domini, vel per Teſtes, ad effectum inducendi reſervationem. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.3. alleg.57. n.109. Tondut. quæſt. benef. tom.1. par.2. cap.3. §.3. n.11. Adden. ad Ludoviſ. deciſ. 166. nu. 10. & ad Burat. deciſ. 255. n.18. & ſeq. Rot. deciſ. 832. per tot. par.3. diverſ. & deciſ. 517. n. 3. cor. Cavaler. & deciſ.268. nu.5. cor. Ubaldo; & deciſ.888. n.34. cor. Coccin. & deciſ. 626. n.4. coram*
2 *Emerix jun.* Ea ratione quia præjudicium infertur illi, cui beneficium collatum eſt, vel conferri poteſt ab eo, ad quem de jure ſpectat collatio. *Maſcard. de probat. concluſ. 755. n.8. & ſeqq. & n.25. Rot. deciſ.584. n.1. par.1. rec. & deciſ. 257. nu.8. par.12. rec. & deciſ.36. n.5. poſt. Zachiam de ſalar. & deciſ.626. n.4. coram Rembold. & deciſ.35. n.3. cor. Emerix ſen.*

3 Tantùm abeſt, quod à Proviſo Apoſtolico probetur in præſentiarum Familiaritas, quod potiùs clarè oſtenditur, & reſultat defunctum Familiarem Familiaris Papæ nullatenus fuiſſe Familiarem Papæ, non ſolùm, quia ejus nomen non fuit appoſitum in albo, ſeu rotulo Familiarium Papæ. *Rot. in Hiſpalen. beneficii de Xeras 14. Martii 1603. apud Marcheſan. de commiſſ. tom.2. pag. 468. & deciſ. 228. num.1. cor. Buratt. & deciſ.373. nu.4. cor. Coccin. & deciſ. 584. nu. 6. & ſeqq. par. 1. recent.*

4 Verùm etiam, quia ad conſtituendum aliquem Familiarem ad effectum Regulæ quartæ Cancellariæ, & horum *Canonum* neceſſariò intervenire debent Mens, & Dens, ſervitium ſcilicet, & ſalarium. *Ventrigl. in prax. par.2. annot.2. §.2. n.34. & ſeqq. Tondut. quæſt. benef. par.2. cap.3. §.3. nu.11. Rot. deciſ 584. nu.3. par.1. rec. & deciſ.257. n.8. par.12. & deciſ.33. n.5. par.17. rec.* Et quidem ſervitium reſpicere debet cultum Perſonæ Domini, & ſalarium debet eſſe ſufficiens pro victu, dum
5 Familiarem oportet vivere expenſis Domini, & ille tantummodo ſit Familiaris, qui in domo Domini recipit victum tam in pane, & vino, quàm in aliis ad vitam neceſſariis, vel qui habet in pecunia quantum ad prædicta opus eſt, ita ut non ſufficiat habere aliquam partem panis, & vini. *Text. in cap. final. de verb. ſignific. in 6. ibique Joann. Andr. nu. 2. Ancharan. nu.3.* ubi quod merces ad minus ſatis eſſe debet pro victu, *Simonett. de reſervat. quæſt.35. nu.22. Gratian. diſcept. for. 257. n.41. Card. de Luc. de benef. diſc.6. n.7.*

6 Non adeſt in hypotheſi Mens, ſeu ſervitium; quia defunctus ſerviebat Familiari Papæ, non autem ipſimet Papæ, & conſequenter hujuſmodi ſervitium, cùm propriè, & immediatè non reſpexerit Papam, Familiarem Papæ efficere non potuit. *Zacchi. de ſalario quæſt. 30. num. 3. & ſeq. Lotter. de re benef. lib.2. quæſt.32. nu.4. & ſeqq. Ventrigl. in prax. benefic. par. 2. annot.2. §.2. n.35. verſ. vel ſi quis, Card. de Luc. de benef. diſc. 6. nu. 8. Rot. deciſ. 128. n.90. cor. Sperell. & deciſ. 255. n.2. coram Buratt. & deciſ.526. n.5. & dec.555. n.6. cor. Emerix jun.* Deficit etiam Dens, ſeu ſalarium; quia Pontifex nihil panis, & vini, aut alterius æquivalentis neceſſarii ad victum, ipſi tribuebat; Unde deficit Familiaritas, & conſequenter etiam reſervatio in his *Canonibus* præſcripta; adeò ut Literæ Apoſtolicæ impetrationis hujuſmodi beneficii exequendæ non ſint, ſed potius ſuſtinenda veniat proviſio facta ab Ordinario ad præſentationem Patroni.

Verùm

7 Verùm his poſthabitis cenſeo præfatum beneficium eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervatum. Etenim in primis quamvis ad conſtituendam familiaritatem Cardinalium, juxta auctoritates ſuperiùs relatas, ex neceſſitate probari debeant Mens, & Dens, ſervitium videlicet reſpiciens perſonam Domini, congruumque pro victu ſalarium, ad conſtituen-
8 dam tamen Summi Pontificis familiaritatem ſatis eſt, quod ipſe aſſerat aliquem pro Familiari habendum eſſe, tunc enim abſque eo, quod hic vivat expenſis Papæ Familiaris eſt, & ad privilegia familiaritatis admittitur. *Simonett. de reſervat. quæſt.*35.*nu.*25.*Mandoſ. in regul.* 13. *Cancell. quæſt.*18. *nu.*9. *Barbos. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.*57. *nu.*106. *Garz. de benef. par.* 5. *cap.* 1. §. 5. *nu.*273. *Gonzal. ad Regul. Cancell. gloſſ.* 51. *nu.* 26. *Caſtropal. Oper. Moral. par.* 2. *tract.* 13. *de benefic.*
9 *punct.* 19. *nu.*7. *in fin.* Et de facto Milites Lauretani, Referendarii, qui ſolùm à Palatio habent panem honoris, Secretarii Apoſtolici, Scriptores Apoſtolici, Cubicularii, Milites S. Petri, Protonotarii non participantes, quorum non nulli nihil percipiunt, non nulli habent tantummodo ſuorum officiorum emolumenta, inter Familiares Papæ ad effectum reſervationis beneficiorum adſcripti ſunt ex diſpoſitione horum *Canonum*.

Deinde etiam per hypotheſim admiſſo, quod pro familiaritate Papæ conſequenda requirantur Mens, & Dens, ſeu ſervitium, & ſalarium, nihilominus tamen in præſentiarum utrumque concurrit; Su-
10 pradictus namque Familiaris Papæ inſervit ipſi Papæ; & vivit expenſis Papæ. Unde defunctus, qui inſerviebat huic Familiari, & vivebat expenſis illius, dicitur ſaltèm mediatè ſervitium præſtitiſſe Papæ, & vixiſſe expenſis Papæ; quod ſervitium, & ſalarium mediatè præſtitum à Papa, ſufficit ad conſtituendum Familiarem Familiaris Papæ, Familiarem etiam ipſiuſmet Papæ: ad effectum, ut illius beneficia cadant ſub reſervatione, ratione Familiaritatis, ut expreſsè tuentur *Simonett. de reſervat. Benef. quæſt.* 35. *nu.* 11. *Lotter. de re benef. lib.*2. *qu.* 32. *n.*6. ibi = *Et alterum, quod eidem reſervationi ſubjaceant beneficia Familiarium eorumdem Officialium, licèt enim non poſſint videri tales Familiares Officialium, propriè, & immediatè Familiares ipſius Papæ &c. à jure tamen non abhorret, eos tales eſſe mediatè, atque (ut ita dixerim) quaſi Familiares, ex reflexione ſervitii, quod præſtant propriis Dominis in ſervitium ipſius Papæ* = *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 57. *nu.* 107. ibi = *Procedit in Familiaribus Familiarium habentibus partem, ſeu expenſas ab ipſo Papa, quia ſerviendo Familiaribus Papæ dicuntur illi ſervire* = Imò, ut ex-
11 preſsè docet *Garz. de benef. par.* 5. *cap.*1. §.5. *n.*209. ſunt reſervata S. Sedi ex capite Familiaritatis, etiam ea Beneficia Patronalia, ad quæ Familiaris habet jus ad rem irrevocabiliter per præſentationem Patroni Eccleſiaſtici, etiamſi non habeat illorum poſſeſſionem.

12 Nota hìc, quo ad beneficia Germaniæ, quod iſta, ad hoc, ut ſint affecta Sedi Apoſtolicæ ratione Familiaritatis, requirant, quod Familiaritas ſit vera, non verò quod ſit acquiſita ex privilegio, & per modum fictum, ut eſſet illa acquiſita ratione Protonotariatus, qui non eſſet de illis ſeptem participantibus, aut ratione Conclaviſtæ; ea ratione, quia Nicolaus V. in ejus Bulla ſuper concordatis Germaniæ edita exceptuavit Beneficia dumtaxat *verorum Commenſalium*, ut noviſſimè declaratum fuit à S. Rota in *Monaſterien. Decanatus* 17. *Junii* 1718. §. *Excluſa coram R.P.D.Foſcaro*; quæ ita ſe habet.

R. P. D. FOSCARO

Monaſterien. Decanatus.

Mercurii 17. *Junii* 1718.

EX duplici titulo, altero nempè, quod Decanatus Collegiatæ Eccleſiæ S.Remigii Oppidi Borcken. tanquam prima Dignitas caderet ſub reſervatione *Regulæ* 4. *Cancellariæ*; Altero verò, quod eſſet affectus S. Sedi utpotè vacans per obitum Joannis Ludgeri Protonotarii, & Conclaviſtæ. Gaſpar de Callembergh illum à Sanctiſſimo Domino impetraverat, & ſucceſſivè Literarum Apoſtolicarum executionem reportaverat. Verùm cauſa mihi in gradu appellationis ad inſtantiam Melchiorris Theodori Wiedembruck in partibus à Celſiſſimo Mo-

naſte.

naſterien. Epiſcopo Proviſi, delegata cum clauſula *Parito literis arbitrio Rotæ* = dedi dubium = *An intraret arbitrium pro retardatione literarum Apoſtolicarum, ſeu potius Decanatus adjudicandus eſſet Melchiorri* = compertaque per DD. meos inſubſiſtentia utriuſque fundamenti per Gaſparem ad obtinendam collationem expoſiti reſponſum fuit = *Intrare arbitrium, & Decanatum adjudicandum eſſet Melchiorri* = cum jus ad cujus trami-
13 tes regulari debet arbitrium *Gloſſ. in l. qualem verb. videtur ff. de recept. arbitr. Rot. in recent. dec.73. num.1. & in Cracovien. Parochialis 4. Februarii 1705. §.Cum enim coram bon. mem.Caſſarello.* Executioni demandari non ſinat literas, quatenus ab Impetrante non verificarentur expreſſiones illæ, quæ Summum Pontificem ad collationis actum impulerant *cap. ad audientiam il 2., ibique Abb.num.5.Felin.n.22. de reſcript. Garz. de benefic. par.5. cap.3. num.3. Rot. coram Otthoboni. dec.132. n.4. in recent. dec.148. num.12. par.19. & in Leodien.Canonicatus die 23. Januar.1711. §. Arbitrium enim coram Eminentiſſimo Scotto.*

Et quidem probatum dici non poterat, quod Decanatus foret prima Dignitas
14 ejuſdem Collegiatæ Eccleſiæ, dum oppoſitum potiùs, eam ſcilicet eſſe ſecundam, convincebatur, tùm ab actu hujus Eccleſiæ erectionis in Collegiatam, in quo Executor in Bulla ſan. me. Eugenii IV. deſignatus pro prima, & principali dignitate, ac tanquam Præpoſitum conſtituit Archidiaconum, & pro ſecunda Decanum, quo ſtante ſuperflua dici poſſent cætera omnia argumenta hujus aſſumpti comprobativa, ut in ſpecie probat *Lotther. de re benefic. lib.2. quæſt.33. num.31.* Tùm ab actibus juriſdictionalibus & præeminentialibus per Archidiaconos ſemper, & pacificè exercitis, ut teſtantur Vicarius Generalis, Monaſterien., & Magiſtratus, Senatuſque Borcken.; Unde optima quoque deſcendit primæ Dignitatis probatio, ut quoad Juriſdictionem *Archidiac. in cap.1. n.2. de conſuet. lib.6. Fagnan. in cap. ad hæc de præbend. nu.34. & ſeqq. Lotther. de re benefic. lib.2. quæſt.33. num.53. Rot. deciſ.9. de præbend. in noviſſ.* & quoad præeminentiam *Fagnan. loc. cit. n.32. Lotther. dicto cap.33. num.50. Adden. ad Ludoviſ. dec.411. ſub n.5. Grammatic. dec.64. n.20. & ſeqq. Panimoll. dec.1. adnot.6. num.33. Rot. coram Bich. deciſion.312. numer.16.* Tum denique ex electionibus Decanorum cum ſucceſſiva Ordinarii approbatione continuò à Capitulo expletis à tempore erectionis ad præſens, quæ utique non eveniſſent ſi Decanus primam Dignitatem in Collegiata obtineret, ut ad rem ponderant *Garz. de Benefic. par.5. cap.5. nu.262. Mandoſ. ad regul.3.Cancell. quæſt.3. ſub n.2. Barboſ. de Canon. & dignit. cap.13. nu.56. Card. de Luc. de Benefic. diſc.13. nu.3. Rot. in recent. dec.633. nu.2. & 3. part.4. tom.3. dec.143. num.2. part.7. dec.49. n.6. & dec.299. n.13. p.10. dec.476. n.3. par.18. & dec.566. num.13. par.19.*

Quinimmò cum ex hiſce electionibus, ac etiam ex eo, quod Sedes Apoſtolica nunquam ex hoc capite Decanatum contulerit, quamvis non deerint, qui illum ex aliis reſervationibus impetraverint, ut patebat ex deciſionibus editis in *Monaſterien. Decanatus 18. Junii 1706. coram R.P.D. meo Lancetta; 26. Aprilis 1709. coram bon. me. Caſſarello, & 13. Januarii 1710. coram eodem*, necnon à ſuperius enunciatis actibus præeminentiam, & Superioritatem denotantibus, incontrovertibile reddatur Decanatum non reperiri de præſenti in ſtatu, & figura primæ Dignitatis, ſed tamen eſſe inferiorem Archidiaconatui; hinc abſque ulteriori
15 indagine, inexequibilis remanebat gratia per Gaſparem reportata, cum ea, quæ circa Beneficiorum qualitatem, & differentiam Summo Pontifici exponuntur juſtificanda ſint juxta ſtatum vigentem de tempore impetrationis, *Lotther. de re benefic. lib.2. quæſt.45. n.1. & ſeqq. Rot. coram Bich. dec.312. n.18. in Leodien. Canonicatus 23. Januarii 1711. §. Arbitrium coram Eminentiſſimo Scotto, & in Oſnaburgen. Canonicatus 26. Februarii 1717. §. Numerando coram eodem.*

Proptereaque inutiliter objiciebatur, quod ſan. me. Eugenius IV. in Bulla Erectionis mandaverit *Rectoriam, ſeu Plebanatum nominandam, & cenſendam pro Prælato, qui Capitulo, & perſonis ipſius erigendæ Eccleſiæ præſit, & præſideat &c.* quodque de facto Executor de anno 1433. di-

dictam Rectoriam, ſeu Plebanatum in Dignitatem erexerit; Nam quatenus exindè contendebatur, Executorem nequiviſſe impoſterum de anno ſcilicet 1439. in præjudicium Juris Rectori jam quæſiti inſtituere pro prima Dignitate Archidiaconatum, & pro ſecunda Decanatum ab ipſo Rectore obtinendum, objectum penitùs irrelevans convincebatur nedum quia Summus Pontifex circa Dignitatis erectionem non ſimpliciter diſpoſuerat, ſed etiam totaliter Executoris arbitrio remiſerat ibi = *prout tibi melius, & utilius videbitur* = unde evenit, quod idem Executor licet de anno 1433. Plebanatum erexerit in Dignitatem, & tamen nullam aſſignaverit denominationem, aut præeminentiam uſque ad annum 1439. quo novis ſupervenientis Literis Apoſtolicis ampliores facultates præſeferentibus, & omnia per Executorem tam facta, quàm facienda confirmantibus. Reaſſumpta, & concluſa extitit erectionis executio, demandatumque fuit inter cætera, quod Archidiaconus primam, & principalem obtineret dignitatem; ſecundam verò Decanus; qua retenta facti ſerie, quemadmodùm pro perfecta executione accipi nequiverat actus anni 1433., qui pleniorem requirebat declarationem, & concluſionem ad tradita per *Tondut. de penſionib. quæſt.*49. *num.*23. *Pariſ. de reſignat. lib.*1. *q.*12. *nu.*25. *Gigas de penſion. quæſt.*9. *Roſ. de execut. liter. Apoſtolic. cap.*9. *ſub n.*18., ex quo præterea nullum Plebano circa præeminentiam dici poterat jus quæſitum, cum tunc Executor nihil de ea diſpoſuerit, ſed proviſiones, & ordinationes ſibi impoſterum reſervaverit, ut firmant *Tondut. reſolut. benefic. par.*2. *cap.*4. §.2. *n.*10. quem ſequitur *Roſ. de Executor. Liter. Apoſtol. cap.*4. *n.*24. ita actus anni 1439. de ultroneitate redargui non poterat, utpotè geſtus continuativè ad actum anni 1433. & in Complementum, & terminationem executionis tunc temporis inchoatæ, ut ad propoſitum animadvertit *Roſ. mox cit. par.*1. *cap.*9. *n.*34. *Rot. coram Coccin. deciſ.* 1721. *n.*42. *coram Peutinger. dec.*198. *n.*9. *& in Baren. Beneficii* 12. *Decembris* 1712. §. *Quin revocari valeat verſ. ſive quia actus coram Reverendiſſimo Aldrovando*, junctis præſertim novis Literis Apoſtolicis, quæ in omnem caſum pro ulteriori executionis proceſſu illius juriſdictionem inſtauraſſent, *Butr. in cap. inter dilectos ſub num.*13. *de fid. inſtrum. Rebuff. in concord. in rubr. de prorog. dilat. verſ. item Juriſdictio Card. de Luca de alienat. d. ſc.*23. *ſub n.*6. *&* 7. *Rot. in rec. dec.*180. *num.*21. *& ſeq. p.*18.

Verùm etiam, & fortius quia cùm omnia per Executorem de anno 1439. de-
16 mandata plenarium, & pacificum ſortita fuiſſent effectum, adeòut nemo unquam reclamaverit, irritus nunc reddebatur conatus revocandi in diſcrimen ejus facultates, & ſub ſpecie ſanioris intelligentiæ revolvendi, pervertendique quidquid vetuſtiſſima, & conſtans obſervantia probaverat, cùm hæc præciſivè etiam à vi præſcriptiva in linea ſaltèm interpretativa ſuperlativum præbeat argumentum, quod non diſſimilis extitiſſet intentio Summi Pontificis, licèt per hypotheſim contrarius intellectus verior de Jure cenſeri poſſet, *Rot. in rec. dec.*144. *n.*5. *& ſeqq. par.*14. *& in Romana Juriſpatronatus* 14. *Decembris* 1705. *in fine coram Reverendiſſimo Molines*.

Nec contrarium ſuaderi poterat, ex quo Archidiaconus nullos haberet redditus, nec ſtallum in Choro, aut vocem
17 in Capitulo. Nam ſimplex fides per Gaſparem ad horum probationem exhibita ultrà propriam irrelevantiam *Bald. in leg.*1. *n.*16. *Cod. de ſerv. fugit. Rot. coram Celſo dec.*280. *n.*4. *& in Bononien. Societatis* 14. *Martii* 1707. §. *Non attento coram bon. mem. Omanna*, penitùs ſubverſa remanſerat ex contrariis documentis per Melchiorrem productis diſtinctè referen-
18 tibus redditus Archidiaconales, illiuſque præeminentiam in Choro, & cæteris Functionibus Eccleſiaſticis, quæ ſanè præponderant, utpotè procedentia à Vicario Generali, & Magiſtratu Borcken., quibus ratione officii, & dignitatis magìs deferendum eſt, *Rot. cor. Emer. Junior. dec.*880. *num.*1. *in Neapolitana Jurium Parochialium* 3. *Martii* 1711. §. *Agnoverunt cor. Reverendiſſimo Decano, & in Sutrina Præcedentiæ* 19. *Febr.*1714. §. *Hujus autem cor. R. P. D. meo Criſpo*.

Multoque minùs ab Archidiacono excludebatur qualitas primæ Dignitatis, ex quo ipſe eſſet Canonicus Cathedralis Mo-

Monaſterien., vel demùm ex eo, quòd Sedes Apoſtolica nunquam Archidiaconatum contulerit, prout contuliſſet, ſi eſſet prima Collegiatæ dignitas; Namque ad primam objecti partem ſatisfecit reſponſio, quod in Jure non repugnat, Canonicum Cathedralis retinere etiam primam dignitatem in Collegiata, ut punctualiter tradunt *Gonzal. ad regul.8. Cancell. gloſſ.10. num.28. & gloſ.51. num.55. Garz. de benefic. par.4. cap.1. n.260. Lotther. de re benefic. lib.2. q.33. num.22. & ſeqq.*, *Rot. coram Bich. dec.312. à num.33.* Et quoad defectum Collationum Apoſtolicarum Domini cenſuerunt exindè certam non deſcendere probationem excluſivam primæ dignitatis, cum id contingere valuiſſet ex tenuitate reddituum non excedentium flor.10., qua ſtante, locum non habet reſervatio regulæ 4. ut teſtatur *Rot. in recent. dec.236. n.1. part.7. coram Otthobon. dec.240. n.29. & in Urgellen. Canonicatus 4. Maji 1703. §. Neque in hoc coram bo. mem. Kaunitz.*

Excluſa hinc reſervatione petita ex qualitate Beneficii eo minùs ſuſtineri
20 poterat impetratio, ex qua Joannes Ludgerus præcedens Poſſeſſor Decanatus fuiſſet Protonotarius Apoſtolicus, & Conclaviſta. Protonotarius enim, niſi ſit de illis ſeptem participantibus, affectionem in Beneficiis Germaniæ minimè inducit, ut clarè diſponitur in concordatis de quibus in ſpecie *Fabr. de Protonot. cap.12. num.20. Franceſin. variar. reſolut. cap.3. num.21. Lotther. de re benefic. lib.2. quæſt.28. num.65. & ſeq. Rot. coram Martino Andrea dec.100. num.5. & per tot. deciſ.303. part.2. diverſ. & in Leodien. Canonicatus 14. Martii 1710. §. Nec etiam coram R. P. D. meo Falconerio*; Idemque procedit quoad Conclaviſtas; Nam licèt hi dicantur familiares, & Commenſales Summi Pontificis *Gomez ad regul. de impetran. Benefic. vacan. per obit. Famil. Card. q.13. n.1. Rot. cor. Coccin. dec.1060. n.6.* Hæc tamen familiaritas, & commenſalitas acquiritur ex privilegio, & per modum fictum, ut omiſſis generalibus, probant in puncto *Tondut. quæſt. Benefic. part.2. cap.3. §.3. n.15.* Quamobrem cum in Bulla Nicolai V. edita ſuper concordatis Germaniæ exceptuata legantur Beneficia dumtaxat *verorum Commenſalium, & aliorum 24. Cappellanorum in Epitaphio deſcriptorum* = hinc comprehenſa dici non poſſunt Beneficia poſſeſſa per Conclaviſtas, qui &ſi ad alios effectus dici valerent Commenſales, & Familiares Papæ, verè tamen tales non ſunt, prout requireretur ad effectum, ut reſervata dicantur Beneficia Germaniæ, ut probant in terminis Concordatorum *Gonzal. ad regul.8. Cancell. Gloſſ.25. num.22. & gloſſ.51. n.26. & 27. Rot. coram Seraphin. dec.1251. n.18. & 19. & dec.303. num.2. & 3. part.2. diverſ. & in dicta Leodien. Canonicatus 14. Martii 1710. coram R. P. D. Falconerio §. Nec etiam.*

Probata ex his ſubreptione, & inexequibilitate literarum per Gaſparem ob-
21 tentarum, optimo Jure deſcendendo ad ſecundam dubii partem concluſum fuit, Decanatum adjudicandum eſſe Melchiorri, qui Collationem reportaverat à Celſiſſimo Epiſcopo, cui effluxo jam ſemeſtre, intrà quod ad Capitulum ſpectabat electio, libera, & plena devoluta fuit facultas conferendi *Garz. de benefic. part.7. cap.15. num.10. Card. de Luc. de Jurepatron. diſcurſ.84. num.4. Rot. in Hydruntina Cappellaniæ 10. Maji 1697. §. Neque obſtat coram Reverendiſſimo Conchen. & in Leodien. Paſtoratus, ſeu Vicariæ Sancti Phoillani 13. Maji proximè præteriti §. Primo coram me.*

Et ita utraque &c.

CA-

CANON VII.

PAULUS IV. Conſtit. XIV. §. 2.; *&* 4. *Bull. Rom. Tom.* 1.

POſtquam Divina Bonitas: *Et infra*: Quamobrem conſiderantes, Apoſtatas hujuſmodi infinitis erroribus in eadem Dei Eccleſia cauſam præſtare, & propterea volentes contra Apoſtaſiam ipſam pleniùs providere, & eam, quantum nobis ex alto conceditur, de medio tollere, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulos, qui poſt profeſſionem per eos in ætate legitima conſtitutos, in aliquo approbato, etiam militari ordine purè, & liberè emiſſam, vel ſi antè ætatem legitimam profeſſi fuerint, poſt illam per eos in ipſa ætate legitima conſtitutos purè, & liberè ratam, & gratam habitam, temeritate propria, aut quovis prætextu, vel cauſa, etiamſi ſe Religioni, & Ordini non adſtrictos eſſe ſinè Cauſæ cognitione, & his, quæ à Jure requiruntur ſervari, omiſſis, vel non legitimè probatis, declarari obtinuerit, aut Beneficium Eccleſiaſticum etiam Curatum, non præcedente legitima diſpenſatione, poſſideant, vel alicui Beneficio Eccleſiaſtico etiam Curato alterius nomine deſerviant, extra Clauſtra ſuorum Regularium Locorum degunt, aut impoſterum degent, omnibus, & ſingulis Beneficiis Eccleſiaſticis cum cura, & ſinè cura ſæcularibus, aut ſui, vel cujusvis Ordinis Regularibus, per eos quomodolibet obtentis, & de cætero obtinen., cujuſcumque qualitatis fuerint, ac Fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis, eis quomodolibet reſervatis, ſeu aſſignatis, nec non Bachalariatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magiſterii, ac quibusvis aliis Jure Canonico, vel Civili, aut Theologia, ſeu Medicina, vel Artibus, aut quavis alia Facultate, gradibus, per eos etiam antequam Religionem ingrederentur, obtentis, ſeu aſſecutis, nec non quocumque miniſterio Eccleſiaſtico, Apoſtolica Autho- Ann. 1558.

thoritate, tenore præſentium penitùs, & omninò privamus, ac ad illa, & alia quæcumque, & qualiacumque in poſterum obtinenda, ſeu Fructus, Redditus, & Proventus Eccleſiaſticos percipiendos, aut gradus aſſequendos perpetuò inhabilitamus, & ab executione quorumcumque, Eccleſiaſticorum, etiam ſacrorum, & præſertim Presbyteratus Ordinum, nec non omni miniſterio Eccleſiaſtico prædicto perpetuò ſuſpendimus, privatoſque, & inhabiles ac ſuſpenſos eſſe; necnon Beneficia ipſa de Jure, & de facto, etiam ad hoc, ut eorum Ordinarii Collatores ea aliis liberè conferre poſſint, et niſi ea infra tempus à Lateran. Concilio ſtatutum contulerint, Collatio Beneficiorum eorumdem ad immediatum illorum ſuperiorem, & demùm ad nos, ac pro tempore exiſtentem Rom. Pontificem devolvatur. Patroni quoque eorumdem Beneficiorum perſonas idoneas infra tempus à Jure ſtatutum ad ipſa Beneficia præſentare poſſint, & niſi præſentaverint, eorum libera Collatio ad Ordinarium ſpectet, & pertineat, vacare, ac Reſervationes Fructuum, Reddituum, & Proventuum hujuſmodi expirare decernimus: *Et infra*. Et ſi Patroni alicujus Beneficii Eccleſiaſtici, ſive ſint Laici, ſive Clerici, aliquem ex eiſdem Apoſtatis ad Beneficium de eorum Jurepatronatus exiſtens tunc vacans præſentaverint, præſentationes hujuſmodi ſint eo ipſo nullæ, irritæ, & inanes, ac viribus careant, & ipſi Patroni Jure præſentandi alios ad eadem Beneficia pro ea vice tantùm, privati exiſtant.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

Prima = Per Apostasiam Beneficiati vacat Beneficium, et Patronus intra terminum juris debet Personam idoneam ad illud præsentare =

Secunda = Præsentatio Apostatæ ad Beneficium de Jurepatronatus est nulla, et Patronus pro ea vice privatur Jurepræsentandi = Quas concluſiones approbant etiam *Lambertin. de jurepat. lib.2. par.1. q.9. art.9. num.3. Vivian. eod. tract. par.2. lib.6. cap.5. n.73.*

n.73. Card. de Luc. de benef. diſc.75. n.17. Gonzal. ad regul.8. Cancell. gloſſ.15. num.66. Garz. de benef. par.11. cap.10. n.147. Tamburin. de jure Abbat. tom.3. diſp.9. quæſt.7. n.3. Rot. dec.195. n.1. p.4. tom.2. rec.

1 Triplicem Apoſtaſiæ ſpeciem diſtinguit *Gloſſ. in cap.1. de Apoſtatis verb. Apoſtaſia.* Alia eſt Apoſtaſia à Fide Catholica quæ eſt omnimodus receſſus à Fide; Alia à præcepto, quæ eſt inobedientia, ſeu quando quis Præceptum majoris ſui ſpontanea voluntate tranſgreditur; Alia à Religione, quæ eſt receſſus à Religione, & obedientia Prælati proprii cum animo deſerendi omnino Inſtitutum, & non redeundi amplius ad Religionem, ſive habitum retinendo, ſive illum abjiciendo. De hac tertia Apoſtaſiæ ſpecie loquitur hic *Canon*, adeòut Paulus Quartus agnoſcens Apoſtaſiam à ſtatu Religioſo ſordere labe ſacrilegii, & conculcationis primæ Fidei Chriſto datæ, ineundo ſtatum Religioſum, variorum etiam peccatorum colluviem ſecum continere, & peccatum adeò tetrum, & horrendum eſſe, ut vix hæreſi excepta, aliud majus ſit, quantum fieri poteſt, monſtrum hoc de medio tollere volens ultrà pœnas excommunicationis, & infamiæ à jure ſtatutas contrà hujuſmodi Apoſtatas, impoſuit etiam illis in hoc *Canone* pœnam privationis beneficiorum jam aſſecutorum, injungendo Patronis alias Perſonas idoneas ad illa infra terminum à jure præfixum præſentare, ac pœnam inhabilitatis ad alia beneficia aſſequenda, prohibendo Patronis eoſdem Apoſtatas ad illa præſentari ſub pœna non ſolùm nullitatis præſentationis, verùm etiam privationis Juris præſentandi pro ea vice. Quæ conſtitutio Pauli IV. licet deinde modificata fuerit à Pio IV. in ejus *Conſtit. incipien. Sedis Apoſtolicæ, de qua Bullar. Rom. nov. tom.2. in ordin. la* 3. tamen quoad has penas ſuum retinet robur. *Roderic. quæſt. regal. tom.1. quæſt.3. art.4.*

Quoad has concluſiones ſequens examinatur Caſus.

ARGUMENTUM.

Præſentatus ad beneficium, ſi ei objiciatur Crimen Apoſtaſiæ, an ſit repellendus ab Inſtitutione, & Patronus debeat privari pro ea vice Juræpreſentandi.

SUMMARIUM.

1 *Profeſſus egreſſus è Religione tamquam Apoſtata, eſt indignus beneficiorum, & ſi præſentetur à Patrono, iſte eſt privandus pro ea vice jurepræſentandi.*

2 *Profeſſio emiſſa ex ſuaſionibus, & ſollicitationibus Genitorum, non dicitur emiſſa per vim, & metum.*

3 *Profeſſio tacita ex quibus inducatur.*

4 *Præſentatus ſi eſt in longa, & pacifica poſſeſſione Clerici ſæcularis colorata ex ſententia Epiſcopi ſuper nullitate ſuæ Profeſſionis, non eſt repellendus à beneficio, neque Patronus eſt privandus pro ea vice jurepræſentandi.*

5 *Dans de Apoſtaſia ad effectum repellendi Præſentatum à conſecutione beneficii Patronalis, quid teneatur probare.*

6 *Profeſſio quando dicatur nulla?* Vide ibi.

7 *Tacita profeſſio, ex quibus excludatur?* Vide ibi.

8 *Receſſus è Religione habens originem à ſententia declaratoria nullitatis Profeſſionis non dicitur temerarius.*

9 *Apoſtatæ ſi convertantur, & redeant an poſſint præſentari, & obtineri beneficia ſuarum Religionum?*

10 *An fugitivus à Religione ſit eo ipſo privatus beneficio, ita ut Patronus poſſit ad illud aliam Perſonam præſentare.*

CASUS UNICUS.

VAcato Beneficio A de jurepatronatus, fuit ad illud præſentatus à Patrono quidam Clericus conſtitutus in ordine ſubdiaconali; è contra idem beneficium fuit à quodam Sacerdote impetratum in Dataria Apoſtolica, ex capite Apoſtaſiæ, & incapacitatis ejuſdem Præſentati, ſeu ſub narrativa, quod iſte fuiſſet profeſſus in quadam Religione, & ex ea egreſſus, & ſic crimini Apoſtaſiæ eſſet obnoxius. Quæritur in hoc caſu, an Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, adeòut præſentatus ſit repellendus ab inſtitutione,

ne, & Patronus pro ea vice privari debeat jurepræſentandi.

Affirmativè reſpondendum videtur,
1 quia cùm præſentatus multis ab hinc annis ingreſſus fuerit Religionem, & ibi Profeſſionem emiſerit, recedendo ſucceſſivè ab ea, tamquam Apoſtata eſt indignus beneficiorum; & Patronus eum præſentando dignus eſt, ut pro ea vice privetur Jurepræſentandi ex diſpoſitione hujus *Canonis*.

Nec ab hujuſmodi Apoſtaſiæ crimine
2 ipſe excuſari poſſe videtur, ſi dicatur, quod Profeſſionem emiſerit per vim, & metum cadentem in coſtantem virum; De hoc enim non conſtat, dum recognitis depoſitionibus Teſtium per dictum Præſentatum allatis, ex eis ſolùm apparet de importunis ſuaſionibus, & ſollicitationibus Genitorum, quæ non ſunt ſufficientes ad incutiendum vim, & metum cadentem in conſtantem virum, uti eſt neceſſarium ad effectum inducendi nullitatem Profeſſionis, & obtinendi reſtitutionem in integrum adverſus lapſum quinquennii. *Fagnan. in cap. Perlatum de his, quæ vi met. cauſ. fiunt n.*14. & pluries reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii, præſertim in *Venetiarum, ſeu Brixien. Reſtitutionis in integrum* 7. *Febr.* 1711 *Tuſculana reſtitutionis in integrum* 19. *Auguſti* 1713. *Patavina reſtitutionis in integrum* 12. *Januar.* 1715., *& in Bononien. reſtitutionis in integrum* 18. *Maji* 1715. *& in Biſuntina Reſtitutionis in integrum* 12. *Febr.* 1718.

Et etiam omiſſo quod Profeſſio fuerit
3 ab eodem Præſentato emiſſa per vim, & metum, adhuc videtur negari non poſſe, quod ſaltèm tacitè illam ratificaverit, quia non apparet eum reclamaſſe intrà quinquennium. *Fagnan. d. cap. Perlatum n.*40. *&* 47. Fortiùs diceretur eam tacitè ratificaſſe, ſi ordinem ſubdiaconatus, quem Præſentatus habet, ſuſcipiſſet in Religione ad Titulum Paupertatis. *Lezzan. in ſumm. verb. Profeſſio Regularis n.*4. *Barboſ. de jur. Eccleſ. lib.*1. *cap.*42. *n.*167. & ſentiit Sac. Cong. Concilii in *Lucana Reſtitutionis in integrum* 13. *Julii* 1715. Aut ſi exercuiſſet onera Profeſſis convenientia *eadem S. Cong. in S. Miniati reſtitutionis in integrum* 13. *Maji* 1713.

Hoc tamen non obſtante cenſeo in
4 hoc caſu Præſentatum non eſſe ab inſtitutione repellendum, nec Patronum eſſe privandum pro ea vice jurepræſentandi, & conſequenter Literas Apoſtolicas non eſſe exequendas. Etenim ſæpèdictus Præſentatus à Patrono erat in longa, & pacifica poſſeſſione Clerici ſæcularis, colorata ex ſententia Epiſcopi ſuper nullitate ſuæ Profeſſionis, unde ipſe inſtituendus venit in Beneficio, ad quod fuit præſentatus, cum egreſſus è Religione coloratus, & excuſabilis ſuffragatur ad effectum excuſandi ab Apoſtaſiæ crimine, aliiſque pœnis pro illo inflictis. *Card. de Luc. de benef. diſc.*75. *n.*18., & Patronus, qui prudenter exiſtimavit eum Clericum ſæcularem, non vero Regularem, propria auctoritate è Religione egreſſum, illum præſentando nullam culpam commiſit, ratione cujus dignus ſit privatione juriſpræſentandi pro ea vice. Unde Proviſus Apoſtolicus, qui in hoc caſu dat de Apoſtaſia, ad effectum repellendi dictum Præſentatum à conſecutione beneficii patronalis, tenetur concludenter proba-
5 re Profeſſionem validam, & temerarium receſſum Præſentati è Religione; ut in terminis reſolutum fuit à *S. Rota dec.*195. *n.*6. *p.*4. *tom.*2. *rec.*

Tantùm autem abeſt, quod in præſentiarum probetur à Proviſo Apoſtolico utrumque requiſitum, ut potius conſtet contrarium, nimirùm Profeſſionem, quam olim emiſit idem præſentatus, fuiſſe
6 nullam; dum revolutis depoſitionibus Teſtium tunc coram proprio Ordinario allatorum, iſti non ſolum deponunt de importunis ſuaſionibus, & ſollicitationibus Genitorum, ſed etiam teſtantur eundem Præſentatum fuiſſe clauſum in arcto cubiculo, fuiſſe verberatum uſque ad effuſionem ſanguinis, ac ejus Patrem in ipſum ſtricto pugione irruiſſe, ad hunc effectum, ut dictus Præſentatus profeſſionem emitteret; Quibus depoſitionibus Teſtium acceſſit etiam confeſſio proprii Patris, qui in ultima ſenectute, conſcientiæ angoribus ſtimulatus, atteſtationem jurè jurando exhibuit ſuper coacta Filii Profeſſione, cujus conſenſum extorſiſſe inquit ſub verberibus, carceratione, aliiſque perverſitatibus; Novitiatus quoque tempore, minacibus Epiſtolis eum in Religione continuiſſe, ac

bi-

biduo ante Profeſſionem minas mortis replicaſſe ſubdit; Et conſequenter conſtat ejus Profeſſionem fuiſſe nullam, utpotè emiſſam per vim, & metum cadentem in conſtantem virum. *Fagnan. in cap. Nullus de Regul. n.22. & in cap. Perlatum n.3. & ſeqq. de his, quæ vi met. cauſ. fiunt. Pignattell. conſult.173. n.9. tom.9.*, & his circumſtantiis attentis declaravit Sac. Cong. Concilii in *Agrigentina reſtitutionis in integrum 25. Januar. 1716. Peruſina nullitatis Profeſſionis 8. Auguſti 1716. Syracuſana reſtitutionis in integrum 5. Septembris 1716. & in Mantuana nullitatis Profeſſionis 27. Febr. 1717.*

Teſtantur etiam de continuis reclamationibus, & querelis ejuſdem Præſentati tam ante, quàm poſt Profeſſionem, & tam intrà, quàm extra quinquennium, de ejus horrore, ac animi averſione erga Religionem, & quod nullum actum Profeſſis convenientem exercuerit, quæ continuatæ querimoniæ clarè demonſtrant ipſius coactam voluntatem, & ex eis excluditur tacita Profeſſio, quæ ad ſui eſſentiam requirit conſenſum Profitentis ſe aſtringendi votis: *ad Text. in cap.2. & cap. cum virum de Regul. Fagnan. in cap. Quanto de translat. Epiſcop. n.104. Pignattell. conſult.173. n.29. & ſeqq. tom.9. & conſult.76. n.5. & 7. tom.10. Card. de Luc. de Regul. diſc.45. n.5. Dominus meus Advocat. Urſaya in ſuis diſceptationibus par.1. diſcept.1. n.10. Rot. dec.14. n.12. poſt Monacell. par.2. & dec.579. n.3. p.1. rec. & dec.9. n.25. & ſeq. coram Arguell.* Ceſſat etiam alterum requiſitum, temerarii
8 delicet receſſus, ex ſententia Ordinarii declaratoria nullitatis Profeſſionis, ex qua juſtiſſimam cauſam habuit credendi ſe poſſe è Religione exire, quæ juſta cauſa eum excuſat ab Apoſtaſia juxta *Navar. conſ.1. ſub n.4. de Apoſtaſia Rot. d. dec.195. n.24. p.4. tom.2. rec.*

Quæro hic primo, an Apoſtatæ, ſi con-
9 vertantur, & redeant, poſſint præſentari, & obtinere beneficia ſuarum Religionum?

Affirmativam ſententiam tuentur *Lambertin. de jurepat. lib.2. par.1. q.9. art.9. n.6. Vivian. eodem tract. p.2. lib.6. cap.5. n.75.* Negativam verò defendere videtur *Gonzal. in cap. conſultationi de Apoſtatis n.6.* docens Apoſtatas etiam reſipiſcentes perpetuò inhabiles manere ad beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas, ea ratione, quia valdè conſentaneum eſt, ut hujuſmodi deſertores, & ſi riſipuerint à beneficiis, & dignitatibus Eccleſiaſticis arceantur, ut egregiè expreſſit S. Auguſtinus relatus à *Gratiano in cap. Legi 16. quæſt.1.*

Ego verò de jure communi primam ſententiam puto veriorem, ſi Apoſtatæ converſi humiliter precantur veniam, ſi dent bonum exemplum tum Pœnitentiæ, tum bonorum morum, & regularis obſervantiæ, quia tam ratio naturalis, quàm clementia Eccleſiæ, & Religionis expoſtulat, ut illi benignè recipiantur, & admittantur ad beneficia Religionis, niſi aliter diſponatur à conſtitutionibus, & ſtatutis Religionis, ut admittunt etiam *Lezzan. in ſumm. tom.1. cap.16. num.18. Tamburin. de Jure Abbat. tom.3. diſput.8. quæſt.9. n.4.*

Quæro ſecundò, an Fugitivus à Religione ſit eo ipſo privatus beneficio, itaut Patronus poſſit ad illud aliam Perſonam præſentare?

Reſpondeo negativè. Licèt enim omnis Apoſtata à Religione ſit etiam fugitivus, non tamen omnis fugitivus à Religione eſt Apoſtata. Siquidem Fugitivus dicitur ille, qui recedit à Monaſterio, & obedientia, atque ſubjectione proprii Prælati non animo tamen deſerendi Religionem, & manendi in ſæculo, ſive ad illud redeundi, ſed aliquandiu vagandi quocumque prætextu, ſive retento, ſive abjecto habitu. Apoſtata verò dicitur ille, qui recedit à Religione, & obedientia Prælati proprii cum animo deſerendi omnino inſtitutum, & non redeundi amplius ad Religionem, ut optimè conſiderat *Gonzal. in cap. Nè religioſi de regul. n.3.* Unde Fugitivus à Religione, cùm non ſit Apoſtata, non comprehenditur ſub diſpoſitione hujus *Canonis* infligentis Apoſtatis pœnam privationis beneficiorum, & injungentis Patronis præſentare Perſonas idoneas ad illa ſic per Apoſtaſiam vacantia, ut tradit *Tamburin. de jur. Abbat. tom.3. diſp.7. q.1. n.16.* ibi. = *Hinc eſt quòd pœnæ latæ in Bulla 14. Pauli IV. quæ incipit* Poſtquam divina bonitas, *contra Religioſos extra Clauſtra degentes, extenduntur tantùm ad Apoſtatas, non verò Fugitivos.*

CA-

CANON VIII.

PAULUS QUARTUS Conſtit. XIX. §. 4. Bull. Rom. Tom. 1.

Ann. 1559. CUm ex Apoſtolatus officio: *Et infrà*. Et qui Juſpatronatus, aut nominandi Perſonas idoneas ad Cathedrales, etiam Metropolitanas, & Patriarchales, Primatiales Eccleſias, ſeu Monaſteria, vel alia Beneficia Eccleſiaſtica, per privationem hujuſmodi (*nimirum ob hæreſim*) vacantia habere prætenderint, nè illa diutinæ vacationis exponantur incommodis, ſed de ſervitute Hæreticorum erepta Perſonis concedantur idoneis, quæ illarum Populos in ſemitas juſtitiæ fideliter dirigunt, teneantur ad Eccleſias, Monaſteria, & Beneficia hujuſmodi alias Perſonas idoneas infrà tempus à jure, vel ex eorum concordatis, ſeu compactatis cum dicta Sede initis ſtatutum, nobis, ſeu pro tempore exiſtenti Romano Pontifici præſentare, alioquin tempore hujuſmodi elapſo, plena, & libera Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum prædictorum diſpoſitio ad nos, & Romanum Pontificem prædictum, eo ipſo pleno jure devolvatur.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone hæc infertur concluſio.

PATRONUS AD BENEFICIUM PATRONALE PROPTER HÆRESIM BENEFICIATI VACANS, TENETUR INFRA LEGITIMA TEMPORA ALIAM PERSONAM IDONEAM ROMANO PONTIFICI PRÆSENTARE, ALIAS ELAPSO TERMINO PROVISIO BENEFICII OB HÆRESIM VACANTIS LIBERE DEVOLVITUR AD SEDEM APOSTOLICAM = Hanc concluſionem probant etiam omnes illæ auctoritates ſuperiùs relatæ. *Par. III. Can. unic. in Commentario*; ubi deductum fuit, vacato Beneficio Patronali, Patrono Eccleſiaſtico competere ſemeſtre, Laico verò quadrimeſtre ad præſentandum.

1 Nulla fuit tam barbara gens, quæ deſertores propriæ Religionis, & ejus violatores debitis non compeſceret pœnis, utì teſtatur Seneca *lib. 3. de benef. cap. 6.* ibi = *Violatarum Religionum alibi, atque alibi diverſa pœna eſt, ſed ubique aliqua* = Inter pœnas, quæ à Jure Canonico infliguntur, & imponuntur Hæreticis Fidei Catholicæ deſertoribus, & violatoribus; quod attinet ad noſtram materiam; non ſolùm eſt illa, quod Hæ-

2 retici ad Beneficia præſentari non poſſint; *Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 1. quæſt. 9. art. 6. nu. 1. Vivian. eodem tractat. par. 2. lib. 6. cap. 5. nu. 66.* Verum etiam, quod priventur omnibus Dignitatibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis; ita enim ſtatuitur in *cap. Ut commiſſi de Hæreticis in 6.* ibi = *Privandi propterea, vel privatos nuntiandi Dignitatibus, ac aliis Beneficiis Eccleſiaſticis, de Diœceſanorum, vel eis abſentibus, Vicariorum ſuorum conſilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuſcumque eoſdem hæreticos, credentes, receptatores,*

ptatores, *& defenſores ipſorum*, *eorumque filios*, *& nepotes*, *plenam concedimus facultatem* = Et à Nicolao III. in *ejus conſtit. la 2. Bull. vet. tom. 1. fol. 30.* ibi = *Hæretici autem*, *& receptatores*, *defenſores*, *& fautores eorum*, *ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem ad nullum Eccleſiaſticum Beneficium*, *ſeu officium admittantur*, *quod ſi ſecus actum fuerit*, *decernimus irritum*, *& inane*. *Nos enim prædictos ex nunc privamus beneficiis acquiſitis*, *volentes*, *ut tales*, *& habitis perpetuò careant*, *& ad alia ſimilia nequaquam in poſterum admittantur* = & tradunt *Garz. de benef. par.* 11. *cap.* 10. §. 1. *nu.* 59. *& ſeqq. Covarruv. var. reſol. lib. 2. cap. 8. nu. 4. Paſſerin. in dicto cap. Ut commiſſi de*
3 *Hæret. in 6.* Paulus IV. in hoc *Canone* confirmavit hujuſmodi pœnam privationis beneficiorum à jure impoſitam hæreticis; & ulteriùs reſervavit beneficia per hæreſim vacantia S. Sedi Apoſtolicæ, quæ reſervatio fuit etiam renovata à D. Pio V. in ejus Bulla *la 29.* & à Gregorio XIII. in ejus Bulla *la 66. Bullar. Rom. nov. tom. 2.* & inſuper injunxit Patronis, ut intrà legitima tempora, nimirùm intrà ſemeſtre, aut quadrimeſtre præſentarent ad illa Romano Pontifici Perſonas idoneas, aliàs libera eorum collatio devolvatur ad ipſum Pontificem, nè Beneficia ob hæreſim vacantia diutinæ vacationis exponantur incommodis.

Quo ad hanc concluſionem vide, quæ dixi dicta *Par. III. Can. unic.* ubi plura, quo ad terminum à jure præfixum Patronis ad præſentandum concernentia, examinavi.

C A N O N IX.

PIUS QUARTUS Conſtit. LXXXV. Bull. Rom. Tom. 2.

ROmanum Pontificem: *Et infrà*. Sanè licèt dudum, cùm certam ſimoniacæ pravitatis ſpeciem, quam Beneficiorum confidentiam vocant, etiam Romanæ Curiæ, atque adeò in Sacrum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegium, quaſi per Cuniculos irrepſiſſe, ac nonnullos ex ipſis Fratribus nimia quadam facilitate, ſeu potiùs importunis Amicorum, Familiarumque precibus adductos, Beneficia Eccleſiaſtica in confidentiam hujuſmodi recepiſſe, & frequenter recipere intelleximus, hanc illicitam beneficentiæ exercendæ, ſeu amicitiæ colendæ viam à tanto ſaltèm Collegio prorſus eliminare cupientes, eoſdem Fratres in Conſiſtorio noſtro ſecreto, non ſemel admonuerimus, huic aliena Beneficia cuſtodiendi modo nè aſſueſcerent, nevè illa hoc pacto reciperent, neque ſic recepta admitterent, nihilominus nuper ad aures noſtras pervenit eorum aliquos, monitionis noſtræ, imò potiùs ſuimet oblitos ea, quæ cuſtodienda acceperant Beneficia, nondum tamen dimiſiſſe; Et inſuper illos, & nonnullos alios etiam Patriarchas, & Archiepiſcopos, & alios Ann. 1564.

Epiſco-

Epiſcopos, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Eccleſias, Monaſteria, Dignitates, & alia Beneficia hujuſmodi in ſui favorem reſignata, ceſſa, vel aliàs dimiſſa acceptaſſe, aut de illis per obitum, vel aliàs vacantibus, à nobis, & Prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam ab Ordinariis, & aliis inferioribus Collatoribus, etiam ad Patronorum præſentationem, ad alterius commodum ſibi provideri obtinuiſſe, illaque, ac etiam alia aliter vacantia ſibi in titulum, Commendam, vel adminiſtrationem, aut alias dicta auctoritate conceſſa quandoque in reſignantium, vel cedentium, ſeu etiam aliorum favorem ceſſiſſe, vel aliàs dimiſiſſe. Ac ſibi propterea penſiones annuas, ac fructus, redditus, & proventus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum hujuſmodi, in toto, vel in parte, etiam aliquando, cum facultate illas, & illos transferendi, ac etiam collationem, proviſionem, præſentationem, & aliam diſpoſitionem Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad earumdem Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Dignitatum Prælatos pro tempore exiſtentes, ac alios hujuſmodi Beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, nec non regreſſus, ſive acceſſus, & ingreſſus ad Eccleſias etiam Cathedrales, Monaſteria, ac alia diverſa Beneficia Eccleſiaſtica, ſibi reſervari procuraſſe, & obtinuiſſe. *Et infrà*. Quare nos hanc Cardinalium eorumdem in monitionibus noſtris parendo injuriam, & tam illorum, quàm cæterorum Prælatorum, etiam Clericorum, ac aliorum quorumcumque indignam fallaciam, conniventibus oculis diutiùs minimè diſſimulandam, ſed huic errori, nè radices altiùs agat, occurrendum tandem eſſe cenſentes. *Et infrà*. Idcircò omnes, & ſingulas Eccleſias, etiam Metropolitanas, & aliàs Cathedrales, ac Monaſteria, etiam Conſiſtorialia, Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, Dignitates etiam majores, & principales, etiam Conventuales, Perſonatus, Adminiſtrationes, & officia, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſinè cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, etiam de Jurepatronatus, etiam

Laico-

Laicorum, etiam Nobilium, & Illuſtrium, etiam ex fundatione, & dotatione exiſtentia, per ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, etiam Epiſcopos, & Cardinales, & quoſcumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, & alios Epiſcopos, ac etiam ejuſdem Cameræ Clericos, in titulum, Commendam, vel adminiſtrationem, aut aliis in hujuſmodi confidentiam jure prohibitam, cujuſvis Perſonæ, ut præfertur, contemplatione, vel intuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem, & diſpoſitionem Nobis, & Sedi Apoſtolicæ harum ſerie reſervantes, ipſo jure à die receptionis eorumdem vacaviſſe, & vacare. Ac fructuum, & penſionum reſervationes, ac facultates transferendi, & collationis Beneficiorum, conceſſiones eis, ut præmittitur, factas, ac regreſſus, ſive acceſſus, & ingreſſus conceſſos hujuſmodi ceſſaſſe, & ceſſare, ac extinctos eſſe. *Et infrà*. Et inſuper univerſis, & ſingulis tam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, Cardinalibus, etiam Epiſcopis, quàm Prælatis, & Clericis, ac aliis prædictis præſentibus, et futuris, nè deinceps ullo umquam tempore aliquas Eccleſias, Monaſteria, Dignitates, vel alia Beneficia, etiam de dicto Jurepatronatus, utì præfertur, exiſtentia, aut fructus, vel penſiones, aut regreſſus, ſeu acceſſus in confidentiam prædictam, aut ad effectum reſervationum hujuſmodi, ſibi poſtmodum cedentibus procurandarum, recipere præſumant, Cardinalibus videlicet, et aliis Prælatis hujuſmodi in virtute ſanctæ obedientiæ, et ſub interdicti ingreſſus Ecclesiæ, reliquis verò ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, per contrafacientes eo ipſo incurrendâ, à quâ nisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, diſtrictius inhibemus. Ac quaſcumque collationes, provisiones, Præfectiones, Commendas, reſervationes, facultates etiam transferendi, ac regrediendi, sive accedendi, et ingrediendi, ac alias diſpoſitiones de Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, & aliis Beneficiis, eorumque fructibus, & Beneficiorum collationi-

bus, per nos, & alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, etiam motu proprio, ſeu Conſiſtorialiter, aut etiam per Ordinarios, & alios inferiores Collatores etiam ad Patronorum eorumdem præſentationem, & quomodolibet cum interventu Confidentiæ hujuſmodi expreſſè, ſive occultè, ac de jure præſumptò, & aliis contra præmiſſa pro tempore factas nullas, & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore, neque cuiquam ſuffragari; ſed Eccleſias, Monaſteria, Dignitates, ac alia Beneficia hujuſmodi ipſo jure vacare, ac noſtræ, & Sedi Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervata, fructuſque, & penſiones Cameræ Apoſtolicæ, applicatos (ut præfertur) eſſe, & cenſeri.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = BENEFICIA IN CONFIDENTIA RECEPTA, SIVE LIBERA, SIVE DE JUREPATRONATUS ETIAM LAICORUM, ET ETIAM NOBILIUM. ET ILLUSTRIUM IPSO JURE VACANT A DIE RECEPTIONIS, ET SUNT SEDI APOSTOLICÆ RESERVATA =

Secunda = PROHIBITUM EST RECIPERE BENEFICIA IN CONFIDENTIAM CARDINALIBUS, ALIISQUE PRÆLATIS IN VIRTUTE S. OBEDIENTIÆ, ET SUB POENA INTERDICTI INGRESSUS ECCLESIÆ, RELIQUIS VERO SUB POENA EXCOMMUNICATIONIS LATÆ SENTENTIÆ =

Tertia = COLLATIO, AUT ALIA PROVISIO BENEFICII FACTA ETIAM AD PATRONI PRÆSENTATIONEM CUM INTERVENTU CONFIDENTIÆ EST NULLA = Quas concluſiones confirmant etiam *Gabriel. conſ. 172. nu. 1. & ſeq. tom. 2. Pariſ. de Confidentiis beneficialibus quæſt. 7. per tot. & quæſt. 57. & 58.* & alibi, ubi plenè de hac materia confidentiarum tractatur. *Garz. de Benefic. par. 10. cap. 3. §. 2. num. 164. & ſeqq. Lotter. de re benef. lib. 3. quæſt. 29. nu. 105. & ſeqq. Nicolarts ad concordata Germaniæ dub. 1. §. 22. in fin. Gonzal. ad Regul. 8. Cancel. gloſſ. 51. nu. 10. Maſcard. de probat. concluſ. 1312. nu. 1. & ſeqq. Tondut. quæſt. benef. cap. 89. n. 17. & ſeq. tom. 1. Rot. deciſ. 86. n. 1. & ſeqq. coram Seraph.*

1 Confidentia beneficialis dicitur illa, qua quis confidit in aliquo, velut in amico, aut familiari, aut conſanguineo, vel ex pacto, vel ex alia quavis cauſa, ſeu occaſione, quod iſte acceptans beneficium ſibi poſtea, vel alteri illud conferat, renuntiet, aut ſolvat
2 aliquam penſionem, aut aliquid aliud det. Quia autem hujuſmodi confidentia à Collatoribus, à Patronis, & ab ipſis Beneficiatis frequenter ex variis cauſis, & modis committebatur; dum multi conferebant, aut præſentabant, aut reſignabant beneficium alicui, paciſcendo de aliqua penſione abſque Apoſtolico conſenſu; Multi volentes promoveri ad ſacros Ordines, prout requirit beneficium, vel nolentes aſtringi ad habitum, & tonſuram, beneficium reſignabant alicui, cum pacto, & conditione ſibi, vel alteri ſolvendi fructus, vel penſiones ſinè prædicto aſſenſu; Multi ſtatuentes ire ad bellum, aut ulciſci de hoſtibus ſuis, & nè ex delicto perpetrando vacare contingeret beneficium, illud alteri reſignabant paciſcendo de fructibus, ſive de penſione, ſibi, vel alteri ſolvenda abſque præfato aſſenſu; Plerique cùm eſſent irregulares, & crimínoſi, adeòque bene-

beneficia de jure retinere nequeuntes, alteris illa reſignabant cum pacto, & conditione, obtenta poſtea diſpenſatione ab irregularitate, eadem beneficia ab eis repetendi. Plerique beneficium quomodolibet reſignabant, ut ſibi ipſis poſtea reſtituatur, vel ei, quem ipſi nominaverint; Nonnulli beneficium vacans impetrabant, eo pacto, ut poſtea ad mandatum alicujus illud dimiſſuri ſint, ut alteri conferatur. Nonnulli acceptabant beneficium, aut ad illud præſentabantur à Patronis cum pacto, & conditione, ut quando filius Patroni puer, & infans adoleverit, huic poſtea reſignent; Nonnulli procurabant alteri beneficium, ut poſſint poſtmodum de illo ad ſui libitum diſponere. Alii ex privilegio non obligati ad ſolvendam expeditionem Bullarum Cameræ, vel Cancellariæ faciebant expediri Bullas ſub nomine ſuo, ut evitentur dictæ expenſæ pro alio, qui in rei veritate eſt futurus poſſeſſor beneficii. Alii ad effectum defendendæ litis ſuper beneficio reſignabant illud alicui Perſonæ Potenti, ut obtenta victoria litis alteri conferatur, & reſignetur, aut ſibi reſtituatur; Alii ſenes, vel infirmi, ut beneficia in domibus ſuis perpetuentur, illa renuntiabant in alios, cum pacto vel profanam familiam cedentium de fructibus Eccleſiaſticis alendi, vel illa, etiam num infantibus,

3 aut naſcituris aſſervandi. Hinc proinde ad arcendum ab Eccleſia Dei, adeò perniciosum crimen, nè beneficia Eccleſiaſtica indignis concedantur, nè dentur per hæreditariam ſucceſſionem, & nè plura uni dentur, Pius IV. in hoc *Canone*, Auctoritate Apoſtolica prohibuit Cardinalibus, aliiſque Prælatis recipere beneficia in confidentiam in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, reliquis verò ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; declaravit nullas collationes, & proviſiones omnes beneficiorum, etiam ad Patronorum præſentationem factas cum interventu confidentiæ; ac inſuper decrevit beneficia in confidentia modis ſupra explicatis recepta, ſive libera, ſive Patronalia etiam Laicorum, ac Perſonarum nobilium, & illuſtrium

4 ipſo jure vacare à die receptionis, & eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervata. Quæ tamen reſervatio locum non habet in Gallia; ſiquidem in Regno Galliæ beneficia Patronalia tam Privatorum, quàm Regis ex hoc crimine confidentiæ vacantia, conferenda ſunt per Ordinarios ad præſentationem Patronorum, dummodo iſti in hujuſmodi crimine non fuerint participes, aut ad præſentationem ejuſdem Regis ex ſpeciali conſtitutione Sixti V. *la 61*. §. 5. *Bull. Rom. nov. tom.* 2. ibi = *Beneficia verò occaſione confidentiæ hujuſmodi ad præſens vacantia, & in poſterum vacatura ab ipſorum beneficiorum Ordinariis Collatoribus, perinde ac ſi diſpoſitioni dictæ Sedis Apoſtolicæ minimè reſervata fuiſſent liberè conferri, & de illis provideri poſſe, & debere decernimus, dum tamen talium criminum participes, aut conſentientes non fuerint. Quo caſu, ac etiam ubi iidem Ordinarii Collatores per ſex menſes à die detectæ, & comprobatæ, ſeu convictæ confidentiæ beneficia ipſa, ut præfertur vacantia, canonicè conferre, & de illis providere neglexerint, beneficiorum eorumdem collatio, & proviſio ad proximos Superiores devolvatur. Quæ verò beneficia de jurepatronatus laicorum fuerint, ad eorumdem Patronorum præſentationem, dummodo in crimine hujuſmodi non fuerint participes conferri. De Eccleſiis verò, ac Monaſteriis, aliiſque beneficiis Eccleſiaſticis, ad Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Tertii Francorum Regis Chriſtianiſſimi nominationem ſpectantibus, novam ipſius Regis nominationem juxta concordata, ſeu indulta à Sede Apoſtolica ei conceſſa volumus expectari* = Ann. 1587.

Hanc eamdem Pii IV. diſpoſitionem confirmavit D. Pius V. in ejus Conſtitutione la 85. Ann. 1569.
de qua *Bull. Rom. nov. tom.* 2. ac etiam indicavit modos probandi hujuſmodi confidentiæ crimen, quam ad commoditatem eorum, qui eam præ manibus non habent, hìc prout jacet, duxi referendam, ibi = *Intolerabilis &c. Quare nos volentes periculoſum talium audaciam novi juris ſubſidio cohibere, præſentium auctoritate ſtatuimus.*

It ſi quis quacumque auctoritate Eccleſiam, vel Monaſterium, aut aliud Beneficium Eccleſiaſticum qualecumque ex reſignatione; vel ceſſione cujuſcumque Perſonæ, ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu, etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus, eidem dimittantur, vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur ex eiſdem, hæc confidentia cenſeatur.

tidem ſi Ordinarius, vel alius Collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum, Beneficium

cium Eccleſiaſticum quovis modo vacans ea conditione tacita vel expreſſa, ut poſtea in alterum pro arbitrio Collatoris, ſeu alterius cujuſcumque contra juris communis ordinationem diſponatur, ſive ut de eo proviſus fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat, ſeu penſionem illi, vel illis, quem, vel quos idem Collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel alium, ſcripto, aut verbo juſſerit, ſeu ſignificaverit, perſolvat, & pariter ſi à Patrono etiam Laico, vel alteri Præſentatori, ſeu Electori contigerit, aut contingat id fieri.

Ad hæc ſi Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à ſolutione jurium ipſius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apoſtolicæ exemptus, poſt reſignationem, vel ceſſionem alicujus extranei de Eccleſia, Monaſterio, vel alio Beneficio Eccleſiaſtico in ſe, Apoſtolica, vel alia auctoritate factam, & admiſſam, illam, vel illud etiam confectis literis Apoſtolicis, & poſſeſſione apprehenſa, in eundem reſignantem, vel cedentem, modico ſpatio interjecto, veluti duorum, vel trium menſium retroceſſerit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retroceſſione fructus Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, aut Beneficii, vel eorum pars, ſeu penſio, ſeu quid aliud ſuper his reſervatum, aut regreſſus, ſeu acceſſus, & ingreſſus ad illam, vel illud, ipſi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto ſit, fueritve conceſſus.

Poſtremo ſi quis à crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper irregularitate diſpenſatum eſt, denuo receperit quacumque auctoritate Eccleſiam, Monaſterium, vel aliud Beneficium Eccleſiaſticum, quod ante, vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſerit, in quibus horum caſuum confidentiæ pravitas ſit contracta, caſuſque hujuſmodi literis præſentis comprehendantur, ac ſi illis ſpeciatim expreſſi fuiſſent, licèt ipſum confidentiæ alterius tantùm partis conſcientia ſit admiſſum.

Ad probandum verò plenè confidentiarum abuſum, inter alias etiam hæ præſumptiones, & conjecturæ habeantur legitimæ. Videlicet.

Si quis poſt ceſſam ab ſe Eccleſiam, vel Monaſterium, aut Beneficium, & publicatam reſignationem, ſeu ceſſionem, captamque à ſucceſſore poſſeſſionem, ſeſe in illa, vel illo, ſeu rebus illius, per ſe, vel alium, ſeu alios de facto ingeſſerit, aut fructus perceperit, aut quicumque ſucceſſor illi, vel ejus propinquis, ipſos, aut partem aliquam remiſerit eorumdem.

Si recipiens Beneficium conſtituerit dimittentem, vel ejus Parentes, aut Propinquos, Procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus Beneficii dimiſſi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

Si vel ſola Procuratoris diſpoſitione, vel libris rationabilibus menſariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ perſonam recipientis concernit, proſecuta ſit, ſimulque expenſæ pro ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint.

Denique ſi quis pro conceſſione alicui facta quacumque auctoritate de Beneficio Eccleſiaſtico, per ſe, vel alium, ſeu alios interceſſerit, vel alias in negotio conceſſionis ſe ſe immiſcuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis Beneficii de facto, etiam per manus Poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris fuerit diſpoſitum quandocumque.

Teſtes autem de quaque re ſingulares, ſingulas probare valeant præſumptiones, & conjecturas, plureſque hujuſmodi præſumptiones, & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

Cæterùm criminoſi, & cæteri omnes, qui ad perhibendum in caſibus ſimoniæ teſtimonium recipi poſſunt, ad prædicta omnia admittantur.

Sed nè quiſquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contra ſe judicii, in crimine perſeveret, utque hoc malum gravioris cenſuræ ſtimulo uſquequaque prohibeatur, omnes, & ſingulos, qui hucuſque Eccleſias, Monaſteria, Beneficia, fructus, penſiones, aliaſve res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, niſi ſtatim ad ſe reverſi, & reſipiſcentes celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, & qui quid tale admiſerint in futurum, etiam omnibus, & ſingulis aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Adminiſtratoribus, Officiis, & Beneficiis obtentis, quæ pariter ſub dicta reſervatione comprehendi volumus, nec non fructibus, penſionibus, & aliis rebus Eccleſiaſticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis officiis temporalibus præſentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in juris ſubſidium excommunicationis ſententia innodamus, à qua nullus, niſi in mortis articulo conſtitutus

ſtitutus ab alio, quàm à Romano Pontifice abſolutionis Beneficium valeat obtinere. Hos enim advocatione cauſarum hujuſmodi, & reſervatione cognitionis illarum, rerumque omnium indè emergentium, nobis, & prædictis ſucceſſoribus, ut prædictum eſt facta, cauſis illis dumtaxat exceptis, quæ jam coram nobis pendere noſcuntur, ac etiam iis, quas ratione Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quorum diſpoſitio in Conſiſtorio fieri conſuevit, aut debet, itemque contra Ordinarios Collatores Epiſcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, utì jam aliis noſtris literis ſtatutum eſt, audiendis, decidendis, & terminandis, harum ſeriè prorſus relaxata, decernimus ita deinceps quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & ipſorum cujuſcumque quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, interpretari, & definiri debere, nec non initium, & inane quicquid ſecus in prædictis per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. ⊏ Confidentiæ autem crimen habet peculiarem Judicem in Romana Curia, qui Auditor confidentiarum appellatur ex Conſtitutione *Sixti V. la* 47. *Bull. Rom. nov. tom.* 2.

Quo ad hunc Canonem ſpectant omnes illi Caſus, quos ſuperiùs examinavimus *Par. II. Can. XII. & XIII.* ubi plura notavimus ſimoniæ materiam concernentia, cum qua plurimum eſt cognata, & conjuncta Confidentia beneficialis, cùm ſit ejuſdem ſimoniæ ſpecies; hìc verò ſequentia ſuperaddo.

ARGUMENTUM.

Patronus ſi in actu præſentationis ad beneficium habeat pravam intentionem recipiendi à Præſentato fructus beneficii, aut aliquod munus, an ex hoc committatur Confidentia, ut ex ea præſentatio dicatur nulla; & Beneficium ſit Sedi Apoſtolicæ reſervatum.

SUMMARIUM.

1 *Confidentia an committatur ex ſola prava intentione Patroni præſentantis?* Vide ibi & num. 11.

2 *Patronus ſi præſentet cum prava intentione recipiendi aliquam recognitionem à Præſentato non dicitur ex hoc commiſſa confidentia ſimoniaca punibilis.*

3 *Confidentia eſt duplex; & quæ ſit?* Vide ibi.

4 *Confidentia ſimoniaca, & punibilis committitur ex præcedenti pacto, tractatu, conventione, & conditione expreſſa, vel tacita.*

5 *Dicitur commiſſa confidentia ſimoniaca, ſi Præſentatus inſtructa lite coram Ordinario, illi renunciet, & cedat juri, quod habebat ſuper beneficio favore Collitigantis, cum pacto, ut ab hoc ſibi ſolvatur certa pecuniarum ſumma.* & num. 22.

6 *Patronus ſi promittat præſentare aliquem cum pacto, ut ſibi vel alteri relinquantur fructus beneficii, aut ſolvatur penſio, ex hoc diceretur commiſſa confidentia ſimoniaca, & punibilis, & num.* 37. Amplia ut n. 7.

8 *Committitur confidentia Simoniaca, ſi Patronus præſentet, aut conſtituat Procuratorem ad præſentandum cum pacto dimittendi, vel reſignandi beneficium, pro ſui, vel alterius arbitrio.* Limita ut n. 9.

10 *Secluſo pacto, aut conditione non committitur confidentia punibilis.*

12 *Intentio prava Patroni ad effectum inducendi confidentiam non nocet Præſentato.*

13 *Literæ Apoſtolicæ in omnibus juſtificatæ ſunt exequendæ*, & num. 33.

14 *Literæ Apoſtolicæ ſi ſint ſubreptitiæ, non ſunt exequendæ.* & n. 41.

15 *Quæ ſit differentia inter vocationem ad juſpatronatus paſſivum mediatam, & indirectam, & vocationem immediatam, & directam.* Vide ibi & n. 16.

17 *Ex quibus probetur Fundatorem noluiſſe qualitatem Senioritatis in jurepatronatus paſſivo.* Vide ibi, & n. 18. & 19.

20 *Qualitas Senioritatis volita in jurepatronatus activo, an cenſeatur repetita in Patronatu paſſivo.* & n. 21.

22 *Quando concurſus eſt inter lineas, prærogativa gradus non ſervatur niſi diſcretivè in qualibet linea, & unuſquiſque proximior in ſua linea in materia indifferente ſuccedit cum altero proximiore de altera linea.*

24 *Ob confidentiam aut ſimoniam amittit, quis vocem paſſivam, & redditur inhabilis ad aſſequendum beneficium etiam vi novæ præſentationis.*

25 *Simonia ex quibus probetur*; Vide ibi & num.27.

26 *Non licèt etiam in Beneficio litigioſo cedere jura, & concordare pretio mediante, abſque Beneplacito Apoſtolico.*

28 *Simonia an dicatur ceſſare quando conventio unicè reſpicit renunciationem litis, & ſolutio pecuniarum facta ſit ad redimendas vexationes, & in compenſationem expenſarum litis?*

29 *An quis dare poſſit pecuniam pro conſervatione Juris ſpiritualis quæſiti abſque vitio Simoniæ.*

30 *Simonia committitur etiamſi datio pecuniæ facta fuerit, nomine expenſarum litis.*

31 *Epiſcopus an poſſit inter Collitigantes uni dare inſtitutionem, & alteri penſionem reſervare.*

32 *Epiſcopus non habet facultatem approbandi concordias Simoniacas.*

34 *Facta promiſſione inter ipſos Patronos præſentandi certam perſonam, an illi poſſint ab ea recedere?*

35 *Simplex tractatus circa perſonam nominandam nulli jus tribuit.*

36 *Promiſſio præſentandi certam perſonam facta inter Patronos conditionalis, & correſpectiva, deficiente conditione, dicitur reſoluta.*

38 *Patroni durante quadrimeſtre poſſunt liberè pœnitere, & reſilire à promiſsione præſentandi ſimoniaca antequam ſuperveniat Beneplacitum Apoſtolicum.*

39 *Promiſſio præſentandi aliquem, nullum jus certum, & invariabile dat ad beneficium.*

40 *Donato jure præſentandi, poteſt nihilominus donans priuſquam accedat Ordinarii conſenſus præſentare*; Intellige ut ibi.

42 *Ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum requiritur ætas 14. annorum.*

43 *Diſpenſatio ſuper defectu ætatis obtenta à præſentato, elapſo quadrimeſtre dato Patronis laicis ad præſentandum, eſt nulla.*

CASUS I.

PRæſentavit Patronus quemdam Clericum ad Beneficium A cum prava intentione recipiendi à Præſentato fructus beneficii, aut aliquod munus, penitùs ignorante hanc pravam Patroni intentionem eodem Præſentato; Quærirur, an dicatur in hoc caſu commiſſa confidentia illicita, & punibilis per hunc *Canonem*, & Conſtitutionem Pii V. adeò ut ex ea Præſentatio dicatur nulla, & Beneficium ſit Sedi Apoſtolicæ reſervatum.

Videtur affirmativè reſpondendum
1 quia confidentia committi videtur ſola prava intentione Patroni præſentantis, Collatoris conferentis, aut Beneficiati beneficium dimittentis, ut patet ex verbis Conſtitutionis Pii V. *in Commentario* relat. §. *Ut ſi quis* ibi = *Etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud &c.*

Hoc tamen non obſtante cenſeo non fuiſſe commiſſam in hoc caſu confidentiam punibilem per hunc *Canonem*, & ſupradictam conſtitutionem D. Pii V. adeò ut Præſentatio dicatur nulla, & Beneficium ſit in hoc caſu Sedi Apoſtolicæ reſervatum; non omnis namque confidentia beneficialis eſt punibilis, ſiquidem du-
3 plex diſtinguenda eſt confidentia. Una ſimoniaca, qua quis confidit aliquem collaturum aliquod beneficium mediante prævio pacto, vel conditione expreſſa vel tacita. Altera, qua quis confidit beneficium collaturum ob amicitiam, cognationem, vel gratitudinem, abſque interventu ullius pacti vel conditionis. Quamvis in præſentiarum Patronus habens in actu præſentationis pravam intentionem, recipiendi à Præſentato aliquod munus, ſeu recognitionem dicatur commiſiſſe confidentiam hujus ſecundæ ſpeciei, tamen non dicitur per eum commiſſa confidentia primæ ſpeciei, ſeu ſimoniaca; & punibilis; hæc enim non minùs, quàm ſimonia conficitur ex præcedenti
4 pacto, tractatu, conventione, vel conditione tacita, vel expreſſa. *Navarr. conſ.33. n.4. & conſ.36. de ſimon. Pariſ. de confidentiis beneficial. quæſt.26. num.4. & quæſt.53. n.3. Garz. de benef. p.11. cap.3. §.2. num.165. Lotter. de re benef. lib.3. q.29.*

q.29. num.106. Rot. dec.270. n.4. 21. & ſeq. coram Penia, *& dec.238. nu.8. & deciſ.517. n.30. & ſeqq. coram Ludoviſ. & dec.108. num.5. p.1. & deciſ.166. num.2. par.2. rec.*

Nimirùm conficitur e. g. ſi Præſentatus
5 inſtructa lite coram Ordinario, renunciet illi, & cedat juri quod habebat ſuper beneficio vigore cujus ſibi debita erat inſtitutio, favore collitigantis cum pacto, & conditione, expreſſa, vel tacita, ut ſibi ſolvatur ab eodem Collitigante certa pecuniarum ſumma, hoc caſu diceretur commiſſa confidentia ſimoniaca, ob quam Præſentatus amiſiſſet vocem paſſivam, & redditus fuiſſet incapax, & inhabilis ad beneficium denuò aſſequendum, etiam ex vi novæ præſentationis, ut noviſſimè in terminis reſolutum fuit à *S. Rota in Montis Regalis Prioratus 24. Januar.* 1718. §. *Suppoſitum coram Reverendiſſimo Anſaldo Decano* hìc inferiùs impreſſ.

Conficitur quoque ſi Patronus promit-
6 tat præſentare aliquem cum pacto, & conditione, ut ſibi vel alteri relinquantur fructus beneficii, aut ſolvatur Penſio, aut dimittatur certa domus; tunc enim diceretur commiſſa confidentia ſimoniaca punibilis per has Conſtitutiones *Pariſ. de confid. benef. q.28. n.200. & 202.*, & nuper reſcriptum fuit à *S. Rota in Auximana juriſpatronatus 27. Junii* 1718. §. *Secunda ratio coram R.P.D. Rovault de Gamaſchis inferius legen.* Quod juxtà eum-
7 dem Pariſium *de confid. q.38. num.22. & ſeqq.* procedit etiamſi adeſſent ſtatuta, conſtitutiones, extrafundamentalia, & conſuetudo immemorabilis etiam à Sede Apoſtolica confirmata ſolvendi certos fructus, aut Penſionem Patrono præſentanti; eis namque non obſtantibus, promiſſio præſentandi cum dicto pacto, aut ſolutio fructuum facta Præſentanti eſſet confidentia, & ſimonia, quia hujuſmodi ſtatuta, Conſtitutiones, & conſuetudines immemorabiles ſunt ſublata per hunc *Canonem*; dummodo tamen Patronus non fuerit inops, aut talis penſio non fuerit reſervata in limine fundationis juxtà ſuperiùs notata *Par.2. Can.XII. & XIII. Caſ.VI. n.4.*

8 Sicuti etiam conficitur, & committitur confidentia ſimoniaca, & punibilis, ſi Patronus præſentet aliquem ad beneficium vacans, aut conſtituit Procuratorem ad præſentandum, conditione tacita vel expreſſa dimittendi, vel reſignandi illud beneficium, pro arbitrio ipſius Patroni, aut alterius cujuſcumque; Secùs ſi Patronus non dedit hoc in mandatis,
9 & hic ignorat, tunc enim ſi Procurator præſentet cum dicta conditione dimittendi beneficium illud pro arbitrio ipſius, vel Patroni, vel alterius; Patronus non incidit in pœnas hujus *Canonis*, ea ratione quia Procurator non obligat Dominum, ad aliquod illicitum, aut ad pœnam *Navarr. conſ.24. de Simon. n.1. Pariſ. de Confid. Benef. q.28. num.189. & 193. Rot. dec.166. n.3. p.2. rec.*

Secluſo autem pacto, & conditione,
10 ſive expreſſa, ſive tacita non committitur confidentia punibilis, & quæ damnetur per hunc *Canonem* ſub pœnis ibi expreſſis: Sic ſi quis rogaret enixè Patronum, ut illum præſentaret, generaliter promittendo futurum gratum, non committeretur confidentia punibilis. *Pariſ. de confiden. quæſt.28. n.202. §. Dubium eſt.* Sicuti neque committeretur confidentia punibilis, ſi Patronus præſentaret aliquem ad beneficium vacans, ea intentione, ut præſentatus renunciet conſanguineis, amicis, ſeu ipſius familiaribus, ſi nullum pactum intercedat. *Navar. conſ. 33. de Simon. n.4. Pariſ. de confiden. q.26. num.33.*

11 Hinc non obſtant verba illa Conſtitutionis D. Pii V. = *Etiam ſola dimittentis intentione &c.* = illa enim ſunt intelligenda de intentione nota ei, qui præſentatur, aut qui beneficium recipit, quia ſciens mentem, & intentionem Patroni præſentantis, aut collatoris conferentis, aut beneficiati reſignantis, videtur ei aſſentire non verò de intentione prava Patroni, aut collatoris, aut beneficiati, penitùs ignota ei, qui præſentatur, cui confertur, aut reſignatur beneficium; etenim intentio prava Patroni præſentantis
12 ad effectum inducendi confidentiam non nocet Præſentato; *Pariſ. de confid. benef. quæſt.26. num.16. & quæſt.53.* ibi = *Ut nec etiam noceat Præſentato intentio prava Præſentantis ad effectum inducendi confidentiam* = *Garz. de benef. p.11. cap.3. §.2. num.176. Gabriel. conſ.172. n.3. lib.2.*

Rmo

Rmo. P. D. ANSALDO DECANO

Montis Regalis Prioratus.

Lunæ 24. Januarii 1718.

PRioratum, ſeu ſimplex Beneficium à Juvenale de Boettis erectum ſub invocatione S. Franciſci in Eccleſia Parochiali S. Catharinæ loci Villæ Novæ cum reſervatione Juriſpatronatus activi primo loco ad favorem ſuorum filiorum maſculorum proprio, & naturali nomine nuncupatorum, & ſucceſſivè ad favorem omnium Deſcendentium ab eis, cum hoc tamen, quod præſentare ſemper deberet Senior in qualibet linea exiſtens, cum Jure accreſcendi inter ipſas lineas; & paſſivi ad commodum illorum de familia, & deſcendentia ipſius Fundatoris his verbis concepti = *Item quod exiſtentibus illis, vel aliquo ex illis de ipſius familia, & deſcendentia maſculina ipſius D. Donantis, necnon dictarum ſuarum filiarum, aut ipſius, & ipſorum Joſephi, Annibalis, & Oddini de Coettis (ſervato tamen ordine, & qualitatibus ſuperius in vocatione ad juſpatronatum expreſſis, nec aliàs aliter, nec alio modo) QUI SINT CLERICI PRIMÆ TONSURÆ, VEL IN ÆTATE AD PRIMAM TONSURAM ſi hoc maluerint, debeant in nominatione, & præſentatione ad dictum Beneficium præferri aliis omnibus; & ſic præſentatus, & nominatus debeat omninò inveſtiri de dicto Beneficio, & Prioratu, dummodo in cæteris adſit habilitas ſufficiens; Et inter plures in eadem linea & pari gradu, quod præferatur dignior, & habilior, & ubi non adſit aliquis in dictis lineis, & deſcendentiis, qui velit, & poſſit admitti, quod tunc poſſit admitti quilibet alius extraneus* = Quod de anno 1700. Chriſtophorus Albertus Boettus obtinere poterat tamquam præſentatus à majori parte Patronorum, à Juvenale nempè Boetto Nepote ex Filio dicti Fundatoris, & ejus Fratre, & à Carolo Antonio ejus unico filio ſuperſtite ipſius Fundatoris, & Patruo dicti Chriſtophori, ad excluſionem alterius Juvenalis pariter de Boettis, unicè præſentati à Joanne Aloyſio de Boettis tamquàm Seniore lineæ Marci alterius Fundatoris; Nihilominùs maluit potius illud recuſare, & ad pecuniam aſpirando, cedendo, mediante concordia inter ipſos inita, ad favorem Juvenalis præſentati ab unica tantùm voce præfati Joannis Aloyſii, omne ſuum Jus, quod vigore dictæ præſentationis ad dictum Beneficium habere valebat, in correſpectivum excambium dictæ ceſſionis ingentem accepit quantitatem pecuniarum librarum ter mille, & monetæ Romanæ ſcut. ſexcentum, ac etiam alias libras quinque mille, & monetæ Romanæ ſcut. mille pro aliquibus prætenſis creditis, quæ tunc temporis non erant debita, ſed ſolùm poſt obitum Tomaſinæ Uxoris ſupradicti Marci, ratione alicujus legati ob dictam cauſam anticipatè ſoluti.

Poſtquam igitur præfatas pecuniarum ſummas prædictus Chriſtophorus fuerat conſecutus intuitu ſupradictæ ceſſionis Jurium ſuper Beneficio, ſeu potiùs revera ceſſionis Beneficii, quod erat indubitanter debitum ipſi cedenti, ex quo habebat duas ex tribus vocibus: Vacato nuper prænarrato Prioratu de anno 1714., non omiſit pariter omnem movere lapidem, ad hoc ut idem Juvenalis ejus frater in hac quoque vacatione ipſum præſentaret, non obſtante quod jam Beneficium prædictum in pecunia de dicto anno 1700. accepiſſet, & de facto ejus votis arriſit eventus; ſed quia inter Patronorum cœtum aderat Joannes Antonius nunc Senior ex linea Marci, hic præſentavit Joannem Antonium ejus ex Fratre Nepotem primæ tonſuræ charactere inſignitum, ac conſentaneè ad præceptum Teſtatoris bonis moribus præditum, qui non ignorando præſentationem prælaudati Chriſtophori, ſed agnoſcendo ſe eſſe in paritate vocum cum ipſo obtinere ſategit, & obtinuit à S. Sede ſolitam Gratiam Apoſtolicam pro Præſentato cum derogatione medietatis vocum, & quæ fuit debitæ executioni demandata.

Verùm præfatus Chriſtophorus, qui non valuit ab Ordinario variis, & juſtis de cauſis Clericatum obtinere niſi poſt biennium, eo obtento inſurgendo contra prædictum Joannem Antonium dicti Beneficii poſſeſſorem, eo excluſo, in poſſeſſionem ejuſdem Beneficii immitti obtinuit in partibus, ideòque reclamante

te Joanne Antonio, iſte ex integro cauſæ commiſſionem noſtro Sacro Auditorio directam reportavit; Unde in hodierna Audientia ad formam dictæ commiſſionis propoſito per me Dubio = *An Literæ Apoſtolicæ eſſent exequendæ, ſeu potius an, & cui eſſet danda Inſtitutio* = Domini reſponderunt = *Literas Apoſtolicas eſſe exequendas*.

Fundamentum enim hujuſce reſolutionis ſtetit in eo, quod cùm præfatæ literæ Apoſtolicæ in ſua narrativa compertæ fuerint in omnibus juſtificatæ, ex quo
13 ſinè dubio memoratus Joannes Antonius præſentatus fuit per medietatem vocum, & ſit unus ex deſcendentibus ex familia Fundatoris paſſivè vocatis, indè conſequebatur, quod ſtante illarum juſtificatione, omnimodam mereantur executionem ſecundum ea, quæ paſſim reſpondit Sac. Tribunal, *& ſignanter coram Me in Romana Cappellaniæ S. Nicolai 28. Junii 1709. §. Amaritudo, & in Bononien. Beneficiorum de Caſtello ſuper executione literarum 12. Decembris 1712. §. De juſtificatione coram R. P. D. meo Criſpo, & in Cremonen. Beneficii 9. Martii 1714. §. Conſtituit coram R. P. D. meo Lancetta.*

Neutiquam attento magnificato pro parte Chriſtophori objecto, quod juſpatronatus paſſivum competat eidem Chriſtophoro prælativè quoad D. Joannem Antonium, cum ſuppoſito quod Fundator dederit prælationem inter plures *Seniori, & Proximiori*; Et ſic tantùm abſit,
14 quod dictæ literæ videantur juſtificatæ, quinimò cùm dictæ qualitates Papæ reticitæ fuerint, ſubreptionis vitio laborent, & per conſequens nullius ſint efficaciæ, ac inexequibiles, per *Text. expreſſum in cap. ſuper literis, ubi Gloſſa, & communiter ſcribentes de reſcript.* Quoniam objectum prædictum nullam habet in facto ſubſiſtentiam, ex quo tale quid ex verbis fundationis non habetur in jurepatronatus paſſivo, licet legatur in jurepatronatus activo: In jurepatronatus enim paſſivo aliud Fundator non dixit = *Quod exiſtentibus illis, vel aliquo ex illis de ipſius familia, & deſcendentia maſculina ipſius D. Donantis, necnon dictarum ſuarum filiarum, aut ipſius &c. ſervato tamen ordine, & qualitatibus ſuperius in vocatione ad juſpatronatus expreſſis, qui ſint Clerici ſaltèm primæ Tonſuræ, vel in ætate ad primam Tonſuram, ſi hoc maluerint, debeant in nominatione, & præſentatione ad dictum Beneficium præferri aliis omnibus, ET SIC PRÆSENTATUS, ET NOMINATUS DEBEAT OMNINO INVESTIRI DE DICTO BENEFICIO, & PRIORATU* = Unde
15 cùm Fundator vocaverit illos de ipſius Familia, & deſcendentia maſculina, non immediatè, & directè, ſed mediatè, & indirectè, hoc eſt mediante facto Patronorum, qui illos præſentare debebant ex illis verbis = *Et ſic Præſentatus, & Nominatus debeat omninò inveſtiri de dicto Beneficio, & Prioratu* = In his terminis ſi de tempore præſentationis plures exiſtant Conſanguinei, licet inter ipſos diverſa ætatis qualitas intercedat, ſi Patroni præſentent, & præeligant ætate minorem, præſentatio infringi non valet ex oppoſitione alterius Senioris, ex ea viva ratione; quod cùm Patronus in hoc caſu habeat ſolam obligationem præſentandi unum ex Conſanguineis, abſque ullo alio vinculo, præelectio iſtorum prorſus dependet ab arbitrio eorundem Patronorum, nè aliàs libertas conceſſa Patronis eligendi intrà certum genus, remaneret omninò fruſtratoria, & de vento, prout remaneret admiſſa tali neceſſitate præſentandi ſemper digniorem, quia ille qui de neceſsè debet præſentari non indiget Patronorum ſuffragiis, ſed ex juris ſuplemento habetur pro Præſentato, ut aliàs reſpondit *Rot. in nullius, ſeu Orbitellen. juriſpatronatus 13. Januarii 1696. §. Primo, coram Eminentiſſimo Scotto, & Tridentina Cappellaniæ 5. Aprilis 1715. §. Verumtamen, coram R.P.D. meo Cerro.*

Ad differentiam alterius caſus, quan-
16 do illi de familia, & deſcendentia ſint à Teſtatore vocati *immediatè, & directè* abſque facultate data Patronis de illis præſentando, aut nominando, dirigendo verba ad collatorem, quia in hoc themate ſi duo concurrant, alter Proximior, & grandior ætate, & alter remotior, & minor ætate, præſtatio ſemper ſpectat ad Proximiorem, ſive dignorem juxta juris diſpoſitionem, de qua eſt *Text. in Canon. ſi fortè diſtinct. 63. cap. 3. de jurepatronat. De Luc. de linea legali artic. 24. num. 24. verſic. ego per tranſeo*, cum aliis laudatis per *Rot. in Civitatis Caſtell. Canonicatus*

tus 12. *Martii* 1714. §.*Conciliari nihilominus*, *cor. Eminentiſs. Scotto* .

Ex prædicta igitur diſtinctione undi-
17 que recepta ceſſare videbatur omnis difficultas, quod Teſtator etiam in jurepatronatus paſſivo requiſiverit ſenioritatem, ſed etiam eò magis omnis fugabatur ambago, introſpecta litera ipſius Inſtrumenti fundationis, & obſervantia ſubſecuta. Ex litera enim habebatur, quod fundator in hoc jurepatronatus paſſivo pro prælatione nunquam conſideraverit hanc ſenioritatem, ſed potius contrarium dixerit demandando, ibi = *Quod inter plures in eadem linea*, *& pari gradu*, *quod præferatur dignior*, *& habilior* =; Ergo ſi fundator in paſſivo prælationem dedit digniori, & habiliori, non conſideravit qualitatem Senioris, quia Senior eſt qualitas, quæ in uno tantum concurrit, & qui eſt ſenior poteſt eſſe non dignior, nec habilior, & conſequenter incluſio unius qualitatis volitæ in prælatione ad paſſivum, excludit aliam qualitatem diverſam ſenioritatis, in qua plures æquè ſeniores concurrere non poſſunt ex regula *Text. in leg. cum Prætor ff. de judic. Rota coram Ottobon. deciſ.* 26. *num.*10. *& ſeqq.*, *& in Tridentina Cappellaniæ* 5. *Aprilis* 1715. §. *Juxta enim cor. R.P.D. meo Cerro* .

Obſervantia enim magìs ſolemnis eſſe non poterat, quia proficiſcitur ex facto
18 ipſius fundatoris, dum in prima vacatione ipſe præſentavit unum ex filiis ætate juniorem reſpectu aliorum, nempe quintogenitum, & deinde per ejus obitum quartogenitum, quæ obſervantia veluti proveniens ex facto ipſius fundatoris, dicitur interpretationum regina, & accipienda venit pro declaratione legis fundationis ab ipſo datæ, ut tradunt *Card. de Luc. de Benef. diſc.*61. *n.*31. *verſic. ſecundò ponderabam*, *Rot. in Sutrina Canonicatus* 21. *Junii* 1706. §. *final. cor. Eminentiſſimo Priol.& in Aeinen. Beneficii* 27. *Julii* 1706. §. *Et quatenus*, *coram bo. mem. Kaunitz.*

Maximè quia præter obſervantiam
19 fundatoris concurrit etiam judicialis confeſſio ipſius Chriſtofori facta in ultimo ſtatu dicti anni 1700., in quo, ut ſupra præmiſimus, fuerat præſentatus: In eo enim faſſus fuit, quod fundator, ibi = *Ha dichiarato più volte in ſuo vivente*, *doppo l' erezione ſeguita della Cappellania controverſa*, *eſſer ſua mente*, *che in caſo di vacanza della medeſima*, *ſi doveſſe a quella preſentare* , *& iſtituire una perſona idonea de' ſuoi deſcendenti havuto riguardo ALLA SOLA IDONEITA`*, *E CAPACITA`*, *E BUONI COSTUMI*, *NON CONSIDERATA LA SENIORE ETA`*, *E QUALITA` SACERDOTALE* = : Hæc autem clara confeſſio facta ab eodem Chriſtophoro non oſcitanter, ſed judicialiter in poſitionibus in ultimo ſtatu, expreſsè prohibet eumdem poſſe propriæ confeſſioni, propriovè Teſtimonio reſiſtere, ut inquit *Text. in leg. generaliter Cod. de non numer. pecun.*, ibi = *Iniquum enim eſſe putamus quod ſua quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt*, *id in eundem caſum infirmare Teſtimonioque proprio reſiſtere* =, & firmavit *Rot. in Caſertana Beneficii* 27. *Martii* 171[illegible]. §. *Superaccedente*, *coram Eminentiſſimo Scotto*, *&* 15. *Junii* 1716. §. *Altera autem*, *cor. R.P.D. meo Althann.*

20 Quibus præmiſſis inſuſtentabile quoque emicuit argumentum illud, quod ſicuti in jurepatronatus activo vocatus ſemper fuit ſenior ad præſentandum, ita quoque in Patronatu paſſivo ex ipſa lege fundationis, ibi = *Servato tamen ordine*, *& qualitatibus ſuperius in vocatione ad jus patronatus expreſſo* = Quæ clauſula *ſervato ordine* =, importet repetitionem omnium præcedentium qualitatum, ut in ſpecie hujus clauſulæ notant *Altograd. conſ.*60. *num.* 105. *&* 108. *lib.*2. *Giovagnon. conſil.* 34. *num.* 24. *verſic. non obſtat lib.*2. *Ciriac. controv.*69. *n.*39., quia relatio ad ordinem, & qualitates expreſſas in jurepatronatus activo, nullo pacto importare valet ſenioritatem illam, quæ congruebat activo, & non paſſivo. Nam in activo, vocatis ſex lineis Patronorum, omnes gaudere poterant jure præſentandi, cum in unaquaque linea ſenior adeſſe debeat, non ſic reſpectu paſſivi, ubi ſenioritas diſcretivè in qualibet linea, & in ſenſu diſtributivo ſumpto, nequaquam applicatur, quia Beneficium non poteſt dari niſi uni, unde de neceſſe intrat concluſio, quod relatio intelligenda ſit ad ea, quæ ſubjectæ materiæ applicantur, non autem ad ea quæ diſconveniunt, ut dixit *Rot. deciſ.*536. *n.*81. *part.*4. *recent.*, *& in ſpecie in Rhegien. juriſpatronatus*, *ſeu*

Cap-

Cappellaniæ 27. *Junii* 1708. §. *Multoque minus*, *cor. Eminentiſſimo Priolo*, *& in Placentina Beneficii* 2. *Julii* 1717. §. *Nil pariter obſtat*, *cor. R.P.D. meo Cerro*.

Et in omnem caſum ſi procedendum
21 foret cum eadem methodo tenta per fundatorem in jurepatronatus activo, quod ex dictis impoſſibile redditur in jurepatronatus paſſivo, aliud dici non poſſet, niſi quod ſicuti in jurepatronatus activo ſenior volitus fuit diſcretivè in qualibet linea, ita in jurepatronatus paſſivo eadem qualitas ſenioritatis exoptata fuiſſet diſtributivè in qualibet linea, eo ipſo, quod de pluribus loquebatur non collectivè, & à toto genere ſumptis, ſed à diverſis ſtipitibus, & lineis procedentibus, juxta ea, quæ notarunt *Card. de Luc. de fideic. diſc.* 17. *num.* 8. 11. *&* 12. *Rot. in Faventina jurispatronatus* 12. *Maji* 1700. §. *Quo vero cor. Me*.

Excluſa ex prædictis hac qualitate minoritatis, minus obſtat, quod requiſita fuerit proximioritas ex ſupra relatis verbis = *Et inter plures in eadem linea*, *& pari gradu*, *quod præferatur dignior*, *& habilior* =; Quia hæc verba quemadmodum non important, nec importare valent qualitatem ſenioritatis, tum ex virtute literæ, tum ex veriſimili voluntate ipſius fundatoris, eminenter ex ſupra expoſita obſervantia patefacta, ita nec importare valent prælationem proximiori, ſed habent quidem diverſum ſignificatum omninò extraneum: Cùm enim fundator vocaſſet plures diſtinctas lineas efformandas à dictis ejus filiis, & ſucceſſivè à filiabus, ac demum ab extraneis in jurepatronatus activo vocatis, & illos non reſpexerit collegialiter, & per modum unius, omni remota gradus prærogativa, indè conſiderando caſum, quod in una, eademque linea poſſent adeſſe plures habitualiter, & potentialiter capaces, voluit, & ordinavit, quod inter iſtos plures in eadem linea exiſtentes, & pari proximitatis gradu pollentes, eſſet præferendus dignior, & habilior, ut ſinè ope gloſſæ clarè demonſtrant præcitata verba = *Quod inter plures in eadem linea*, *& pari gradu*, *quod præferatur dignior*, *& habilior* =; Undè cum præſens facti thema non verſetur inter plures de eadem linea, ſed de diverſa, cùm Chriſtophorus prædictus deſcendat ab una, & Joannes Antonius ab altera, indè ſequitur, ut pro extranea ſit hæc Lex fundationis, quæ loquitur de concurſu plurium in eadem linea exiſtentium, & ſat eſt in hoc caſu data diverſitate linearum, quod nullus alius dignior, & habilior de eadem linea concurrat cum D. Joanne Antonio, ex
22 eo quia quando concurſus eſt inter lineas, prærogativa gradus non ſervatur, niſi diſcretivè in qualibet linea, & unuſquiſque proximior in ſua linea (in materia tamen indifferenti) ſuccedit pariter cum altero proximiore, & de altera linea, licet inter eos gradus inæqualitas comparativè vigeat, ut bene firmant *Card. de Luc. de fideicom. diſc.* 11. *&* 17. *& num.* 8., & alias dixit *Rota in Bononien. fideicommiſſi de Marſiliis* 25. *Januarii ſuperioris anni* §. *Haud officiente cor. me*, *& in Peruſina Canonicatus* 5. *Junii* 1716. §. *Cæterum*, *cor. R.P.D. meo Lancetta*.

Suppoſitum igitur prædictum tam ſe-
23 nioritatis, quam proximioritatis in lege fundationis repoſitum, quemadmodum ex hactenus diſſertis, omninò inſubſiſtens detectum fuit, ita prælaudatus Joannes Antonius habens pro ſe gratiam Apoſtolicam pro præſentato cum derogatione medietatis vocum, fundatiſſimum jus habebat, ad hoc, ut literæ Apoſtolicæ debitæ executioni forent demandandæ; Sed quando etiam ille per malam hypotheſim facti aſſiſtentia non exiſteret præmunitus, adhuc in præſenti nil relevaret, ex quo prædictus Chriſtophorus ex ſuo proprio, & particulari facto hujus Beneficii ſe incapacem reddidit, quia cum in dicto ultimo ſtatu anni 1700. quamvis fuiſſet præſentatus per majorem partem vocum, attamen inſtructa lite coram Ordinario, maluit potius illi renunciare, & recipere in pecunia numerata loco ipſius Beneficii, per viam concordiæ ſcuta mille ſexcentum monetæ Romanæ, quantum important libræ octo mille monetæ Sabaudiæ; inde exoriebatur quod cùm pretio mediante, cedendo juri, quod habebat ſuper Beneficio, cujus virtute ſibi debita erat Inſtitutio, in ſubſtantia vendiderit Beneficium, & fecerit de illo mercimonium, ex dicta Beneficii venditione inciderit in deteſtabile Simoniæ crimen, pro-

pter quod amiſerit vocem paſſivam, tali
24 modo, ut prorſus redditus fuerit incapax, & inhabilis ad illud denuo aſſequendum, etiam ex vi novæ Electionis, ſeu præſentationis, ut bene firmat *Paſſerin. de elect. cap. 7. n. 371. Sanchez conſil. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 120. n. 37. Lambertin. de jurepatr. lib. 2. part. 1. quæſt. 9. artic. 10. per totum*, & extat Bulla S. Pii V. ſuper qua *Navar. in Summ. Bullar. part. 1. comment. 18. num. 1. & 11.* Ubi quoad hanc pœnam, ut quis remaneat incapax, nec poſſit promoveri ad Beneficium, firmat nullam eſſe differentiam inter Simoniacum notorium, vel occultum *Rebuff. in prax. benef. tit. de Simon. reſignat. n. 12. Corradin. in prax. Benef. lib. 4. cap. 5. n. 50. in fine verſic. ac proinde.*

Præſertim quia hæc Simonia non probabatur per præſumptiones, aut conje-
25 cturas, ſed per duo publica documenta, ſive Inſtrumenta, in quorum primo rogato 3. Junii 1701. Chriſtophorus prædictus ceſſit Beneficio, omnique juri ſibi competenti ad illud vigore ſuæ præſentationis, in excambium accipiendo prædictam ingentem pecuniarum quantitatem librarum ter mille tunc ſolvendarum, nec non aliarum librarum quinque mille, licet hæ non eſſent debitæ, niſi poſt obitum cujuſdam Tomaſſinæ tunc viventis pro quodam legato per ejus mortem purificando, & hoc = *A riguardo delle ſpeſe fatte* (ſunt verba præciſa) *in detta lite, e nel dubbio evento della medeſima, E PER OGNI RAGIONE poteſſe competere a detto Signor Chriſtoforo Boetti a quello anche come ſopra nominato in linea eguale, e per altri motivi per ſua parte addotti* = Unde dubitari non poteſt de apertiſſimo contractu Simoniaco, tum ex prædicta anticipata ſolutione dicti legati, quæ eſt pretio æſtimabilis, tum etiam ex effectiva ſolutione dictarum librarum ter mille, nullum alium titulum præſeferente, quam venditionis hujus Beneficii, cum de cætero non
26 liceat etiam in Beneficio litigioſo cedere jura, & concordare pretio mediante, abſque Beneplacito Apoſtolico, *juxta Text. in cap. præterea de tranſact. Suarez de Simon. lib. 4. cap. 55. n. 17. lit. E. Monacell. in formul. for. Eccleſ. part. 1. tit. 7. formul. 2. n. 3. Rot. dec. 95. n. 3. par. 4. rec.*

In altero verò ſub die 5. Septembris anni 1702. facta extitit quietantia finalis
27 de omnibus pecuniis in præcedenti Inſtrumento Simoniaco promiſſis, & ideo concurrente effectuatione, & conſummatione Simoniæ, jure hæſitari non valet de reali, ſive conventionali Simonia, quæ ſemper dicitur adeſſe, ubi poſt concordiam, ſive ceſſionem, effectiva pecuniarum ſolutio intercedit, ut bene probant *Gonzal. in cap. final. num. 1. de Simon. Navar. in Manual. cap. 23. n. 103. Giballin. de Simon. quæſt. 1. n. 2. Reverendiſſimus Petra ad conſtitut. Apoſtol. tom. 4. fol. 501. n. 10.*

Sentientes Defenſores Chriſtophori
28 vim, & efficaciam prædicti contractus Simoniaci, illud declinare ſtuduerunt, reſpondendo, quod tunc prætenſum Simoniæ crimen objectabile ſit, ubi agatur de conventione, ſive tranſactione principaliter inita ſuper ipſo jure Beneficii, ſecus verò ubi, prout contigiſſe in caſu ajebant, conventio unicè reſpiciat renunciationem litis, ac ſolutio, & reſpectivè receptio pecuniarum facta ſit ad redimendas vexationes, & in compenſationem expenſarum litis pro bono pacis, ad tollenda jurgia inter ſanguine conjunctos, quia in hoc caſu ceſſare omnem ſuſpicionem Simoniæ, & calumnioſam eſſe diffamationem provenientem ex hoc facto licito, firmet *Gloſſ. in cap. dilectus il 1. verb. recepit de Simon. Corrad. prax. Benef. lib. 4. cap. 5. ſub n. 59. Rot. cor. Buratt. dec. 307. ſub n. 5. Card. de Luc. de benef. diſc. 79. n. 9. & melius de regal. diſc. 47. num. 10.*

Sed fruſtrà, quia opinio dictæ *Gloſſæ*, quæ de cætero tunc ſolum locum ſibi vindicat, quod quis foveat bonum jus, & certum, itaut nullo modo dubitet de jure ſuo, & vexationes ſint de facto à perſona potentiori provenientes, in quibus terminis loquuntur auctoritates mox laudatæ, & quæ minimè congruunt noſtræ hypotheſi, ex ſupradictis nullo pacto in omnem caſum procedere valeret in præſenti, in quo lis non agitur cum Juvenali Boetto pecuniam dante, ſed cum Chriſtophoro pecuniam recipiente, reſpectu cujus actus receptionis pecuniarum eſt ſemper Simoniacus, & iſte eſt caſus in ju-
29 re, in quo poteſt quis dare pecuniam pro conſervatione juris ſpiritualis quæſiti abſque vitio Simoniæ, & ſolùm illam com-

committat, qui recipit, ex quo in hoc caſu turpitudo eſt ſolùm ex parte ipſius recipientis, ut egregiè obſervat *Felin. in d. cap. dilectus de Simon. ante n.* 1. *Corrad. in Praxi Benef. dicto lib.*4. *cap.*5. *n.*59. *verſic. ſecundus caſus*.

Neque dicta ſolutio conſiderabilis quantitatis pecuniarum referri valuit ad expenſas in lite factas, quia in primis ſpatio ſex menſium litis antequam Ordinarius dediſſet alicui Inſtitutionem, expenſæ non poterant conſiſtere niſi in paucis nummis, & ſic non aſcendere ad dicta ſcuta ſexcentum, ut patet cogitanti; Ultra quod committitur Simonia, etiamſi datio pecuniæ facta fuerit nomine expen-
30 ſarum litis, ut bene reſpondit *Alexander III. in cap. cum pridem de pactis*, ibi = *Cum pridem S. Clericus, & P. Clericus pro cauſa, quæ inter eos &c. ſuper Eccleſia, & Cappella vertebatur, ad noſtram præſentiam acceſſiſſent, inter ſe, non tamen Nobis mediantibus, convenerunt, quod eidem P. pro expenſis, quas fecerat tres marchæ argenti conferrentur, & idem P. liti cederet &c.; Cumque compoſitionem iſtam authoritate Apoſtolica peterent confirmari, nos eam non duximus admittendam, pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis ſpeciem continere* = & firmat *Monacell. in formul. for. Eccleſ. part.* 1. *tit.*7. *form.*2. *num.*2. *Pirr. Corrad. in praxi Benef. dicto lib.*4. *cap.*5. *n.*58. *Rot. in Comen. juriſpatronatus* 3. *Junii* 1689. §. *Creſcit*, *coram bon. mem. Manuel.*, & *coram Dunoz. deciſ.*490. *n.*9.

Neutiquam adverſante quod dicti Textus cenſura in *cap. cum pridem de pact.* non poſſit procedere in præſenti caſu, ex quo concordiam prædictam approbaverit Ordinarius, in quo themate, procul abeſſe videatur ſuſpicio turpis pactionis inter partes, itaut pactum prædictum viribus ſubſiſtat; Etenim quidquid ſit de
31 illo articulo an Epiſcopus inter Colliti-gantes, poſſit motu proprio, ſive ex officio per viam concordiæ ab ipſo ordinatæ, ſeu per ſententiam dare uni inſtitutionem, & alteri penſionem reſervare in quo affirmativam tuentur *Gloſſ. in cap. cum pridem de pactis in verbo non duximus ubi Panorm. ſub num.*2. *Corrad. in praxi Benef. lib.*4. *cap.*5. *n.*59. *verſic. ſecundus prope finem*; Negativam verò ſententiam tanquam veriorem ſtrenuè defendit, ac probat *Fagnan. in cap. niſi eſſent de præb. ex n.*40. *ad plures ſeqq. uſq. ad* 65., quæ opinio eſt recepta in praxi.

Domini cenſuerunt hujuſmodi articulum eſſe extraneum ab hujuſmodi ſubjecto caſu, ubi Ordinarius non fuit ille, qui decrevit concordiam, aut ſolutionem demandavit in cauſam expenſarum, ſed ipſæ partes antequam Ordinarius ſententiam Inſtitutionis ferret, ſua ſponte ſecum concordarunt, deveniendo ad concordiam, in qua Præſentatus ceſſit juri quod habebat in Beneficio ad favorem alterius, recipiendo turpem recompenſam Simoniacam in magna pecuniarum quantitate, colorata ex cauſa expenſarum, quæ nullæ aut modicæ erant, & ex dubio litis eventu, ſed expreſſâ etiam cauſa jurium ſuper beneficio competentium Chriſtophoro pecuniarum receptori, ibi = *A riguardo delle ſpeſe fatte in detta lite, e nel dubbio evento della medema, e per OGNI RAGIONE POTESSE COMPETERE à detto Signor Chriſtophoro Boetti &c.* in quibus terminis nemo inter Doctores dubitavit conventionem eſſe Simoniacam *juxta Text. in dicto cap. cum pridem de pactis cum ſupra allegatis*; Neque Epiſcopi approbatio, ſeu confirmatio in his terminis in quibus dicta pactio Simoniacam redolet pravitatem, ullius
32 eſt momenti, quia Epiſcopus nullam habet facultatem approbandi concordias Simoniacas ita nuncupatas, quia ſunt prohibita ab Eccleſia, ſed requiritur authoritas Summi Pontificis, ut inquit *Fagnan. in cap. non ſine num.*3. & *ſeqq. de arbitr. Lotter. de re benef. lib.*2. *quæſt.*29. *num.*165. *verſ. horum*, *Sanchez Conſil. Moral. lib.*2. *cap.*3. *dub.*120. *n.*37. Et notum eſt quod ſola Papæ authoritas vitium Simoniæ purgare valet *Rot. coram Coccin. dec.*40. *n.*5., & *dec.*1508. *n.*4. *Lotter. de re Benef. lib.*3. *quæſt.*29. *n.*166.

Et ita cæteris omiſſis quæſtionibus, tum quia literæ Apoſtolicæ compertæ ſunt juſtificatæ, tum quia in omnem caſum Chriſtophorus non ſit capax hujus Beneficii, & per conſequens non legitimus Contradictor Joannis Antonii; Domini eas eſſe exequendas reſponderunt.

Utraque &c.

R.P.D.

R. P. D. ROVAULT DE GAMACHES

Auximana Juriſpatronatus.

Lunæ 27. *Junii* 1718.

PErſiſtentes hodie Domini *In Deciſis* coram Me die 11. Martii proximè præteriti, iterum cenſuerunt exequendas eſſe Literas Apoſtolicas à Jacobo ab Aqua obtentas cum gratia pro præſentato intrà legitima tempora à medietate Patronorum, à Philippo Antonio ſcilicet Patre,& à Canonico Servilio Patruo, quibus cum re vera competat medietas juriſpatronatus Beneficii controverſi nuncupat. *Donnæ Sorutia* erecti ad Altare DIVI Joannis Euangeliſtæ in Cathedrali Eccleſia Auximi, ut jam dudum firmavit *Sacra Rota in alia Auximana juriſpatronatus* 27. *Junii* 1701. *cor. Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano*, *confirmata* 9. *Martii* 1703. *coram bon. mem.*
33 *Muto*, nec in dubium revocetur Clericatus Jacobi, ejuſdemque idoneitas, hinc ſequitur, quod dictæ Literæ, veluti in omnibus juſtificatæ debitam, ac celerem executionem mereantur juxta *Text. in cap. ſi cap., ibique Gloſ. verb. exequatur de præben. in ſexto*, *Rota coram Emerix jun. dec.*1287.*num.*1. *in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis* 1707. §. *Et ad rem, cor. Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano*, *in Imolen. Cuſtodiæ* 5. *Junii* 1706. §. *Hujuſmodi ſiquidem coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Scotto,& in Abulen. Cappellaniæ* 31. *Januarii* 1718. §. *Inconcuſſa, coram R.P.D. meo Lancetta*.

Nec eſt cur objiciatur, eoſdem Philippum Antonium, & Canonicum Servilium Fratres ab Aqua poſt vacationem dicti Beneficii conventionem ſtatim iniviſſe cum Alexandro de Florentiis Compatro-
34 no, præſentandi Joſephum illius filium; Unde inferebatur, illis integrum non fuiſſe ab ea recedere, & loco Joſephi, Jacobum præſentare, ut diſtinguendo ſimplicem promiſſionem factam Perſonæ præſentandæ, à promiſſione facta inter ipſos Patronos monent, *Rocch. de Curt. de jurepatronat. verb. honorificum quæſt.* 12. *in fine*, *Lap. allegat.* 78. *n.*6. *Lambert. de jurepatronat. lib.*2. *part.*2. *quæſt.*7. *art.*15. *num.*2. *& art.*16. *ſub num.*2. *&* 4., & per conſequens literas pro Præſentato, reticita hac promiſſione, à Jacobo obtentas ſubreptitias eſſe, atque inexequibiles per *Text. expreſſum in cap. ſuper literis, ubi Gloſ.*, & communiter Scribentes *de reſcript.*, *Rota in Montis Regalis Prioratus* 24. *Januarii* 1718. §. *Neutiquam*, *coram Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano*, cùm nunquam cenſeatur Summus Pontifex, concedendo gratiam voluiſſe ludere jus tertio quæſitum, ex notatis *A Roſa de execut. litter. Apoſtolic. part.*1. *cap.*15. *n.*150. *& ſeqq. Ventrigl. in prax. part.*2. *annot.*4. *num.*75. *Card. de Luca de Benefic. diſc.* 36. *n.*18. *Rota in Urgellen. Beneficii, ſeu Canonicatus* 22. *Junii* 1716. §. *Certius verò coram R.P.D. meo Herrera*.

Etenim objectum iſtud à quo pendet præcipuum Cauſæ momentum. Deficit primo in antecedente, quia inter Fratres ab Aqua, & Alexandrum de Florentiis Patronos nil aliud fuit actum, quam tractatus ſuper nominatione facienda ad Beneficium favore Joſephi, ut indubiam fidem perhibet Canonicus Garullus Mediator, & confirmant duo alii Teſtes omni exceptione majores; Smplex autem
35 tractatus circa Perſonam nominandam nulli jus tribuit, longeque diſtat à promiſſione de præſentando; multa enim quotidie tractantur, quæ poſtea non perficiuntur ad *Textum in leg. multum intereſt l. ſi quis alter, vel ſibi, leg. ſi voluntate Cod. de reſcin. vendit. Rota cor. Bich. deciſ.*411. *num.*8. *& in Romana, ſeu Januen. Pecuniaria* 2. *Julii* 1710. §. *Neutrum*, *&* §. *Ita quoque, coram R.P.D. meo Criſpo*; Quibus ſanè Teſtibus contraponi non merentur Teſtes à Joſepho inducti ad docendum de perfectione tractatus, & de promiſſione præſentandi Joſephum facta à Fratribus ab Aqua; Quia alter illorum eſt Pater, & alter Avunculus Matris dicti Joſephi, alii verò ſunt familiares. Ideoque iiſdem in conflictu aliorum Teſtium contrarium deponentium deferendum minimè eſt, tametſi à Vicario Auximano examinati fuerint formiter ſuper articulis, quia dictum examen peractum fuit tempore, quo idem Vicarius nullam amplius habebat in Cauſa juriſdictionem propter appellationem à Jacobo, diebus ante interpoſitam, & qua attenta meritò tanquam

quam

quam nullum, & attentatum circumſcriptum deinde fuit à Signatura juſtitiæ, remittendo Cauſam ad Sacram Rotam cum clauſula = *Ex integro quoad omnes* =, ſuaptè natura præſeferente circumſcriptionem omnium Actorum præcedenter factorum *leg. cum non eo die Cod. quando procurat. non eſt neceſſ. Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 734. *n.*1. *&* 2. *Rota in recent. deciſ.* 68. *num.*11. *part.* 16. Nilque turbat illa alia adjecta clauſula = *Tranſportatis Actis* = Coram primo Executore, qualis fuerat idem Vicarius; hæc namque operatur, ut eadem Acta inſervire poſſint in novo judicio, non tanquam Acta valida, ſed loco jurium dumtaxat, ad differentiam alterius caſus, quo Signatura reſcripſiſſet *firmis remanentibus Actis*, ut advertit *bo. me. R.P.D. Maſſerius in ſuo Voto impreſſo apud Balduc. deciſ. & rer. judicat. tit.*4. *de Dote deciſ.*6. *n.*19.

Verumtamen quatenus etiam ex iſtiuſmodi tractatu ulla oriri potuiſſet promiſ-
36 ſio, ſeu obligatio Fratrum ab Aqua præſentandi Joſephum, adhuc nihil prorſus officeret ex triplici ratione, quarum prima eſt, quod eadem promiſſio pura, & abſoluta nunquam fuit, ſed conditionalis, & correſpectiva, nedum ad reſervationem Penſionis ſcutorum decem favore alterius ex filiis Philippi Antonii, de qua loquuntur ipſimet Teſtes Joſephi; Verùm etiam ad liberam dimiſſionem cujuſdam Domus ab Alexandro ejus Patre faciendam eidem Philippo Antonio, ut de facto proprio amplè teſtatur præfatus Mediator, confirmant relati duo alii Teſtes, & clarè deponit etiam unus ex Textibus ab ipſo Joſepho examinatis ſuper Articulo quarto, & quinto contra quem plenè probat *Rota coram Celſo deciſ.*3. *num.*6. *in recent. dec.*110. *n.*3. *par.*16. *deciſ.* 120. *n.*8. *part.*17. *& deciſ.*409. *num.*4. *par.*19. Quamobrem cum, nec penſionis reſervatio effectum habere potuerit ob defectum Beneplaciti Apoſtolici intrà tempus quatrimeſtris à Joſepho non impetrati, nec dimiſſio Domus ſequuta unquam fuerit, ob renitentiam Alexandri, ut patet quoque ex fide dicti Mediatoris, & duorum aliorum Teſtium, dubio procul promiſſio Fratruum ab Aqua qualiſcunque ſit, ipſo jure, & ipſo facto reſoluta remanſit tanquam deficiente cauſa, ſinè qua facta non fuiſſet, *Rota cor. Buratto dec.*649. *num.*6. *in recent. dec.*135. *num.*17. *par.* 19. Et quidem rectè, quia nulla, æqui bonique ratio expoſcebat, quod illi datam fidem ſervare tenerentur Joſepho, & Alexandro, quando viceverſa iſti ex parte ſua promiſſa implere noluerunt, ad tradita per *Rebuff. de nominat. quæſt.*17. *num.*21. *Garz. de Benefic. part.*5. *cap.*9. *n.*240. *Lambert. de jurepatr. lib.*2. *part.* 3. *quæſt.*2. *art.*2. *n.*27. *Vivian. de jurepatr. lib.*12. *cap.*5. *n.*2.

Secunda ratio æquè valida eſt, quod dicta promiſſio fuit inſuper nulla, veluti
37 pactionata, quod prohibitum eſt in Spiritualibus, & quod magìs eſt etiam intrinſecè Simoniaca ratione correſpectivæ promiſſionis Penſionis, & dimiſſionis Domus, ex animadverſis per *Rotam in Montis Regalis Prioratus* 24. *Ianuarii* 1718. §. *Suppoſitum igitur, coram Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano*. Ideoque per illam nullum jus acquiri potuit Joſepho, per *Text. in cap. præterea de tranſact. Corrad. in prax. Benefic. lib.*4. *cap.*5. *n.*56. *Vivian. de jurepatr. lib.*9. *cap.*3. *num.* 6. *in fine*, *Rota in Mediolanen. Beneficii* 7. *Iunii* 1715. §. *Ulterius, cor. R.P.D. meo Criſpo*, *&* 11. *Decembris* 1716. §. *Et altera, cor. R.P.D. meo Cerro*, non attenta reſervatione Beneplaciti Apoſtolici, quæ regulariter præſervat ab incurſu Simoniæ, ea ratione, quod Contractus, hac conditione, initus, ex contrahentium voluntate, pro non facto habetur, ſi Papa illum non approbat, *Cardinalis de Luca de jurepatronat. diſcurſ.*48. *num.*1. *&* 2. *Rota in rec. dec.* 357. *n.*12. *part.* 12. Nam cum beneplacitum non fuerit à Florentiis obtentum intrà tempus Quadrimeſtris, ſed poſt annum circiter, utique ſimplex illius reſervatio validam non reddit dictam promiſſionem, *Lambert. de jurepatronat. lib.*2. *part.*2. *quæſt.* 3. *art.*5. *num.*4. *verſic. quo caſu, & lib.*2. *parte* 2. *quæſt.*3. *art.*9. *n.*5. *Garz. de benefic. par.*8. *cap.*2. *n.*3. *Rot. cor. Bich. dec.*227. *ſub n.*32. *verſ. unde debuit cum aliis relatis in deciſ. quæ revidetur* §. *Fruſtraque*.

Imò verò ſi dicta promiſſio, veluti con-
38 tinens pacta Simoniaca erat prohibita, & in prohibitis, antequam Apoſtolicum Beneplacitum ſuperveniat, contractus quicunque dicitur imperfectus, & nullus: Idcir-

Idcircò fratres ab Aqua potuerunt, etiam durante quadrimeſtre, interim liberè pœnitere, & à dicta promiſſione reſilire, *Salgad. in labyr. creditor. parte* 1. *cap.* 33. *n.* 22. *Mareſcot. var. reſolut. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. *Card. de Luca de benef. diſc.* 51. *n.* 5. *& diſc.* 79. *n.* 4. *Rot. coram Puteo dec.* 343. *per tot. lib.* 1. *in correctis coram Dunozet. ſen. dec.* 52. *n.* 24. *&* 25. Certiùs quia non obtento à Florentiis, ut evenit, intrà congruum tempus beneplacito Apoſtolico unà cum diſpenſatione ſuper defectu legitimæ ætatis Joſephi pro beneficio aſſequendo, eidem promiſſa præſentatio pro futura haud fuiſſet, & quod magìs eſt fratres ab Aqua, quatenus ad illam ſe reſtrinxiſſent, amiſiſſent hac vice jus præſentandi ob illius devolutionem ad ſuperiorem *ad Text. in cap. nulla* 2. *de conceſ. præben. Garz. de benefic. parte* 10. *cap.* 3. *num.* 11. *Rot. in Gerunden. benefic.* 3. *Iunii* 1712. §. *Minime obſtante, coram R.P.D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*, cui ſanè periculo ſe exponere non tenebantur quando, ut dictum eſt, nulli inferendo injuriam, eis de jure licitum erat alium præſentare ex notatis per *Rot. in Colonien. Canonicatus primæ Gratiæ* 13. *Decembris* 1709. §. *Minorem, coram R.P.D. meo Lancetta, & decima Decembris* 1710. §. *Quo verò, coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano*.

Nec turbat reſponſio, videlicet beneplacitum Apoſtolicum, & diſpenſationem ſuper defectu ætatis Joſephi non fuiſſe intrà legitimum tempus impetratam propter impedimentum præſtitum ex parte Jacobi in partibus, & propter oppoſitiones ab eodem factas in Dataria; quippe ultra quod ſtatim poſt ſecutam prætenſam promiſſionem dictum Beneplacitum Apoſtolicum, & diſpenſatio obtineri potuiſſet à Joſepho, non attento quod illa controverteretur à fratribus ab Aqua, aſſerta priora impedimenta ceſſarunt die 18. Julii anni 1716., eo quod omnia acta illic facta, non progrediuntur ultra dictam diem, ideoque uſque ad diem 21. Menſis Auguſti ſequentis, quo expirabat quadrimeſtre, pluſquam congruus terminus adhuc ſuperfuiſſet Joſepho, unius nempe menſis, & ultra pro impetranda opportuna diſpenſatione, & Summi Pontificis beneplacito; Oppoſitiones verò in Dataria factæ à Jacobo, ſupervenerunt longè poſt elapſum quadrimeſtre; proindeque non facto Jacobi, ſed potiùs negligentiæ ipſius Joſephi adſcribendum eſt, cur poſt annum dumtaxat obtenta fuerit dicta diſpenſatio, & beneplacitum, ut advertit deciſio, quæ revidetur §. *Fruſtraque*.

Tertia denique ratio tollens quamlibet difficultatem, ea eſt, quod promiſſio
39 præſentandi aliquem, utpote ſimplex deſtinatio Perſonæ præſentandæ, ſeu actus præambulus ad veram præſentationem coram ſuperiore faciendam, nullum jus certum, & invariabile, neque in re, neque ad rem dat ad beneficium, *Lapuſ. allegat.* 75. *num.* 3. *&* 6. *Rot. in Melevitana Beneficii* 10. *Iunii* 1712. §. *His in jure, coram Reverendiſſimo D. meo Neoceſarien. in Romana Cappellaniæ* 14. *Maji* 1714. *per totam coram R.P.D. meo Lancetta, in Auguſtana Canonicatus* 20. *Martii* 1716. §. *Procedendo in fine, &* 15. *Februarii* 1717. §. *Tantumque coram R.P.D. Criſpo*; Ideoque re integra, & antequam præfata promiſſio præſentandi Joſephum exhibita fuiſſet Ordinario, ſeu Superiori habenti jus inſtituendi, potuerunt fratres ab Aqua, etiam ex hoc capite ab illa recedere, *Lambert. de jurepat. lib.* 2. *parte* 7. *quæſt.* 7. *art.* 2. *num.* 5. *& art.* 3. *n.* 1. *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 6. *ſub n.* 36. *Vivian. de jurepat. part.* 2. *lib.* 10. *cap.* 2. *per totam, & præſertim n.* 4. *Rot. dec.* 52. *n.* 9. *cor. Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano inter ejus impreſ. in recent. dec.* 739. *num.* 14. *& ſeqq. parte* 18., *& probat præterita deciſio* §. *Immo verò*.

Ex quibus præſenti hypotheſi non applicari noſcebatur diſtinctio illa, quod nempe facultas reſiliendi à promiſſione præſentationis nondum ſuperiori exhibitæ, locum habeat modo promiſſio facta ſit Perſonæ præſentandæ; at non etiam quando èſt facta compatrono. Etenim id non procedit, nec in promiſſione ſimoniaca, quæ quamvis jurata fuiſſet, ſemper, & indiſtinctè revocari poteſt, antequam ſuperveniat Beneplacitum Apoſtolicum juxta authoritates ſuperius allegatas, multoque minus in promiſſione, de qua agitur; ea enim, ut irrevocabilis redderetur, requirebatur ulterius quod fratres ab Aqua promittendo præſentare Jo-

Joſephum à ſe abdicaſſent etiam facultatem præſentandi alium mediante promiſſione præſentandi illum, & non alium, in quo ſenſu intelligendæ ſunt authoritates in objectione allegatæ, ut explicat *Lambert. lib.2. parte 2. quæſt.7. art.16. n.1. de jurepat.*, & confirmatur exemplo do-
40 nationis etiam juratæ jurisſpræſentandi, quod exerceri nihilominus poteſt à Donante priuſquam accedat Ordinarii conſenſus, & approbatio, niſi donationi adjectum fuerit pactum de non revocando, neque contraveniendo, *Rot. coram Emerix. jun. dec.149. n.4. in Mantiſ. ad ornat. Card. de Luca de jurepat. deciſ.27. tom.4. in rec. dec.80. n.9. parte 17.*, *& in Compoſtellana Parochialis 21. Iunii 1696.* §. *Quandoquidem*, *& 28. Iunii 1697.* §. *Non relevante cor. Eminentiſſimo D. Card. Priolo*. Cùm itaque Fratres ab Aqua per dictam promiſſionem ſpoliati non remanſerint facultate validè præſentandi alium; Ideoque firmum jus ex ea quæſitum non fuerit Joſepho; nulla exindè pro excludenda ſubreptione aderat neceſſitas exprimendi Summo Pontifici eandem promiſſionem in literis gratiæ pro Præſentato à Jacobo impetratis; quia etiamſi Papæ innotuiſſet, eum non retraxiſſet ab illius conceſſione *Roſa de execut. liter. Apoſt. parte 1. cap.6. num.36. & ſeqq. Rot. cor. Buratt. dec. 209. n.3. in Auguſtana Canonicatus Provinciæ Mogontinæ 14. Martii 1710.* §. *fin. cor. Reverendiſs. Molines*, *& in Abulen. Cappellaniæ 31. Ianuarii 1718.* §. *Quovero*, *coram R.P.D. Lancetta*.

Hæc quoad literas Jacobi, quæ ſi ex
41 hucuſque deductis exequendæ ſunt, non eſt profectò cur ſermo fiat de literis à Joſepho longè poſt obtentis. Maximè quia expoſita non fuit in illis præcedens gratia pro præſentato Jacobo elargita, & tunc temporis executioni jam commiſſa, quod exuberaret pro illarum ſubreptione *Rota in Volaterana Beneficii 7. Decembris 1708.* §. *Deſtituto*, *cor. R.P.D. meo Criſpo*; Atque etiam quia ſunt innixæ expreſſioni non veræ, quod ipſe Joſeph ab omnibus, vel majori parte Patronorum præſentatus fuiſſet, dum non aliam præſentationem ille numerare poterat, quam illam Alexandri Patris, qui ſolùm altera medietate jurisſpatronatus potitur; ex quo facto reſultat inexcuſabilis obreptio, nullas, & irritas prorſus reddens eaſdem literas, *Rot. cor. ſan. mem. Gregor. XV. deciſ. 425. num. 3. & 4.*, *& coram Bich. deciſ. 479. num.3.* Et demum quia dictus Joſeph incapax erat obtinendi beneficium Eccle-
42 ſiaſticum ratione defectus legitimæ ætatis annorum 14. pro eo requiſitæ *à Sac. Concil. Trid. ſeſſ.23. cap.6. de reform.* Idem-
43 que juvari nequit diſpenſatione; Cum illa quoque inefficax, & nulla ſit, utpotè impetrata elapſo jam quadrimeſtre dato Patronis laicis ad præſentandum, *Corad. in prax. benef. lib.4. cap.6. n.4. verſ. quod quidem*, & reticito in ea jure Jacobo perfectè quæſito vigore dictæ prioris gratiæ pro Præſentato, ut firmat deciſio, quæ revidetur §. *fin.*

Neque tot defectus ſublati dici poſſunt ex ralaxatione iſtarum literarum Joſephi ab Eminentiſſimo D. Cardin. Prodatario demandata, contradicente Jacobo. Siquidem id minimè congruebat ſtylo Datariæ, in qua tanquam in Tribunali gratioſo partes Judicis non aſſumuntur, & propterea circa idem beneficium plures, & diverſæ gratiæ petentibus quandoque conceduntur, remittendo tamen, ut in præſenti evenit, illarum examen ad Judicem, coram quo diſcuti debet an potius una gratia, vel altera ſit exequenda, ut huic objecto aliàs reſpondit *Rota in Comen. Parochialis 10. Ianuarii 1707.* §. *Fruſtra*, *&* §. *fin. coram bo. me. Caffarello*, *& alibi paſſim*.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Nominatus, ſi donaverit Patrono Appartamentum, quod erat de juribus Cappellaniæ, & obtinuerit ſubinde ab eo nominationem ad Cappellaniam, an ſit reus confidentiæ ſimoniacæ.

SUMMARIUM.

1 *Ex quibus dignoſcitur eſſe reus ſimoniæ confidentialis?* & n.2.

3 *Cappellaniam eſſe beneficium Eccleſiaſticum, ex quibus reſultat?* Vide ibi.

4 *Ad effectum incurrendi confidentiam Si-*

moniacam, quid requiratur? vide ibi.

5 *Mutua cauſalitas inter donationem, & nominationem, ex quibus excludatur.* Vide ibi.

6 *Vendere jus nominandi ad Cappellanias merè laicales eſt actus deteſtandus non verò ſimoniacus.*

CASUS II.

SEquens facti ſeries expoſita fuit in Sacra Congregatione Concilii *die* 13. *Auguſti* 1718. in una *Neapolitana prætenſæ Simoniæ*. In inſtrumento ſtipulato *die* 18. *Novembris* 1707. Damianus Maſtrota Sacerdos donavit donatione irrevocabili inter vivos Lucretiæ Appartamentum domus pertinens ad Beneficium, ſeu Cappellaniam ſub titulo Annuntiationis, eaque moriente, ad donationem vocavit Michaelem ejuſdem virum; idem Damianus donavit etiam prædicto Michaeli totum id, quod ab ipſo tanquam à Patrono dicti Beneficii quolibet anno prætendere poterat pro juribus Sacriſtiæ, Miſſarum cantatarum, & aliarum ſimilium rerum, ſe obligando ad ſubeundum de proprio onera mox memorata, duabus ſuper additis conditionibus, quarum altera fuit, quod hæ donationes durare deberent quoad uſque Damianus perſiſteret in poſſeſſione beneficii, & altera fuit, quod in caſu inobſervantiæ exburſare teneretur ſcuta 50. Sacerdos verò Joachinus Villa, qui fuerat deputatus ad complenda onera Miſſarum annexa Cappellaniæ, ſive beneficio, quoad uſque duraſſet abſentia Joannis Paſquedæ, qui dictum beneficium ſive Cappellaniam obtinebat, fecit prædicti beneficii, ſive Cappellaniæ reſignationem *die* 22. *Novembris* 1707.; Hinc Michael Serranus, & Antonia de Loſa, ad quos jus nominandi ad Cappellaniam, ſive beneficium pertinebat, *die* 24. *Novembris* ejuſdem anni 1707. deputarunt, & nominarunt Sacerdotem Damianum Maſtrotam; ut ipſe adimpleret onera Miſſarum, ſub obtentu diſceſſus Joachini Villæ à Civitate Neapolis, & quod ea ipſa die fuit admiſſa nominatio, & intrà terminum trium dierum fuit à nominato capta poſſeſſio. Præſuppoſita hac facti ſerie, quæſitum fuit = *An conſtet de Simonia*.

Andreas Aſſantes, qui prævia Patronorum nominatione, fuit ab Ordinario inſtitutus, & Cappellaniam, ſive beneficium obtinuit tanquam vacans propter Simoniam à Damiano commiſſam, contendebat de labe Simoniaca non eſſe dubitandum ſequentibus ſuffultus rationibus, clarè, ac ſuccintè relatis ab R.P.D. Lambertino Secretario, in *conſueto folio*
1 *impreſſo*; nimirum tum quia faciendo donationem Appartamenti, quod erat de juribus Beneficii, ſive Cappellaniæ, & obtinendo ſubinde nominationem ad beneficium, ſive Cappellaniam, Simoniæ confidentialis reus eſſe dignoſcitur ad Tramites Bullæ S. Pii V. 85. §.2. ibi = *Ad hæc plerique Ordinarii, & Collatores, ac etiam Patroni Laici curant deponenda Beneficia, ut fructus, ſeu penſiones, capiant eorumdem aliiſque faciat miniſtrari* = Tum quia hoc
2 idem crimen convincitur ex dimiſſione ejus, quod erat ſolvendum per Michaelem Patronum quolibet anno, pro jure Sacriſtiæ, Miſſarum cantatarum, & conſimilium rerum, ut probat *Textus Alexandri Tertii in cap. veniens* 10. *de teſt. & atteſt.* ibi = *Quod prius promiſiſſet, quod unicuique Parochianorum Bariles vini remitteret, qui Sacerdoti ejuſdem Eccleſiæ, qui pro tempore ibi ſerviret, conſueverant pro Beneficio dari* =.

3 Abſque eo, quod quidquam referat, quod non verſamur in Beneficio Eccleſiaſtico, ſed in Cappellania manuali, ſive Legato, & quod Sacerdos Damianus fuit nominatus, & deputatus per modum Proviſionis, ut suppleret vices Villæ abſentis, quaſi quod ex his inferatur nullam ſibi poſſe ſimoniam locum vindicare ex defectu ſubjecti. In eo enim quod attinet ad punctum Cappellaniæ, ſive Legati pii, reſpondet Aſſantes hic, & nunc agi de vero Beneficio, tum quia in Literis Apoſtolicis Innocentii X. illud fuit appellatum ſimplex beneficium Eccleſiaſticum de jurepatronatus Laicorum, & in aliis Literis Apoſtolicis Innocentii XI. conceſſa fuit diſpenſatio ſuper ætate ad beneficia Eccleſiaſtica requiſita, tum quia nominati fuerunt ad ejus titulum ordinati, quod non contigiſſet in Cappellania purè laicali, & amovibili ad nutum, & tandem quia nominationes à Patronis fuerunt expletæ coram Ordinario, fuit

ab Ordinario conceſſa inſtitutio, & coram Ordinario facta fuit dimiſſio, quæ omnia arguere dicenda ſunt, veram beneficii qualitatem; In eoque, quod ſpectat ad deputationem Damiani, non in perpetuum, ſed ad tempus, ſubdit Aſſantes id non excludere ſimoniam, cum unicè ad effectum ſimoniæ videndum ſit, an res, quæ fuit in contractu deducta, ſit necnè ſpiritualis, ſive Eccleſiaſtica, non autem an ingreſſus fuerit titulo inſtitutionis, vel titulo adminiſtrationis, ut probat *Textus in cap. conſulere de ſimonia*.

Ego verò ſtudens in hac cauſa apud
4 eumdem R. P. D. Lambertinum, meum aperiendo votum, reſcribendum ſentiebam *Negativè*; Ad effectum enim incurrendi confidentiam illicitam, & ſimoniacam, ſive ſimoniam, requiritur quod probetur mutua cauſalitas inter donationem, & nominationem, nimirum quod donatio Appartamenti, & aliorum jurium per Damianum Maſtrotam nominatum fuerit facta favore Michaelis, & Lucretiæ de Serranis Patronorum in præmium nominationis, & quod nominatio fuerit facta ab eiſdem Patronis in præmium dictorum jurium, cum ex ſimplici donatione abſque hac qualitate, ſeu abſque hac mutua cauſalitate deduci non poſſit confidentia, ſive ſimonia; eo quia, ut excludatur delictum ſimoniæ ſemper facienda eſt interpretatio, quod munera, quæ antecedunt, aut ſubſequuntur actum nominationis, ſeu præſentationis, proveniant ex mera liberalitate, & gratitudine nominati. *Lotter. de re benef. lib. 3. quæſt. 29. n. 47. & ſeq. Card. de Luc. de benef. diſc. 127. n. 5.*, etiamſi munera fuerint vicina, & proxima nominationi, cum ex ſimplici vicinitate actuum non inducatur ſimonia. *Rot. dec. 358. num. 11. par. 2. & dec. 93. n. 19. par. 4. rec. & deciſ. 171. n. 9. & ſeq. coram Puteo*.

5 In caſu præſenti non ſolùm non probatur hujuſmodi mutua cauſalitas, verum etiam hæc excluditur ex eodem inſtrumento donationis; Ex hoc enim apparet Maſtrotam deveniſſe ad hanc donationem ex mera liberalitate, & gratitudine, & ad ſubveniendum neceſſitati dictorum Patronorum; apparet etiam eumdem Maſtrotam proceſſiſſe per viam ceſſionis, & donationis jurium, & rerum penès ipſum jam exiſtentium; ſeu ipſum fuiſſe nominatum, & deputatum ad dictam Cappellaniam ante expletam donationem, ut hoc idem deſumitur ex confeſſione ejuſdem Michaelis Serrani hujus criminis delatoris; ac proindè nullam interceſſiſſe mutuam cauſalitatem, inter ejus nominationem, & donationem, maximè cum non doceatur de ullo, antecedenti pacto, ſinè quo ex his, quæ poſtea ſequuntur ſimonia non probatur. *Rodoan. de Simon. par. 3. cap. 24. num. 1. Lotter. de re benef. lib. 3. quæſt. 29. num. 42. & ſeqq. Mohedan. deciſ. 2. de Simon. Rot. deciſ. 238. n. 8. coram Ludoviſ.*

6 His accedit animadverſio, quod videtur agi de Cappellania merè laicali, ut apparet ex ejus fundationis inſtrumento, in quibus terminis licet vendere jus nominandi ad illam ſit actus omninò deteſtandus, & reprobandus, ut dixi *Par. II. Can. XII. & XIII. Caſ. VII. n. 8.* tamen non eſt actus ſimoniacus juxta Auctoritates *d. Caſ. VII. n. 5.* relatas.

Minimè adverſantibus Apoſtolicis diſpenſationibus, & aliis actibus ſubſecutis; quia nihil magìs commune eſt in Tribunalibus, quam quod Proviſiones Apoſtolicæ non immutent naturam, & qualitatem Cappellaniarum; tum quia conſtito ex fundatione de qualitate Cappellaniæ merè laicali, ſubſequentes actus, utpote erronei non merentur attendi; ita ego in hac cauſa ſentiebam; Sacræ tamen Congregationi Concilii placuit differre reſolutionem, & reſcribere *ad mentem*.

CANON X.

PIUS V. Conſtit. XXXVIII. §. 3. Bull. Rom. Tom. 2.

Ann. 1567. APoſtolicæ Sedis poſcit Auctoritas: *Et infrà*: Nos conſiderantes, quod annatarum Communium, & aliorum jurium prædictorum exactio, in recognitionem univerſalis Dominii introducta, eſt antiquiſſima, quindenniorumque uſus, & ſolutio ideo adinventi ſunt, nè Camera prædicta in Monaſteriorum, Prioratuum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum unionibus, quæ amplius vacare non ſperabantur, detrimentum aliquod pateretur; volentes Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ac venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, nec non Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Officialium participantium jura præſervare, illorumque indemnitati conſulere, ad omne dubium, omnemque diſputandi, & excipiendi occaſionem tollendam, motu ſimili &c. omnia, & ſingula Monaſteria, tam Sæcularia, quàm quorumvis Ordinum Regularia, dummodo in libris ejuſdem Cameræ taxata reperiantur, reliqua verò Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, tam Sæculares, quam quorumvis Ordinum Regulares, necnon Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, Officia, & alia quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi manualia, & de jurepatronatus exiſtant, quorum fructus &c. ſummam 24. Ducatorum auri de Camera ſe. co. æſt. valorem annuum excedunt, à quocumque tempore citra, etiam ante fel.record.Martinum Papam Quintum ſimiliter Prædeceſſorem noſtrum, & per nos, & Succeſſores noſtros quibuſcumque Cathedralibus etiam Metropolitanis, ſeu Collegiatis Eccleſiis, aut Capitularibus menſis, etiam pro quotidianis diſtributionibus, aut aliis uſibus, necnon Collegiis, Univerſitatibus, Congregationibus quorumvis Ordinum, Monaſteriis, Domibus, Hoſpitalibus, Fabricis, ac utriuſque ſexus Perſonarum, piis locis,

cis, quantumvis Privilegiatis, & exemptis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, Apoſtolica authoritate unita, ſeu aliàs quomodolibet, & quovis titulo obtenta, & poſſeſſa, ſub literis Pauli II., & aliorum Prædeceſſorum hujuſmodi comprehendi, & includi. Et propterea omnia, & ſingula Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Eccleſiarumque, Collegiatarum Capitula, Congregationes, Univerſitates, Collegia, Hoſpitalia, & pia Loca, & quivis alii, in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & ſubmiſſiones hujuſmodi factæ reperiuntur quantumcumque, ut præfertur, exemptæ, & privilegiatæ exiſtant, etiamſi ſe ſuperinde in Camera Apoſtolica non obligaverint, dummodo Monaſteria, & Beneficia ipſa poſſideant ad ſolutionem Communium annatarum, & aliorum jurium prædictorum eidem Cameræ pro tempore, præterito, ſalvis Collegii, & Officialium juribus quoad futura remanentibus, ratione unionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & ſubmiſſionum prædictorum ſingulis quindecim annis à die, qua illæ ſuum ſortitæ fuerunt effectum, & aliàs juxta tenorem Literarum in forma motus proprii à Julio II. prædeceſſore prædicto, ſuper applicatione quindenniorum prædictorum ejuſdem Cameræ facta deſuper emanatarum, faciendam teneri, & obligatos eſſe, & ad id per Sententias, Cenſuras, ut pœnas in ſingulis Pauli II., & aliorum Prædeceſſorum hujuſmodi literis contentas cogi, et compelli poſſe.

CANON XI.

SIXTUS QUINTUS Conſtit. XXXIII. §. 2. *Bull. Rom. Tom.* 2.

CAmeræ noſtræ Apoſtolicæ: *Et infrà*: Præterea quoniam quindenniorum uſus, & ſolutio ratione Beneficiorum unitorum conſtituta ſunt, quia illorum vacatio amplius non ſperatur, & ut propterea damnum ex hoc Cameræ Ann. 1586.

Apo-

Apoſtolicæ, & Collegio Cardinalium, & Romanæ Curiæ Officialibus prædictis emergens ſarciatur: nos attendentes, quod tantundem detrimenti Cameræ, Collegio, & Officialibus præfatis ex unionibus, quæ ab Ordinariis Locorum, & aliis fiunt, provenit, ac propterea æquum eſſe cenſentes, ut quod in unionibus per Sedem Apoſtolicam factis obtinet, illud idem, & fortius in unionibus per ipſos Ordinarios factis, & faciendis obſervetur, licetque in Conſtitutionibus, & literis Prædeceſſorum præfatorum comprehendi videatur, tamen, ut cuivis dubitandi occaſio præcidatur, motu, et ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, et declaramus, quod uniones, annexiones, incorporationes, applicationes, et ſubmiſſiones, de quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quam regularibus, etiamſi Monaſteria Monialium, et Hoſpitalia fuerint, quæ tamen tempore ipſarum unionum cura, Conventu, et Hoſpitalitate caruerint, et quorum ſingulorum, vel ſi plura Beneficia unicis literis comprehenſa ſint, quorum quodlibet annuus valor viginti quatuor Ducatos auri de Camera, ſecundùm communem exiſtimationem non excedat, dummodo tamen omnium in ſimul illum tranſcendat, cuicumque Eccleſiæ, Monaſterio, Collegio, Domui, Societati, Congregationi, Ordini, Militiæ, Hoſpitali, Seminario, aut alii loco Pio, tam per quoſcumque Rom. Pont. Prædeceſſores noſtros, ac nos, nec non Sedis præfatæ Legatos, Nuntios, & alios quoſcumque ſubdelegatos, & aliàs, quomodolibet Auctoritate Apoſtolica, quàm per quemcumque Loci ordinarium in qualibet Mundi parte hactenùs factæ, & faciendæ, etiamſi manualia, & de jurepatronatus Laicorum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, Marchionum, Baronum, Comitum, & aliorum Nobilium, & illuſtrium illa Beneficia fuerint, ſub dictorum Prædeceſſorum Conſtitutionibus, ac declarationibus omninò comprehendantur, & includantur, ac ab omnibus comprehenſæ, & incluſæ cenſeantur;

Et propterea omnia, & ſingula Cathedralium etiam metropolitanarum, Collegiatarumque Eccleſiarum Capitula, Congregationes, Societates, Univerſitates, Collegia, Seminaria, Hoſpitalia, Monaſteria, & pia loca hujuſmodi, & quivis alii, in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & ſubmiſſiones hujuſmodi factæ reperientur, aut poſt hac fient, quantumcumque exemptæ, & privilegiatæ exiſtant, etiamſi ſe ſuperindè in Cam. Apoſt. non obligaverint, dummodo Beneficia ipſa poſſideant, ad ſolutionem quindenniorum præfatorum eidem Cameræ, & Collegio, & Officialibus, ratione unionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & ſubmiſſionum præfatarum, ſingulis quindecim annis, à die, quo illæ ſuum ſortitæ fuerint effectum juxta tenorem Literarum Prædeceſſorum præfatorum ſuper hoc editarum faciendam teneri, & obligatos eſſe, & ad id per ſententias, Cenſuras, & pœnas in ipſis Literis contentas cogi, & compelli poſſe.

COMMENTARIUM.

Ex his Canonibus ſequens deducitur concluſio.

1. Beneficia etiam de jurepatronatus sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum, etiam Imperatorum, Regum, Ducum, et aliorum nobilium, et illustrium, Monasteriis, aut piis Locis perpetuo unita, et de cætero non vacantia, quindennia Reverendæ Cameræ solvere tenentur = Quam concluſionem probant etiam *Fagnan. in cap. præterea nè prælat. vices ſuas num.*13. *Pariſ. de reſignat. lib.*4. *quæſt.* 10. *n.*4. *Tondut. de penſion. cap.*10. *num.*17. *&* 19. *Novar. in ſumma Bullar. comment.* 146. *à num.*9. *uſque ad* 17. *Lotter. de re benef. lib.*1. *quæſt.*29. *num.*1. *& ſeqq. Barboſ. in ſumm. Apoſtolic. deciſ. collect.*626. *per tot. Card. de Luc. de benef. diſc.*89. *num.*3. *Amayden. de ſtilo Datar. lib.*1. *cap.*18. §.4.*num.*1. *& ſeqq. Antonell. de tempor. legal. lib.*2. *cap.*25. *num.*13. *Vermigliol. conſ.*476. *num.*2. *Panimol. deciſ.*4. *num.*5. *Rot. dec.*2. *num.*14. *coram Cerro, & dec.*1410. *num.*1. *& ſeqq. cor. Seraph., & dec.*474. *num.*19. *par.*9. *tom.*2. *rec.*

2. Summus Pontifex Paulus Secundus animadvertens, quod ex unionibus Beneficiorum, & Eccleſiarum, quæ fiebant Monaſteriis, aut aliis Locis piis damnum in Officiales Sedis Apoſtolicæ derivabat, quia cùm non vacaret amplius beneficium, ſive Eccleſia per obitum, Annatarum redditus exigere non poterant, ad reſarciendum proinde prædictum damnum ſtatuit in ejus Conſtitutione, quæ *in Bullar. nov. tom.*1. eſt in ordine *la* 6. §.4., quod ſingulis quindecim annis Monaſteria, & quæcumque aliæ manus mortuæ, quibus unio Eccleſiarum, aut Beneficiorum facta eſſet, ſolverent Cameræ Apoſtolicæ ex bonis Eccleſiarum quamdam quotam, quæ à tempore, quo fieri debebat, quindennium dicta eſt; Ac inſuper *in* §.5. decrevit ad hoc eos, quorum intereſt, infra anni ſpacium ſe in eadem Camera efficaciter, & cum effectu ad hanc ſolutionem obligare debere, & denique *in* §.6., adjecit, ſi à ſolutione, aut obligatione præmiſſis ceſſa-

re præſumerent, uniones, annexiones, & incorporationes hujuſmodi haberi penitus pro infectis, & ſic unita Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, Officia, & cujuſvis qualitatis, aut generis beneficia hujuſmodi tanquam verè vacantia poſſe liberè à Sede Apoſtolica impetrari.

Hanc Pauli ſecundi conſtitutionem poſt plures alios Romanos Pontifices, nimirum Julium II. *Conſtit.*4. Pauli IV. *Conſtit.*17. *Bull. Rom. nov. tom.*1. confirmarunt, & approbarunt Pius V. & Sixtus V. in his *Canonibus* illam extendentes etiam ad Beneficia Jurispatronus Laicorum, Imperatorum, Regum, Ducum, & aliarum Perſonarum Illuſtrium; moti ex eadem ratione relevandi videlicet Cameram Apoſtolicam à damnis, quæ patitur ex unionibus beneficiorum ad manus mortuas; Qui *Canones* fuerunt ſucceſſivè etiam confirmati, & renovati ab Urbano VIII. *Conſtit.*26., & à Clemente X. *Conſtit.*5c. *Bull. Rom. nov. tom.*4.

Quoad hanc concluſionem ſequens examinatur caſus.

ARGUMENTUM.

Beneficia Patronalia unita pro dote Monaſterii an ſolvere debeant Quindennia; & de requiſitis neceſſariis ad hoc, ut Beneficia unita manibus mortuis ſint ſubjecta ſolutioni Quindenniorum.

SUMMARIUM.

1 *Uſus Annatarum eſt antiquiſſimus.*
2 *Enumerantur ſpecies annatæ.*
3 *Refertur ſententia* Vermiglioli conſ.746. num.6.
4 *Dotationes Eccleſiarum debent eſſe exemptæ ab omnibus oneribus*. Intellige, ut num.11.
5 *Annata, & quindennia ſunt onera.*
6 *Quindennia an debeantur ſi concurrat obſervantia in contrarium.*
7 *Beneficia unita pro dote, ſive augumento dotis Monaſterii ſolvere debent quindennia.*
8 *Enumerantur requiſita neceſſaria ad effectum, ut beneficia ſubjecta dicantur ſolutioni quindenniorum*, & n.9. & 10.

CASUS UNICUS.

De conſenſu Patroni unitum fuit Beneficium A cuidam Monaſterio ex cauſa illius dotationis, ſive augumenti dotis; Abbas autem ſucceſſivè detractavit ſolvere Quindennia Rev. Cameræ ratione dicti beneficii, eo ſub fundamento, quod illud eſſet unitum pro dote, ſive augumento dotis ejuſdem Monaſterii; Quæritur an idem beneficium in hoc caſu ſit ſubjectum ſolutioni quindenniorum?

Ut clarius hujuſmodi quindenniorum natura, & qualitas dignoſcantur, (latratibus, & declamationibus, quæ in hac materia ab exteris, ſive ex malignitate, ſive ex ignorantia fieri ſolent, minimè attentis,) illud præſupponendum venit,
1 quod Summi Pontifices tempore antiquiſſimo, & immemorabili in recognitionem univerſalis dominii, quod habent ſuper omnibus mundi beneficiis, exigunt ab eis vacantibus certam quantitatem fructuum primi anni, quæ *Annata* dicitur; & quidem hujuſmodi exactio juſtiſſima eſt, & à Dominico præcepto procedere teſtatur Apoſtolus, 1. *ad Corinth.* 9. ibi = *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam, quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit &c.* = Et paulo inferius = *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus? Neſcitis, quod qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt edunt, & qui Altari deſerviunt, de Altari participant* =.

2 Annata autem eſt nomen genericum continens in ſe plures ſpecies; Alia enim eſt annata propriè ſumpta, quæ ſolvitur pro beneficiis inferioribus, & eſt dimidia pars veri annui valoris fructuum beneficii vacantis; Alia eſt, quæ dicitur *Commune ſervitium*, eo quod ejus dimidium tribuitur Papæ, reliquum S. Collegio Cardinalium, & inter ipſos Cardinales præſentes dividitur, & quæ ſolvitur pro beneficiis conſiſtorialibus; & eſt quantitas certa pro quolibet Epiſcopatu, vel Abbatia conſiſtoriali ſecundum antiquam taxam ſolvenda. Alia, quæ dicitur *minuta ſervitia*, quæ ſunt quinque portiunculæ,

læ, quæ ſecundum proportionem taxæ fructuum Epiſcopatus, vel Abbatiæ inter certos Papæ miniſtros, & Officiales diſtribuuntur, & appellantur *Minuta*, quia ſunt minutæ partes Annatæ, & quia partiuntur inter minores Miniſtros; Alia, quæ dicitur *Quindennium*, & eſt illa quantitas fructuum, quæ de quindecim, in quindecim annos pro beneficiis perpetuo unitis ſolvitur ab illis in quorum favorem talia beneficia ſunt unita.

3 His præſuppoſitis videtur præfatum beneficium in præſentiarum non eſſe ſubjectum ſolutioni quindenniorum, ſiquidem fuit unitum, & aſſignatum in dotem, ſive in augmentum dotis Monaſterii, quo ſtante, non comprehenditur ſub diſpoſitione horum *Canonum*, nec pro illo ſolvi debent quindennia, ut expreſsè tuetur *Vermigliol. conſ.* 476. *num.* 6. ibi = *Siquidem has deciſiones, aliaſque authoritates in his quoque terminis Quindenniorum, ut exceptæ ſint ab eis uniones factæ ex cauſa dotationis, vel augmenti dotis neceſſario pro ſuſtentatione Cultus Divini* =.

4 Et quidem ſumma æquitate, nam erectiones, & dotationes Eccleſiarum ex natura ſua debent eſſe exemptæ ab omnibus oneribus, & gravaminibus tum ſæcularibus, tum Eccleſiaſticis juxta uſum ab initio naſcentis Eccleſiæ practicatum, de quo *in can.* 63. *Concil. Melden. & can.* 50. *Vormatien.* cum aliis relatis per *Nicol. le Mayſtre de bon. & poſſ. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 3. & *Carol. de Freſnè in Gloſſ. tom.* 2. *verſ. Manſus Eccl. pag.* 399., & ita Sancitum habemus à Pontificibus *in cap.* 1. *de cenſibus, & cap. ſancitum* 23. *quæſt.* 8. *Fagnan. in cap. non minus n.* 8. *de immunit. Barboſ. vot. deciſ.* 41. *num.* 6. & *collectan. Apoſtolic.* 345. *n.* 6. & *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 39. §. 5. *n.* 8. Annatam verò, & quindennia onera eſſe non ambigitur. *Burſatt. conſ.* 126. *num.* 3. *Lotter. de re beneſ. lib.* 3. *q.* 20. *n.* 24. Hinc ſicuti bona Eccleſiaſtica primæ erectionis, & dotis non ſubjacent decimis, redecimis, ſubſidiis, & aliis Canonicis contributionibus, ita nec debent ſubjacere quindenniis propter uniones debitis, ſicuti nec ſubjacent regulis ipſis unionum revocatoriis. *Lotter. de re beneſ. lib.* 1. *quæſt.* 29. *num.* 15. *Turricell. de union. cap.* 15. *n.* 40. *Rot. dec.* 982. *num.* 1. *coram Seraph. & deciſ.* 449. *num.* 6. *coram Cavaler.*, & *deciſ.* 787. *num.* 1. *coram Buratt.* & *deciſ.* 57. *num.* 4. *par.* 2. & *dec.* 109. *n.* 14. *par.* 6. *rec.*

6 Fortiùs ſi concurreret obſervantia plusquam centenaria non ſolvendi quindennia, quæ non ſolùm demonſtraret à parte rei indebitam eſſe omnem quindenniorum prætenſionem, ſed etiam conferret meliorem titulum de mundo, atque propterea Apoſtolicam exemptionem etiam cauſa onerosa præſumibilem, ut tradunt *Card. de Luc. de regal. diſc.* 162. *num.* 9. & *ſeq.*, & *de beneſ. diſc.* 39. *num.* 5. *Vermigliol. dicto conſ.* 476. *num.* 9. *Rot. cor. Seraph. dec.* 1400. *n.* 8.

7 Sed his non obſtantibus cenſeo Abbatem præfati Monaſterii teneri ſolvere quindennia pro dicto beneficio; Con-
8 currunt namque omnia requiſita neceſſaria ad effectum, ut beneficium ſubjectum dicatur ſolutioni quindenniorum; ſiquidem concurrit unio dicti beneficii facta Monaſterio, quæ eſt unum ex requiſitis ad ſolutionem quindenniorum, ſive ſit tituli extinctiva, ſive æquè principalis, utroque enim caſu beneficium unitum tenetur ſolvere quindennia, quia in utroque caſu, verificatur quod non detur amplius vacatio per obitum, & quod non ſit locus ſolutioni Annatæ, quæ præcedenter ad ſtatum unionis ſolvebatur, & quia in Bulla ſexta Pauli Secundi ſtatuitur quod quindennia ſolvantur de bonis Eccleſiarum, aut beneficiorum, quæ fuerint manibus mortuis *unita, incorporata, annexa, applicata, atque ſubmiſſa*; Cum itaque hæc omnia differant inter ſe *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. §. 7. *n.* 155. unionis verbum ſtat loco generis, cujus generis cujus ſpecies ſunt incorporatio, annexio, applicatio, atque ſubmiſſio. Incorporatio autem denotat unionem tituli extinctivam; annexio verò, applicatio, atque ſubmiſſio, unionem æquè principalem, uti hæc omnia verba explicando proſequitur *Mandoſ. ad regul. Cancell. regul.* 12. *quæſt.* 1. *à num.* 3. *uſque ad finem*; proinde ſolutio quindenniorum debetur, ſive agatur de unione tituli extinctiva, ſive æquè principali.

9 Concurrit etiam exceſſus viginti quatuor ducatorum, dum fructus prædicti beneficii excedunt viginti quatuor ducatos, quod eſt aliud ex requiſitis neceſſa-

riis; etenim ſi beneficia (non computatis tamen diſtributionibus quotidianis, pro quibus non ſolvitur annata, neque commune, & minuta ſervitia;) non excedant viginti quatuor ducatos, pro eis non ſolvuntur annatæ, & conſequenter nec quindennia; ſic in Beneficiis Germaniæ, quia ex Privilegio Apoſtolico in eis expreſſio veri valoris fieri ſolùm conſuevit per non exceſſum 24. ducatorum, quamvis eſſent multo majoris valoris, de eis non ſolvitur annata; Et è contra ſi excedunt viginti quatuor ducatos ſolvere debent annatam, etiamſi eſſent beneficia jurispatronatus laicalis, ac Imperatorum, & Regum. *Fagnan. in cap. præterea nè Præl. vices ſuas n.94. Lotter. de re benef. lib.1. quæſt.29. num.2. Tondut. de penſion. cap.10. n.14. & ſeqq. Barboſ. collect. dec.28. n.1. Rot. dec.1410. cor. Seraph.*

10 Concurrit denique, quod idem beneficium ante ejus unionem ſolvebat annatam; quibus omnibus concurrentibus neceſſariò dici debet ſubjectum ſolutioni quindenniorum, juxta diſpoſitionem horum *Canonum*, ob rationem in *Commentario* deductam, & Auctoritates ibi relatas.

11 Minimè relevante quod ſæpè dictum beneficium ſit unitum pro dote, ſive augumento dotis Monaſterii, quæ debet eſſe exempta ab omnibus oneribus, & gravaminibus, quia exemptio ab oneribus, qua fruuntur bona dotalia, ſeu primæ erectionis Monaſteriorum, intelligitur de illis oneribus, quæ de novo imponuntur, non verò de oneribus realibus, & infixis eiſdem bonis, uti eſt ſolutio annatæ, quæ eſt realis, & infixa fructibus beneficii excedentibus annuos ducatos 24. illa enim tranſeunt cum eiſdem bonis, uti teſtantur *Abbas in cap. novum genus ſub n.6. de decim. Rebuff. eod. tract. q.5. n.20. Barboſ. de jur. Eccleſ. lib.3. cap.26. §.3. num.11. Rot. cor. Zaratt. deciſ. 74. num.38. & coram Cerr. dec.544. n.16. & alii penes Rot. in Pampilonen. decimarum 28. Januarii 1704. §. Bona enim, coram R. P. D. bo. me. Muto.*

CANON XII.

PIUS V. Conſtit. XLVII. §. 4. *& ſeq Bull. Rom. Tom. 2.*

Ann. 1567. AD exequendum Paſtoralis officii debitum vigilantibus ſtudiis intendentes: *Et infrà*: Volumus inſuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum Electionem, ſed ad nominationem illorum, in quorum Eccleſiis unitis, ponentur, cum ipſorum ordinariorum, ſeu eorum Vicariorum prævio examine, et approbatione deputentur. Etſi dictæ Parochiales unitæ erunt Monaſteriis Regularium Mendicantium, poſſint à ſuperioribus dictorum Monaſteriorum nominari ex ipſis Mendicantibus, quos ſi ordinarii prævio examine per ſe, aut eorum Vicarios faciendo idoneos ad curam Animarum exercendam invenerint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen ſuperiorum ſuorum amovibiles deputare. Idemque etiam ſervetur in Regularibus Monachis

tantum

tantum, dummodo in ea Parochiali, in qua unus ex Monachis fuerit, ſervata forma prædicta, Vicarius deputatus, habitent cum eo ſaltèm quatuor alii ex dictis Monachis.

CANON XIII.

Idem Conſtit. CXXXIX. §. 2. Bull. Rom. Tom. 2.

ETſi omnibus univerſi orbis Eccleſiis divina diſpoſitione præſidemus: *Et infrà*: Idcircò expediens, immò, & neceſſarium fore duximus, ut in ſingulis Baſilicis, & Eccleſiis prædictis ſinguli Vicarii perpetui, congrua fructuum, & proventuum portione, qua honeſtè ſuſtentari valeant, eis aſſignata, prout in Sacro Concilio Tridentino, & aliàs à nobis per noſtras literas ſtatutum eſt, ponantur, & deputentur, qui animarum Curam hujuſmodi eò diligentius, ac vigilantius gerant, quo magìs eam propriè ad ſe pertinere, & ſibi incumbere noverint. Quapropter, & ejuſdem Concilii, & noſtris hujuſmodi ſtatutis inhærentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis Plenitudine in ſingulis ex Baſilicis, & Eccleſiis ſupradictis, ſingulas Vicarias perpetuas pro ſingulis Vicariis perpetuis, qui Curam Animarum Baſilicis, & Eccleſiis reſpectivè incumbentem gerere, ac Sacramenta Eccleſiaſtica ibi miniſtrare, Miſſas celebrare, & alia juxta providam ordinationem pro tempore exiſtentis in Urbe Vicarii noſtri in Spiritualibus Generalis, cuique aſſignanda onera ſubire debeant, ad nominationem dictorum filiorum Capituli cujuslibet ex eiſdem Baſilicis, & Eccleſiis, quæ nominatio ſit ex numero approbatorum ab eodem Vicario, prævio illorum examine, coram Examinatoribus ad id in ipſa Urbe deputatis per dictum Vicarium, ſeu Vicarii Viceſgerentem, inſtituen. ponen., & deputan. perpetuò erigimus, & conſtituimus. Ann. 1571.

COMMENTARIUM.

Ex his Canonibus ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = Vicarii Eccleſiarum Parochialium unitarum deputari debent ad nominationem illorum, in quorum Eccleſiis unitis ponuntur, prævio examine, et approbatione Epiſcopi = .

Secunda = In undecim Eccleſiis Almæ Urbis deputandi ſunt totidem Vicarii perpetui, aſſignata eis congrua ſuſtentatione, ad nominationem cujuslibet Capituli ex eiſdem Eccleſiis, prævio examine coram Examinatoribus in Urbe deputatis = . Quæ concluſiones probantur etiam *ex Concilio Tridentino cap.7. ſeſſ.7. de reform. & cap.11. ſeſſ.25. de regul.*, & eis ſequuntur *Cochier. ad regul.8. Cancell. gloſſ.1. num.8. in fin. Turricell. de unione cap.4. n.55. Rot. dec.62. n.2. & dec.886. n.8. & ſeq. cor. Cerro, & dec.214. num.1. cor. Burratt.*, *& dec.595. n.3. cor. Cavaler. & in Fanen. juriſdictionis 5. Junii 1705. §. Qua unione, & §. Cum ergo, coram bo. me. R.P.D. Caſſarello, & in Novarien. Parochialis, ſeu Vicariæ S. Martini 22. Junii 1705. §. Fundamentum, coram bo. me. Eminentiſſimo Caprara, & in Tarraconen. Parochialis de Vimbodino 15. Januarii 1706.* ſuperius impreſſ. *Part. 2. Can. 21. caſ.14. num.23.* & aliæ Auctoritates ibidem relatæ *num.6.*, *& in Forolivien. Parochialis 26. Aprilis 1706. §. Prout neque urget, cor. bo. me. Omaña, & in Friſingen. juris deputandi Curatos 24. Martii 1713. §. Complicato, cor. R.P.D. Anſaldo impreſſ. Par. I. Can. V. caſ.14. num.12. & in Compoſtellana Parochialium 13. Martii 1716. §. Juſtificatio, coram R.P.D. eodem.*

1 Salubriter providens D. Pius Parochialibus unitis Cathedralibus, Collegiatis, Monaſteriis, aliiſque Eccleſiis aut Locis, diſpoſuit ibi ponendos Vicarios perpetuos, prævio examine, & approbatione Epiſcopi, ac aſſignatione congruæ ad nominationem eorum, qui repræſentant Cathedrales, Collegiatas, Monaſteria, aut alias Eccleſias, quibus eædem Parochiales ſunt unitæ, exceptis Parochialibus pleno jure unitis Monaſteriis Mendicantium, & Monachorum, in quibus permiſit Superioribus poſſe nominare, & deputare Vicarios Regulares proprii ordinis ad eorum nutum amovibiles, uti habetur in hoc *Canone XII.*, qui quidem non fuit revocatus per ſucceſſivam Conſtitutionem nonam Gregorii XIII., de qua *Bull. Rom. tom.2.* niſi in ea parte, in qua diſpoſuerat Vicarium Regularem ſumere debere ſecum in ſocios quatuor Monachos, diſponendo ſufficere unum dumtaxat ſocium, ut animadvertunt *Gonzal. ad regul.8. gloſſ.5. §.4. n.79. Cherubin. in compend. Bull. ad hanc Conſtit.47. S.Pii V. ſchol.1. Rot. dec.88. n.17. & ſeqq. par.9. tom.1. rec. & dec.886. n.8. & ſeqq. cor. Cerro, & dec.12. ſub n.8. poſt Monacell. in formul. tom.2. & in dicta Friſingen. juris deputandi Curatos 24. Martii 1713. §. Et ſecundo, coram*

2 *R.P.D. Anſaldo*. Nimirum voluit quod Capitulum Cathedralis, ſive Collegiatæ, aut Abbas tradat Vicario electo nominationem in ſcriptis, ab illo præſentandam Epiſcopo, ut penès acta remaneat, cui Epiſcopus, prævio examine, ad curam Animarum idoneo reperto, facultatem in ſcriptis illam exercendi tradere debeat, & Vicarius teſtimonium hujuſmodi facultatis oſtendere Abbati, & prævia Sacræ ſuppellectilis conſignatione ſola per Abbatem, vel ejus miniſtros facienda Vicariæ poſſeſſionem capere teneatur, uti explicat *Rot. dec.15. n.46. & dec.85. n.23. cor. Peutinger.*, *& in Fanen. juriſdictionis 5. Junii 1705. §. Cum ergo, cor. R.P.D. Caſſarello*. Succeſſivè etiam animadvertens in Parochialibus Eccleſiis Almæ Urbis, ob Parochiarum amplitudinem, Animarum curam, ab iis, ad quos ea ſpectat, ſæpè negligi, inſtituit undecim Vicarias perpetuas in totidem Baſilicis, & Eccleſiis ejuſdem Urbis cum aſſignatione portionum, & obventionum pro ſingulis earum, videlicet in Baſilica S. Joannis Lateran. & Principis Apoſtolorum de Urbe, item S. Mariæ in Via Lata, & ejuſdem S. Mariæ Tranſtiberim, & S. Laurentii in Damaſo, & S. Marci, & S. Angeli in foro Piſcium, nec non S. Quirici in Montibus, & S. Nicolai in Carcere Collegiatæ, S. Blaſii della Pagnotta, & S. Catharinæ della Rota; concedendo facultatem nominandi Vicarios perpetuos cuilibet Capitulo ex eiſdem Baſilicis, & Eccleſiis, ex numero tamen approbatorum ab Eminentiſſimo Vicario, prævio illorum examine coram Examinatoribus ad id in ipſa Urbe deputatis per eumdem Eminentiſſimum Vicarium, ſeu ejus Viceſgerentem.

De hujuſmodi Vicariis deputandis in Eccleſiis Parochialibus pleno jure unitis Monaſteriis Regularium; & de congrua eis aſſignanda jam nonnulla ſuperius tetigimus *Part.II. Can.XXI. Caſ.IV. & Par.IV. Can.I. Caſ.II.* Quoad verò nominationem eorumdem Vicariorum in Parochialibus unitis, ſequentia adduntur.

ARGUMENTUM.

An nominatio Vicarii in Eccleſia Parochiali unita Capitulo Cathedralis ſpectet ad idem Capitulum, etiam ſi fuerit ſequuta vacatio in menſe reſervato. Et an Vicariæ unitæ provideantur per concurſum.

SUMMARIUM.

1 *Parochialis vacans in menſe reſervato, eſt Sedi Apoſtolicæ libere reſervata, & eſt conferenda per concurſum.* & n.2. Limita, ut n.4. & 6.

3 *Curam habitualem exiſtere penès Capitulum, ex quibus reſultet?* Vide ibi.

4 *Parochialis unita Capitulo aut alteri loco pio, eſt providenda ad ejuſdem Capituli, ſeu aliorum nominationem, etiam ſi vacaverit in menſe reſervato.* ut n. 6. & 19.

5 *Quando concurrit reſervatio ſpecialis, Parochialis unita eſt conferenda per Summum Pontificem abſque ulla nominatione Capituli, aut Abbatis.* & n.20. & 26.

7 *Parochialis, ſeu Vicaria unita non eſt conferenda per concurſum.*

8 *Capitulum, vel Abbas, an in nominationibus Vicariorum ad Parochiales unitas uti poſſit verbo* deputamus.

9 *Admiſſa per Summum Pontificem reſignatione Parochialis, ſeu Vicariæ unitæ Monaſterio, cum prohibitione nè alius pro ea vice diſponat, non poteſt Abbas ad illam nominare; etiam ſi Bullæ Pianæ non fuerit ſpecialiter derogatum.* & num. 21. & 22.

10 *Papa in admiſſione reſignationis Parochialis unitæ Monaſterio, non præſumitur præjudicare voluiſſe Abbati, niſi fuerit facta mentio unionis.*

11 *Scientia unionis Parochialis Monaſterio, ſeu pertinentiæ nominationis Vicarii ad Abbatem, ex quibus præſumatur in Papa?* vide ibi & n.12. 13. & 14.

15 *Beneficia unita non ſunt reſervationibus ſubjecta.*

16 *Verba* nominatio, præſentatio *ſæpè accipiuntur pro ſynonymis.*

17 *Inſtantanea correctio nunquam præſumitur, ſed quantùm fieri poteſt, eſt evitanda.*

18 *Clauſula*, dummodo collatio ad nos hac vice pertineat, *jura inferioris Collatoris præſervat.*

22 *Vicariæ dimiſſæ in manibus Pontificis ad favorem certarum Perſonarum, juxta ſtylum Datariæ, & Cancellariæ liberè per Sedem Apoſtolicam conferuntur Reſignatariis, abſque ulla nominatione eorum, ad quos ſpectat nominare Vicarios, & abſque ſpeciali derogatione Bullæ Pianæ.*

23 *Styli probatio quando concurrere dicatur.*

24 *Ad probationem ſtyli an requiratur, quod ipſe ſit canonizatus in contradictorio judicio.*

25 *In proviſionibus beneficiorum reſignatorum juriſpatronatus laicalis, apponitur clauſula* de conſenſu Patronorum; *ſecus ſi beneficia reſignata ſint juriſpatronatus Eccleſiaſtici.*

CASUS UNICUS.

Vacata Parochiali unita Capitulo Cathedralis in menſe Januarii, Canonici capitulariter congregati nominarunt in Vicarium quemdam Sacerdotem, cujus inſtitutioni ſe oppoſuit Epiſcopus, eo ſub motivo, quod dicta Parochialis utpote vacata in menſe reſervato ſit per Sedem Apoſtolicam liberè abſque ulla nominatione conferenda, prævio concurſu ad formam Concilii Tridentini; Quæritur an hujuſmodi Parochialis ſit eidem S. Sedi liberè reſervata, & an ſit conferenda per concurſum?

1 Affirmativam reſolutionem dubii, quo ad utramque ſui partem prima facie ſuadent circumſtantia temporis vacationis Parochialis, ſeu Vicariæ, & illius qualitas, & natura; Siquidem ipſa vacavit menſe Januarii ex vi Regulæ IX. reſervato, & eſt juriſpatronatus Eccleſiaſtici, cùm nominatio ſpectet ad Capitulum Cathedralis; ac habet annexam curam Animarum;

marum ; nullum proinde dubium videtur eſſe poſſe quin ſit reſervationi menſium obnoxia ad tramites ejuſdem Regulæ IX. de qua infrà *Can. XXIII.* ibique *Gonzal. gloſſ.* 18. *nu.*6. *Garz. de beneſ. par.*1. *cap.*5. *n.*472. *Rot. deciſ.*415. *nu.* 6 *coram Bich. & deciſ.* 307. *num.*6. *coram Peutinger. & in Cracovien. Cantoriæ* 25. *Januar.* 1700. §. *Quamvis coram R. P. D. Lancetta*, *& in Leodien Beneficii.* 29. *Novembris* 1706. §. *Minuſque coram bo. mem. Omanna*, *& in Abulen. Cappellaniæ* 26. *Januar.* 1715. §. *Reſervatio coram Eminentiſſimo Scotto*;
2 ac quin ſit conferenda prævio examine per concurſum juxta cenſuram, & præſcriptionem Sacri Concilii Tridentini *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. de quo ſupra *Par. V. Can. X.* & auctoritates ibi in *Commentario* relatas.

Sed veritas eſt in contrarium; Agitur enim de Eccleſia Parochiali unita Capitulo Cathedralis, ſeu de præexiſtentia curæ habitualis penès Capitulum, ut
3 apertè reſultat, tum ex ipſo inſtrumento unionis, tum ex conjecturis, & præſumptionibus, nimirum ex eo, quod Capitulum aſſignet proviſio de dicta Parochiali domum ad habitandum, & conſignet ſuppellectilia ſacra cum obligatione illa reſtituendi Capitulo; & idem proviſus promittit, ac jurat, quod erit fidelis, & obediens, & quod bona Parochialis conſervabit, & non alienabit, abſque Canonicorum conſenſu, ac licentia; Ex quibus actibus denotari curam habitualem reſidere penès Capitulum, & ſolum exercitium curæ penès proviſum exiſtere docent *Lotter. de re beneſ. lib.*1. *cap.*14. *n.*94. *Rot. deciſ.* 252. *nu.*8. *& ſeq. coram Priolo, & deciſ.* 75. *n.*6. *coram. Carill. & dec.* 48. *nu.* 5. *par.* 10. *& deciſ.* 516. *nu.* 8. *& ſeq. par.* 18. *rec. & in Novarien. Parochialis, ſeu Vicariæ S. Martini* 22. *Junii* 1705. §. *Secundo coram bo. mem. Eminentiſs. Caprara*;
4 Unde ſequitur, quod hujuſmodi Parochialis, ſeu Vicaria providenda ſit ad nominationem ejuſdem Capituli juxta claram diſpoſitionem horum *Canonum*, & auctoritates ibi in *Commentario* allatas.

Nullatenus adverſante, quod eadem Parochialis vacaverit in menſe reſervato; ex hoc non ſequitur, quod ſit liberè reſervata Sedi Apoſtolicæ, ſeu quod non ſit providenda ad nominationem Capituli; Duplex namque diſtinguenda eſt reſervatio, alia eſt generalis, ut eſt illa menſium, & alia ſpecialis proveniens ex appoſitione manus Pontificis, cum prohibitione ne alius preter ipſum, ea vice,
5 de beneficio diſponat. Quamvis Eccleſia Parochialis unita Capitulo, aut Monaſterio, aut aliis locis piis, quando concurrit reſervatio ſpecialis, ſit liberè providenda per Summum Pontificem abſque ulla nominatione Capituli, aut Abbatis,
6 tamen quando concurrit reſervatio generalis, prout in præſentiarum, proviſio fieri debet prævia Capituli, ſive aliorum nominatione, ut bene diſtinguendo firmat *Rota in Forolivien. Parochialis* 26. *Aprilis* 1706. §. *Prout neque coram R.P.D. bo. mem. Omanna inferiùs impreſſ. & noviſſimè in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Non attento coram R.P.D. Anſaldo* ibi = *Non attento*, *quod vacatio ſequuta fuerit in menſe reſervato*, *namque Divus Pius huic etiam providit caſui*, *declarando Parochiales unitas vacantes in menſe reſervato eſſe providendas ad nominationem Abbatis*, *ſolummodo præſervato intereſſe Datariæ mediante ea lego*, *quod nominatus in Parochum*, *ſeu Vicarium*, *novam teneatur expedire proviſionem Apoſtolicam*, *qua propterea ſtante clara declaratione Vicarias vacatas in menſibus ſub reſervatione cadentibus ſpectare ad nominationem Abbatis perpetuò tenuit noſtrum Auditorium* =

7 Qua ſtante unione, ac præexiſtentia curæ habitualis penès Capitulum, ſequitur etiam, quod eadem Parochialis non ſit conferenda per concurſum, ſed ſolùm prævio examine, & approbatione Epiſcopi, dum in proviſionibus Parochialium unitarum, ſeu Vicariarum excluditur concurſus juxta diſpoſitionem hujus *Canonis XII.* & tradunt *Lotter de re beneſ. lib.*1. *cap.*14. *nu.*96. *Rot. deciſ.*88. *nu.*1. *& ſeqq. par.*9. *& deciſ.*48. *n.*2. *par.*10. *& dec.*516. *n.*1. *par.* 18. *rec. & in Novarien. Parochialis, ſeu Vicariæ. S. Martini* 22. *Junii* 1705. §. *Fundamentum coram bo. me. Eminentiſs. Caprara*. Concilio Tridentino *ubi ſupra* minimè obſtante, quia illud procedit in Parochialibus non unitis.

8 Quæro hìc, an Capitulum, ſeu Abbas in nominationibus hujuſmodi Vicariorum

rum

rum uti poſſit verbo *deputamus*. Reſpondeo affirmativè, dummodo ponatur poſt verbum *nominamus*, interjecta particula *ſeu*, ac ſi diceretur *nominamus*, *ſeu deputamus*; quia in hoc caſu verbum illud *deputamus* non importaret inſtitutionem auctorizabilem, quam concedere eſt ſolius Epiſcopi, ſed importaret puram nominationem, ut optimè animadvertit *Rot. deciſ.595. coram Cavaler. & deciſ. 64. n.1. & deciſ.858. n.2. & deciſ. 886. n.8. coram Cerro, & deciſ.883. coram Emerix. junior. & in Fanen. Juriſdictionis 5. Junii 1705. §. Verum coram bo. mem. R. P. D. Caſſarello.*

R. P. D. OMANNA.

Forolivien. Parochialis.

Lunæ 26. Aprilis 1706.

PEr reſignationem Parochialis Eccleſiæ Vicaria nuncupatæ S. Laurentii in Noceto in manibus SS. D. N. factam per Joſephum Paganum fuit de illa veluti apud Sedem vacante per Datariam proviſus Jo: Andreas Gulfarellus cum expreſſa clauſula, *quod nullus de illa præter Sanctitatem Suam ea vice diſponere potuerit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus &c.* ſeſe autem in Dataria huic proviſioni opponente Abbate S. Mercurialis Forolivii ſuæ Menſæ Abbatiali memoratam Parochialem unitam prætendente, cum eo interim fato ceſſerit idem Joſeph reſignans, Abbas prædictus ad eandem Parochialem nominavit Paulum de Piis, qui ſub narrativa, quod ageretur de Vicaria Parochialis Eccleſiæ perpetuò, & canonicè unitæ Monaſterio S. Mercurialis, literas Apoſtolicas deſuper expedivit. Remiſſa proindè per Eminentiſſimum Prodatarium cognitione ad Tribunal noſtrum ſuper præponderantia alterutrius proviſionis propoſui Ego ſub die 25. Februarii proximè præteriti dubium *An, & quæ literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ*, ſed tunc ob ſuffragiorum diſparitatem dilata illius reſolutione, hodie Domini concordarunt in reſcripto: *Exequendas eſſe literas Jo: Andreæ*.

Superflua viſa fuit indago ſuper ſubſiſtentia præſuppoſitæ unionis, quam partes hinc inde aſſumpſerant in præterita propoſitione, & in qua etiam hodie Defenſores Abbatis inſiſtebant; nam unione prædicta etiam citrà veri præjudicium admiſſa, cùm tamen Summus Pontifex admittendo Vicariæ dimiſſionem in ejus manibus factam, dixerit quod illa *apud Sedem vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis*; per hanc utique ſpecialiſſimam reſervationem literæ proviſionis Jo: Andreæ debent in executione prævalere aliis per Paulum in ſequelam nominationis dicti Abbatis expeditis, cum eadem ſpecialis reſervatio ſuſtulerit, cujuſque alterius inferioris collationem nominationem, aut jus aliud quodcumque, omnimodamque, & liberam diſpoſitionem tribuerit Apoſtolicæ Sedi, ut in hiſce individualibus terminis firmavit *Rota in Lauden. Vicariæ 29. Martii 1694. §. Reſervatio, & 14. Junii ejuſdem anni §. Ex decreto coram R. P. D. meo Caprara in Valentina Vicariæ 7. Junii 1694. §. final. coram bo. me. Urſino, nunc impreſſa poſt Antonell. de jur. & oner. Clericor. in ordine la 9. & in Hildeſimen. Beneficii 13. Maji 1697. §. Validitas coram R.P.D. meo Priolo.*

10 Neque obſtat, quod in reſignatione facta non fuerit mentio dictæ unionis, qua ceſſante deficere dicitur mentem, & voluntatem Papæ irrogandi prejudicium Abbati; cui competit jus nominandi, ex deductis per *Pariſ. de reſignat. lib.2. qu.9. n.14. & ſeqq. & lib. 10. qu.2. n.36. Gonzal. ad regul. 8. gloſſ.5. §. 7. nu.137. Murg. de Benef. qu. 3. n.695. & ſeqq. Rot. in recent. deciſ. 8. nu. 3. & nu. 9. & ſeqq. ac per tot. par.7. cum aliis in Nullius, ſeu Pampilonen. Beneficii de Barbinzana 10. Maji 1697. §. Subreptio coram R.P.D. meo Muto*; Quo-

11 niam in theſi noſtra patuit Pontificem dictæ unionis poſitivam ſcientiam habuiſſe, unde illius mentionis defectus videbatur prorſus innegabilis, cùm præſertim ad evitandam ſubreptionem, quam ex hoc capite reſultare contendi poſſet, ſufficiat etiam, quod Papa potuerit de illa in genere cogitare, ut in individuo proſequitur *Rot. in dicta Lauden. Vicariæ 29. Martii 1694. §. Nec ex narrativa, & 14. Junii ejuſdem anni §. Primum enim cor. R. P. D. meo Caprara.* Scien-

12 Scientia autem Papæ clariſſima erat; tum quia expoſitum fuit Vicariam, de qua agitur, dum pro tempore vacavit, conſueviſſe provideri ad nominationem Abbatis, ideoque ſatis Papa intellexit illam eſſe unitam, curamque habitualem penès Abbatem nominantem reſidere; nam ipſum ſolum nomen Vicariæ unionem, & dependentiam ab alia Eccleſia, eamdemque habitualem curam ad alium ſpectare præſupponit, ut monet *Card. de Luc. de decimis diſc.*11.*n.*5. & firmat *Rot. in dicta Lauden. Vicariæ in locis mox indicatis*, & *in Colonien. Præeminentiarum* 22. *Junii* 1701. §. *Si Maximè verſ. cùm itaque cor. Reverendiſs. Conthen.* cùm Vicarius non poſſideat nomine proprio, ſed ejus à quo nominatur, ut inquit *Rot. in dec.*326.*n.*2. *par.*2. *diverſ.*

Tum etiam quia in pluribus contradi-
13 ctoriis habitis coram Eminentiſs. Prodatario, cùm Abbas prætenderet, quod à ſupplicatione Jo: Andreæ, vel deleretur expreſſio illa nominationis, vel præſervaretur unio cum clauſula *non tamen vigore unionis*, longum per partes ſuper illa certamen aſſumptum fuit; Cum itaque ex his ſcientia qualitatis Beneficii certiſſima foret Pro-Datario, indubitata per conſequens dicebatur etiam in Pontifice veluti in ipſum transfuſa per miniſtrum, qui illius mentis, & vocis organum dicitur, juxta notata per *Gonzal. ad regul.*8. *Cancellariæ gloſſ.*63.*n.*60. *Rot. cor. Caſſador. deciſ.*3.*n.*3. *ante med. de reſervat. cor. Burat. deciſ.*883.*n.*10. & ſpecialiter *in Colonien. Canonicatus primæ gratiæ* 17. *Februarii* 1696. §. *Similiter cor. R. P. D. meo Muto*, & 2. *Maji* 1701. §. *Si verò coram Reverendiſs. Conchen.* Quæ ſanè notitia ſufficit pro ſuſtinenda collatione, cùm ad evitandam ſubreptionem ſatis ſuperque ſit Pontificem eſſe aliunde informatum de eo, quod expreſſum non fuit, ut firmat *Rot. in rec. par.* 13. *deciſ.*227. *nu.*9. & *ſeq.* & *in præcit. Colonien. Canonicatus primæ gratiæ coram Reverendiſs. Conchen.* §. *Si verò in fin.*

Tum demum quia in ſecunda parte ſupplicationis legitur expreſſa clauſula
14 *cum ſuſpenſione unionum*, quæ implicat ſufficientem dictæ unionis expreſſionem, & gratiæ validitatem præſervat abſque alia magis ſpecifica mentione, quamvis etiam inter clauſulas generales fuerit appoſita, ex deductis per *Lotter. de re benefic. lib.*1.*qu.*28.*n.*175. & *ſeq. Adden. ad Gregor. deci.* 159. *ſub n.*9. *Rot. cor. Carill. deciſ.* 1. *nu.* 8. & *par.*1. *rec. deciſ.*38. *nu.*3. & 6. Non relevante, quod clauſula hujuſmodi reſpiciat uniones per ceſſum, vel deceſſum poſſeſſoris Beneficii effectuandas, non autem illas; quæ jam effectum ſuum ſortitæ fuerint, juxta diſtinctionem amplexam *in Nullius, ſeu Pampilonen. Beneficii de Berbinzana* 10. *Maji* 1697. §. *Nec dicatur poſt medium cor. R. P. D. meo Muto*; Ultra quod enim clauſula prædicta tantummodo allegatur ad effectum eliciendi ſcientiam Pontificis, quod Vicaria unita eſſet Monaſterio, quæcumque de cætero ceſſabat in caſu noſtro difficultas, quia, dum Papa ſcivit illius nominationem, quotieſcumque illam vacare contigerit ad Abbatem pro tempore pertinere pluſquam plenè intellexit unionem jam fuiſſe effectuatam, & per conſequens illam ſuſpendendo cenſetur eo modo, quo ſibi narrata fuit ſuſpendiſſe; Præſertim cùm in themate nec valeat in ſuſpenſione hujuſmodi conſiderari perpetuum præjudicium illud, quod in aliis caſibus ponderari ſolet cùm præjudicium, quod in reſignationibus Vicariorum Rectoribus Principalibus irrogatur vel nullum, vel modicum ſit imò eventuale omnino, & incertum ob poſſibilitatem, quod priùs moriatur Reſignatarius, & ſic nominatio ad rectorem quam citiùs revertatur, ut tradunt *Mandoſ. de Signat. Grat. tit. de renuntiat.* §. *Nec propter hanc Lotter. de re Benef. lib.*1. *qu.*28. *n.*172. *Adden. ad Gregor. dec.* 159. *n.*9. *verſ. nec hujuſmodi Rot. dec.*38. *n.*5. *par.*11. *rec. cor. Carill. deciſ.*1. *n.*7. *verſ. præſertim*, & *cor. Puteo dec.*347. *n.*5. *lib.*1. *ac deciſ.*1. *n.*25. *poſt Cocchier. de permut.*

Nec vera unionis notitia excludi valet in Pontifice, vel ex quo expreſſio non ſteterit in ſola nominatione, ſed expoſitum ulterius fuerit ibi = *Nominatio, ſeu præſentatio perſonæ idoneæ in ea ad nominationem, ſeu præſentationem hujuſmodi per loci Ordinarium, aut alias inſtituendæ ad pro tempore exiſtentem Abbatem &c.* = ex quibus verbis excludi potiùs videbatur unio ad Menſam Abbatialem, atque è converſo præſupponi juſpatronatus, in quo

quo cadit præſentatio Patroni, & inſtitutio Epiſcopi, ut firmat *Rot. cor. Emerix. jun. dec.*1296. *n.*8. *& ſeq.* vel ex quo cùm ſuppoſitum fuerit Vicariam ſpectare ad nominationem, ſeu præſentationem Abbatis *ceſſantibus reſervationibus*, *& affectionibus Apoſtolicis*, Papa intellexerit de Beneficio libero, & independenti, non
15 autem de unito, prout hìc, ad Menſam, quod talibus reſervationibus ſubjectum non eſt, juxta notata per *Gonzal. ad regul.*8. *gloſſ.*5. §.7. *n.*21. *verſ. accedit etiam Murga de Benef. qu.*2. *n.*11. cum aliis *in dicta Nullius*, *ſeu Pampilonen. Beneficii de Berbinzana* §. *Ut ob hanc rationem coram R.P.D. meo Muto*.

16 Verba enim illa *nominatio*, *ſeu præſentatio* abſque alia juriſpatronatus mentione nullatenus adverſantur unioni, cùm ſæpius accipiantur pro ſynonymis, illiſque promiſcuè utantur Præſules, quorum Monaſteriis Vicariæ hujuſmodi unitæ ſunt, prout de facto Abbas S. Mercurialis fuit illis promiſcuè uſus in deputatione facta ad Parochialem, de qua agitur ſub anno 1670. *præterito Summario Pauli num.* 11. illaque ulteriùs pro ſynonymis paſſim ſumuntur à Sacra Rota, ut videre eſt *coram Duran. dec.* 2. *n.* 2. *coram Caval. deciſ.* 419. *pariter nu.* 2. *& in rec. par.*2. *dec.*777. *n.*5. Narrativa verò, quod jus nominandi ſpectat ad Abbatem ceſſantibus reſervationibus, & affectionibus Apoſtolicis in ſupplicatione facta, & in literis repetita, ſtat ſolùm ad oſtendendum, quod ſi è contra concurrat affectio Apoſtolica, jus nominandi ceſſat, & pro illa vice locum habet; Quapropter cùm in theſi noſtra ſpecialis reſervatio, ſeu affectio innegabilis ſit ob reſignationem à Summo Pontifice nonniſi cum decreto, quod nullus de Vicaria præter ipſum diſponere poſſet admiſſam, prædicta utique narrativa præſeferre neutiquam poteſt, quod Papa intellexerit providere beneficium liberum, & independens, quoniam dum poſt habitam ſcientiam unionis, & factum decretum, quod alius non poſſit ſe ingerere, ſi deindè intellexiſſet, quod collatio fiebat de Vicaria de per ſe ſtan-
17 te, foret redarguere eumdem Pontificem de inſtantanea correctione, quæ numquam præſumitur, ſed imò in quantùm fieri poteſt ſemper evitanda eſt ad *Text. in cap. Cùm expediat de elect. in* 6. *Rot. in rec. par.*11. *dec.*99. *nu.*11. *in Hiſpalen. juris præſidendi in Capitulo* 2. *Julii* 1700. §. *Haud refragante coram Reverendiſſimo Concben.*, *& in Firmana annuæ præſtationis* 15. *Junii* 1705. §. *Nec dicta cor. Reverendiſſimo D. meo Decano*.

Atque hinc nil relevat, quod Papa in
18 literis clauſulam illam appoſuerit *dummodo collatio ad nos hac vice pertineat*, quæ regulariter gratiam reſtringit, juraque alterius inferioris Collatoris perſervat ex latè deductis per *Roſ. de execut. liter. Apoſt. lib.*1. *cap.*4. *n.* 8. *& ſeqq. Rot. coram Coccin. dec.*516. *n.*11. *in rec. dec.* 25. *n.*27. *& ſeqq. par.* 10. *& deciſ.* 274. *nu.*6. *& ſeq. par.*19. *& in dicta Nullius*, *ſeu Pampilonen. Beneficii de Berbinzana* §. *Nec dicatur cor. R.P.D. meo Muto*. Illa ſiquidem non ſtat excluſivè ad voluntatem Papæ liberè conferendi ex præcedenti manus appoſitione, & ſpeciali affectione Vicariæ reſignatæ, ſed cenſetur tantummodo appoſita ad modificandam aliam clauſulam generalem *ſive præmiſſo*, *ſive alio quovis modo*, ut rectè admonent *Garz. de Benefic. par.*1. *cap.*1. *n.*178. *&* 182. *Rot. cor. Saraphin. deciſ.*755. *n.*4. *cor. Coccin. dec.*2245. *n.*49. *& ſeq. cor. Cerro dec.*951. *n.*6. *in rec. dec.*429. *n.*4. *par.*5. *tom.*2. *& dec.*200. *n.*9. *&* 10. *par.*16.

19 Prout neque urget, quod nominatio ad Vicarias dependentes ſpectet ad Abbates, ſeu alios quorum Eccleſiis unitæ ſunt ex præſcripto Conſtitutionis 47. *B. Pii V.* ideoque non obſtantibus reſervationibus, illarum collationes fieri debeant prævia dicti Abbatis, ſeu aliorum nominatione, quæ bene cum illis compati cenſetur, diſcurſus enim procederet quoties quæſtio verteretur, in terminis reſervationum generalium, tunc enim ob defectum magìs ſpecificæ voluntatis Pontificis proviſio per Sedem Apoſtolicam fieri non poteſt ſinè præcedenti nominatione Abbatis, quæ cum dictis generalibus reſervationibus incompatibilis non eſt, juxta firmata *in Tiraſonen. Vicariæ* 13. *Octobris*, *&* 4. *Decembris* 1595. *cor. Litta*, quæ paſſim in oppoſitum allegabantur,
20 quævè impreſſæ reperiuntur penès *Garz. de Benef. par.*9. *cap.* 2. *n.*308. *& ſeqq.* At verò quoties, prout hìc, concurrit ſpecialiſſima reſervatio emergens ex appoſitione

tione

tione manus Pontificis, atque ex poſitivo decreto, quod nullus præter ipſum hac vice diſponere poſſit, tunc ob expreſſam illius voluntatem inhibendi pro ea vice aliis quominùs in collatione ſe ingerant, proviſio Apoſtolica etiam ſinè prætenſa nominatione ſuſtinetur, ut diſtinguendo individualiter firmat *Rot. in dicta Lauden. Vicariæ 29. Martii 1694. §. Non obſtat, & 14 Junii ejuſdem anni §. Fuit enim coram R.P.D. meo Caprara.*

21 Atque ex his neque obſtat ſubalterna oppoſitio, quod ſaltèm in hoc caſu ſpecialis ejuſdem Conſtitutionis B. Pii derogatio requireretur; Tum quia Conſtitutio prædicta expreſsè loquitur de Ordinariis, proindèque non comprehendit Summum Pontificem, qui de cætero quibuſcumque Conſtitutionibus, deficiente ſpecifica expreſſione, non ligatur, ut in terminis ejuſdem Conſtitutionis reſpondit *Rot. coram Bich. dec. 667. nu. 30. & in dicta Lauden. Vicariæ 14. Junii 1694. §. Fuit enim cor. R.P.D. Caprara*, tum etiam quià ſpecialis reſervatio in reſignatione, de qua agitur per Pontificem volita, munita eſt decreto *irritanti*, quod ex ſe ſolo importat derogationem quibuſcumque contrariis diſpoſitionibus, & conſtitutionibus, ut reſpondit *Rot. in Hildeſimen. Beneficii 13. Maji 1697. §. Tanta cor. R.P.D. meo Priolo*; Tum demum quia Pontifex expreſsè in literis declaravit impediri neutiquam poſſe effectum gratiæ Jo. Andreæ per quæcumque indulta, & gratias Abbati conceſſas, cujuſcumque tenoris exiſterent, ac etiamſi illa requirerent ſpecialem mentionem; Ex qua equidem clauſula veluti adinventa ad effectum derogandi quibuſcumque contrariis, debet cenſeri derogatum etiam eidem Pianæ Conſtitutioni, & ſi in literis totaliter reticitæ, ut generalibus omiſſis firmat in ſpecie *Rota in ſæpedicta Lauden. Vicariæ 29. Martii 1694. §. Non obſtat cica medium cor. R. P. D. meo Caprara*, cùm eadem clauſula tollat etiam ignorata, abſque eo, quod de illis fiat ſpecifica mentio *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 36. n. 30. Adden. ad Ludoviſ. dec. 240. n. 21. Rot. in rec. par. 16. dec. 247. n. 8.*

22 Præmaximè quia in iſtorum omnium comprobationem concurrit etiam inveteratus Datariæ, & Cancellariæ ſtylus, juxta quem Vicariæ dimiſſæ in manibus Pontificis ad favorem certarum perſonarum liberè per ſedem Apoſtolicam conferuntur Reſignatariis, nulla requiſita nominatione, aut conſenſu Abbatis, nec facta ſpeciali derogatione Bullæ Pianæ, ſed facta ſolùm expreſſione, quod dicta nominatio ad eumdem Abbatem pertineat. Quemadmodum autem probatio memorati ſtyli in dubium revocari non poteſt, utpotè ellicita ex depoſitione Reviſorum Datariæ, Præfecti Datarum, Subſtituti R.P.D. Subdatarii, omnium Subſtitutorum Cancellariæ, pluriumque etiam Expeditionariorum, quibus tamquam deponentibus de praxi, & re ad proprium Officium ſpectante plena fides adhibenda eſt juxta tradita per *Cochier. ad Reg. Cancell. reg. 43. n. 65. §. Quibus Amayden. de Styl. Datar. c. 15. §. 15. n. 74. Rot. cor. Comitul. dec. 119. n. 5. coram Card. Celſ. dec. 191. n. 11. & in rec. dec. 322. n. 11. par. 5. & dec. 106. n. 8. par. 18.* ita ex eodem ſtylo fit certiùs, nec conſenſum Abbatis, neque ejuſdem Bullæ derogationem fuiſſe neceſſariam, cùm ille jus faciat in hac materia omnino attendendum, ut de ſtylo Datariæ, & Cancellariæ monent *Cochier. ad reg. Cancell. dicta reg. 43. n. 65. & ſeqq. Rot. in recent. par. 1. dec. 356. nu. 8.* Cumque diſputatio unicè vertatur ſuper mente, & voluntate Summi Pontificis, ex quo de poteſtate nefas eſt dubitare, intentio hujuſmodi meliùs deprehendi non poteſt, quam ex quotidiano ſtylo, & longiſſimo uſu ejuſdem Principis, prout dixit *Rot. cor. Put. deciſ. 347. n. 1. & 7. lib. 1. & in rec. par. 4. tom. 3. dec. 614. n. 28*

Nec contra eundem ſtylum urgere viſum eſt, quod non probetur, niſi ex ſimplici fide lite pendente, & ſinè partis citatione procurata, quod eadem fides reſpiciat tantummodo expeditionem gratiarum, non autem illarum effectuationem, & canonizationem in contradictorio judicio, quodque illa contrarietur opinioni Doctorum, & Tribunalis noſtri firmantium in reſignatione Beneficii uniti neceſſariam eſſe unionis derogationem.

23 Prima enim objecti Pars ex eo tollitur, quod ſtyli probatio ſufficienter concurrere dicitur, ubi etiam de illo extrajudicialiter conſtat *Pariſ. de reſignat. lib. 3. qu. 6. n. 31. Rot. deciſ. 101. circa fin. par. 3. & deciſ.*

*& deciſ.*219. *n.*10. *par.*12. *rec.* cùm Judex ipſe valeat partibus non vocatis etiam extrajudicialiter, & pendente lite de illo ſe informare *Bart. in l.* 3. *in fin. ff. De Teſt. Bald. in l.* 1. *in fin. Cod. ut quæ deſunt Advocat. Boer. conſ.*8. *n.* 17. *Rot. dec.*198. *nu.*2. *in fin. par.* 3. *rec.* Secunda verò pars
24 ceſſat, ex quo ad probationem ſtyli minimè requiritur, quod in contradictorio judicio canonizatum extiterit, prout advertunt *Pariſ. de reſignat. lib.*3. *dicta qu.*6. *nu.*28. *Cochier. ad reg.*48. *de conſenſ. n.* 68. *Rot. in recent. par.* 18. *deciſ.* 106. *n.*13. Et demum tamquam inſubſiſtens collabeſcit tertia, quia Doctores non requirunt ſpecialem unionis derogationem, ſed firmant ſat ſuperque eſſe ad evitandam gratiæ ſubreptionem quod Summo Pontifici etiam implicitè, virtualiter, & in genere innoteſcat agi de Beneficio unito, ut individualibus auctoritatibus fuit ſuperiùs firmatum *in* §. *Neque obſtat*.

Accedente præſertim corroborativè ad eumdem ſtylum duplici animadverſione; Altera videlicet, quod Papa providens per obitum Vicarias generaliter reſervatas, tunc noſcens Abbatis nominationem neceſſariam eſſe tam in ſupplicatione, quàm in literis expreſſam de illa mentionem facit, imò ſupplicatio intitulatur pro nominato, ut quo ad utrumque ſignanter patet ex proviſione per Paulum reportata; Unde cùm in collationibus ex capite reſignationis nullibi nominatio hujuſmodi exprimatur, hæc utique ſtyli difformitas patenter oſtendit eatenus illam in reſignatis reticeri, quatenus in iis mentio illius neceſſaria non eſt.

25 Altera verò deſumpta ex diſcretiva forma, qua utitur Sedes Apoſtolica in reſignationibus Beneficiorum juriſpatronatus Laicorum; Quippe quia in hoc caſu de ſtylo tam in ſupplicatione ab Officialibus Datariæ, quàm in literis ab Officialibus Cancellariæ clauſula *de conſenſu modernorum Patronorum* apponitur, ut teſtantur *Pariſ. de reſignat. lib.* 2. *quæſt.* 4. *nu.* 28. *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancel. gloſſ.* 52. *n.*54. *in fin. Vivian. de jurepat. lib.*5. *cap.*5. *num.* 159. quapropter cùm in proviſionibus Vicariarum reſignatarum clauſula de conſenſu Abbatis ab Officialibus prædictis minimè deſideretur, alia diverſitatis hujuſce aſſignabilis ratio non eſt, quàm quod Beneficia jurispatronatus Laicorum ſub nulla reſervatione comprehendantur juxta *Gloſſ. in cap.* 2. *verb. collatio de præbend. in* 6. *ibique Paſſerin. nu.* 11. *& Barboſ. nu.*12. *Amayden de Stylo Datariæ lib.*1. *cap.* 15. §. 15. *num.*95. *verſ. & propterea Rota coram Seraphin. deciſ.* 1263. *nu.*2. *& in recent. par.*4. *tom.* 3. *deciſ.*630. *num.*21. *& ſeqq.* Nec appoſitio manus Papæ in illis inducat affectionem, ut firmat *Rota coram Penia deciſ.* 627. *nu.*9. Ideoque debeat pernecesſè conſenſus Patroni Laici intervenire, cujus manus ex affectione
26 hujuſmodi non ligantur; Quodque è contra Vicariæ uti ad nominationem perſonæ Eccleſiaſticæ cùm manuum Papæ appoſitionibus afficiantur, Abbatis nominationem non requirant, quia ob ſpecialem reſervationem inductam ab eadem manus appoſitione, dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ inhibetur, nè ullo modo poſſit pro ea vice ſe ingerere, juxta ſuperiùs firmata, quod ſanè argumentum ſæpedictum ſtylum rationabilem omnino, jurique adhæſivum convincit, atque uti ex formularum diverſitate reſultans dubium non eſt, quin plurimum attendi ſoleat ex notatis per *Rot. coram Dunoz. junior. deciſ.* 632. *nu.* 11. *in rec. par.* 18. *deciſ.* 599. *nu.*9. *& in Corduben. Beneficiorum* 18. *Februarii* 1704. §. *Non refragante in fin. cor. Reverendiſs. D. meo Decano*.

Et ita utraque &c.

CANON XIV.

PIUS QUINTUS Conſtit. LV. §. 1. *Bull. Rom. Tom.* 2.

Ann. 1568. SAnctiſſimus in Chriſto Pater: *Et infra*. Cupiens pauperibus Clericis, & aliis benemeritis Perſonis de Beneficiis Eccleſiaſticis providere, omnia, & ſingula Beneficia Eccleſiaſtica, cum Cura, & ſinè Cura, ſæcularia, & quorumvis ordinum Regularia, qualitercumque qualificata, & ubilibet exiſtentia, Sede Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, & Primitiali quorumcumque Eccleſiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Patriarchalium, ac Primitialium pro tempore Paſtoribus deſtitutarum vacante, quomodolibet vacantia, tam in prædictis, quàm aliis Eccleſiis, nec non Civitatibus, et Diœceſibus quibuſcumque, ad eorumdem Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, & Primatum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem quomodolibet pertinentia, diſpoſitioni ſuæ reſervavit.

CANON XV.

CLEMENS XI. Regula ſecunda Cancellariæ.

Ann. 1700. ITem reſervavit generaliter omnes Eccleſias Patriàrchales, Primitiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, nec non omnia Monaſteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æſtimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, et impoſterum vacatura. Et voluit, quod exceſſus hujuſmodi in literis exprimatur. Ac etiam reſervavit Dignitates, & Beneficia omnia ad collationem, præſentationem, electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem Patriarcharum, Primatuum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcum-

rumcumque Collatorum, & Collatricum Sæcularium, & Regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præſentationem, vel electionem pertinentia) quæ poſt illorum obitum, aut Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum, vel aliarum Dignitatum ſuarum dimiſſionem, ſeu amiſſionem, vel privationem, ſeu translationem, vel aliàs quomodocumque vacaverint, uſque ad proviſionem ſucceſſorum, ad eaſdem Eccleſias, aut Monaſteria, vel Dignitates, Apoſtolica auctoritate faciendam, et adeptam ab eiſdem ſucceſſoribus, pacificam illorum poſſeſſionem, quomodocumque vacaverint, et vacabunt in futurum.

COMMENTARIUM.

Ex his Canonibus deducitur hæc concluſio.

BENEFICIA VACANTIA, SEDE EPISCOPALI VACANTE, ET SPECTANTIA AD ABSOLUTAM COLLATIONEM, PRÆSENTATIONEM, AUT QUAMCUMQUE ALIAM PROVISIONEM EPISCOPI, SUNT SEDI APOSTOLICÆ RESERVATA, SECUS SI SINT AD COLLATIONEM CUM ALIO, VEL ALIIS, AUT ETIAM AD ALTERIUS PRÆSENTATIONEM, VEL ELECTIONEM = Quam concluſionem probant etiam *Fagnan. in cap. Illa Nè Sede vacante nu. 9. ibique Barboſ. nu. 2. Cherubin. hic Garz. de Benef. par. 5. cap. 7. nu. 52. Corrad. in prax. Benef. lib. 3. cap. 6. num. 73. & ſeq. Rota in Segobien Canonicatus* 11. *Aprilis* 1704. §. *Quæ quidem coram Eminentiſſimo Scotto, & in Abulen. Capellaniæ* 26. *Januarii* 1715. §. *Reſervatio coram eodem, &* 28. *Junii* 1715. §. *Multoque minùs coram R.P.D. Anſaldo, &* 5. *Maji* 1717. §. *Juſtificatio coram R.P.D. Herrera, & in Calceaten. Canonicatus* 1. *Julii* 1718. §. *Etenim coram R. P. D. Rovault. de Gamaches.*

1 Reſervavit hìc D. Pius omnia beneficia tam liberæ collationis, quàm juriſpatronatus Epiſcopi, Sede Epiſcopali vacante, non ſolùm, ut ſic Sedes Apoſtolica haberet materiam providendi paupertati Clericorum, & remunerandi perſonas benemeritas, verùm etiam, quia nè ipſa beneficia ob mortem Epiſcopi, ex defectu Collatoris, paterentur diutinam vacationem, in grave eorum præjudicium, cùm illa conferri non poſſint à Capitulo, tum quia eſt ei prohibitum à Jure Canonico, Sede vacante, aliquid innovare, ſignanter in collatione beneficiorum, *ad Text. in cap.* 2. *nè Sede vacante, cap. quanto, & cap. ea noſcitur de iis, quæ fiunt à Prælat. ſinè conſenſu Capituli.* Tum quia Capitulum per mortem Epiſcopi non ſuccedit in Juriſdictione voluntaria, ad quam ſpectat collatio beneficiorum, ut tradunt *Joan. Andr. in cap. Quamquam de elect. in 6. Lotter. de re benef. lib.* 1. *qu.* 21. *n.* 34. *& lib.* 2. *qu.* 2. *n.* 5. *Rot. in Abulen. Cappellaniæ* 26. *Januar.* 1715. §. *Proindeque cor. Eminentiſs. Scotto,* & aliæ Auctoritates relatæ *Par. V. Can. III. Caſ. unic. num.* 1.

2 Conſimilis huic reſervationi eſt illa Regulæ ſecundæ, quam, morem Anteceſſorum ſuorum proſequendo, renovavit Dominus Noſter CLEMENS XI. initio ſui Pontificatus; per eam enim ultrà reſervationem omnium Eccleſiarum Patriarchalium, Primatialium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, & omnium Monaſteriorum Virorum valorem annuum 200. florenorum auri, communi æſtimatione excedentium, reſervantur etiam hujuſmodi beneficia leberæ collationis, vel juriſpatronatus Epiſcopi, Sede Epiſcopali Paſtore viduata; exceptis beneficiis ſimultaneæ collationis, vel ſimultaneæ præſentationis

tionis cum alio, vel aliis, iſta ſiquidem ſub hac Regula non comprehenduntur, ſed relinquuntur collationi illius, cum quo Epiſcopus defunctus habebat ſimultaneam collationem, vel proviſioni Capituli, ad præſentationem illius, cum quo habebat ſimultaneam juriſpræſentandi; dum Capitulum, Epiſcopatu vacante, quamvis beneficia liberæ collationis conferre non poſſit, valet tamen conferre beneficia patronalia, ſeu juriſpatronatus alterius perſonæ diſtinctæ ab Epiſcopo, ut firmavi dicto *Caſ. unic. ubi ſupra n.2. & 5.* ea ratione, quia Pontifex per hanc Regulam non intendit ullum præjudicium inferre aliis Collatoribus, aut aliis Patronis.

Quo ad hanc concluſionem ſequentes examinantur Caſus.

ARGUMENTUM.

Beneficia Juriſpatronatus competentis Epiſcopo ratione ſanguinis, ſeu familiæ, vacantia, Sede Epiſcopali vacante, an ſint reſervata. Et incidenter an Abbatiæ electivæ comprehendantur ſub *Regula ſecunda Cancellariæ*.

SUMMARIUM.

1 *Beneficia patronalia Epiſcopi, Sede Epiſcopali vacante, ſunt reſervata.*

2 *Vacat Eccleſia Epiſcopalis, per abſolutionem Epiſcopi, à vinculo ſuæ Eccleſiæ, in Conciſtorio factam.*

3 *Beneficia Patronalia Epiſcopi non ratione Epiſcopatus, ſed ratione propriæ perſonæ, ſeu ſanguinis, & familiæ, vacantia, Sede Epiſcopali vacante, non ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata; Et quare*; Vide n.4.

5 *Abbatia quantumvis electiva cadit ſub Regula ſecunda Cancellariæ*, & num. 24. Amplia, ut n.31.

6 *Monaſteria Regularia de jure ſunt electiva*; & n.10.

7 *Appellatione* quorumcumque beneficiorum *veniunt Monaſteria de ſui natura electiva.*

8 *Beneficia, & Monaſteria electiva, an comprehendantur ſub generalibus Conſtitutionibus.*

9 *Electio non includitur ſub verbis* collationis, proviſionis, præſentationis, & diſpoſitionis.

11 *Enumerantur beneficia, quæ reſervantur per extravagantem*, Ad Regimen.

12 *Regula ſecunda Cancellariæ edita fuit ampliativè ad extravagantem*, Ad regimen.

13 *Beneficia, & Monaſteria Juriſpatronatus an, & quando comprehendantur ſub Regulis Cancellariæ.*

14 *Eccleſiæ Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales ante Regulæ ſecundæ editionem erant pro majori earum parte electivæ.*

15 *Jus eligendi ſibi Prælatum, ſive in ſæculari, ſive regulari Eccleſia, promanavit ex indulgentia Papæ.*

16 *Juriſdictio Prælatorum Regularium in ſubditos non derivat ex vi votorum, ſed à Summo Pontifice.*

17 *Referuntur cauſæ, ex quibus originem habuit* Regula ſecunda, & num.18.

19 *Quis fuit Auctor* Regulæ ſecundæ, vide ibi?

20 *Epiſcopatus, & Abbatiæ in Germania ex vi concordatorum ſunt beneficia electiva.*

21 *Rex Hiſpaniarum habet jus præſentandi, & nominandi ad quaſcumque Eccleſias, & Monaſteria ſui Regni*. Et n.28.

22 *Rex Galliarum habet jus nominandi, & præſentandi ad quam plures Eccleſias, & Monaſteria*, & n.28.

23 *Reſtitutio juris ſupponit illius antecedentem ablationem.*

24 *Reſervatio quid ſit*? Vide ibi.

25 *Electiones ex ſtylo Datariæ, & Cancellariæ non approbantur, neque confirmantur, niſi in tribus caſibus.*

26 *Regulam ſecundam comprehendere Abbatias electivas probatur ex obſervantia*; & n.27.

28 *Abbatiæ in Italia ſunt triennales, & manuales.*

29 *Rex Portugalliæ habet jus ſupplicandi.*

30 *In Lotaringia, Epiſcopatus, & Abbatiæ electivæ comprehenduntur ſub* Regula ſecunda, *cùm careat concordatis, Privilegio, & conſuetudine.*

32 *Concordata Germaniæ per viam extenſionis locum habent in Diœceſi Methen.*

CASUS

CASUS I.

COmpetebat cuidam Epiſcopo ratione Sanguinis, & Familiæ juſpatronatus cujuſdam beneficii exiſtentis in propria Diœceſi; in cujus proviſione procedebat ad formam ſuperiùs traditam *Par. II. Can. I. & II. Caſ. XV. num.9. & Can. IV. V. VI. VII. VIII. Caſ. IV.* Vacavit hujuſmodi beneficium eodem tempore, quo idem Epiſcopus fuit abſolutus in Conciſtorio à vinculo propriæ Diœceſis, & translatus ad Diœceſim B. Hinc quidam Clericus illud impetravit à Sede Apoſtolica tamquam vacans Sede Epiſcopali vacante; quæritur an hæc impetratio ſuſtineatur?

1 Facit pro validitate impetrationis, præcedentium *Canonum* diſpoſitio; iſti ſiquidem, ut in *Commentario* vidimus, reſervant beneficia jurïſpatronatus Epiſcopi vacantia Sede Epiſcopali vacante; Quod autem præſens beneficium vacaverit Sede Epiſcopali vacante, non videtur ambigendum, dum vacavit, tempore quo Epiſcopus fuit abſolutus in Conciſtorio à vinculo ſuæ Eccleſiæ, & translatus ad Eccleſiam B, per quam abſolutionem, & translationem, ipſum deſiiſſe
2 ſuæ Eccleſiæ eſſe Antiſtitem, & hanc vacaſſe, eſt Doctorum cōmunis opinio, quæ hodie non habet contradictionem, ſtante reſolutione Sacræ Congregationis Concilii confirmata per Breve ſa. me. Urbani VIII., per quam ſancitum fuit Eccleſiam, à qua volens transfertur, ſeu quam dimiſit Epiſcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Epiſcopus ab illius vinculo abſolvitur in Conciſtorio Sanctitatis ſuæ, etiam ante expeditionem Literarum Apoſtolicarum, vel adeptam poſſeſſionem ſecundæ Eccleſiæ, ut ſunt verba ejuſdem reſolutionis, & tradunt *Fagnan. in cap. quanto n.71. & ſeqq. de translat. Epiſcop. Solorzan. de jur. Indiar. lib.3. cap. 13. num.80. & ſeqq. Gratian. diſcept. 296. n.15. & ſeq. Corrad. in prax. benef. lib.3. cap.6. num.66. in fin. Barboſ. de jur. Eccleſ. univ. cap.19. num.37. Rot. deciſ. 475. n.5. & ſeq. par.1. rec., & in Segobien. Canonicatus 11. Aprilis 1704. §. Nullitas, coram Eminentiſſimo Scotto.*

Sed hoc non obſtante cenſeo ſupra dictam impetrationem eſſe nullam; diſtinguendum eſt enim inter beneficia juriſpatronatus Epiſcopo competentis ratione Epiſcopatus, ſeu dignitatis Epiſcopalis, & Beneficia juriſpatronatus ſpectantis ad Epiſcopum ratione ſanguinis, & familiæ, ſeu ex eo, quod ipſe ſit de familia contemplata à Fundatore in juriſpatronatus reſervatione. *Canones* iſti reſervant beneficia juriſpatronatus Epiſcopo competentis ratione Epiſcopatus vacantia, Sede Epiſcopali vacante, ut expreſsè ibi legitur, non verò reſervant ea beneficia Juriſpatronatus, quod competit Epiſcopo ratione ſanguinis, ſeu familiæ; iſta ſiquidem vacantia Sede Epiſcopali, quocumque modo vacante, ſive per obitum, ſive per renuntiationem, ſive per translationem Epiſcopi ſunt conferenda per Capitulum ad præſentationem Epiſcopi, ſi iſte Epiſcopatum renunciet, aut ad aliam Eccleſiam transferatur, vel ad præſentationem alterius de familia à Fundatore ſubſtituti, ſi Epiſcopus moriatur, cùm Capitulum, Epiſcopo civiliter, vel naturaliter defuncto, ſuccedat in ejus juriſdictione neceſſaria, cujus eſt Collatio facienda favore certæ Perſonæ ad nominationem, ſeu præſentationem alterius, ut latè probavimus ſuperiùs *Part. V. Can. III. Caſ. unic. n.2.* Ratio eſt; quia in hoc caſu Præſentatio non eſt fructus Epiſcopatus, ſeu Epiſcopus non præſentat ad dictum beneficium, ut Epiſcopus, ſed ut Perſona privata à Fundatore contemplata in juriſpatronatus reſervatione, adeò ut beneficium dicatur eſſe juriſpatronatus alterius Perſonæ diſtinctæ à Perſona Epiſcopi, & conſequenter reſervationi horum *Canonum* minimè obnoxium, imò ab eis expreſsè præſervatum, ut legitur, ibi = *Non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præſentationem, vel electionem pertinentia.* =

Ad materiam, & ornatum hujus *Canonis XV.* ſubjicio hìc quæſtionem illam ſatis celebrem, & agitatam, videlicet an Abbatia electiva cadat ſub ejuſdem *Canonis* diſpoſitione; cujus reſolutionem deſume ex ſequenti deciſione *S. Rotæ*, ubi ſimilis articulus diſputatus fuit.

Rmo

Rmo P. D. MOLINES DECANO.

Virdunen. Abbatiæ.

Lunæ 3. Aprilis 1702.

QUamvis geminæ in hac Cauſa prodierint Deciſiones, alia ſub die 26. Junii 1699. Altera verò 2. Julii 1701. luculenter firmantes dandam non eſſe confirmationem P. Gabrieli Maillet electo ad Abbatiam S. Michaelis Virdunen., ſed potius illius diſpoſitionem ſpectare ad Sanctam Sedem Apoſtolicam; Nihilominus cùm ageretur de gravi, & exemplari articulo, poſtremaque Deciſio emanaverit, Dataria Apoſtolica tantùm informante, & cæteroquin in ultimo Memoriali porrecto pro nova Audientia nonnulla propoſita fuerint in facto, & in jure, plenè forſan, ut par erat non diſcuſſa, faciles fuerunt Domini in impartienda licentia, captam reſolutionem iterum impugnandi. Verùm tertia hæc diſputatio nihil profuit ſuccumbenti, è converſo magnoperè juvit Datariam Apoſtolicam, cum ejus juribus hodie magìs elucidatis, citra ullam fluctuationem Domini in Deciſis perſiſtendum eſſe autumarunt.

5 Planum quippe, & propemodum evidens hodie viſum fuit controverſam Abbatiam quantumvis electivam cadere ſub regula ſecunda Cancellariæ, reſervantis ad Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem omnia virorum Monaſteria, in qua unica inſpectione reſtrictus fuit hujuſce contentionis modus, & quidem ex quatuor probationum fontibus; Et primò ex proprietate, & generalitate verborum, atque ex contextuali reſervatione majorum Eccleſiarum; Secundò ex cauſis, & rationibus, ob quas generaliter omnes dictæ reſervationes originem, & progreſſum habuerunt; Tertiò ex declarationibus emiſſis à Summis Pontificibus, & Juris Conſultis ipſam interpretantibus; Et demùm ex ſubſecuta obſervantia, quibus ſanè mediis juris Canonici, & Cæſarei Conditores regulariter utendum eſſe docuerunt in indagando quid in legibus, ſanctionibus Pontificiis, aliiſque Principum Conſtitutionibus contineatur, ut de primo medio eſt *Text. in cap. quia circa 22. de privileg.*, de ſecundo *l. ſcire ff. de legibus*; de tertio, & de quarto *l.36. ff. de legibus*, *& ſenat. conſ. & l.22. ff. eodem tit. & paſſim juris noſtri Interpretes*.

6 Et ſanè juxta præſcriptam methodum, initium ſumendo à verbis, ſimplex, & nuda Monaſteriorum reſervatio, ſatis eſt ad evincendam comprehenſionem electivorum, cum de jure Monaſteria Regularia ſint electiva *Canon. Abbatem in Monaſterio 4. 18. quæſt.2. & Canon. quam ſit 5. ibidem cap.1. & cap. officii tui 38. cap. cum in magiſtrum 49. de elect. Murg. ad Conſtit. Benedictin. conſtit.6. & 12. Alex. IV. n.452. cum ſeqq. Matta de cauſ. Conciſtor. ſect.19. §.3. n.60. Thomaſin. de re benefic. part.1. lib.3. cap.32. n.6. verſ. hæc privilegii certi auctoritas*, ubi quod facultas eligendi Abbatem in Monachis eſt veluti quædam agnata libertas, & juris communis lex, & dixit *Rota dec.296. n.5. coram Coccino, & dec.65. n.5. & 9. par.1. & dec.319. n.23. par.16.*

Quantò magìs ergo idipſum exploratum efficitur advertendo, quod expreſſioni Monaſteriorum addita fuerit dictio *omnis*, cujus univerſalitas amplectens totum id, de quo prædicatur ſubjectum, cui adjicitur, oſtendit manifeſtè regulæ conditores ſub illa comprehendere voluiſſe cujuſcumque ſpeciei Monaſteria tam actu electiva, quàm non, ut omiſſis generalibus congeſtis in præteritis Deciſionibus, quæque ipſis citatis reaſſumuntur *in Ferrarien. ſeu Imolen. Bonorum 2. Decembris 1699. §. Inſubſiſtens, coram Me*, ita in ſpecie dictionis *omnium* appoſitæ in regulis Cancellariæ tradunt *Salern. conſ.2. n.77. lib.1. Gonzal. ad regul.8. gloſſ.6. n.20. &*

7 *ſeqq.* Et quod appellatione ſimilium generalium verborum *quorumcumque Beneficiorum* veniant Monaſteria de ſui natura electiva reſpondit *Rota deciſ. 189. n.1. & ſeqq. par.2. diverſ.*, quam ſequuntur *Germon. de indult. §. Ac beneficia n.24.*

8 Ut hinc propterea nihil officiat oppoſitio, in qua Scribentes contra Datariam tenaciter inſiſtebant, quod ſcilicet Beneficia, & Monaſteria electiva, utpotè ſpeciali nota digna ſub generalibus Conſtitutionibus non comprehendantur, niſi de illis ſpecialis fiat mentio *ex cap. cum in illis 16. §. Illis verò de præbend. & dignit. in 6. & ex Clementina prima eod. tit.* edita,

ta, ut ibi ait *Gloſſ.* in efformatione caſus ad antedictæ Decretalis declarationem, & ampliationem.

Siquidem hypotheſis Regulæ ſecundæ longè differens eſt à caſu, de quo loquuntur expoſitæ Decretales, nam ibi in Papæ mandato de providendo expreſſæ fuerunt Dignitates, Perſonatus, aut Beneficia, quorum nomine juxta illorum regularem naturam veniunt illæ, quibus aliquis præficitur per collationem, & non electionem, ut notat *Gloſſ. in dicto cap. cum in illis, verſ. nota ibi illis verò*; Rurſus ibi Pontifex expreſſis verbis deſignavit naturam Beneficiorum providendorum; Illa nempe, quæ ſpectabant *ad collationem, proviſionem, præſentationem, vel diſpoſitionem Epiſcopi Pictavienſis*.
9 Unde cùm electio non includatur ſub verbis collationis, proviſionis, præſentationis, & diſpoſitionis ob differentiam, quæ intercedit inter hoſce providendi modos, nec alioquin Papa gravare voluit, niſi Epiſcopum Pictavienſem in Gratia nominatum; Juremerito reſcriptum fuit ſub dicto mandato non contineri Beneficia electiva ſpectantia non ad unius tantum, ſed ad Collegialem plurium electionem, ſicuti enim Papa expreſsè deſignavit alios modos providendi, ita expreſſiſſet hunc ſpecialem electionis, quatenus illum ſub mandato providendi includere voluiſſet, ut egregiè docuit *Gloſſ. in ſæpe dicto cap. cum in illis in efformatione caſus*, ibi = *Quia Papa non intendit per meam Gratiam gravare, niſi ſolùm Epiſcopum Pictavienſem*; & in verbo electionem, ibi = *Electio igitur non includitur ſub verbo proviſionis, vel diſpoſitionis, cùm inter iſta tria adſit differentia* = & colligitur etiam *ex dicta Clement. prima*, ibi = *Cùm in conceſſione Gratiæ*) ſuperiùs narratæ, quæ certos, modos, habebat expreſſos, ut ſubjungit Gloſ.) *Nullam de electione fecerimus mentionem* = & explicant meliùs *Franch. ad cap. cum in illis, verb. electionem, Paſſerin. ibidem ſub num. 26. Abb. conſ. 38, col. 3. ſub n. 2. verſ. 4. poſſet attentari lib. 2.*

Reſervatio autem contenta in Regula
10 ſecunda non exprimit Beneficia, vel Dignitates juxta ſuam propriam naturam ad unius tantum diſpoſitionem, & nominationem ſpectantia, ſed ad Monaſteria, quæ ut probatum eſt juxta Sacrorum Canonum, Conciliorum, & Regularium Conſtitutionum diſpoſitionem ſunt electiva, ideoque cum hujuſmodi qualitas electiva inſit de jure in Monaſteriis, ſatis erat illa in regula ſimpliciter expreſſiſſe ad denotandum eorum nomine comprehenſa fuiſſe electiva, citra ſpecialem hujuſce qualitatis mentionem, per ea, quæ docuit *Bald. in cap. ad ordinem de reſcript. Caſſador. dec. 12. de præbend. n. 7. & ſeqq.* cum aliis *in Tiraſonen. Prioratus* 11. *Martii* 1689. §. *His firmatis*, & §. *fin. coram clar. mem. Cardinali Caccia*; Rurſus in Regula ſecunda non exprimuntur certi modi providendi Monaſteria, ſed generaliter abſque ulla reſtrictione reſervantur Monaſteria, & quidem cum dictione univerſali *omnia*, in quibus terminis etiam modus electionis, & quicumque alius comprehenditur, ut tenet *Gloſſ. in dicta Clement. prima* §. 1. *in verbo quamvis in fin. de præbend. Card. ibi in* 5. *quæſt. Gemin. in* §. *Illis col. 2. in fin. verſ. quid ſi in literis*, & diſtinguendo *Silva de Benefic. par. 3. quæſt. 11. n. 87. & ſeqq. Æneas de Falcon. de reſervat. in 3. quæſt. n. 21. inter tractat. magn. tom. 15. par. 1. fol. 252.*, & pleno calamo contrariis rejectis tuetur *Fagnan. in cap. nullus de electione. à num. 18. uſque ad 29.*

Conſimili reſponſione obtunditur altera oppoſitio fundata in *Extravag. ad Romani, & ad regimen de præben. & dignit.* ſub obtentu, quod inibi Pontifices Benedictus XII. & Paulus II. volentes inter Beneficia reſervata comprehendere electiva, expreſſam de illis fecerint mentionem. Enim verò in *Extravag. ad Romani*, recenſita ſolummodò noſcuntur Beneficia ſecularia, & cujuſvis Ordinis Regularia, nulla facta expreſſione Monaſteriorum; unde cùm Beneficia Regularia provideantur etiam per collationem ad evitandam quæſtionem, an ſub indefinita illorum mentione, comprehenderentur electiva, benè factum eſt, illa verbis expreſſis reſervare, quæ difficultas cadere planè non poterat, ſi facta eſſet mentio Monaſteriorum, utpote de ſui natura electivorum, & præſertim quatenus expreſſa fuiſſent cum dictione univerſali *omnia*, prout nominata leguntur in *regul. 2.* ex ſupra firmatis.

In *extravaganti* verò *ad regimen*, plu-
11 res Beneficiorum ſpecies ad ſui liberam diſpoſitionem reſervavit Benedictus XII., & primò omnes Eccleſias Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales; Secundò Monaſteria, & quoad hæc nullam adjecit mentionem qualitatis electivæ; Tertiò Prioratus, Dignitates, Perſonatus, & Officia, necnon Canonicatus, Præbendas, & Eccleſias, minuſque in his ullam fecit mentionem de electivis; Quartò demum reſervavit cætera Beneficia Eccleſiaſtica cum Cura, vel ſinè Cura, ſecularia quæcumque, & qualiacumque fuerint, & in his addita fuit clauſula electiva, ibi = *Etiamſi ad illa Perſonæ conſueverint, ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi* = quæ verba referuntur ad præcedentem quartam reſervationem, cui immediatè adjiciuntur Beneficiorum ſcilicet ſecularium, & Regularium, in quibus cadere poterat quæſtio, an Beneficiorum appellatione veniant electiva, non autem ad primam reſervationem Epiſcopatuum, & Monaſteriorum, quorum reſpectu, nec qualitas electiva fuit expreſſa, neque talis expreſſio neceſſaria erat; dum eo ipſo, quod reſervabantur Epiſcopatus, & Monaſteria, in quandam neceſſariam conſequentiam intelligebatur expreſſa qualitas electiva, utpote de jure in utroque harum Dignitatum genere inſita ex ſupra deductis, quibus additur *Germon. de indult.* §. *Ac beneficia n.22.*

Ea quoque non omiſſa optima ponderatione, quod Regula ſecunda edita fuit
12 ampliativè ad expenſam *Extravagantem ad Regimen*, nam ubi iſta reſtricta fuerat ad Epiſcopatus, & Monaſteria apud Sedem vacantia, illa extendit, & ampliavit reſervationes ad vacationes etiam extra Curiam ſequutas, ut deprehenditur ex lectura, & obſervant *Azor. inſtit. par.2. lib.6. cap.32. quæſt.10. Mandoſ. ad hanc regul. ſecundam quæſt. prima num.3. in fin. Gonzal. ibidem* §. 1. *verſ. cœpit autem*, *Paſſerin. de elect. cap.33. n.70. Caſtropal. oper. moral. tom.2. tract.13. punct.18. n.2.* Quemadmodum igitur Extravagans prædicta loquitur de electivis, de iiſdem quoque loquutam regulam interpretativè concludendum videtur, juxta naturam diſpoſitionis declaratæ, & extenſæ, quæ eſt, ut includat omnes qualitates actus declarati, & ampliati, ut poſt *Bald. in l. cum Teſtamento num.5. verſ. item nota, C. de Teſtam. manum.* dixit *Rota deciſ.502. n.15. par.1. & deciſ.293. n.18. par.12. & dec.159. n.13. par.15. & in Ferrarien. ſeu Imolen. Bonorum 2. Decembris 1699.* §. *Tum quia, coram Me*, ac in ſpecie ponderavit *Mareſcott. var. reſol. lib.2. cap.94. n.61. in fin. & n.62.*

Minuſque urget alterum objectum,
13 quod ſicuti generalis reſervatio omnium Monaſteriorum, non comprehendit Monaſteria jurispatronatus, ita mirum videri non debeat, ſi non comprehendat electiva; Quoniam vera non eſt generalis propoſitio, quod Beneficia jurispatronatus, non ſubjaceant regulis Cancellariæ, dum Doctores in hac re procedunt cum diſtinctione inter jurapatronatus competentia ex jure ſpeciali, puta privilegio, ſive ex conſuetudine, & altera competentia de jure communi, atque ut noſtri dicunt de juſtitia, ratione dotationis, vel fundationis, conveniendo quod primæ ſpeciei jurapatronatus veniant ſub regulis Cancellariæ, ſecus verò altera ſecundæ ſpeciei, ut diſtinguendo tradit *Card. de Luc. de jurepatr. diſcurſ.65. n.20. cum ſeqq.*, ubi congeruntur omnes concordantes; nulla autem currit paritas inter Beneficia jurispatronatus ex fundatione, vel dotatione, & Beneficia electiva; Illa enim Papa eximit à quibuſcumque reſervationibus, etiam in corpore juris clauſis, nè pii Fideles à dotatione Eccleſiarum retrahantur, ut ex *Gloſſ. in cap.2. verb. collatio de præbend. in 6.* tenent communiter *Adden. ad Buratt. deciſ.369. n.12. Rota coram Coccin. dec.1343. n.3. & ſeqq.* cum aliis concordan. relatis *in Romana Clericatus S. Laurentii in Damaſo 30. Martii 1698.* §. *Immo, coram me*, Quamobrem mirum non eſt, quod non veniant ſub generali reſervatione omnium Monaſteriorum, cùm alias dictiones univerſales ſemper præſervent caſum ab alia lege exceptum, *Thabor. axiom. jur. lib.3. cap.22. verſ. declara hanc regulam*; Neque lex generalis corrigit præcedentem habentem ſpecialem rationem, ut latè exornat *Fagnan. in cap. cum eſſes de Teſtam. n.38. cum ſeqq. Rota coram Bich. dec.229. n.21.* E' contra verò nulla lex adduci poteſt eximens à reſervationibus Beneficia electiva,

ctiva, dum ſuperiùs expenſæ Decretales in oppoſitum allegatæ loquuntur in aliis terminis, ut abundè explicatum fuit; Quapropter non eſt cur cenſeri debeant excluſa à regula ſecunda generaliter præſervante omnia, & quæcumque Monaſteria; Immò procedentes cum recitata communi DD. opinione, quod Beneficia Patronalia ex privilegio cadant ſub regulis Cancellariæ, utique cadere quoque debent Monaſteria electiva, cùm poteſtas eligendi Regularibus conceſſa promanaverit ex pura gratia, & liberalitate Summi Pontificis, ut firmat ſecunda hujus Cauſæ Deciſio, & latiùs infra opportuniori loco comprobabitur.

Ex quibus clariùs, quàm ut dici valeat
14 fundata remanet prima pars prioris aſſumpti, quod nempe attenta ſimplici Monaſteriorum, & quidem omnium reſervatione, ambigi nequeat quin Monaſteria electiva cadant ſub regula ſecunda quantumvis de illis expreſſa non ſit facta mentio, ſed manifeſtiùs id ſuadet contextualis reſervatio Eccleſiarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium hujuſmodi, quippe Eccleſiæ tametſi ante regulæ ſecundæ editionem eſſent pro majori earum parte electivæ, electione ad Capitulum, & Clerum ſpectante, ut latè firmant Deciſiones, quæ revidentur, & præter ibi allegatos latè diſſerit *P. Thomaſſin. par.2. lib.2. cap.3. Van. exper. par.1. tit.15. cap.2.* Nihilominùs illarum reſervatio facta legitur abſque ulla diſtinctione inter electivas, & collativas. Per hoc tamen nullus Doctor dixit, aut auſerit dicere, quod ſub dicta generali diſpoſitione non venirent Eccleſiæ Cathedrales electivæ ſub obtentu, quod de illis expreſſa mentio facta non fuerit, ideoque ſine ullo pariter recto fundamento contenditur ſub generali Monaſteriorum nomine non cadere Monaſteria electiva, dum Eccleſiæ prædictæ, & Monaſteria noſcantur reſervata ſub una, & eadem determinatione, ac verborum contextu citra ullam diſtinctionem, ubi enim lex generaliter loquitur, & non diſtinguit, neque nos diſtingere debemus *cap. quia circa 22. de privileg.*, ubi Cœleſtinus III. Archiepiſcopo Londinenſi reſpondit ſi indultum fuerit per verba indefinita conceptum, dum nihil excipitur de eo, quod indulgens excipere poterat, pleniſſimam interpretationem faciendam eſſe, neque debere unam, eamdemque ſubſtantiam diverſo jure cenſeri, & concordat *Text. juris Cæſarei in l. non diſtinguemus ff. de recept. arbitr. & l.2. §. Conveniri ff. de judic.* Accedente etiam illo altero famigerato juris axiomate, quod una, eademque determinatio plura reſpiciens determinabilia, non debet diverſimodè interpretari quoad unum, ac alterum determinabile, quando præcipuè eadem militat determinationis ratio ad *Text. in l. nam hoc jure ff. de vulgar. & pupillar. Rot. dec.129. n.10. par.8. & dec.282. n.12. coram Card. Celſo.*

Non ſubſiſtente, quod iſta parificatio non currat inter Capitula, & Monaſteria, ex quo Cathedrales Eccleſiæ ortæ ſunt cum ea qualitate, ut Epiſcoporum Electio ſpectaret ad Summum Pontificem tametſi poſtea ex Sedis Apoſtolicæ Benignitate tale jus ad Capitulum tranſiverit; Facultas verò eligendi ſibi proprium Abbatem fuerit ingenita, adoleveritque cum ipſis Regularium Inſtitutis, ideoque Papa magìs læſiſſet jura Monaſteriorum, quàm Capitularium per ſuppreſſionem tituli Electivi.

Placuit ſiquidem reſponſio, qua ejuſ-
15 modi objectum exploſum fuerat in ſecunda hujus Cauſæ Deciſione §. *Quandoquidem*, nimirùm quod jus eligendi ſibi Prælatum, ſive in ſeculari, ſive regulari Eccleſia promanavit ab Indulgentia Papæ, & forſan hujuſmodi Privilegium obtinuerunt Regulares prima vice à Pelagio Primo poſt medium ſexti Seculi, ut habetur ex Epiſtola ab eodem Pontifice directa Melito Subdiacono regiſtrata in dicto *Canon. Abbatem il 4. 18. quæſt.2.*, idemque conceſſit S. Gregorius in *Canon. ſequenti, quam ſit neceſſarium eadem quæſt.12.* Et quoad Eccleſias ſeculares probat *Fagnan. in cap. nullus num.13. de elect.* Et ſignanter Superiores Religionum totam eorum juriſdictionem à Pontifice recognoſcunt, *Sanchez ad præceptum Decalog. lib.5. cap.1. num.20.*, ubi
16 quod juriſdictio Prælatorum Regularium in ſubditos non conſurgit ex vi, & natura votorum, ſed derivatur à Summo Pontifice Religionem approbante, qui propterea Generalis Generaliſſimus omnium Reli-

Religionum denominatur, ut notavit *Murg. ad Conſtit. Benedict. Conſtit. 6. Alex.IV. n.*148., quibus conſequens eſt, ut Monaſteria dici nequeant habere jus Electivum ex propria natura eſſentialiter diverſum ab illo quo Eccleſiæ Cathedrales primitùs fruebantur, ſed unum, & idem eſt ab unico fonte Pontificiæ authoritatis derivatum, & ab ipſo Papa quandocumque, veluti ſuum reaſſumibile citra alicujus injuriam, *Gonzal. ſuper regul.* 8. §. 1. *proœmial. n.*45. *cum duobus ſeqq. &* §.6. *num.*8. *&* 9. *Lotter. de re Beneficiar. lib.*1. *quæſt.*26. *num.* 40. *& lib.*2. *quæſt.*33. *num.*3. *Paſſerin. de elect. cap.*6. *quæſt. prima n.*16. *juncto n.*20.

Jam verò ſi ex hactenus animadverſis
17 verba, & contextus Regulæ ſecundæ clarè evincunt comprehenſionem Monaſteriorum Electivorum, lucidiſſimè hoc ipſum pandunt rationes, ob quas Summi Pontifices illam ediderint; Duabus namque ex Cauſis originem reſervationum proceſſiſſe memoriæ traditum eſt, quarum primam præbuit neceſſitas excutiendi è manibus Laicorum Beneficia Eccleſiaſtica, ſub pluribus quippe prætextibus Principes Laici Prælatos Eccleſiis Cathedralibus, & Abbatiis præficiebant, nulla prævia electione, vel ſi eligendi dabant licentiam eodem contextu Perſonam eligendam deſignabant, qui ſanè abuſus uniformi omnium Sacrorum Canonum Cenſuræ contrarius, inter alia quamplurima mala illud omnium peſſimum publicæ Eccleſiaſticorum Beneficiorum venalitatis progenuit, adeout teſte *Thomaſſin. de Benefic. cap.*39. *n.*5. *par.*2. quidam laudatiſſimus Scriptor ſub Pontificatu Alexandri II., & Gregorii VII. memoriæ proditum reliquerit, Aulam Imperatoriam veluti Emptorium fuiſſe, ubi Abbatiæ venales proſtrarent, ibi = *Ut Abbatiæ publicè venales proſtituantur in Palatio, nec quiſquam tanti venales proponere queat, quin protinus Emptorem inveniat*; Et quoniam hujuſmodi uſurpationes notabile receperant incrementum ſub Imperio Friderici Secundi, poſtquam in Romanam Eccleſiam cœpit palàm inſurgere, idcirco Gregorius IX. Canonicas in Imperio, & Siciliæ Regno electiones cœpit ſuſpendere, ſibique reſervare, vacantibuſque Sedibus, Epiſcopos, & Abbates Romanæ Eccleſiæ fidos, & Friderici violentiis conſtanter adverſos nominare, quas reſervationes ad exemplum Gregorii facere continuarunt alii ſucceſſores, ut præſſimis ferè verbis teſtatur *P. Chriſtian. Lupus ad Canon. Concilior. tom.*3. *diſſert.*3. *cap.*8. *fol.*312. *& cap.*9. *fol.*223.

Poſt excuſſam alias non ſinè graviſſi-
18 mis obicibus eligendi licentiam de Regum manibus, reſtitutæ fuerunt Capitulis, Monachiſque electiones, & uſque adhuc illarum uſus ubique locorum forſan vigeret, niſi ſucceſſu temporis coinquinatus eſſet aliis modis magìs damnabilibus, utpotè procedentibus ex facto ipſorum eligentium, qui ambitus, & avaritiæ ſpiritu ducti penè omnes reddiderant electiones impacatas, vitioſas, nefariiſque cupiditatibus maculatas: Ob hanc aliam propterea cauſam obſtricti fuerunt Pontifex Bonifatius VIII., & Clemens V. poteſtatem eligendi ad ſe pertrahere, mediantibus reſervationibus, adeout nonnulli Scriptores, quos refert, & ſequitur *Franciſcus Ramos del Manzano* clari nominis juris Conſultus Hiſpanus in Memoriali ad Alexandrum VII. porrecto, circa proviſiones Epiſcopatuum tunc vacantium in Regno Luſitaniæ *propoſ. ſecunda n.*3., crediderint Regulam ſecundam fuiſſe inchoatam à Bonifacio, & à Clemente editam. Veritas tamen magìs explorata eſt, quod cùm Clemens V. non
19 admodum frequenter uſus ſit hiſce reſervationibus, ſed crebrius, & ampliori jure illas ad uſum deduxerit illius ſucceſſor Joannes XXII: Natione Gallus, ferè omnes conveniunt Scriptores, tam Hiſtorici, quàm legales, Auctorem Regulæ ſecundæ fuiſſe nominatum Papam Joannem evitandi cauſa diſſentiones, & labem Simoniacam, quæ generaliter ferè omnes comitabantur electiones, & præ cæteris *Villanus in Hiſtor. Florent. lib.*12. *cap.*20., ubi refert, Joannem XXII. reſervaſſe omnia Beneficia Collegiata Chriſtianitatis, *e tutti gli voleva dar egli, dicendo il faceva per togliere le Simonie*. *Ciaccon. in vita ejuſdem Pontificis fol.*391. *Thomaſſin. de benef. tom.*2. *lib.*2. *cap.*40. *num.*9., & ex noſtris *Gomez in proœm. regul. quæſt.* 1. §. *Redeamus*, *Burſatt. conſ.* 126. *ſub n.*18. *Matta ad concordat. German. num.*35.

*num.*35. *& quæſt.* 26. *num.*36. *Corrad. de diſpenſat. lib.*1. *cap.*6. *n.* 46. *&* 47.

Ex qua Hiſtorica narratione cum edoceamur Principes Laicos manus injeciſſe non ſolùm in proviſionibus Eccleſiarum Cathedralium, ſed etiam Abbatialium impediendo, ſeu directè, ſive indirectè liberum Canonicarum electionum exercitium, quodque diſſentiones, & diſcordiæ, pactaque illicita, quibus ſubinde reſtitutæ electiones ab inteſtinis ipſorum eligentium motibus, ac tractatibus conturbari, & coinquinari cœperint, æquè experiebantur in electionibus Prælatorum majorum, quam inferiorum, invincibile redditur, quod ſi ad obtruncandum duplicem hunc abuſum deventum fuerit ad reſervationes contentas in regula ſecunda, procul dubio in eadem fuiſſe comprehenſas, nedum Eccleſias Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales, verum etiam Monaſteria electiva. Inveriſimile quippe eſt, imò omni juſtitiæ dictamini repugnans, Pontifices excutere voluiſſe à manibus Principum Eccleſias Cathedrales tantum, quando Monaſteria eidem ſubjiceebantur infortunio, quodque arcere ſtuduerint diſſentiones, & jurgia, peſtemque Simoniacam ab electionibus majorum, & non inferiorum Prælatorum, contra omnia rectæ rationis principia, dictantia, ut vitia, quæ generaliter ex una radice naſcuntur, una lege univerſaliter tollantur *Can. ſi vis Chriſtuſ.* 1. *quæſt.* 1. *can. ſi quis per vetus* 22. *quæſt.* 2. *leg. ſi libertam in fine C. de nuptiis Gloſſ. in cap. translato verbo*, *& quoties de conſtitut.* Concludendum propterea, quod ubi verba regulæ adeò clara non eſſent, qualia profectò ſuperiùs oſtendimus pro comprehenſione Monaſteriorum electivorum, adhuc tamen cùm ratio, & cauſa motiva illa editionis eſſet communis, tam Eccleſiis Cathedralibus, quàm Monaſteriis electivis utriuſque dignitatis, ſpeciem amplecti fatendum eſt, ex regula, de qua in *dicto cap. translato de Conſtit. cap. præterea*, & ibi *gloſſ. de offic. de legat. leg.*2. *ff. de juriſd. omnium judicum*, *& paſſim apud Doctores*.

Magìs in aperto ponitur hujuſmodi veritas proſequendo hiſtoriam controverſæ reſervationis, breviſſimè percurrendo ea, quæ acciderint, poſtquam ſucceſſores Joannis XXII. in eadem continuarunt; Non minus namque Principes, quàm Capitula, & Conventus Monaſtici adversùs eamdem reſervationem obſtrepere cœperunt, inſtando pro reſtitutione electionum, ac præcæteris Baſileenſes totos adhibuerunt conatus pro illis vindicandis, ſed ab initio infelici exitu, non obſtantibus namque eorum decretis Summi Pontifices regulas reſervativas Epiſcopatuum, & Abbatiarum, confirmarunt teſte *Mandoſ. ad regul.* 2. *quæſt.*12. *n.*12. *Cochier. ibidem n.*15. *&* 16. *Burſatt. dicto conſ.*126. *num.*21. *Germon. de Indult. Cardin.* §. *Ac Beneficia num.*8. *& ſeqq. Fermoſin. in cap. cum Eccleſia Sutrina quæſt.*2. *ſub n.*11. *de cauſ. poſſeſſ. & pro-*
20 *priet.* Sed poſt Concilium Baſileenſe nonnullis ex prædictis decretis rejectis, aliquibus verò receptis, ut refert *Æneas Sylv. epiſt.*371., deventum fuit inter Nicolaum, & Federicum II. Imperatorem, ſeu Nationem Germanicam ad Concordata, quorum vigore Germanis reſtitutæ fuerunt Epiſcopatuum, & Abbatiarum electiones, mirabili quidem arcani Numinis providentiæ conſilio, quippe quod cùm in Germania electiones, & audaciùs fuerint, & diutiùs à Principibus oppugnatæ, ea ipſa nunc ſit earum retinentiſſima, & una propemodum Chriſtiani Orbis Provincia, in qua mediantibus ipſorum Principum Inſtantiis adhuc vigeant, ſunt ferè verba doctiſſimi *Thomaſſin. de Benefic. par.*2. *lib.*2. *cap.*38. *num.*10., ubi lato calamo diſſerit de hiſce Concordatis, & referunt etiam *Spondan. anno* 1457. *num.*5. *& Raynald. eodem anno n.*47. In aliis namque Regnis ſublatis electionibus factæ fuerunt reſervationes, ſed ſucceſſivè variis de cauſis indultum fuit Principibus jus, aut præſentandi, aut no-
21 minandi, quorum primum præſentandi habet Rex Catholicus ad quaſcumque Eccleſias, & Monaſteria in Hiſpaniarum Regnis vigore Indulti Adriani VI., & aliorum Pontificum, ut referunt *Cortiada dec.*7. *num.*35., & magìs latè *in deciſ.*253. *à num.*17. *ad num.*78. *& dec.* 257. *num.*1. *Solorzanus de jure Indiarum tom.*2. *lib.*3. *cap.* 2. *&* 3. *Pegas de competentiis part.*1. *cap.* 8. *Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. part.*1. *tit.*1. *cap.*3. *n.*8. *& à num.*29. *ad num.*34. *Rota apud Coccin. dec.*1023. *n.*1., &

& ſecundum nominandi obtinet in Bel-
22 gio ex Indulto Sixti V., ut apud *Spad. conſ.*134. *n.*2. 3. *cum ſequent. lib.*1., ſimiliter Rex Chriſtianiſſimus conſecutus eſt Privilegia nominandi à Leone X. pro Ducatu Britanniæ, & pro Provincia Provinciæ. Ab Alexandro VII. pro Tractu Methenſi, Tullenſi, & Virdunenſi. A Clemente IX. pro ditionibus Gallo Belgicis, & Comitatu Ruſcinonis, & demum ab Innocentio XI. pro Comitatu Burgundiæ, ut latè tradit *P. Thomaſſin. d. cap.*40. *per tot.*, *ubi n.*6. optimè occurrit Spondano nomine Gallicani Cleri conquærenti ob reſciſſas Capitulorum, & Monachorum electiones priùs mediantibus reſervationibus, & poſtea nominationum conceſſionibus in favorem Regum.

Ex quibus duplex eruitur ponderatio efficaciter comprobans Monaſteria electiva cadere ſub reſervatione Regulæ ſecundæ, quarum primam præſtant Baſileenſium querelæ, decreta, atque ſubſecuta Concordata. Ad quid enim tanto ſtrepitu Baſileenſes, Principum Germanorum auctoritate muniti, conqueſti fuiſſent de ablatis, & reſciſſis electionum juribus, ad Capitula, & Monachos ſpectan., ſi reſervationes non amplecterentur Monaſteria electiva, ſed ea pauca, quæ Conventu carebant, quævè commendari ſolita erant, & quomodo ſubinde Monachi Germani obtinuerunt in vim Concordatorum priſtinam libertatem eligendi, quatenus antecedenter Regulæ ſecundæ reſervationes illam non ſuſtuliſſent? contra regulam, quod reſtitutio juris ſup-
23 ponit illius antecedentem ablationem, ſicuti privatio præſupponit habitum *leg. decem* 117. *ff. de verb. obligat. leg. remittit ff. de jur. jur. Everard. in topicis legalibus loc.*6. *Rot. dec.* 242. *n.*4. *& deciſ.*307. *num.*1. *part.*2. *rec. & in Firmana juriſdictionis ſuper reſervatis* 15. *Aprilis* 1701. §. *Habere aſſertionem, coram Me*.

Indulta nominandi, & præſentandi Principibus conceſſa ſecundam excitant ponderationem, nihil enim magìs omnibus exploratum eſt, quàm ut Cauſam dd. Indultorum tribuerint generales reſervationes Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum, quas Pontifices ad ſui favorem conſtituerant, adeout Pontifices in illis concedendis non tantum derogaverint SS. Canonum diſpoſitioni Capitulis, Cathedralibus, & Monachis jus eligendi tribuentibus, quam regulis Cancellariæ generalem illorum continentibus reſervationem, ut videre eſt ex tenore ipſorum indultorum, quæ per extenſum refert *Doviat. in ſpecimen. juris Gallici quæſt.* 2. *pag.*35. *cum ſeqq.*, & apud *Pinſon. in tract. des regales, & in notis Summariis ad Regia Indulta*. Si igitur Pontifices conceſſerunt Principibus Laicis jus nominandi, & præſentandi ad Monaſteria poſt factas ſepedictas reſervationes, illis in forma ſpeciali derogando, manifeſtum conſurgit argumentum, ſub illis fuiſſe comprehenſa *l.*1. §. *Dejicitur ff. de vi, & vi armor. cap. fin.*3. *quæſt.*3. *Alex. conſ.*151. *num.*2. *lib.*6. *Surd. conſ.*160. *n.*39.

Ut hinc jure merito, tam Hiſtorici,
24 quàm Juris Conſulti Scribentes ſuper origine, & intelligentia dictæ Regulæ ſecundæ Cancellariæ pro abſoluto ſupponant, ac firment eam comprehendere Monaſteria electiva, ut ex Hiſtor. refert *Villanus loco ſupra citato, & P. Thomaſſin. locis pariter ſupra laudatis, & ſignanter part.*2. *cap.*38. *num.*10., quibus additur *Rouſſell. lib.*2. *Hiſtor. Juriſd. Pontific. cap.*3. *n.*4. *& ſeqq. Card. Oſſat. epiſt.*296. Et Juris Conſultorum plenus numerus recenſitus fuit in deciſionibus Cauſæ, quibus additur *Card. Zabarell. conſ.* 5. *num.* 2. *Card. Tuſc. ver. Beneficium concluſ.*75. *n.*3. *Simonett. de reſervat. quæſt.* 39. *num.*2. *Nicolar. ad concord. German.* §.19. *Sot. ad hanc regulam ſecundam n.*5. *&* 6. qui una voce fatentur per regulam ſecundam fuiſſe reſciſſas electiones, quodque Germania excepta, ab Aula receſſerit titulus electionis, itaut ex eo parum, aut nihil lucrentur Advocati, & in ſpecie obſervant *Burſatt. dicto conſ.*126. *n.*20. *Matt. ad Concordat. German. n.*37. *&* 38.

Quemadmodum etiam ex præmiſſis facili negocio eliminatur objectum, quod reſervatio Abbatiarum in regula ſecunda reſtringi debeat ad jus confirmandi electiones. Nam ſi juxta ſuperius dicta, & firmata communis omnium ſenſus eſt, Regulam ſuſtuliſſe electiones, neceſſarium conſequens eſt non reſervaſſe ſolam illarum confirmationem ſupponentem antecedens ipſarum exercitium. Et profectò cum Pontifices reſervaverint Monaſteria,

ria, avocarunt à Monachis facultatem de illis quoquo modo diſponendi, dum re-
25 ſervatio communiter definitur Beneficii vacaturi per Papam à ſe facta avocatio *Æneas de Falcon. de reſervat. quæſt.*1. *n.*1. *Simonett. eodem tract. quæſt.*1. *num.*1. *P. Azor. inſtit. moral. tom.*2. *lib.*6. *cap.* 34. *quæſt.*1. *Fragoſ. de Regim. Reipub. Chriſt. tom.*2. *lib.*3. *diſput.*9. §.3. *num.* 78. *in fin. Tondut. de re benefic. tom.*1. *part.*2. *cap.*3. §.2. *num.* 1. Per confirmationem autem non avocatur à Monachis facultas eligendi, ſed facta electio ſupponitur Pontificiæ approbationi, ut de ſe patet, ac planè comprobat prima deciſio Cauſæ §.19.

Hanc veritatem mirificè confirmat Conſtitutio 86. *tom.*2. *Bullar.* ſan. mem. Pii Quarti, in qua facta diſtinctione inter Monaſteria perpetua electiva excedentia valorem florenorum 200. nullumque habentia privilegium eligendi reſiſtens reſervationibus Apoſtolicis, ac inter alia conſimilia hoc privilegio ſpeciali munita, refertur prima tanquam reſervata, eſſe providenda per Sedem Apoſtolicam mediante Collatione, altera verò ſecundæ ſpeciei ſpectare ad Canonicam electionem Conventuum, & ad confirmationem Sedis Apoſtolicæ, ex qua Pontificia declaratione duo inferuntur. Alterum quod ſub Regula ſecunda cadant Monaſteria electiva. Alterum, quod ipſius reſervatio verè comprehendat jus diſponendi, & conferendi, & non electiones tantum confirmandi, qua interpretatione, utpote procedente ab ore Pontificio, nulla melior deſiderari poteſt ad rectam propoſitæ quæſtionis reſolutionem per ea, quæ tradunt *Mantic. dec.*59. *num.*11. *& dec.*217. *n.*4. *&* 5. *coram Royas, & deciſ.*114. *par.*6. *rec.*

Idque etiam evidens efficitur ex ſtylo Datariæ, & Cancellariæ, quæ non approbant, neque confirmant electiones niſi in tribus caſibus, nempe concordati, conſuetudinis immemorabilis, & ſpecialis privilegii, quibus ceſſantibus provident Abbatias Regulæ ſecundæ ſubjectas eodem modo, & formula, quibus provident Epiſcopatus, ut teſtatur *Mandoſ. in tract. de ſignat. Grat. tit. de confirmat.* §. *Electiones*, & adnotatum reliquerunt Abbreviatores de Parco in quodam manuſcripto relato in *hodierno Summ. Datariæ*.

Hinc tranſeundo ad ultimum aſſumptum obſervantiæ, tam generalis, quàm individualis, utraque certè confirmat,
26 Regulam ſecundam comprehendere Abbatias electivas. Siquidem, quod ſpectat ad generalem, nulla adducta fuit poſterior electio, quæ illam deſtruat, quia ſi loquamur de electionibus Monaſteriorum Germaniæ, iſtæ factæ fuerunt, dietimque fiunt vigore Concordatorum, quapropter nihil obſtant geminæ proviſiones Monaſterii Lobien. datæ in *hodierno Summario Patris Maillet n.*8. *&* 9. ſitum quippe eſt dictum Monaſterium in agro Leodienſi, & in ea parte Diœceſis Cameracen., in qua vigent concordata Germaniæ, ut firmant *Nicolart. ad eadem concordata tit.*3. *dub.*1. §.5. *Vvameſ. conſ.* 33. *num.*13. *Leonin. conſ.*50. *per tot. Zypeus conſult.*3. *n.*6. 19. *&* 25. *& conſult.*6. *num.*8., & dixit *Rota in Romana Exemptionis Calceolariorum* 22. *Junii* 1693. §. *finali, coram bo. me. Emerix*. Idemque dicitur de Monaſterio S. Mariæ de Altaripa Lauſanen. Diœceſis, in qua locum quoque ſibi vindicant concordata Germaniæ, cum Lauſanna ſit urbs Helvetiæ, ſicuti teſtatur *Baudran. in lexicon verbo Lauſanium, ſeu Lauſanna. Hoffman. in verbo Lauſanna.*

Si verò ſermo eſt de Monaſteriis Poloniæ, & in hoc Regno vigent conſuetu-
27 do immemorabilis, & privilegia Apoſtolica, quibus præcipuè gaudent Monachi Ciſtercienſis. Unde nihil urgent exempla electionum Abbatiæ Landenſis Ordinis Ciſtercienſis, de qua *dicto Summario n.*3., & Montis Calvi Cracovien. Diœceſis *dicto Summario num.*5. *&* 6., prout etiam, nec concluderet electio Monaſterii Cracovien. de Clara Tumba Ordinis Ciſtercienſis, de quo in *dicto Summ. n.*4. Cæterum nullatenus probatum fuit, hujuſmodi Abbatiam eſſe Conciſtorialem, & taxatam in libris Cameræ, imò liquet de negativa, ex Taxa Abbatiarum impreſſa poſt *Tamburinum de jur. Abbat. fol.* 498. §. *Cracovien.* Unde ex hoc alio capite non cadit ſub Regula ſecunda, requirente valorem annum 200. florenorum.

Aliarum autem Regionum nullum affertur, neque afferri poteſt exemplum
28 electionum Regulæ obſtativum. In Italia nam-

namque Abbatiæ ſunt triennales, manuales, & à Capitulis generalibus providentur; hancque ob cauſam ſub regula non comprehenduntur ad evitandum abſurdum, quod Proviſus à Papa debeat ab inferiore removeri, ut notarunt *Cochier. ad hanc regulam n.*17. *Cortiad. deciſ.*153. *num.*35. *Coccin. dec.* 1023. *n.*13. *cum aliis relatis in prima Cauſæ Deciſione*. In Gallia, in Hiſpaniis, & in Belgio Reges
29 Catholicus, & Chriſtianiſſimus obtinent indulta nominandi, & præſentandi, in Portugallia Rex habet jus ſupplicandi, quamobrem in ſola Lotaringia iſta Regula verificabilis remanet, cùm careat concordatis, privilegio, & conſuetudine, & ſic ſenſim fit tranſitus ad obſervantiæ particularis indagationem.

30 Caret inquam concordatis, quia Lotaringia ſub illis Germaniæ non comprehenditur, ut latiſſimè refert *Card.Oſſat. in præcit. epiſt.*296. eoque adducto *Thomaſſin. dicto tom.*2. *cap.*40. *ſub n.*9., & reſolutum fuit per *Rotam in Virdunen. Electionis Epiſcopatus* 15. *Octobris*, & 15. *Novembris* 1593. *coram Cardinali Pamphilio*, & *coram Coccin. dec.* 2245. *num.* 30. & *ſeqq.* Nec minus obtinet privilegia. Nam adducta in prima Cauſæ propoſitione abundè confutat prima Deciſio *à n.*20. *uſque ad finem*. Neque demum viget conſuetudo, cùm de illius Abbatiis ferè ſemper providerit Papa, ut teſtatur *Card.Oſſat. in ſepedicta epiſt.*296. ibi = *La riputazione di V. M. in queſta Corte non comporta, che il voſtro nome, e la voſtra potenza ſiano impiegati ad abbattere l' autorità del Papa, ed a ſpogliare la Santità Sua del Poſſeſſo, nel quale ſi trova di provedere a queſte Badie. E che per far ottenere ad un Particolare ciò che non l'appartiene, Voſtra Maeſtà ſi ponga in cattiva intelligenza col Papa* =, & poſt enarratam electionum Hiſtoriam à Joanne XXII. reſciſſarum hæc addit = *Si come Voſtra Maeſtà non puol eſſer ripreſa di conſervare il dritto delle nomine, ne' luoghi, ove non ſono in uſo, non è decente, nè eſpediente per i voſtri affari, che V.M. per l' appetito d' un Particolare ſi affatichi di riſuſcitare l' elezioni già eſtinte contro il Papa regnante, che ha trovato le coſe in queſto ſtato, e che non fa altro, che mantenerſi nel Poſſeſſo transmeſſogli da' ſuoi Anteceſſori*, & reaſſumit *Thomaſſin. dicto cap.*40. *n.*9., ex quorum Teſtimonio confunditur prætenſio P.Maillet, quod Monachi Lotaringi à Joanne XXII. uſque ad annum 1480. fuerint in poſſeſſione eligendi, non obſtante exemplo electionis factæ de Anno 1455., illiuſque confirmationis conceſſæ à Calixto Tertio, quia eſt unicum, & mandatum de confirmando, & non confirmatio, quo ſecluſo nullum datur alterum exemplum, quod Monachi elegerint, & Sedes Apoſtolica electionem confirmaverit, quinimò conſtat Anno 1515. Monachos poſtulaſſe, & non docetur, poſtulationem fuiſſe admiſſam, ac rurſus apparet Anno 1634. elegiſſe, & electionem fuiſſe rejectam, ut ex *Summario Monachorum ſub die primæ propoſitionis diſtributo n.*12.

31 Non omiſſa altera ponderatione facta in ſecunda Deciſione Cauſæ, quod ſcilicet antiquitus in reſervatione Regulæ ſecundæ apponebatur clauſula *quatenus Summi Pontifices illa uti voluerint*, atque ideò tunc non repugnabat obſervantiæ regulæ, quod Summus Pontifex admitteret electiones, cùm ab ejus libera voluntate penderet uti reſervatione, vel eam dimittere juxta Votum editum *à bo. me. Card. Corrado in Biſuntina Poſtulationis* 16. *Junii* 1657. §.*Non obſtat*, & §.*ſeq.* Idque comprobatur ab exemplo ipſiuſmet Papæ Calixti, qui Anno 1456. confirmavit electionem factam à Canonicis Vercellenſibus de Gregorio Giliaco Archidiacono in ipſius Eccleſiæ Epiſcopum, ut narrat *Cuſan. in vitiis Epiſcop. Vercellen. diſc.* 93., quapropter ſicuti erraret, qui diceret Epiſcopatum Vercellenſem non cadere ſub Regula ſecunda, ex quo Calixtus Anno 1456. admiſerit Canonicorum electionem, ita pariter erroneum, eſt prætendere, quod Monaſterium, de quo agitur non cadat ſub eadem reſervatione, ex quo idem Calixtus Anno præcedenti Monachorum electionem confirmari mandaverit, præcipuè quia, ut præfertur, non exhibentur alii actus electionum, ex quibus concludi poſſit conſuetudo immemorabilis inducens præſumptionem privilegii Apoſtolici, imò concurrunt actus contrarii electionum rejectarum, ex congeſtis per *Rota dec.*48. *n.*14. *cor.Bichio*, & *in Leodien.Juriſdictionis* 11. *Aprilis* 1698. §.2. *coram Me*, & *in Firmana*

n.i Juriſdictionis 10. *Maji* 1700. §. *Præterea cor. Me.*

Cæterum omnem ſubmovet amaritudinem Breve Pauli V., in quo expreſsè diſpoſitum, & cautum fuit, ut Collationes, & proviſiones Monaſteriorum Ordinis S.Benedicti in Lotaringia ad S.Sedem Apoſtolicam, ut prius pertinerent, itaut nullus de illis præter Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem ullo modo diſponere poſſit, per quæ citra ullum dubitandi locum antiqua generalis reſervatio fuit confirmata, & nova ſpecialiter inducta, ut dictum fuit *in prima Deciſione n.*27. *& ſeqq.*, nec hæſitari poteſt, quin hujuſmodi Breve fuerit ad obſervantiam deductum, quia vacata paulò poſt illius publicationem Abbatia S. Naboris Congregationis SS. Vitoni, & Idulphi, cum Monachi deveniſſent ad electionem, eam uti nulliter, & de facto emanatam reſcidit dictus Pontifex, de ipſaque diſpoſuit ad favorem Joannis Porcellotti Maillanei, ea reddita ratione, quia illius Collatio, proviſio, & omnimoda diſpoſitio virtute ſuarum antecedentium Literarum ad S. Sedem Apoſtolicam ſpectabat, ut conſtitit ex ipſis Literis tranſcriptis *in hodierno Summ. Datariæ litt.C.*

Denuò hoc idem Monaſterium vacavit ſub Urbano VIII., à quo proviſum fuit favore Caroli de Bourlemont, & quia Monachi elegerunt P.Pulchronium, inter ipſum, & Proviſum Apoſtolicum orta fuit quæſtio, delata poſtea ad Sac.Rotam, quæ licèt primo loco reſpondiſſet pro nullitate electionis ob non ſervatum *Capitulum quia propter*, ac non petitam à Sede Apoſtolica confirmationem juxta concordata Germaniæ, quæ per viam
2 extenſionis locum habere in Diœceſi Methen. *Rota* tunc ſuppoſuit, ut videre eſt *in tota deciſione* 43. *Dunoz. Jun.* Pro ſecunda tamen vice propoſita Cauſa, exhibitoque Brevi Pauli V., nec non alio reſcripto Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, confirmato in ſpeciali forma à ſa. me. Urbano VIII. receſſum fuit à Deciſis, *ut in deciſione* 73. *per tot. ejuſdem Dunoz. jun.* Quibus ſtantibus conſtat ad evidentiam de praxi Datariæ favorabili non admittendi electiones Monachorum hujuſmodi Congregationis SS. Vitoni, & Idulphi, etiam in iis locis, in quibus vigere concordata Germaniæ erroncè ſuppoſitum fuerat, ergo multò magìs in iſto Virdunen. Diœceſis, in quo certum eſt nunquam viguiſſe concordata, remanetque per conſequens quælibet obſervantia contraria, quatenus adeſſet, ſublata per poſterius Breve Paulinum, & Sacræ Congregationis Reſcriptum per viam legis univerſalis emanatum, ut animadvertit *Rota dicta dec.*73. *in fine coram Dunoz. Jun.*

Non turbante nupera proviſione Monaſterii S. Petri de Luneville facta ſub 1
fine Pontificatus ſa. me. Innocentii XII. Tum quia eſt de ordine diverſo, nempe Regularium S. Auguſtini, qui forſan habere poſſunt ſpeciale privilegium Regularum Cancellariæ derogatorium, prout illud obtinent Canonici Præmoſtratenſes ſub eadem regula militantes, de quo *Rota in dec.*41. *coram Verall.* Tum quia conſtat patenter dictam expeditionem proceſſiſſe ex errore, cùm ſuppoſitum fuerit, Monachos intrà ſex menſes non elegiſſe, & tamen cum vacaſſet per obitum Commendatarii nulla requirebatur electio Monachorum, ut dixit *Rota cor. Coccin. dec.*2245.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Regula ſecunda Cancellariæ non comprehendit beneficia ſimultaneæ præſentationis; An autem comprehendere intendat, quando hæc ſimultanea eſt diviſa per Turnum? Vide prout in corpore.

SUMMARIUM.

1 *Literæ ſubreptitiæ non ſunt exequendæ.*
2 *Beneficia ſimultaneæ collationis, aut præſentationis non cadunt ſub Regula ſecunda Cancellariæ. Quid ſi hujuſmodi ſimultanea ſit diviſa per Turnum?* Vide num.3.

CASUS II.

VAcavit Beneficium A de Jurepatronatus Epiſcopi, & Titii Sede Epiſcopali vacante; Cajus obtinuit illud à Sede Apoſtolica, cum expreſſione, quod eſſet illi reſervatum, in vim hujus *Canonis XV.* Quæritur an Literæ Apoſtolicæ Impetrationis Beneficii obtentæ à Cajo ſint exequendæ?

1 Reſpondeo negativè, quia dictæ literæ ſunt ſubreptitiæ cùm deficiat verificatio reſervationis Regulæ ſecundæ, in qua conſiſtit totum fundamentum gratiæ, *Rota coram Ubald. deciſ.* 300. *num.*2. *& 3., & in recent. deciſ.* 472. *num.* 69. *par.*19., *& in Parmen. Beneficii* 28. *Januarii* 1701. §. *Cum enim, coram R.P.D. Scotto impreſſ. apud Pitonium diſcept. Ecleſ.*25. *num.*40., *& in Cremon. Beneficii* 3. *Decembris* 1706. §. *Præmiſſo, coram R.P.D. Lancetta.*

2 Et ſanè ceſſat in hoc caſu reſervatio Regulæ ſecundæ, licet enim iſta reſervet Beneficia, & Dignitates vacantes Sede Epiſcopali vacante, & ſpectantes ad collationem Epiſcopi ante adeptam Eccleſiæ poſſeſſionem, attamen excipit in corpore beneficia, & dignitates ſimultaneæ collationis, præſentationis, vel electionis, ibi = *Non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præſentationem, vel electionem pertinentia* = Ex qua exceptuatione excluſa remanere Beneficia, & Dignitates, quæ habent conſocium in jure conferendi, vel præſentandi communiter advertunt *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*2. §.2. *num.*20. *Lotter. de re benefic. lib.*2. *quæſt.* 34. *num.*8. *verſic. unde Gabriel. conſ.* 187. *num.*3. *& ſeqq. lib.*1. *D. Piton. d. diſcept. Eccleſ.*12. *ſub n.*17.

3 Et ſolùm quæſtio reſtringitur in videndo, an ſicut regula excipit Beneficia, & Dignitates ſimultaneæ Collationis, ſeu præſentationis, ita etiam excipere intendat, quando hæc ſimultanea eſt diviſa per Turnum inter duos Collatores, vel Patronos; In quo articulo regula eſt affirmativa, quod etiam ſtante diviſione per Turnum non habet locum reſervatio, ea ratione, quod illa fundatur in ratione occurrendi diutinæ vacationi Beneficiorum tempore, quo vacante Sede Epiſcopali, non adeſt Collator, neque Patronus reſpectivè, quando Epiſcopus habet jus præſentandi, quæ ratio ceſſat, quoties ſupponimus adeſſe conturnarium, qui in defectum alterius per jus accreſcendi, ſeu non decreſcendi poteſt conferre, ſeu præſentare, ad Beneficium, ſeu Dignitatem vacantem, ut firmant *Gonzal. ad regul.* 8. *gloſſ.* 45. §. 3. *num.*44. *& ſeqq. Caſtropal. tract.* 13. *de Benefic. diſput.*2. *punct.*8. *num.* 5. *Tondut. quæſt. Benefic. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 234. *cum ſeqq. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg.*57. *n.*90.

Cum igitur Sede vacante adeſt Titius Compatronus; qui coram Vicario Capitulari habente jus inſtituendi, potuit præſentare, ceſſat ratio fundamentalis reſervationis Regulæ ſecundæ conſiſtens in defectu Collatoris, ſeu Patroni, qui poſſit conferre, ſeu præſentare ad occurrendum diutinæ vacationi Beneficiorum; ut dixi in *Commentario*.

CANON

CANON XVI.

PIUS V. Conſtit. LVIII. §. 3. 4. *&* 6. *Bull. Rom. Tom.* 2.

QUanta Eccleſia Dei incommoda: *Et infrà*: Epiſcopi, & alii facultatem habentes, eorum dumtaxat reſignationes recipere, & admittere poſſint, qui aut ſenio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, cenſuris Eccleſiaſticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Eccleſiæ, vel Beneficio inſervire, ſeu qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri, Religionem quoque ingreſſuri, vel matrimonium contracturi, ſi ſtatim poſtea id re ipſa exequantur: Denique quis ex aliis caſibus acciderit, qui Conſtit. fel. record. Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Eccleſiis edita continentur, qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficii reſidere ſecuri, ſed nec horum ullus ſacro ordini mancipatus, niſi Religionem ingreſſurus valeat ullo modo beneficium, vel officium Eccleſiaſticum reſignare niſi aliunde ei ſit, quo in vita poſſit commodè ſuſtentari. Ad hæc Beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis Sanctionibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus permittuntur. Caveant autem Epiſcopi, & alii præſcripti, itemque omnes Electores, Præſentatores, & Patroni tam Eccleſiaſtici, quàm Laici, quicumque ſint, nè verbo quidem, aut nutu, vel ſigno futuri in hujuſmodi Beneficiis, & officiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos, vel etiam intentio qualiſcumque intercedat. *Et infrà*: Qui verò contrafecerint, ut in eo, quo deliquerint, puniantur, à Beneficiorum, & officiorum collatione, nec non electione, præſentatione, confirmatio- Ann.1568.

ne, & inſtitutione, prout cuique competierit, tandiu ſuſpenſi remaneant, donec remiſſionem à Romano Pontifice meruerint obtinere; & qui talia beneficia, ſeu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus ſubjacere. Et nihilominus in eos, qui ſic ſuſpenſi conferre, eligere, præſentare, confirmare, vel inſtituere auſi fuerint, excommunicationis quoad perſonas; quò verò ad Capitula, & Conventus, à divinis ſuſpenſionis ſententias ipſo facto promulgamus, quibus etiam nullus alius, quàm ipſe Romanus Pontifex, ſive abſolutionis, ſive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire.

CANON XVII.

GREGORIUS XIII. Conſtit. LXXXV. §. 1. 2. 3. & 4. *Bull. Rom. Tom.* 2.

Ann. 1584. HUmano vix judicio: *Et infra*: Nos hoc malum, prout occaſio, neceſſitaſque poſtulat, coercere volentes, ſtatuimus, ut poſt hac omnes, & quæcumque reſignationes, etiam cauſa permutationis, ac commendarum, & etiam literis Apoſtolicis non confectis, & poſſeſſione non habita, nec non litis, & jurium quorumcumque conceſſiones, ac retroceſſiones, quæ deinceps de quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis, in noſtris, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis manibus, ac etiam coram Notario publico, & Teſtibus fient, & à nobis, vel illo, ſeu noſtro, vel illius mandato admittentur, & ſuper eis proviſiones, & quæcumque aliæ diſpoſitiones ſive temporales, ſive perpetuæ, aut ad hoc mandata Apoſtolica ſub quacumque forma, & quibuſcumque etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Piis Locis quocumque Privilegio ſuffultis facta publicari debeant cum literis Apoſtolicis deſuper confectis, intrà ſex menſes, ſi Beneficium citra Montes fuerit, ultra verò intrà novem à data conceſſionis gratiæ, non autem à die præſtiti ſuper ea con-

ſenſus

ſenſus numerandos, etiamſi poſtea conceſſio gratiæ hujuſmodi ex quavis Cauſa, diverſiſque ſubſequentibus datis, ac quotieſcumque, & quovis modo reformata, & valida reddita fuerit, plureſque, & quotquot in alium, vel alios ceſſiones, ac etiam in ipſummet primum reſignantem, vel cedentem retroceſſiones termino præſcripto non dum elapſo interceſſerint, itaut unicus dumtaxat terminus omnibus his ſucceſſivis ceſſionibus, ac retroceſſionibus decurrat, ut qui poſtremus gratiam habuerit, publicationem hujuſmodi facere, cæteraque omnia hic præſcripta intrà eumdem terminum præſtare teneatur; Ipſa autem publicatio in Cathedrali, & in Beneficii Eccleſia, vel Eccleſiis, ſi in pluribus illud ſit, fiat ubique, dum frequens Populus ad Miſſarum ſolemnia convenerit, palàm omnibus literæ Apoſtolicæ præſcriptæ, earumve tranſumptum authenticum exhibeatur, claraque, & intelligibili voce, reſignatio, ſeu ceſſio hujuſmodi, ac Beneficii qualitas, & invocatio, nominaque, & cognomina reſignantis, ſeu cedentis, ac illius, in cujus favorem gratia hujuſmodi facta eſt, pronuntientur itaut hæc omnia poſſint ad notitiam omnium ibi exiſtentium, veriſimiliter pervenire, ſcriptoque de his omnibus exemplo collato, valvis dictarum Eccleſiarum affixum relinquatur. Si verò Eccleſia Beneficii ruralis ſit, aut Populo, conventuque careat, eo caſu in Parochiali, intrà cujus Parochiæ limites beneficium ipſum conſiſtit, & in Cathedrali Eccleſia, vel ſi locus bello, ſeu peſte, aliiſve manifeſtis periculis ſubjaceat, tunc in proxima Parochiali, ac etiam in Cathedrali Eccleſia, vel ſi aditus ad illas, aut utramvis minimè ſit ſecurus, in alia Cathedrali, vel Parochiali viciniori periculorum immuni publicatio hujuſmodi peragatur. Is quoque, in quem diſponi, vel mandari de Beneficio etiam litigioſo, vel accedente non poſſeſſo, ſub quacumque forma contigerit poſſeſſionem Beneficii intrà dictum tempus vigore literarum Apoſtolicarum deſuper confectarum, nec alias apprehendere debeat, etſi propter litem,

aut

aut aliud legitimum impedimentum nequiverit ſaltèm literas Apoſtolicas cum earum publicatione, ſi tunc facta erit. Judici, ſeu Executori illarum, vel aliis, ad quos pertinet, per ſe, vel Procuratorem ſuum legitimum intrà idem tempus præſentare, & apud illum, vel illos pro ipſarum literarum executione inſtare, & poſſeſſionem hujuſmodi inſtanter petere teneatur.

Cæterum modus, & forma hic tradita ſemper, & ubique debeat obſervari, nec alia, vel æquipollens ullo modo admitti in omnibus hujuſmodi reſignationibus, ceſſionibus, & retroceſſionibus de quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, tam virorum, quam mulierum Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis Eccleſiaſticis Sæcularibus, & quorumvis ordinum, etiam militiarum, regularibus, etiam electivis, & manualibus, ac etiam de jurepatronatus Laicorum Illuſtrium, & aliàs quomodocumque exiſtentibus, ſive pacificis, ſive in petitorio, ſive in poſſeſſorio litigioſis, etiam de quibus in Conſiſtorio noſtro diſponi conſuevit, ſeu debet, quæ poſt hac ex quacumque cauſa fient, & per nos, ac prædictos ſucceſſores, extra tamen dictum Conſiſtorium adminiſtrationis Poſſeſſionis fructuum etiam omnium, ac rerum, & jurium quorumcumque. Ad prædictorum tamen obſervationem eum, in quem juris fit ceſſio Beneficii, quod tempore ceſſionis hujuſmodi, & ante illam vigore literarum Apoſtolicarum, ut ſupra, ſi ad id tenebatur, publicatarum realiter poſſidebat, nolumus obligari.

COMMENTARIUM.

EX his Canonibus ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = IN RESIGNATIONE BENEFICIORUM PATRONALIUM, QUÆ FIT IN MANIBUS ORDINARIORUM CAVERE DEBENT PATRONI TAM LAICI, QUAM ECCLESIASTICI, NE AB IPSIS RESIGNANTIBUS, VERBO, AUT NUTU, VEL SIGNO FUTURI SUCCESSORES IN EISDEM BENEFICIIS DESIGNENTUR SUB POENA SUSPENSIONIS A PRÆSENTATIONE =.

Secunda = RESIGNATIONES BENEFICIORUM ETIAM DE JUREPATRONATUS FACTÆ IN MANIBUS SUMMI PONTIFICIS PUBLICARI DEBENT INTRA SEX MENSES, SI BENEFICIA SINT CITRA MONTES, SI VERO ULTRA, INTRA NOVEM MENSES =. Quas concluſiones ſequuntur etiam *Pariſ. de reſignat. lib.* 11. *quæſt.*6. *num.*65. *Garz.de Benef. part.*11. *cap.*3. *num.*173. *Quaranta in ſumm. Bullar. pag. mihi* 101. & 108. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*4. §.1. *num.*38. & 45. & §.2. *n.*15. 58. & 79.

& 79. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par. 3. alleg. 69. n. 47. Vivian. de jurepat. lib. 13. cap. 10. num. 80. Gratian. diſcept. 596. num. 8. Card. de Luc. de jurepat. diſc. 65. num. 31. & de benef. diſc. 39. num. 3. & diſc. 36. num. 5. & diſc. 40. num. 9. & diſc. 94. num. 1. & 2. Rot. dec. 190. num. 5. par. 5. & dec. 140. num. 4. par. 10. rec.

1. Quia in Beneficiorum Reſignationibus fraudes, machinationes, & multa alia illicita frequenter committebantur; hinc S. Sedes Apoſtolica, quæ ſemper tamquam pia Mater ſollicitè incubuit, nè beneficia, quæ à Fidelium largitionibus conſtituuntur, per execrabilem avaritiam, & illicitas machinationes ſubdolè veniant in damnabili commercio, in eorum grave præjudicium, ac incommodum; in his *Canonibus* præſcripſit Epiſcopis nè reciperent Beneficiorum reſignationes niſi ex cauſis ibi enumeratis; prohibuit eiſdem Ordinariis beneficia reſignanda conferre eorum, vel reſignantium Conſanguineis, inhibuitquè Patronis antecedenter deſignare ſucceſſores ad ſuggeſtionem reſignantium ſub pœna ſuſpenſionis à præſentatione, ac præcepit hujuſmodi Reſignationes beneficiorum etiam Patronalium publicari loco, & modo hic expreſſis, cùm hac diſtinctione, quod ſi agatur de reſignationibus faciendis ad favorem certæ Perſonæ in manibus Summi Pontificis, iſtæ publicari debent intrà ſex menſes, ſi Beneficia ſint citra montes, ſi verò ultra, intrà novem menſes; ſi autem agatur de reſignationibus ſimplicibus, aut reciprocis, ſive de permutationibus faciendis in manibus ordinariorum, iſtæ ab eiſdem Ordinariis admitti, vel rejici debent intrà menſem, & à Proviſis intrà tres menſes à die ſibi factæ proviſionis publicari, declaravitque nullas reſignationes, & ceſſiones factas prædictis minimè obſervatis, ac ſibi reſervavit beneficia nulliter ob non ſervatam formam præſcriptam reſignata.

Quoad has Concluſiones infraſcripti diſſeruntur Caſus.

ARGUMENTUM.

De requiſitis neceſſariis ad validitatem Reſignationis Beneficiorum Patronalium.

SUMMARIUM.

1 *Reſignatio quotuplex ſit?* Vide ibi.
2 *Ad validitatem ſimplicis reſignationis Beneficii patronalis in manibus Ordinarii plura requiruntur; & quæ ſint?* Vide ibi, & num. 3. 4. 5. 7. & 8.
4 *Ordinarius nequit conferre Beneficium in ejus manibus reſignatum, propriis, aut reſignantis Conſanguineis, vel familiaribus*; Limita, ut ibi.
6 *Reſignatione beneficii, ad cujus titulum, quis eſt promotus acceptata, Ordinarius providere tenetur Reſignantem.*
9 *Pro validitate reſignationis ſimplicis non exigitur conſenſus Patroni.*
10 *Ad validitatem reſignationis conditionalis, ſeu in favorem plura requiruntur, & quæ ſint*; Vide ibi, & num. 11. 12. & 13.
14 *Reſignans beneficium patronale in favorem certæ perſonæ malitioſè abſque conſenſu Patroni, nulliter reſignat, & eſt beneficio privatus; ſecus ſi non malitioſè*, ut n. 15.
16 *Referuntur requiſita ad validitatem reſignationis reciprocæ, ſeu permutationis beneficiorum*, & n. 17. 18. 19. 20. 21. & 22:
23 *Conſenſus Patroni, ex quibus præſumatur interveniſſe in permutatione beneficii patronalis.* Vide ibi, & num. 29. & 30.
24 *Paſſivè vocatus obtinere debet beneficium patronale, etiamſi à Patronis nominatus non fuerit.*
25 *Augens notabiliter primævam dotem beneficii poteſt in limine redotationis apponere leges ſibi beneviſas.*
26 *Patronus non poteſt onus paſſivæ vocationis adjectum à redotante rejicere, & acceptare commodum augmenti dotis*; Amplia, ut ibi.
27 *Conſenſus præſtitus à Patrono permutationi beneficii conſumit jus illud, quod ipſe habet ex diſpoſitione Fundatoris, ſemel in prima beneficii vacatione præſentandi.* Amplia, ut n. 28.
31 *Conſenſus Patroni requiſitus in permutatione beneficii, quando intervenire debeat?* Vide ibi.
32 *In Patroni arbitrio reſidet permutationi beneficii conſentire, nec nè.*

CA-

CASUS I.

Ad materiam horum *Canonum*, & pro Tyronibus, enumerantur hìc requiſita neceſſaria ad validitatem reſignationis beneficiorum Patronalium.

1 Reſignatio, ſeu renunciatio beneficii alia eſt *ſimplex*, ſcilicet quando Beneficiatus purè, & ſimplicitèr reſignat beneficium in manibus Superioris; alia eſt *conditionalis*, ſeu in favorem, nimirum, quando beneficium renunciatur, & reſignatur favore alicujus, cum, vel ſinè reſervatione penſionis favore renunciantis. Et alia eſt *Reciproca*, videlicet, quando unus Beneficiatus renunciat ſuum beneficium favore alterius, & hic renunciat etiam ſuum beneficium favore primi; Quæ renunciatio dicitur etiam ex cauſa permutationis, ſeu permutatio *Text. in cap.* 1. *de rer. permut. & in Clement.* 1. *eod. tit. Gratian. diſcept.* 835. *n.* 7.

2 Ad validitatem ſimplicis reſignationis Beneficii requiruntur primò cauſæ juſtæ, hìc à D. Pio enarratæ, nimirum debilitas, & ſenectus, infirmitas, impedimentum, ſive vitium corporis, ignorantia, conſcientia criminis, irregularitas, odium Plebis, & capitales inimicitiæ, ad ſcandalum ſedandum, cenſuræ, ligamen, incommoditas ſerviendi in beneficio, Pluralitas beneficiorum, Religionis ingreſſus; Ex iſtis enim cauſis poſſunt beneficiati beneficia renunciare, & Ordinarii renunciationes admittere, uti antecedenter ſancitum fuit ab Innocentio III. in *cap. niſi cum pridem de renunciat.*, & tradunt *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 4. §. 1. *per tot. Quaranta in Summ. Bullar. verb. Beneficiorum reſignatio*.

3 Requiritur ſecundò, quòd ab Ordinariis, vel Patronis, non deſignetur ſucceſſor antecedenter ad ſuggeſtionem reſignantium. *Ventrigl. ubi ſupra n.* 38.

4 Tertiò requiritur quòd renuncietur, ſeu reſignetur beneficium coràm Papa, aut coram Ordinario, aut alteri inferiori collatori, qui tamen non poteſt conferre dictum beneficium ſimpliciter reſignatum propriis familiaribus, aut conſanguineis, nec etiam conſanguineis reſignantis; Quod exiſtimo non procedere ſi conſanguineus, aut familiaris Collatoris, vel reſignantis eſſet præſentatus à Patrono, ſeu ſi ageretur de beneficio patronali. *Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. d. annot.* 4. §. 1. *num.* 6. *&* §. 2. *num.* 12. *Gratian. diſcept.* 809. *n.* 3. 6. *&* 7. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.* 69. *par.* 3. *n.* 48.

5 Quartò requiritur quod reſignans non ſit ordinatus ad titulum illius beneficii, vel ſi ſit ordinatus de hoc faciat mentionem, & habeat aliunde, unde vivere, ut diſponitur à Sacro Concilio Tridentino *cap.* 2. *ſeſſ.* 27. *de reform.* ibi = *Is vero beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus, neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde vivere commodè poſſit, & aliter facta reſignatio nulla ſit* = *Garz. de Beneſ. par.* 2. *cap.* 5. *n.* 193. *Card. de Luc. eod. tract. diſc.* 41. *n.* 4. *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 1. *Rot. in Gerunden. beneficii* 3. *Junii* 1712. §. *Nec etiam*, *cor. R. P. D. Falconerio*. Quod ſi

6 Ordinarius nulla facta diligentia, an reſignans habeat unde vivere, reſignationem admittat, illa quidem eſt valida, ſed in hoc caſu eſt adſtrictus alimenta præſtare reſignanti, nec poteſt, ſi beneficium ſit patronale, eidem reſignanti reſtituere, ſed Patronus valet aliam perſonam ad illud præſentare. *Ventrigl. dicto* §. 2. *n.* 3.

7 Quintò requiritur quod reſignatio ſit libera, ſpontanea, non metu facta, & pura tum à pecunia, tum à pactione, juxta *Text. in cap. ſuper hoc, & cap. penult. de renunciat. Garz. de beneſ. par.* 11. *cap.* 3. §. 2. *n.* 143.

8 Sextò requiritur quòd Ordinarius reſignationem admittat infra terminum unius menſis, & quòd Proviſus eam faciat publicare, & poſſeſſionem capiat intrà tres menſes; ut hìc diſponitur à Gregorio XIII.

9 Non exigitur tamen ad validitatem hujuſmodi reſignationis ſimplicis conſenſus Patroni, quia cum unuſquiſque liberè poſſit reſignare proprium beneficium in manibus ſuperioris, non poteſt in hoc caſu conſiderari ullum præjudicium Patroni, cui ſalva manet ſua præſentatio. *Calderin. conſ.* 6. *de renunt. Tuſch. concluſ.* 257. *n.* 9. *& concluſ.* 62. *n.* 1. *lit. R. tom.* 6.

10 Ad validitatem verò reſignationis conditionalis, ſeu in favorem certæ perſonæ ultra

ultra ſupradicta requiſita, nimirùm quod debeat eſſe libera, & pura, & quod reſignans non ſit ordinatus ad titulum illius beneficii niſi habeat aliunde vivere, requiritur, primò, quod fiat coram Pontifice, nam coram Ordinario fieri non poteſt juxta hunc *Canonem XVI. Garz. de benef. par.*11. *cap.*3. §.2. *n.*154.

11 Secundò requiritur quod præſtetur conſenſus ab ipſo reſignante, vel ab ejus Procuratore ad hoc ſpecialiter conſtituto in Camera Apoſtolica, vel Cancellaria, cum juramento quod nullus dolus, aut fraus interceſſerit, ut præſcribitur in Regula 45. Cancellariæ, ibi = *Item voluit, & ordinavit, quod ſuper reſignatione cujuſcumque beneficii Eccleſiaſtici, ſeu ceſſione juris in eo, quam in manibus ſuis, vel in Cancellaria Apoſtolica fieri contigerit, Apoſtolicæ Literæ nullatenus expediantur, niſi reſignans, vel cedens, ſi præſens in Romana Curia fuerit perſonaliter, alioquin per Procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expeditioni hujuſmodi in eadem Cancellaria expreſsè conſenſerit, & juraverit, ut moris eſt* =, & tradit *Rot. in Monaſterien. Canonicatus* 5. *Junii* 1716. §. *Tota, cum ſeq. coram R.P.D. Rovault de Gamaches*.

12 Requiritur tertiò ſuperviventia Reſignantis ultra 20. dies, nam ſi iſte moriatur intrà terminum 20. dierum, Reſignatio non valet juxta *Regulam de viginti* 19. ibi = *Item voluit, quod ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit, ſive in Romana Curia, ſive extra illam, aliquod beneficium, ſive ſimpliciter, ſive ex cauſa permutationis, vel aliàs dimiſerit, aut illius commendæ ceſſerit, ſeu ipſius beneficii unionis diſſolutioni conſenſerit etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus ſignatæ, & poſtea infra viginti dies à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, & ipſum beneficium quavis auctoritate conferatur per reſignationem ſic factam, collatio hujuſmodi ſit nulla, ipſumque beneficium nihilominus per obitum cenſeatur vacare* =.

13 Quartò requiritur conſenſus Patroni juxta *Abbatem in cap. quod in dubiis de renunc. n.*6. *& in cap. ſignificatum de præben. Lambertin. de jurepat. lib.*3. *quæſt.*5. *art.*5. & alios, quos refert *Garz. de benef. p.*11. *cap.*3. *n.*12. *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*4. §.2. *n.*27., itaut reſignans bene-
14 ficium patronale in favorem certæ perſonæ malitiosè abſque conſenſu Patroni, quæ malitia probatur eo ipſo, quod ſcit adeſſe Patronum, ad cujus præſentationem habuit beneficium, *Gratian. diſcept.* 835. *n.*10. *& ſeqq.* nulliter reſignat, beneficium, & eo privatus remanet ob reſignationem factam in fraudem Patroni; *Pariſ. de reſignat. lib.*1. *cap.*15. *num.*21. *Rot. dec.*152. *& dec.*190. *per tot. p.*5. *rec.*

15 Si autem reſignatio conditionalis fuiſſet facta à reſignante ſinè conſenſu Patroni, abſque ejus culpa, & non in fraudem ejuſdem Patroni, non eſt nulla, ſed annullanda, Patrono intrà tempus datum ad præſentandum contradicente, & reſignans reintegrari debet ad beneficium, mediante tamen nova collatione, etiam invito Patrono, ut deciſum fuit à *S. Rota in Gerunden. permutationis* 5. *Julii* 1593. *coram Litta*, quam refert *Garz. de benef. par.*11. *d. cap.*3. *n.*19. *&* 29.

16 Denique ad validitatem reſignationis reciprocæ, ſeu permutationis requiritur primo cauſa, nimirum neceſſitas, & utilitas beneficiorum, ſeu Eccleſiarum, & ipſorum Beneficiatorum. *Garz. de Benef. par.*11. *cap.*4. *num.*44. *Rot. deciſ.*163. *n.*5. *coram Duran. & dec.*389. *num.*22. *coram Priolo, & in Colonien. Canonicatus* 9. *Decembris* 1707. §. *Denique, coram R.P.D. Anſaldo*.

17 Requiritur ſecundò Auctoritas Superioris, nimirum Papæ, vel Epiſcopi, qui ſuam auctoritatem præſtet permutationi prævia Cauſæ cognitione, & non ſufficit Auctoritas Vicarii, niſi habeat ſpeciale mandatum ad *Textum in cap. quæſitum de rerum permut.* diſponentem à ſolo Epiſcopo examinari cauſam permutationis *Federic. de permut. benef. quæſt.*29. *Garz. de benef. par.*11. *cap.*4. *num.*74. *Chokier. de permut. benef. cap.*7. *per tot. Barboſ. de jur. Eccleſ. univerſ. lib.*3. *cap.*15. §.5. *n.*177. *Rot. dec.*163. *n.*4. *coram Duran.* Vel niſi Vicarius ſit etiam Coadjutor Epiſcopi, ſi enim ſit talis habet in ſpiritualibus omnimodam juriſdictionem, & poteſtatem, tam beneficia conferendi, quam quidquid aliud ſpirituale eſt, vel ſpiritualitati annexum peragendi. *Pariſ. de reſignat. lib.*7. *quæſt.*14. *num.*23. *& ſeqq. Rot. in Colonien. Canonicatus* 9. *Decembris* 1707.

§. *Hæc itaque, coram R.P.D. Anſaldo*.

18 Tertio requiritur quod beneficia, quæ permutantur, prius renuncientur in manibus ſuperioris cum conditione permutationis, & quod ſi permutantes, aut aliquis eorum ſit ordinatus ad titulum beneficii permutati, fiat mentio hujus tituli. *Gloſſ. in cap. majoribus de præben. & dignit. verb. dignitatum permutationem*. *Ventrigl.in prax. par.2. annot.4. §.2.n.18. & ſeqq.*

19 Requiritur quarto quod permutatio non fiat cum Beneficio palliato, fictitio, & inexiſtente aliàs præſumeretur fraudulenta. *Lotter. de re benef. lib.1. q. 31. num.27. Chokier. de permut. benef. cap.1. num.20. Rot. in dicta Colonien. Canonicatus 9.Decembris* 1707. §. *Validius, cor. R.P.D. Anſaldo*, & prohibetur à Pio IV. *in ejus conſtit. in ordine la* 144. juxta ſeriem veteris Bullarii.

20 Quinto requiritur quod uterque permutans habeat jus in re in beneficio. *Mantic. de tacit. & ambig. lib.25. tit.9. num.2. & ſeq.*, & quod permutantes beneficia non paciſcantur ſibi aliquam temporalem præſtationem, ſinè ſuperioris Auctoritate. *Text. in cap. quæſitum de rer. permut. cap. ultim. de pactis Covaruv. var. reſol. lib.1. par.5. num.8. Barboſ. de jur. Eccleſ. univerſ. lib.3. cap.15. n.1709. & ſeq.* & alii penes *Rot. in Melevitana permutationis Commendarum 26. Junii* 1709. §. *Et ſanè coram R.P.D. Lancetta*.

21 Requiritur ſexto, quod in limine fundationis beneficii non ſit expreſsè prohibita à Fundatore beneficii permutatio; etenim ſi adſit talis prohibitio, Epiſcopus non poteſt, nec Papa ſolet illius permutationem admittere, & approbare, etſi approbetur à Papa, nulla facta mentione de hujuſmodi prohibitione, talis approbatio eſſet nulla, & ſubreptitia, ut in ſimilibus terminis dixit *Rot. in dicta Melevitana permutationis commendarum 26. Junii* 1709. §. *Ulterius, cor. R.P.D. Lancetta*.

22 Denique requiritur conſenſus Patroni. *Mantic. de tacit.& ambig. lib.25. tit.8. n.28. Garz. de benef. par.11. cap.3. n.19. & ſeqq. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſcept. 385. n.4. & ſeqq. Rot. deciſ.163. n.8. cor. Duran.* Quiquidem Patronus requiri debet ad præſtandum conſenſum perſonaliter, peremptoriè, & cum expreſſione Cauſæ, ob quam debeat præſtari conſenſus, & ſi irrationabiliter diſſentiat, poteſt hoc non obſtante Ordinarius permutationem approbare. *Lambertin. de jurepat. par.1. lib.2. art.6. quæſt.6. num.44.Garz. de benef.par.11. cap.3.n.26. & ſeq. Rot. d. dec.163. num.10.& ſeq. cor. Duran.*

23 Conſenſus autem Patroni interveniſſe præſumitur in permutatione ex hujus effectuatione cum acquieſcentia ejuſdem Patroni, & ex atteſtatione Epiſcopi aſſerentis permutationem fuiſſe factam accedente Patroni conſenſu; ut animadvertit *Rot.in Cremonen. Beneficii 2.Maji* 1718. §. *Horum efficaciam cum ſeq.*, *cor. R. P. D. Lancetta hic impreſſa*.

R. P. D. LANCETTA.

Cremonen. Benefinii.

Lunæ 2. Maji 1718.

Diverſo fato contenderunt in Partibus ſuper adjudicatione Beneficii vacantis in Eccleſia S. Petri Vici Maſcani Michael Angelus Faita, & Chriſtophorus Cerrati; Primus enim ex jurepatronatus activo, juxta quod ſe legitimè præſentatum aſſerebat ab illis de Arriſiis,& de Faita Compatronis Victor fuit coram Ordinario Cremonen; Alter verò vigore jurisſpatronatus paſſivi, ex quo Beneficium debitum eſſe ſuſtinebat deſcendentibus Chriſtophori Pennatii, inter quos ipſe numeratur, obtinuit in Curia Metropolitani Mediolani.

Delata in gradu appellationis hujuſmodi controverſia ad noſtrum Auditorium, eaque Mihi commiſſa, propoſui hodie dubium = *Ac, & cui ſit adjudicandum Beneficium* = & Domini ritè perpenſis utriuſque Partis juribus inhærentes poſtremæ ſententiæ Metropolitani reſponderunt = *eſſe adjudicandum Chriſtophoro*.

24 Docuit namque in teſtamentaria diſpoſitione Franciſchini de Faita Patroni, qui omnia ſua bona reliquit in dotem, & augmentum controverſi Beneficii, eam legem ſcriptam eſſe, quod dempta prima vice, ſeu vacatione, in qua voluit jus præ-

præſentandi pertinere ad fratres de Arriſiis, impoſterum illi de Faita Patroni tenerentur = *Præſentare, & nominare ad dictum Beneficium, & Altare filios, & alios deſcendentes Chriſtophori Pennatii* = Unde cùm ipſe ſit ex deſcendentibus dicti Pennatii, & prima vacatio jam completa fuerit de anno 1661. ex permutatione facta de aliorum Compatronorum ſcientia, & conſenſu inter Benedictum, & Joſephum de Arriſiis, utique venit caſus paſſivæ vocationis ejuſdem Chriſtophori Cerrati, eique Beneficium adjudicandum eſt, etiamſi à Patronis nominatus non fuerit, ut aliis omiſſis nuperrimè reſpondit *Rot. in Montis Regalis Prioratus* 24. *Januarii* § *Neutiquam coram Reverendiſs. P. D. Anſaldo Decano, & in Peruſina Cappellaniæ* 11. *Martii hujus anni* §. *Perlecto coram Me*.

Ad evitandum hujuſmodi fundamentum duplex ex parte Michaelis Angeli proponebatur exceptio, & primò, quod ad juriſpatronatus interpretationem non eſſet attendenda diſpoſitio Franciſchini de Faita, in qua ſcripta fuit vocatio paſſiva deſcendentium Chriſtophori Pennatii, & ſecundò, quod adhuc illa attenta, non tamen factus eſſet locus prædictæ vocationi, eo quod Fraciſchinus Teſtator in prima Beneficii vacatione per obitum Benedicti Arriſii tunc Beneficiati, voluit jus præſentandi liberè pertinere ad illos de Arriſiis, qui tamen hactenus nunquam præſentare valuerunt, dum prima vacatio non contigit per obitum dicti Benedicti, ſed per Beneficii permutationem ab iſto factam cum Joſepho ejus nepote.

5 Neutra tamen ſubſiſtere Dominis viſa fuit. Quantum enim attinet ad primam animadvertebant pium Teſtatorem jus quidem habere potuiſſe diſponendi circa controverſum Beneficium, etiamſi ab ipſo non fuiſſet à principio fundatum, eo quia univerſam ſuam hæreditatem reliquit eidem Beneficio in augumentum primæ dotis longè minoris, quàm eſſet jus relictum, quo ſanè caſu cùm id tendat in maximam Eccleſiæ utilitatem, certum eſt, quod ſicut poteſt primus Fundator ex titulo oneroſo dotationis apponere leges ſibi beneviſas, ita permiſſum eſt ſecundo Fundatori, qui auxit notabiliter primævam dotem, ut in puncto docet *Lambertin. de jurepat. lib.* 1. *par.* 2. *quæſt.* 4. *art.* 4. *n.* 2. & firmavit *Rot. dec.* 1414. *n.* 1. *coram Seraphin.* ibi = *licuit ex quo propria bona donavit pro augumento dotis iſtius juriſpatronatus*.

Neque ullatenus obſtitit hujuſmodi diſpoſitioni præjudicium ſucceſſorum in jurepatronatus activo, ex quo reſtricta fuerit eorum libertas ad præſentandum deſcendentes tantùm Chriſtophori Pennatii; Cùm namque providus Fundator animo revolvens etiam caſum, quo iſti renuerent conſenſum præſtare ejus voluntati, & ordinationi, demandaſſet, quod tunc de tota ſua hæreditate novum erigeretur beneficium cum legibus ab ipſis datis, neque amplius ejus bona cederent in primi augumentum, utique ſi nullum unquam actum geſſerunt, quo contradicerent præfatæ diſpoſitioni, & Benedictus tunc poſſeſſor beneficii illud poſt incorporationem omnium bonorum Franciſchini cum Patronorum conſenſu per-
26 mutavit cum Joſepho nepote, non poſſunt iidem Patroni onus adjectum paſſivæ vocationis rejicere, & acceptare commodum augumenti dotis, juxta regulam *Text. in l. prima* §. *fin. ff. de aqu. pluv. arcen. & l. ſecundùm naturam ff. de regul. jur. Rot. deciſ.* 239. *n.* 13. *par.* 18. *& deciſ.* 114. *n.* 4. *par.* 19. *rec.* dum præſertim acquieverunt ſucceſſivè ſpatio annorum 70. & ultra, & comparentes ad præſentandum in hac ultima vacatione produxerunt ad docendum de eorum jure, Franciſchini teſtamentum, quod tantò magis acceptaſſe cenſentur. *Rot. deciſ* 332. *n.* 3. *cor. Benincaſa deciſ.* 84. *num.* 20. *par.* 18. *& deciſ.* 448. *n.* 8. *par.* 19. *rec. tom.* 2.

Non difficilius corruebat ſecunda exceptio, in qua ſanè totum impendebat
27 conatum Michael Angelus pro Chriſtophori excluſione; Quippè quia cùm certum ſit incorporata jam beneficio Franciſchini hæreditate requiſitos fuiſſe fratres de Arriſiis Patronos, ut conſenſum præſtarent permutationi beneficii faciendæ à Benedicto cum Joſepho ejus nepote, ipſoſque de facto tali permutationi conſenſiſſe, iſte quidem conſenſus conſumpſit jus illud, quod habebant, ſemel in prima beneficii vacatione præſentandi, quia habetur loco præſentationis, juxta puntua-

liter tradita per *Lambertin. de jurepatron. lib.2. par. 1. qu.6. art.6. ſub nu.20. & 22. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 45. §. 3. n.52. Rot. deciſ.163. n.13. cor. Duran. deciſ.34. nu.8. cor. Priol. dec.201. n.9. par.6. & dec. 630. n. 19. rec. & præciſè dec. 90. n. 8. & 9. cor. ſa. me. Alex. VIII. dec. 952. nu. 2. & ſeqq. cor. clar. me. Card. Cerr. & dec.341. n.4. par.16. rec.*

Nec obſtat, quod Teſtator explicando
28 ſuam voluntatem circa primam vicem præſentandi, quam liberam præſervare intendebat illis de Arriſiis, id fore diſpoſuerit = *poſt mortem præfati Benedicti* = Quandoquidem ſicut per renunciationem ex cauſa permutationis quis dicitur civiliter mortuus quoad beneficium reſignatum, ſive renunciatum, *gloſſ. in cap. ſuſceptum verb. non morte de reſcript. in 6. & ibi Barboſ. n.16. Butr. n.20. aliique Doctores relat. per Garz. de Benef. par.11. cap.3. n.2. & 3. Gonzal ad regul.8. gloſſ.14. n.32.* optimè *Lambertin. de jurepat. par.1. lib.2. qu.6. art.3. n.1. & 2. Rot. deciſ. 325. n.2. par.16. rec.* ita poteſt etiam dici verificata Teſtatoris voluntas, quod Arriſii præſentarent in prima vacatione poſt mortem Benedicti in vacatione per mortem civilem ſequutam ex cauſa permutationis anno 1661. quia cenſetur conſideraſſe effectum, & ſubſtantiam veræ, & propriæ vacationis, quæ non ſecus datur per reſignationem, ſeu permutationem, ac per ipſam mortem naturalem Beneficiati, ad *Text. in cap. unic. de rer. permut. in 6. Pariſ. de reſignat. lib. 1. quæſt.2. nu.3. & ſeq. qu.5. n.4. & par.16. nu.26. cum ſeq. Lambertin. dicta par.1. lib.2. qu.6. art.3. nu.1. & 2. Garz. de Benef. par.11. cap.3. num.2. & 3.* cum aliis *Rot. dicta deciſ.952. coram Cerr. & deciſ.325. n.2. par.16. rec.*

29 Horum efficaciam probè noſcens Michael Angelus, recurrebat ad negandum in facto, quod non fuerit præſtitus conſenſus à fratribus de Arriſiis ſæpedictæ permutationi, ſed inutiliter. Quoniam non ſolùm concurrit ad hunc effectum præſumptio, quod omnino præſtitus fuerit, dum permutatio ſuum habuit effectum, & Patroni non reclamarunt, ut docet *Vivian. de jurepatr. lib. 12. cap. 5. n. 22. 44. & 46. Lambertin eod. tract. lib.2. par.3. quæſt.2. art.2. n.4.* & firmavit *Rot. dec.3. n.23. cor. ſan. mem. Alexandr. VIII.* & ſinè tali conſenſu fieri non niſi nulliter potuiſſe; ex deductis per *Vivian. loc. cit. nu.28. Pariſ. de reſignat. dict. quæſt. 4. per tot. & Rot. deciſ. 952. num.6. coram Card. Cerr. & deciſ. 225. nu. 12. coram eod. ſan. mem. Alexand. VIII.* & plenius *in Melevitana permutationis Commendarum 15. Junii 1711. §. Eoque magìs coram R. P. D. meo Criſpo* maximè quia conſtat omnimodam dictæ permutationis ſcientiam illos de Arriſiis Patronos habuiſſe, tum ex quo erant ſtricti conſanguinei permutantium, unde nil facilius quàm, quod ſciverint, & promptè conſenſerint, ut arguit *Vivian. de jurepat. par. 3. lib. 14. poſt cap. 1. nu.6. & ſeq. Rot. deciſ.54. cor. Card. Cerr. & in Peruſina Canonicatus 5. Junii 1710. ſub §. Atque hinc coram Me*, tum etiam ex quo facta fuit, ad formam conſtitutionis Gregorianæ, permutationis publicatio in Eccleſia Cathedrali Cremonen. ex qua potuit ſanè induci ſcientia, & conſequenter reſultare ſaltèm tacitus Patronorum conſenſus, ex deductis per *Jo. Andr. in cap. 2. de his, quæ fiunt à Prælat. verſ. quando fuit editum, Lambertin. de jurepat. lib.2. par.1. quæſt.4. art.17. nu.19. & Rot. in cit. Peruſina Canonicatus ſub eod. §. Atque hinc. cor. Me.*

30 Verùm inſuper ad certam hujus conſenſus probationem collimat in præſenti Teſtimonium Epiſcopi Cremonen. qui in viſitatione expleta poſt ſecutam dictam permutationem anni 1661. aſſeruit illam factam fuiſſe = *Accedente Patronorum conſenſu* = in quibus terminis dici debet ſatìs ſuperque probatus prædictus conſenſus, & quidem expreſſus Patronorum in permutatione, ut pluries firmatum fuit, & in ſpecie *dec.284. n.4. par.14. dec.168. nu.12. & 16. par. 16. rec. in Aretina Jurium Parochialium 15. Januarii 1703. §. Huc uſque in Pampilonen. Juris ſedendi 28. Januarii 1707. §. Atque in hoc coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano.* Abſque eo, quod replicari valeat id contigiſſe ex Partium ſuggeſtione; Quia imò id proceſſiſſe cenſendum eſt ex certa Epiſcopi ſcientia, & facti veritate; eſt namque munus Ordinariorum in hujuſmodi viſitationibus recognoſcere titulos Beneficiatorum ſuæ diœceſis, ut ſciat legitimos, & illegitimos poſſeſſores, ſicut ex *Text. in cap. Ordinarii de offic. Ordin. in 6.*

teſta-

teſtatur *Card. de Luc. diſc.9. n.17. de jurepat. & diſc.17. n.3. de juriſdict.*

Parum propterea refert, quod conſenſus iſte non legatur expreſſus in ipſa col-
31 latione, ſeu permutatione, quaſi quod inde conſtet de negativa probatione illius præſentationis; neceſſe enim non eſt, quod in actu ipſo collationis præſtetur, aut in ipſo permutationis inſtrumento inſeratur, dum communiter receptum eſt, quod vel ante præſtari poteſt, vel etiam ſupervenire expoſt intrà quadrimeſtre Laicis Patronis à jure Canonico præfinitum ad præſentandum, ut latè probant *Lambertin. de jurepat. lib.2. par. 1. quæſt.6. art. 6. num. 24. Vivian. eod. tract. lib. 12. cap.5. nu.22. & Rot. dec.5. per tot. de rer. permutat. in novis.*

Ejuſdem irrelevantiæ comperta fuit, & alia ſubalterna animadverſio, quod cum Beneficium ex cauſa permutationis, ſeu reſignationis non vacet, niſi favore certæ perſonæ permutantis ſcilicet, aut reſignatarii; inde inferri debeat, quod conſenſus à Patronis tali caſu præſtitus tanquam non liber, ſed neceſſariò cedere debens favore dictæ perſonæ non poſſit haberi loco veræ præſentationis, quæ cæteroquin eſſe debet libera, ad *Text. in Clement. unic. de rer. permutat.*

Etenim libertas iſta in objecto requiſita favore Patroni præſentare debentis
32 ſufficienter videtur concurrere etiam in conſenſu præſtito permutationi, quippe quia in illius reſidet arbitrio, & facultate conſentiendi nec nè, ut probat *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.72. nu.10. Vivian. de jurepatr. lib. 5. cap. 5. num.34. & lib.12. cap.5. nu.22. & 28. Lambertin. eod. tract. lib. 2. par. 1. qu. 6. art.6. ſub nu.30. & Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 45. §. 3. n. 53.*

Et extranei ſunt termini auctoritatum, quæ in contrarium fuerunt adductæ, *Textus* enim in objecto allegatus, pluresque Doctores illum ſequentes loquuntur in terminis non Patroni, ſed Collatoris, qui quidem non poteſt Beneficium liberè providere in caſu reſignationis, aut permutationis. Alii Doctores loquuntur in terminis indulti expectativæ, quod non poteſt comprehendere caſus permutationis, ſed tantummodo vacationis per obitum. Alii demum in terminis optionis, aut conſimilium jurium, quæ diverſa totaliter ſunt à caſu permutationis, & reſignationis, in quo de reliquo punctualem habemus Sacræ Rotæ auctoritatem *dec.90. cor. ſan. mem. Alexand. VIII. dec.952. cor. clar. mem. Card. Cerro, & dec.341. par.16. rec. ſupra allegat.*

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

An Reſignatio Cappellaniæ merè Laicalis facta à Cappellano favore certæ Perſonæ abſque conſenſu Patronorum ſit nulla, & an competat Reſignanti Regreſſus ad illam, vel potiùs ipſe remaneat ea privatus, itaut Patroni poſſint ad eandem Cappellaniam alium nominare.

SUMMARIUM.

1 *Unicuique licet jura propria cedere.*
2 *Cappellanus an poſſit validè renuntiare, & transferre in alium exercitium Cappellaniæ.* Vide ibi, & n.14.
3 *Conſenſus Patroni requiritur in reſignatione beneficii Eccleſiaſtici; an verò requiratur in reſignatione Cappellaniæ merè laicalis* Vide n.4 & 15.
5 *Conſenſus Patroni in reſignatione Cappellaniæ merè laicalis, ex quibus præſumatur intervenire?* Vide ibi.
6 *Oppoſitio, & reclamatio Patronorum, ad hoc, ut reddat nullam reſignationem beneficii Eccleſiaſtici factam abſque eorum conſenſu, quo tempore intervenire debet? Et quid in Cappellaniis merè laicalibus?* Vide n.17.
7 *Stante nullitate reſignationis ob defectum conſenſus Patronorum: an, & quando competat Reſignanti regreſſus, ad Beneficium, vel Cappellaniam laicalem. Vel potius Patronus poſſit aliam perſonam præſentare*: & n.9. 18. & 19.
8 *Actus nullus non meretur nomen actus.*
10 *Reſignatio Cappellaniæ merè laicalis facta ad favorem certæ perſonæ abſque conſenſu Patroni eſt nulla.* Amplia ut n.11. Et quare? Vide n. 12.
13 *In reſignatione ſimplici non requiritur conſenſus Patroni.*

16 *Tem-*

16 *Tempus ad ſe opponendum reſignationi indebitè factæ non incipit currere à die reſignationis, ſed à die ſcientiæ ejuſdem reſignationis.*

20 *Cappellanus reſignando Cappellaniam merè laicalem favore certæ perſonæ, quando dicatur illam reſignare malitioſè in ſpretum Patroni.*

21 *Cappellanus reſignans Cappellaniam, ex quibus præſumatur habuiſſe notitiam exiſtentiæ juriſpatronatus.*

22 *Reſignatio in favorem facta abſque conſenſu Patroni licèt ſit nulla reſpectu Patroni, valet tamen in præjudicium Reſignantis.*

CASUS II.

QUidam Teſtator in ejus ultimo, quo deceſſit elogio, inſtituit, & fundavit de quibuſdam bonis in Eccleſia Sanctiſſimæ Annuntiatæ Cappellaniam merè laicalem, cum onere unius Miſſæ quotidianæ, & annui Anniverſarii, reſervando juſpatronatus favore nonnullorum, & interim ipſe in eodem teſtamento deputavit, & nominavit ad dictam Cappellaniam Titium, qui cùm extitiſſet in ejus poſſeſſione per multos annos, tandem illam renunciavit favore Caji præſentis, & acceptantis abſque conſenſu Patronorum. Cùm autem poſt quinque menſes perveniſſet ad horum notitiam hujuſmodi renunciatio, ſtatim ipſi deputarunt, & nominarunt ad dictam Cappellaniam Sempronium. Hoc medio tempore, Cajus Renunciatarius retro renunciavit eandem Cappellaniam Titio renuncianti, qui cum prætendat ad eam habere regreſſum, & retinere, orta fuit controverſia inter ipſum, & Patronos ſuper validitate, vel invaliditate reſignationis ſupradictarum reſpectivè. Hinc quæritur.

Primò. *An reſignatio Cappellaniæ merè laicalis facta à Titio Cappellano favore Caji abſque conſenſu Patronorum ſit nulla*, & quatenus affirmativè.

Secundò: *An Cappellano reſignanti competat regreſſus ad illam, vel potiùs Patroni poſſint ad eam alium nominare, & deputare?*

Super quibus requiſitus à quodam amico, quid pro veritate ſentirem, cenſebam, prout infrà de jure reſpondendum. Et quidem, quo ad primum dubium pronuntiandum videtur pro validitate hujuſmodi reſignationis. Titius enim Cappellanus, cùm vigore deputationis, & nominationis de ſe factæ ad dictam Cappellaniam ab eodem Teſtatore, habeat titulum, & poſſeſſionem illius, dicitur Dominus ejuſdem Cappellaniæ; quo ſtante dominio validè potuit eam renunciare, & de ea diſponere favore Caji, dum

1 quilibet ſuæ rei eſt moderator, & arbiter, & unicuique licet jura propria cedere; ad Text. *in L. re mandata C. mandati, L. penult. C. de pactis. L. ſi quis in conſcribendo C. de Epiſc. & Cleric.*

Ex quo principio validè etiam idem

2 Titius potuit renunciare, & transferre in alium exercitium Cappellaniæ, nimirum ei committendo celebrationem Miſſarum, & faciendo, ut Miſſæ annexæ Cappellaniæ per alium celebrentur, ſoluta ei congrua eleemoſyna, abſque conſenſu Patronorum; Cur igitur non poterit validè renunciare, & transferre in alium ipſam Cappellaniam abſque conſenſu eorumdem Patronorum? Et ita in terminis ſentire videntur *Calderin. conſ. 6. de Renunc.* ibi = *An patronus laicus debeat vocari, quando præſentatus per eum, & poſtea per Epiſcopum inſtitutus vult renunciare beneficio, & dicitur, quod non, quia jura loquentia de renunciatione, loquuntur tantùm de Epiſcopo &c. cùm igitur hoc non reperiatur jure cautum, non eſt neceſſarium vocare* = *Rot. deciſ. 6. de jurepat. coram Mohedan num.* 1. ibi = *Reſignatio tamen ſine conſenſu Patroni bene valet* =

3 Nec obſtant auctoritates, quæ in contrarium allegari poſſunt requirentes pro validitate reſignationis conſenſum Patroni, quoniam illæ procedere videntur in beneficiis de jurepatronatus, Eccleſiaſticis, & erectis auctoritate Ordinariorum, quibus conferuntur; & quidem optima ratione, nam cùm inter ipſa, & Beneficiatos adſit vinculum ſpiritualis conjugii, hoc diſſolvi non poteſt, & Beneficiatus illud deſerere favore alterius abſque conſenſu Collatoris, & Patroni, à quibus illud obtinuit; omnis namque res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur ad *Text. in cap. 1. de regul. jur. Fagnan. in cap. Admonet de renunciat. n.4. & 25. & ſeqq.*

4 Non verò procedunt quoad Cappellanias

lanias merè laicales de jurepatronatus, ſeu legata pia, & officiaturas Miſſarum, inter quas,& Cappellanos, cùm non conferantur in titulum, nullum datur ſpiritualis conjugii vinculum, & quarum collatio principaliter fit ad utilitatem ejus, cui confertur; quo caſu Cappellanus poterit Cappellaniam invito Superiore, ſeu Patrono reſignare juxta ſupradictam regulam quod quiſque poteſt ei renunciare, quod pro ſe principaliter eſt introductum. *Calderin. conſ.*2. *de renunt. num.*1. *Fagnan. in d. cap. admonet n.*28.

5 Sed etiamſi in Cappellaniis merè laicalibus de Jurepatronatus, ſeu legatis piis, pro earum validitate reſignationis requireretur conſenſus Patroni; negari non poteſt quin in caſu præſenti adſit hujuſmodi conſenſus; Patroni enim ſtatim, ac Titius reſignavit prædictam Cappellaniam non ſe oppoſuerunt, nec impugnarunt hanc reſignationem; ex quo ſequitur ſaltèm tacitè eam ratificaſſe, & ſic manere in ſtatu validitatis etiam ſi factam abſque eorum expreſſo conſenſu, ut expreſsè docent *Rocch. de Curt. de jurepat. in verb. honorificum n.*8. *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæſt.*14. *n.*71. *Vivian. de jurepat. par.*2. *lib.*13. *c.*10. *n.*27. *Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. diſcept.*835. *n.*5. §.*Ex quibus*. Nullatenus obſtante, quod Patroni reclamaverint, & ſe oppoſuerint poſt quinque menſes à die præfatæ reſi-
6 gnationis, alium præſentando; Ad hoc enim ut oppoſitio, & repugnantia Patronorum reddat nullam reſignationem factam, abſque eorum conſenſu,non ſufficit quod interveniat quocumque tempore, ſed requiritur quod fiat intrà terminum juris datum ad nominandum, & præſentandum; nempe intrà quatuor menſes, cùm agatur de jurepatronatus laicali; Unde cùm Patroni non reclamaverint intrà quatuor menſes, ſed poſt quinque menſes; hujuſmodi reclamatio, & oppoſitio utpote tempore inhabili facta, reddere nullam non poteſt prædictam reſignationem, juxta *Garz. de benef. par.*11. *cap.*3.*nu.*21. ibi = *Sed annullanda Patrono intrà tempus præſentandi contradicente* = & in terminis permutationis docet *Tondut. quæſt. benef. par.*2. *cap.*4. §.8. *n.*23. ibi = *Si tamen poſt permutationem factam, lapſum eſſet tempus à lege aſſignatum Patrono ad præſentandum non eſſet amplius admittendus ad impugnationem permutationis factæ, ipſo contempto* = :

7 Ommiſſo autem, per hypotheſim quod reſignatio Cappellaniæ facta à Titio favore Caji abſquè conſenſu Patronorum ſit nulla,ſequitur exinde affirmativa reſolutio ſecundi dubii quoad primam partem, & negativa quoad ſecundam, nimirum competere Titio reſignanti regreſſum ad illam, & Patronos nullatenus poſſe alium nominare, & deputare. Agitur enim non de reſignatione ſimplici, ſed de reſignatione conditionali facta in favorem certæ Perſonæ, qua mediante Titius ita renunciavit favore Caji præfatam Cappellaniam, merè laicalem, ut ei quæreretur, & validè poſſideret; ſtante autem nullitate reſignationis, nec poſſeſſio, nec titulus Cappellaniæ fuit Cajo reſignatario quæſitus, ac proinde eadem Cappellania non intelligitur ablata à reſignante, ſed competere ei regreſſum ad illam; & Patronos non poſſe alium nominare; jus enim, quod alteri non quæritur, à me non abdicatur *l. nec utilem ff. ex quib. cauſ. major. l. qui abſenti ff. de acquir. poſſeſſ.*, & cum reſignatio ſit facta in favorem certæ Perſonæ, ante acquiſitionem reſignans dicitur, & poſſidere; & titulum coloratum habere, ut docent *Fagnan. in cap. admonet de renunciat. n.*6. & *ſeq. Garz. de benef. par.*11. *cap.*3. *n.*16. ibi = *Quod reſignatio facta in favorem de beneficio juriſpatronatus laicorum ſinè ipſorum conſenſu, & mentione eſt nulla, & ideo jus non abdicatur à reſignante, & per conſequens præſentatio facta per Patronum tunc de illo beneficio tamquam vacante non valet* = *Card. de Luc. de benef. diſc.*34.*n.*5. *Pignattell. conſult.*96. *n.*9. *tom.*6. *Rot. deciſ.*4. *num.*2. *par.*1. *rec.* ibi = *Cùm igitur conſtet de jurepatronatus laicorum, reſignatio facta in favorem Marcutii non poteſt ſuſtineri, & conſequenter jus remanſit penès reſignantem* = *Et deciſ.* 511. *num.*1. *lib.*2. & *deciſ.*158. *num.* 1. & *ſeqq. lib.*3. *coram Puteo*, & *deciſ.*172. *num.*4. *coram Celſo*, & *dec.*419. *par.*1.*diverſ.* & *dec.*159. *num.*6. *coram Gregor.* ibi = *Quia reſignatio eſt conditionalis, & ſi non acquiritur illi, in cujus favorem eſt facta, beneficium non vacat* = *Rot. in Mediolanen. beneficii* 5. *Martii* 1703. §. *Sed agredientibus, cor. b. me. Caſſarello*.

Et

Et videmus ita procedere in contractibus civilibus, qui ſi ſint nulli, non abdicant dominium à contrahentibus; ſic venditio nulla non privat venditorem re vendita; Alienatio nulla non privat alienantem re alienata, quia actus nul-
8 lus non meretur nomen actus *l. ſicut ff. de oper. libert.* Ergo nec reſignatio nulla privabit reſignantem beneficio, ut in terminis reſignationis beneficii nulliter factæ coram Papa ob malam expreſſionem valoris firmavit *Rot. deciſ.*417. *n.*1. *&* 419. *num.*1. *& ſeq. par.*1. *diverſ.*

9 Quodquidem procedere videtur abſque ulla controverſia animadvertendo, quod Titius reſignando Cappellaniam favore Caji non advertit adeſſe Patronos, & habuit ignoratiam exiſtentiæ juriſpatronatus, dum ipſe non fuit nominatus, & deputatus ad eamdem Cappellaniam ab hodiernis Patronis; ſed nominatus, & deputatus fuit in teſtamento ab ipſomet Teſtatore; quo ſtante dicitur illam renunciaſſe bona fide abſque conſenſu Patronorum; adeòque privari non poteſt dicta Cappellania; ſed ſtante nullitate reſignationis ad eam regreſſam habere debet; dum ignorantia licèt non excuſet à nullitate actus, excuſat tamen à pœna *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæſt.*51. *n.*64. *Garz. de benef. par.*11. *cap.*3. *n.*19. *prope fin. Gratian. diſcept.*835. *n.*12. *Rot. dec.*260. *n.*31. *par.*17. *rec.*

10 His tamen non obſtantibus re maturè perpenſa ad Primum, Cenſeo reſignationem præfatam eſſe nullam: Titius namque Cappellanus reſignavit Cappellaniam merè laicalem de jurepatronatus laicali favore Caji, abſque conſenſu Patronorum, qui habent non ſolùm jus nominandi, ſed etiam jus deputandi, & quodammodo jus eam conferendi; dum in Cappellaniis merè laicalibus, & non erectis auctoritate Ordinarii, opus non eſt inſtitutione Epiſcopi, ſed totaliter dependent à Patronis; ut alibi dixi; Et ſic nulliter reſignavit eamdem Cappellaniam, cum in reſignatione beneficii de jurepatronatus ad favorem certæ perſonæ requiratur conſenſus Patroni, & Collatoris etiamſi iſte non ſit Epiſcopus; nihil enim tam naturale eſt, quàm eo genere quid diſſolvi, quo colligatum eſt *cap.*1. *de regul. jur.*, ſed ſinè nominatione, & proviſione Patroni Cappellania merè laicalis obtineri non poteſt. *Cap. decernimus* 16. *quæſt.*7. *C. nobis de jurepat.* Igitur nec illam deſerere licet, & de ea diſponere abſque conſenſu Patroni; Et ita expreſsè docent *Alb. in cap. quod in dubiis de renunciat. n.*6. *Rocch. de curt. de jurepat. verb. honorificum q.*3. *n.*8. *Vivian. eod. tract. par.*2. *lib.*13. *cap.*10. *num.*25. *Garz. de benef. par.*11. *cap.*4. *n.*72. *Tondut. quæſt. benef. par.*2. *cap.*4. §. 8. *n.*18. *Rot. dec.*452. *num.*7. *par.*18.

11 Eoque magìs renunciatio facta à Titio Cappellano favore Caji eſſet nulla, ſi ipſe eſſet ſenex, renunciatarius juvenis;
12 aut ſi eſſet malæ valetudinis; Ratio autem eſt, quia ſi beneficiati, & Cappellani poſſent propria, auctoritate, & arbitrio abſque conſenſu Patronorum, renunciare, & diſponere de Beneficiis, & Cappellaniis in favorem certæ perſonæ, retraherentur Laici à fundatione, & dotatione beneficiorum, & ab operibus piis; Intereſt autem Reipublicæ Chriſtianæ, & bono publico Eccleſiæ, nè laici retrahantur ab hujuſmodi fundationibus; ideò intereſt nè Cappellani, & Beneficiati dimittant Cappellanias, & Beneficia in favorem certæ Perſonæ abſque conſenſu Patronorum, & ipſis ſpretis, ſed debent habere reſpectum Patronis, & nihil agere in eorum præjudicium; ſicuti ipſemet Pontifex hodie habet talem reſpectum Patronis laicis, nè retrahantur à fundationibus beneficiorum, & operibus piis, ut in permutationibus amplius non derogatur eorum juripatronatus, etiam ſi hoc ſit mixtum, ut de hujuſmodi ſtylo teſtatur D. meus Advocatus *Pitonius diſcept. Eccleſ.*29. *n.*15. *Vivian. de jurepat. lib.*13. *cap.*10. *n.*25.

Non obſtat, quod Titius Cappellanus vigore nominationis, & deputationis de ſe factæ à Teſtatore poſſideat Cappellaniam; tamquam propriam, & conſequenter poterit ei cedere ſinè conſenſu Patroni, juxta regulam, quod unuſquiſque poteſt juri ſuo renunciare; Hoc
13 enim procedit in reſignatione ſimplici, ubi nullum præjudicium Patroni conſiderari poteſt, ut notavi in ſuperiori *Caſu num.*9. Secus in reſignatione conditionali facta ad favorem certæ Perſonæ; pro validitate namque hujuſmodi reſignationis juxta

juxta auctoritates allatas requiritur conſenſus Patronorum ; Et in hoc ſenſu intelliguntur procedere Auctoritates Calderini, & Rotæ coram Mohedano in contrarium ſuperius allatæ §. *Ex quo*, ut teſtatur *Garz. de beneſ. par.*11. *cap.*3. *n.*13., ibi = *Quæ ſententia mihi placet in reſignatione ſimplici, in qua ipſi loquuntur &c. nec poteſt in hoc conſiderari conſiderabile præjudicium Patroni, cui manet ſua præſentatio ſalva; & ita videtur in praxi ſervari* =.

14 Quod autem Titius poſſit transferre in alium exercitium Cappellaniæ abſque conſenſu Patroni, non eſt abſolutè verum; Attendenda eſt enim qualitas, & natura Cappellaniæ laicalis, ſeu legati pii; Si Cappellania ſit talis, ut ex lege fundationis requirat perſonale ſervitium Cappellani, falſum eſt quod iſte poſſit abſque conſenſu Patronorum transferre in alium illius exercitium; ſi verò ſit talis, ut non requirat perſonale ſervitium, poterit eſſe verum quod Cappellanus transferre valeat in alium exercitium Cappellaniæ laicalis; ſed non proinde poterit etiam transferre ipſam Cappellaniam abſque conſenſu Patronorum; Quoniam transferendo in hoc caſu exercitium Cappellaniæ in alium; non conſideratur adeſſe ullum præjudicium Patroni, dum iſte moriente Cappellano, non obſtante translatione exercitii, poſſet alium præſentare; ſed transferendo ipſam Cappellaniam in alium; defuncto ipſo renunciante, ſeu transferente non poſſet alium præſentare; dum renunciata Cappellania, hæc non vacaret per obitum *Rot. in Caurien. Beneficii ſuper Manutentione* 3. *Martii* 1704. §.*In præſenti*, *coram R.P.D. Lancetta*.

Nec ſubſiſtit, quod aſſeritur, nimirum Auctoritates requirentes pro validitate reſignationis conſenſum Patronorum militare in reſignatione Beneficii Eccleſiaſtici, non verò Cappellaniæ merè laica-
15 lis; Fallacia enim aſſumpti ſatis detegitur, reflectendo ad rationem, ob quam neceſſarius ſit conſenſus Patronorum in reſignatione conditionali ad favorem certæ Perſonæ Beneficii de jurepatronatus; Conſenſus igitur Patroni in hujuſmodi reſignatione Beneficii Eccleſiaſtici requiritur, non ratione vinculi ſpiritualis conjugii inter ipſum, & Beneficiatum, ſed quia intereſt Reipublicæ Chriſtianæ nè beneficiati tranſmittant in alios Beneficia, ſpretis Patronis, & in horum præjudicium; ita ut ideò ſunt nullæ hujuſmodi reſignationes factæ abſque conſenſu Patronorum, quia cedunt in contemptum, & præjudicium eorumdem Patronorum; Hæc autem eadem ratio militat etiam in Cappellaniis merè laicalibus, cum etiam per earum reſignationes ad favorem certæ Perſonæ, abſque Patronorum conſenſu contemnuntur Patroni, & eis præjudicetur, adeòque in his etiam Cappellaniis militare debent eædem Auctoritates; ubi enim militat eadem ratio; ibi, & eadem lex militare debet *Ad Text. in cap. translato ſacerdotio de conſtit. ibiq. Gloſſ. Gonzal. Gratian. diſcept.*809. *n.*9.

Neque dici valet quod Patroni conſenſerint ſi non expreſsè, ſaltèm tacitè præfatæ reſignationi factæ à Titio favore Caji; Quoniam licet Patroni non ſe oppoſuerint, nec reclamaverint à die ſecutæ reſignationis; tamen ſe oppoſuerunt, & reclamarunt à die ſcientiæ reſignationis, quam habuerunt poſt quinque menſes, præſentando alium ad dictam Cappellaniam; quod ſufficit adhoc, ut di-
16 cantur, nec tacitè ratificaſſe prædictam reſignationem; Tempus enim ad ſe opponendum reſignationi indebitè factæ non incipit currere à die reſignationis; ſed à die ſcientiæ ejuſdem reſignationis, ſicuti tempus conceſſum Patrono ad ſe opponendum collationi beneficii de jurepatronatus factæ ab Epiſcopo tamquam de libero, non incipit currere à die vacationis beneficii, ſed à die ſcientiæ vacationis, ut alibi in decurſu Operis diximus.

17 Sed etiamſi ſe oppoſuiſſent, & reclamaſſent elapſo termino quatuor menſium; adhuc hujuſmodi oppoſitio, & reclamatio eſſet ſufficiens ad annullandam præfatam reſignationem factam abſque conſenſu Patronorum; Quod enim oppoſitio, & reclamatio fieri debeat tempore habili, nempe intrà quatuor, aut ſex menſes procedit in beneficiis Eccleſiaſticis de jurepatronatus Eccleſiaſtico, vel laicali; reſpectu quorum eſt à jure ſtatutus Patrono, terminus ſex, aut quatuor menſium reſpectivè; ſed in Cappellaniis merè

merè laicalibus, ſeu Legatis piis, ſeu officiaturis Miſſarum, non eſt à jure ſtatutus Patrono ad nominandum ullus terminus; unde ſicuti reſpectu harum Cappellaniarum merè laicalium poſſunt Patroni de jure (quicquid ſit de mente Fundatoris) nominare, quocumque tempore; ita poterunt renunciationi, reſignationi, aut permutationi earumdem Cappellaniarum factæ abſque Patronorum conſenſu; iidem Patroni ſe opponere quocumque tempore.

Deſcendendo nunc ad ſecundum du-
18 bium; reſpondeo Titio nulliter reſignanti prædictam Cappellaniam favore Caji abſque conſenſu Patronorum non competere regreſſum ad illam; ſed Patronos potuiſſe ad eam præſentare Sempronium. Diſtinguendum eſt enim, prout in ſuperiori *Caſu*, diſtinguebamus *n.* 14. *& ſeq.* inter reſignationem ſive beneficii, ſive Cappellaniæ merè laicalis abſque conſenſu Patronorum factam ſinè culpa, & non malitioſè, itaut reſignanti adſcribi non valeat ingratitudo; & reſignationem factam malitioſè, culpabiliter, fraudulenter, & in ſpretum Patronorum. Si quis reſignat beneficium, aut Cappellaniam merè laicalem ad favorem certæ Perſonæ abſque conſenſu Patronorum, non malitioſè, nec fraudulenter, nec culpabiliter, nec in ſpretum Patroni, eo quia revera ignoravit adeſſe Patronos, aut Cappellaniam eſſe de jurepatronatus; Certum eſt quod taliter reſignans non privatur Cappellania reſignata; ſed reclamantibus Patronis, competit ei regreſſus ad illam, & Patroni non poſſunt ad eam alium pæſentare, aut nominare; & in hoc caſu procedunt Auctoritates ſuperius ex adverſo allatæ §. *Ommiſſo autem*; Quibus addo *Gemin. in cap. deinceps de elect. in 6. num.* 11. ibi ⫶ *Sed quilibet ipſorum permutantium ex quo non fuerunt in culpa, etiam invitis Patronis, poterunt ad ſua beneficia reverti, ſi Patroni contradicunt permutationi factæ* ⫶ *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 14. *n.* 85. ibi ⫶ *Ubi verò non eſt ipſo jure nulla, ſed venit annullanda, quia reſignans, vel permutans ignoraverit patronatum, & in ſumma non poſſit illi adſcribi ingratitudo, tunc caſſata reſignatione, poterit reſignans ad ſuum beneficium reverti* ⫶.

Et ita etiam ſentit in terminis permutationis, idem *Garzias* ſuperius *in dicto §. Ommiſſo* in contrarium allegatus ibidem *n.* 29. ibi ⫶ *Reſciſſa autem permutatione ob contradictionem Patroni, abſque cujus conſenſu fuit facta, poſſunt permutantes etiam invito Patrono redire ad ſua beneficia &c. quando non fuerunt in culpa; ex quo non conſtat illas habuiſſe notitiam juriſpatronatus ante ipſam permutationem* ⫶.

19 Si quis autem reſignat Beneficium, aut Cappellaniam merè laicalem ad favorem certæ Perſonæ abſque conſenſu Patronorum malitioſè, culpabiliter, fraudulenter, & in ſpretum Patronorum in hoc caſu taliter reſignans remanet ipſo jure privatus Cappellania reſignata, nec competit ei regreſſus ad illam; ſed Patroni poſſunt validè alium ad eam nominare, ad *Text. in cap. final. de renunciat. in* 6. *ibiq. Paſſerin. num.* 1. *Gemin. in cap. nemo deinceps de elect. in* 6. *num.* 11. ibi ⫶ *In permutatione beneficiorum, ſi Patronus non vocetur, & maximè laicus, eo impugnante, non valebit permutatio, & poterit etiam permutatione non caſſata, vel revocata alium præſentare* ⫶ *Rebuff. conſ.* 38. *num.* 6. *&* 14. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 14. *n.* 84. ibi ⫶ *Siquidem cum reſignatio eſt ipſo jure nulla ob contemptum Patronorum proculdubio reſignans non revertitur ad beneficium reſignatum, ſed poterit Patronus liberè alium præſentare* ⫶ *Gratian. diſcept.* 835. *num.* 1. *& ſeqq. Tondut. quæſt. benef. par.* 2. *cap.* 4. §. 8. *n.* 21. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 22. *n.* 12. ibi ⫶ *Dici poſſet, quod iſta nullitas utpotè culpoſa tollit jus à reſignante* ⫶ *& diſc.* 25. *n.* 4. *& diſc.* 34. *num.* 6. *Adden. ad Buratt. dec.* 136. *n.* 37.

20 In caſu autem præſenti Titius Cappellanus reſignando Cappellaniam merè laicalem favore Caji, abſque conſenſu Patronorum, eam reſignavit malitioſè, culpabiliter, & in ſpretum Patronorum; nam ſcivit adeſſe Patronos, & Cappellaniam eſſe de jurepatronatus, & tamen non vocavit eos, nec requiſivit eorum conſenſum in reſignatione; Sperni autem dicitur Patronus, & cum eo contumelioſè agi, quando cum poſſet commodè vocari, non fuit vocatus; & malitia, ac ſpretus probatur, eo ipſo, quod renuncians ſcit adeſſe Patronum, & Cappellaniam eſſe de jurepatronatus. *Gemin. in cap. nemo*

mo deinceps de elect. in 6. num. 11. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 14. *n.* 62. *Gratian. diſcept.* 835. *num.* 1. *& ſeqq.* Ac proinde ſequitur eidem Titio ſic malitioſè, & contumelioſè reſignanti non competere regreſſum ad dictam Cappellaniam, ſed Patronum potuiſſe validè nominare ad eam Sempronium; juxta auctoritates relatas in §. *Accedenti*; quibus addo *Garz. de benef. par.* 11. *cap.* 3. *n.* 30. ibi = *Alias ſi eſſent in culpa redire non poſſent* = & *num.* 34. ibi = *Et ſic quando eſſent in culpa, Patronus poſſet præſentare* =.

Dici autem non poteſt Titium habuiſſe
21 ignorantiam exiſtentiæ juriſpatronatus, & Patronorum, ex eo quia non fuit nominatus, & deputatus à Patronis; ſed ab ipſomet Teſtatore in teſtamento, quia compoſſibile eſt quod fuerit deputatus, & nominatus à Teſtatore, & ſimul habuerit notitiam exiſtentiæ juriſpatronatus, immo ex hoc ipſo præſumitur habuiſſe notitiam juriſpatronatus; nam ſi ſcivit Teſtamentum continere nominationem, & deputationem ad dictam Cappellaniam favore ſui, præſumitur etiam ſcivis ſe idem Teſtamentum continere reſervationem juriſpatronatus ad eamdem Cappellaniam favore Patronorum. Immò antequam deveniret ad dictam Reſignationem, hoc ſcire debebat, dum tenebatur inquirere, & ſe informare de qualitate Cappellaniæ, an hæc eſſet libera, vel potius de jurepatronatus; unde ſi non ſe informavit de ſtatu Cappellaniæ, culpabiliter, & malitioſè hoc fecit, & ſic competere ei non poteſt regreſſum ad illam perinde enim eſt ſcire, ac ſcire debere. Sicuti ſi quis reſignat beneficium alicui in forma *dignum*, & prius non inquiſivit, nec ſe informavit de idoneitate reſignatarii; ſi poſtea iſte non ſit repertus idoneus, non poteſt reſignans redire ad beneficium, quia culpa ſua non habuit effectum, dum prius tenebatur inquirere, & ſe informare de idoneitate reſignatarii, & ſic ſcivit, & ſcire debuit illum non eſſe idoneum. *Rocch. de Curt. de jurepatr. verb. honorificum num.* 17. *Lambertin. eod. tract. par.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 10. *art.* 4.

Minuſque adverſatur, quod ſi reſignatio Cappellaniæ facta à Titio favore Caji abſque conſenſu Patronorum, ſit nulla ex hoc ipſo non poſſit abdicare ab eo jus ad illam; ex actu enim nullo, nullus ſe-
22 quitur effectus; quoniam licèt ſit nulla reſpectu Patronorum, & in horum favorem, valet tamen in præjudicium reſignantis; itaut contradicentibus Patronis, non poteſt Titius reſignans redire ad illam, *Alb. in cap. ſuper hoc de renunciat. n.* 41. *Lambertin. de jurepatr. lib.* 1. *par.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 16. *n.* 4. *verſ. poſſet ei tertio*. *Tuſch. concluſ. jur.* 165. *litt. R. tom.* 6. ſicuti permutatio fraudulenta licèt ſit nulla in præjudicium conferentis, valet tamen in præjudicium malitioſè, & culpoſè permutantium, itaut eis non detur regreſſus. *Garz. de benef. par.* 11. *cap.* 3. *num.* 36. *in fine D. meus Advocatus Pitonius diſcept. Eccleſ.* 29. *n.* 12.

Erat hìc exponenda Conſtitutio D. Pii V., *la* 104., ſed de ea diximus ſupra *Par. V. Can. VIII. in Comment. n.* 1.

CANON XVIII.

SIXTUS QUINTUS Conſtit. XIX. §. 3. *Bull. Rom. Tom.* 2.

SI cunctas per orbem terrarum diffuſas Eccleſias in eorum juribus, & Privilegiis libenter conſervare ſtudemus: *Et infra*. Nos moti tam prænarrata Bonifacii Papæ Prædeceſſoris conſideratione, quàm præclara memoria Imperatoris Conſtantini, cujus morbum, ſuſcepto hic olim baptiſmo, Divina gratia ſanavit, veſtris hujuſmodi ſupplicationibus Ann. 1586.

benignè annuentes, prænarrataſque Bonifacii Papæ literas cum omnibus, & ſingulis decretis, clauſulis, & aliis in eis contentis, Apoſtolica auctoritate (modificationibus infraſcriptis ſemper ſalvis) harum noſtrarum ſerie revalidantes, & innovantes, voſque ad illarum priſtinum uſum adverſus ſupraſcriptas Pii IV. literas revocatorias reſtituentes, & plenariè reintegrantes, ex ſpeciali gratia indulgemus, quod perpetuis futuris temporibus, literis veſtris Patentibus, ſub ſolitis titulo, & nomine ſupradictis, etiam abſque præſentium noſtrarum inſertione expediendis, licentiam, & facultatem liberas quibuslibet benè viſis, in Fundis, Terris, & Locis menſæ veſtræ Capitularis, ac aliàs juxta earumdem Bonifacii Papæ Prædeceſſoris literarum formam, quæcumque Monaſteria, Prioratus, Conventus, Eccleſias, Dignitates, Perſonatus, Officia, & alia Beneficia Eccleſiaſtica cum Cura, vel ſinè Cura, nec non Hoſpitalia, & alia Pia Loca fundandi, erigendi, ædificandi, dotandi, ac alia quomodolibet in illis contenta faciendi, quæ quidem dominio, protectioni, juriſdictioni, defenſioni, ac poteſtati veſtris immediatè ſubſint, nec non earumdem plenum jus, dominium, merumque, & mixtum Imperium, inſtitutio, inſuper deſtitutio, collatio, proviſio, præſentatio, & quævis alia diſpoſitio ad vos ſolùm, & inſolidum perpetuò ſpectet, dummodò Epiſcoporum, in quorum Civitatibus, ſeu Diœceſibus illa fuerint, licentia expreſſa ad hoc accedat, Eccleſiæque, & alia, ut præfertur, fundanda, erigenda, ædificanda, & dotanda, atque illa pro tempore obtinentes, libertatis, immunitatis, & exemptionis Privilegium aliquod à juriſdictione, & ſuperioritate ipſorum Epiſcoporum, alitervè contra formam decretorum, & ordinationum Sacri Concilii Tridentini, propterea non acquirant, licentiam, & facultatem liberas, ut prius in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi literæ hujuſmodi revocatoriæ nullatenus emanaſſent concedere valeatis.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone hæc infertur concluſio.

Præsentatio, Institutio, vel destitutio, collatio, aut alia dispositio Ecclesiarum, et Beneficiorum, quæ sunt fundata, erecta, et dotata in solo Lateranensi spectat ad Archipresbyterum, et Capitulum Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ = Quam concluſionem ſequuntur *Calderin. conſ.* 12. *de privileg. Cherubin. hic. Card. de Luc. de Paroch. diſc.* 9. *num.* 6. *& de juriſdict. diſc.* 38. *num.* 5. *& diſc.* 39. *num.* 1. *Rot. dec.* 153. *coram Gregor. & dec.* 106. *num.* 2. *&* 228. *n.* 6. *coram Emerix. jun. & dec.* 217. *n.* 26. *&* 366. *num.* 1. *par.* 9. *rec.*

1 Sacroſanctam Eccleſiam Lateranenſem totius Urbis, & Orbis Eccleſiarum caput, Romani Pontificis Patriarchalem Sedem, aliquo privilegio condecorare cupiens Bonifacius IX., ſtatuit proinde, quod quilibet in Lateranenſi ſolo, ſeu in Locis ad Eccleſiam Lateranenſem ſpectantibus, de licentia Archipresbyteri, & Capituli, Eccleſias, Monaſteria, Oratoria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus, Officia, & alia Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, vel ſinè cura, & quæcumque alia pia loca erigere, & fundare poſſit, & quod hæc omnia ſic fundata, erecta, & dotata extarent ſub mero, & mixto imperio eiuſdem Capituli, & Archipresbyteri; Quodque inſtitutio, deſtitutio, collatio, proviſio, præſentatio, & quævis alia diſpoſitio, ad ipſos ſolùm, & inſolidum pertinerent in perpetuum, atque ſpectarent. Hujuſmodi autem Privilegium cùm fuiſſet revocatum à Pio IV. per ejus conſtitutionem in ordine la 57., hinc Sixtus V. attentis qualitatibus, & prærogativis hujus Sacroſanctæ Baſilicæ, volens eam in ſuis juribus, & privilegiis conſervare, innovavit in hoc *Canone* Bonifacii Indultum, addita modificatione, quod accedat licentia Ordinariorum, & loca erigenda cum perſonis ſubſint eiſdem Ordinariis.

CANON XIX.

SIXTUS V. Conſtit. LXIV. §. 2. 3. 5. *&* 7. *Bull. Rom. Tom.* 2.

IN Sacroſancto Beati Petri Principis Apoſtolorum ſolio: *Et infra*: Nos ſtatui indigenarum Regni Valentiæ hujuſmodi Paterna charitate compatientes: *Et infra*: Motu proprio &c. ſtatuimus, & ordinamus, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus omnia, & ſingula Beneficia Eccleſiaſtica in Univerſo Regno Valentiæ hujuſmodi nunc, & pro tempore conſiſtentia, etiamſi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates etiam majores poſt Pontificales, & principales Perſonatus, Adminiſtrationes, & Officia, etiam curata, & electiva, in Metropolitana, & in aliis Cathedralibus, ac Collegiatis Eccleſiis, nec non Parochiales Eccleſiæ, ſeu earum perpetuæ Vicariæ, ac in Romana Curia, vel extra eam litigioſa, & de jurepatronatus etiam Regum, Ducum, vel Ann. 1587.

vel aliorum Laicorum etiam Nobilium, & Illuſtrium, ſeu eorum, & Clericorum mixtim etiam ex fundatione, vel dotatione, aut indulto Apoſtolico, ſeu aliàs quomodolibet qualificata ſint, vel fuerint, quoties illa per ceſſum, etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem, aut privationem ea pro tempore obtinentium, ſeu jus in illis, vel ad illa habentium, aut aliàs quovis modo, etiam apud Sedem prædictam, ac etiam in aliquo ex menſibus, in quibus vacantium Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio nobis, & Sedi præſcriptæ, etiam per Conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ regulas, eſt, vel pro tempore fuerit reſervata, vel etiam ordinariis Collatoribus per eaſdem Conſtitutiones, ſeu regulas, vel literas alternativarum, aut alia Privilegia, & Indulta, conceſſis hactenus, & in poſterum concedendis ſimul, vel ſucceſſivè vacare contigerit, etiam actu nunc, ut præfertur, vel aliàs quibuſvis modis, & ex quorumcumque Perſonis vacent, ac ex eo, quod Beneficia ipſa obtinentes, ſeu in illis, vel ad illa jus habentes, noſtri, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum, ſeu ſucceſſorum noſtrorum, aut S. R. E. Cardinalium etiam viventium, & in dicta Curia præſentium familiares, continui Commenſales, ſeu dictæ Sedis Notarii, Subdiaconi, Acolythi, Cappellani, literarum Apoſtolicarum Abbreviatores, Scriptores, Cubicularii, ſcutiferi, proventuum, & jurium Cameræ Apoſtolicæ debitorum Collectores, & Subcollectores, ſeu quicumque alii Curiæ, & Sedis prædictarum Officiales, etiam ſub diverſis Conſtitutionibus felicis recordationis Pauli Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, ſuorum, & pro tempore exiſtentium Romanorum Pontificum familiarium, continuorum Commenſalium declaratoriis comprehenſi, præſentes, et futuri quocumque nomine nuncupati, ſeu ex quavis alia Cauſa diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata, aut exgenerali reſervatione Apoſtolica affecta, ſeu ad Sedem eamdem devoluta exiſtant, vel

fuerint

fuerint, ſolis indigenis dicti Regni, verè, realitèr, et non fictè in eo natis, et naſcituris affecta, et debita, prædictique alienigenæ ad hujuſmodi Beneficia, in titulum, Commendam, adminiſtrationem, vel aliàs quomodolibet obtinendum, aut illorum fructus, redditus, proventus, jura obventiones, diſtributiones, et emolumenta quæcumque, ſeu ſuper eis penſiones annuas percipiendum, omninò inhabiles, ac incapaces, etſi ullo umquam tempore eadem Beneficia, etiam ad illorum Patronorum præſentationem ſibi conferre, aut de illis provideri, ſeu fructus redditus, proventus, & penſiones hujuſmodi reſervari obtinuerint, aut collationibus, proviſionibus, præſentationibus, inſtitutionibus, reſervationibus, & aliis diſpoſitionibus ipſis deſuper factis, ſeu etiam motu ſimili conceſſis uti, ſeu eas ratas, & gratas habere præſumpſerint, omni, & quocumque Beneficio, & Officio Eccleſiaſtico per eos, etiam extra dictum Regnum ubicumque obtento, eo ipſo abſque aliqua declaratione deſuper facienda, privati exiſtant.

Nec non quicumque Ordinarii, & alii inferiores Collatores, ac etiam Patroni, qui contra præmiſſa quicquam attentare præſumpſerint à quorumcumque Beneficiorum collatione, proviſione, electione, præſentatione, inſtitutione, & quacumque alia diſpoſitione, prout cuique competierit, tandiù ſuſpenſi remaneant, donec remiſſionem à Romano Pontifice pro tempore exiſtente meruerint obtinere. Et nihilominus ſi ſic ſuſpenſi conferre, providere, eligere, præſentare, inſtituere, aut aliàs quomodolibet diſponere auſi fuerint, Excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incurrant, nec ullus alius, quàm Romanus Pontifex pro tempore exiſtens ſive abſolutionis, ſive relaxationis Beneficium, excepto mortis articulo, valeat eis impartiri; *Et infrà*:

Et quicumque Judices Ordinarii, vel Delegati, coram quibus litem contra quemcumque alienigenam in quovis Beneficio contra præſentium tenorem intruſum, tam in dicta Curia, quàm extra, eam moveri contigerit, cùm pri-

mum

mum ſibi legitimè conſtiterit, Beneficium ipſum ab alienigena detineri, poſſeſſionem, ac fructus, redditus, & proventus ejuſdem Beneficii, donec iis, ad quos de jure ſpectabunt, adjudicentur, ſequeſtrare, ac ſub arcto, & firmo ſequeſtro ponere debeant, & teneantur. Ita tamen, ut ſi in fundationibus Beneficiorum de jurepatronatus Laicorum, ſeu illorum, & Clericorum mixtim, ut præfertur exiſtentium, caveatur expreſsè, quod non niſi per Clericos, ſeu Presbyteros de ipſorum fundatorum genere, & familia oriundos obtineri poſſint, eo caſu etiam alienigenæ, de genere, ſeu familia Fundatorum hujuſmodi ad illa præſentari, ac in eis inſtitui liberè poſſint, nec ſub præſenti Statuto, quoad aſſecutionem talium Beneficiorum comprehendantur: *Et infra*:

Decernentes omnes, & ſingulas Collationes, Proviſiones, Commendas, Electiones, Acceptiones, Præſentationes, Inſtitutiones, & quaſvis alias diſpoſitiones de quibuſcumque Beneficiis dicti Regni Valentiæ, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, ac reſervationes illorum Fructuum, Redditüum, Proventuum, & Penſionum ſuper eiſdem in favorem dictorum Alienigenarum, contra præſentis Statuti formam, & tenorem, etiam per nos, & quoſcumque alios Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, dictamque Sedem, ac illius Legatos, etiam de Latere, & Nuntios, omneſque, & ſingulos alios jus, & facultatem conferendi, providendi, commendandi, eligendi, præſentandi, inſtituendi, & aliàs quomodolibet de hujuſmodi Beneficiis diſponendi, illorumque Fructus, Redditus, Proventus, & ſuper eis Penſiones reſervandi ab ipſa Sede habentes, nec non Ordinarios, & alios inferiores Collatores, etiam ad Patronorum Præſentationem, ſeu de illorum conſenſu pro tempore factas, ipſo jure nullas, & invalidas, nulliuſque roboris, vel momenti fore, & eſſe, ac pro nullis, & infectis haberi, nec per eas cuiquam jus, vel etiam coloratum poſſidendi titulum tribui poſſe, ipſoſque alienigenas illarum prorſus uſu, & commodo carere, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas,

ſeu

ſeu Conſtitutiones de annali, & triennali poſſeſſoribus etiam propter quantumvis diuturnam continuatæ poſſeſſionis tollerantiam, aut quodcumque aliud jus, vel Beneficium ullo tempore illis ſuffragari, ſeu Beneficia hujuſmodi, ut priùs vacare, & quæ illis tempore diſpoſitionis Apoſtolicæ dictis alieniginis factæ eidem diſpoſitioni reſervata, ſeu affecta fuerint, ſub eadem reſervatione, ſeu affectione remanere, & tam illa, quàm etiam omnia alia non reſervata, neque affecta, de quibus à dicta Sede, vel illius Legatis, ſeu Nunciis, aut aliis jus, & facultatem conferendi à dicta Sede, ut præfertur habentibus, in hujuſmodi alienigenas quandocumque diſpoſitum fuerit, ad novam Romani Pontificis pro tempore exiſtentis diſpoſitionem dumtaxat pertinere, ab Ordinariis verò, & aliis inferioribus Collatoribus, ceſſantibus reſervationibus, ſeu affectionibus Apoſtolicis, eiſdem alienigenis pro tempore collata, ac etiam ea, quæ de jurepatronatus hujuſmodi fuerint, ſi contingat ad illa quemquam contra præſentis Statuti formam præſentari, devolutioni ad Sedem prædictam immediatè eo ipſo ſubjacere, illaque omnia ab indigenis dicti Regni, & à Sede prædicta dumtaxat impetrari poſſe, nec jus ullum ad reſignantes, ſeu cedentes, etiamſi in poſſeſſione etiam diutina remanſerint, & reſignationes, ſeu ceſſiones hujuſmodi publicatæ non fuerint, redire, vel penes eos remanere.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequens deducitur Concluſio.

BENEFICIA ECCLESIASTICA REGNI VALENTIÆ, ETIAM DE JUREPATRONATUS REGUM, DUCUM, ET ALIORUM LAICORUM, QUANDOCUMQUE VACARE CONTIGERIT, CONFERRI DEBENT SOLIS INDIGENIS EJUSDEM REGNI, SUBLATA FACULTATE PATRONIS, ET ORDINARIIS COLLATORIBUS, ALITER PRÆSENTANDI, ET RESPECTIVE CONFERENDI; NISI ALITER FUERIT DISPOSITUM A FUNDATORE, IN LIMINE FUNDATIONIS = Quam concluſionem confirmat etiam *Rot. dec.* 1241. *num* 1. *coram Emerix jun.*

1 Animadvertens Sixtus V. Alienigenas, ex aliis Hiſpaniarum Regnis, & Provinciis oriundos obtinere, & poſſidere Beneficia Eccleſiaſtica Regni Valentiæ, ac frui hujus Regni Clericorum pabulo; & è contra indigenas ejuſdem Regni Valentiæ, variis ſub motivis, repelli, & excludi à conſecutione Beneficiorum in aliis Regnis, Provinciis, dominiis, & inſulis Hiſpaniarum; ex quo multa mala, & in convenientia ſequebantur, nimirum quod Clerici Valentini nequeuntes Beneficia Eccleſiaſtica, neque in Patriæ ſolo pro-

pter exterorum illa occupantium frequentiam, minuſque extra obtinere, miſerabilem
vitam ducere cogebantur; quod alii, horum conditione perterriti, ſtatum Clericalem
abhorrebant, & melius vitam rudem ducere, quàm in Eccleſiaſtica diſciplina ſe exer-
cere exiſtimabant; quodque Fideles ab Eccleſiarum, & beneficiorum fundatione re-
trahebantur in grave Divini Cultus præjudicium; hinc injunxit ordinariis collatori-
bus conferre; Patronis verò præſentare ad omnia Beneficia Eccleſiaſtica in univerſo Re-
gno Valentiæ exiſtentia, indigenas, ſeu originarios ejuſdem Regni, ſub pœna nullitatis
collationis, & præſentationis, ac devolutionis eorumdem Beneficiorum, ſi aliter fiat,
ad S. Sedem; quæ impetrari non poſſint, niſi ab eiſdem indigenis; dummodo in limine
fundationis à fundatoribus diſpoſitum non fuerit, quod præſententur ad beneficia illi
de familia, quo caſu conſanguinei Fundatorum eſſent admittendi, licèt extranei, ac
dummodo Valentini non admittantur ad beneficia alicujus Regni Hiſpaniæ, quo caſu
illi etiam iſtius Regni, licèt alienigenæ, admitti, & præſentari poſſunt ad beneficia
2 Valentiæ. Quæ Summi Pontificis diſpoſitio æquior, ac rationabilior eſſe non poteſt,
cum rationi, & Sacris Canonibus conſentaneum ſit, quod in Beneficiorum aſſequutio-
ne originarii, non originariis, cives exteris, & alienigenis præferantur ad *Text. in
can. nullus invitis can. obitum diſt.61. cap. nè pro defectu de elect. cap. bonæ mem. il 2. §.In-
telleximus de poſtulat. prælat.* Quæ jura licèt loquantur de Epiſcopis, extenduntur ta-
men ad quoſcumque alios beneficiatos. *Abb. in cap. ad decorem n.4. de inſtit.*, pluribuſ-
que ad rem rationibus allegatis proſequuntur *Innoc. in cap. quia diverſi de conceſſ. præb.
D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.63. art.2. ad 4. Gonzal. in cap. te nobis num.6. de Cleric.
Peregrin. Azor. inſtit. moral. par.2. lib.6. cap.4. quæſt.25. per tot. Antunez. de donat. reg.
lib.2. cap.29. n.154. & ſeqq. Mandoſ. in regul.16. cancell. quæſt.41. per tot. Pariſ. de re-
ſignat. Benef. lib.4. quæſt.7. num.2. Barboſ. vot. deciſ. lib.2. vot.33. n.12. & ſeqq. Rot. de-
ciſ.28. n.7. par.15. rec.*

Conferunt ad materam hujus *Canonis* ea omnia, quæ ſuperius dixi *Par. I. Can. V. Caſ. XVIII.*, *& Par. II. Can. IX. X. & XI. Caſ. VII.*, quæ ibi legere poteris.

CANON XX.

SIXTUS V. Conſtit. 105. §. 6. *&* 10. *Bull. Rom. tom.*2.

Ann. 1590. CUm ſingularum rerum: *Et infra*: Mox etiam decrevimus inibi unam Præpoſituram ad Scalas Sanctas appellandam, unum Sacriſtæ officium, nec non quatuor Cappellanias, & quatuor Beneficia Eccleſiaſtica Clericatus nuncupata, & unum oſtiariatum erigere: *Et infra*.

Poſtremo juſpatronatus, & præſentandi Perſonas idoneas etiam alienigenas ad Præpoſituram, officium Sacriſtæ, quatuor Cappellanias, & alia Beneficia Clericatus nuncupata hujuſmodi, dilecto Filio Nobili Adoleſcenti Michaeli Peretto Marchioni de Enciſia, nunc autem Burgi Sancti Petri, Militumque cuſtodiæ noſtræ Præfecto noſtro, ſecundùm Carnem ex Sorore Pronepoti, ejuſque maſculis ex maſculis deſcendentibus legitimis, & naturalibus, ac ex legitimo matrimo-

trimonio natis, & procreatis. Ita tamen, quod præſentatio fieri debeat ſolùm à Primogenito, & ipſius Primogeniti primogenito uſque in infinitum, eiſque deficientibus, ad ſecundogeniti, & aliorum ſucceſſivè lineas, & denique in maſculorum omnium defectum, jus hujuſmodi ad fœminas, earumque deſcendentes tranſeat, eiſdem modo, & forma, quibus præſentatio ad aliam Præpoſituram, Sacriſtiam, Cappellanias, & Beneficia per nos in Cappella ad Præſepe Domini in Eccleſia S. Mariæ Majoris erecta, ejuſdem Michaelis etiam illorum Patroni deſcendentibus reſervata fuit, prout in literis Apoſtolicis deſuper expeditis, quarum tenorem haberi volumus pro expreſſo, ac ad verbum inſerto, plenius continetur. Et poſtmodum ſi defecerint omnes à dicto Michaele deſcendentes, juſpatronatus, & præſentandi hujuſmodi tranſeat ad dilectam in Chriſto filiam Flaviam, etiam Perettam dicti Michaelis Sororem germanam, ſi extabit, & poſt eam, vel ſi ipſa, non extabit, ad filios maſculos, ipſius, & ab eis maſculos deſcendentes, uſque in infinitum, & ceſſantibus maſculis, ad fœminas à dictis maſculis deſcendentes, & ceſſantibus omnibus, tam maſculis, quàm fœminis deſcendentibus à dicta Flavia, ſuccedat dilecta in Chriſto filia Urſina ſimiliter Peretta ejuſdem Michaelis etiam Soror germana, & poſt eam, vel ſi ipſa tunc non extabit, ejus filii maſculi, ex maſculis deſcendentes. Deficientibus autem omnibus, & ſingulis maſculis, & fœminis deſcendentibus à dictis Michaele, Flavia, & Urſina, tunc ſuccedat in jurepatronatus, qui nobis fuerit ſanguine proximior, ſervato ſemper in omnibus caſibus ſupradicto ordine Primogeniture, tranſeundo ſcilicet de Primogenito in Primogenitum, & præferendo lineam Primogeniti lineæ ſecundogeniti, & maſculos ex maſculis deſcendentes natis ex fœminis, ac maſculos ex fœminis ipſis fœminis, ac aliàs in omnibus, & per omnia; prout in linea filiorum, & deſcendentium à dicto Michaele, ut præfertur, aliàs in literis prædictis ordinatum eſt: Ita quod jus præſentandi hujuſmodi ad unum ſolum ſucceſſorem inſolidum,

dum, & poſt illum ad alium ſemper deveniat, abſque eo, quod inter plures ſucceſſores dividi poſſit.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone hæc deducitur concluſio.

Juspatronatus ad Præposituram, ad unum Officium Sacristæ, ad quatuor Cappellanias, et totidem Beneficia Ecclesiastica, ad Scalas Sanctas erecta, competit Familiæ Perettæ de Primogenito, in Primogenitum ⩦.

1 Opera tanti Pontificis D. Sapientia verificavit, quod legimus apud Iſaiam ⩦ *Locum Pedum meorum glorificabo, & ad Sanctam Civitatem Hieruſalem adorabunt veſtigia pedum tuorum* ⩦ dum Sixtus V. Scalas Sanctas Salvatoris noſtri Sacris Pedibus, pretioſiſſimo ejus cruore reſperſis calcatas, & ab Hieroſolymis, à Prætorio, ubi Pilatus præfuerat, Romam advectas, in Sanctiori loco ante ejuſdem Sanctiſſimi Salvatoris noſtri Cappellam prope Baſilicam S. Joannis Lateranen., non ſinè magna Populorum ex omnibus Mundi Partibus confluentia,& veneratione repoſuit,ac collocavit,per quas non niſi flexis genibus,orandi cauſa tranſire juſſit; & inſuper pro majori ejuſdem Sancti Loci decore, atque honorificentia,erexit ibi, ac fundavit unam Præpoſituram,unum Sacriſtæ Officium,quatuor Cappellanias,& quatuor beneficia Eccleſiaſtica, reſervando Juſpatronatus ad ea omnia favore Familiæ Perettæ de Primogenito, in Primogenitum, ſicuti antecedenter anno 1587. illud reſervavit favore ejuſdem Familiæ ad Præpoſituram, & beneficia per eum erecta in Cappella ad Præſepe Jeſu Christi in Baſilica S. Mariæ Majoris, ut in ejus *Conſtitutione la* 58. §.24.

Quoad hanc concluſionem ſequens examinatur Caſus.

ARGUMENTUM.

Præpoſitura erecta ad Scalas Sanctas de Jurepatronatus Familiæ Perettæ an ſit incompatibilis cum Epiſcopatu.

SUMMARIUM.

1 *An Reſidentia, & ſervitium perſonale tolli poſſit per conſuetudinem*. Vide ibi, & num. 2. & 5.

3 *Ex facto Patroni argui an poſſit Beneficium non eſſe reſidentiale*.

4 *Præpoſitura erecta ad Scalas Sanctas eſt incompatibilis cum Epiſcopatu*. Et quare Vide ibi.

CASUS UNICUS.

PLuribus ab hinc annis poſſidebat R. P. D. Joannes Franciſcus Tenderinus nuper aſſumptus ad Epiſcopatum Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ, Præpoſituram ut ſupra ad Scalas Sanctas à Summo Pontifice Sixto V. erectam, cumque ipſe ſub obtentu Decreti Conſiſtorialis, quo Sanctiſſimus Dominus Noſter eidem indulſit, retentionem beneficiorum compatibilium, putet ſe retinere poſſe dictam Præpoſituram; & è contra Marcus Abbas Giglius, qui præſentationem ad eandem Præpoſituram obtinuit à Duce Cajeſtano Sforzia Cæſarino, Peretto, Præpoſituræ aliorumque beneficiorum Patrono; contendat ad ſe pertinere, & ſe in illa eſſe inſtituendum; quæſitum fuit in Sac. Congreg. Concilii ⩦ *An Præpoſitura ad Scalas Sanctas ſit incompatibilis cum Epiſcopatu Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ* ⩦.

Putabat Reverendiſſimus Epiſcopus, ſe unà cum Epiſcopatu retinere poſſe Præpoſituram in ſequelam Decreti Conſiſtorialis ſibi indulgentis retentionem compatibilium ex ſequentibus rationibus relatis in conſueto *Folio* non minus doctè, quàm eruditè extenſo ab R. P. D. meo Lambertino Secretario, nimirum, quia licèt in Bulla erectionis impoſitum ſit Præpoſito, Sacriſtæ, & reliquis Cappellanis onus celebrandi per ſe ipſos; obſervantia nihilominus inolevit, quod ipſi, ut plurimum celebraverint per alios, cumque hæc obſervantia ſit antiquiſſima, & penè immemorabilis, uti deſumitur ex libris Miſſarum, qui inventi fuerunt, & qui incipiunt ab anno 1649. infertur nihil aliud eſſe quærendum, cùm nemo non
1 ſciat,

ſciat, quod reſidentia, ſive ſervitium perſonale tolli poteſt per conſuetudinem, quamvis illud in fundatione ſit præſcriptum, juxta *Gloſſ. in cap. Cùm omnes verb. conſuetudinem tit. de conſtit.* quam laudat, & ſequitur *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. *n.* 107.

2 Accedit, quod hæc obſervantia dici nequit ſuo legitimo fundamento deſtituta, cùm etenim Sixtus Papa V. pro congrua dote tum Præpoſiti, tum aliorum, aſſignaverit annuam perpetuam penſionem ſcutorum quadringentorum ſuper fructibus Prioratus Eccleſiæ Æſinæ, nec non centum, & quinquaginta loca montium, ita ut Præpoſitus ſingulis annis habere deberet ſcuta bis centum, Sacriſta ſcuta centum, & quadraginta, Cappellani ſinguli ſcuta centum, & decem, & Clerici ſcuta quinquaginta, uti legitur *in* §.8. *citatæ Bullæ*, propter obitum Pontificis immediatè ſecutum, aſſignatio Penſionis ſuper Prioratu non habuit effectum, redactoque toto fundo ad loca 150. montium non vacabilium, Præpoſito nihil aliud remanent, quam ſcuta 80. annua, & Cappellanis ſola ſcuta 40. quo ſtante, potuit, ſcientibus potiſſimum, & non reclamantibus Patronis, qui ut plurimum fuerunt S. R. E. Cardinales, introduci conſuetudo eximens Præpoſitum, & Cappellanos ab onere celebrandi per ſe ipſos, & multo magìs, cùm Pontifex ipſe, qui dictum onus impoſuit, in Bulla inſtitutionis, Præpoſito dederit facultatem concedendi Cappellanis licentiam celebrandi per alium Sacerdotem ab ipſo approbandum, in hypotheſi, in qua ipſi eſſent legitimè impediti, ſicuti legitur in Bulla §. 7. hæc ſiquidem circumſtantia patefecit præcipuam ejus intentionem fuiſſe, ut Miſſæ celebrarentur, nec conſequenter ab eodem fuiſſe volitam in Præpoſitura, & Cappellaniis reſidentiam illam veram, & præciſam, ex qua oritur incompatibilitas cum cæteris beneficiis reſidentiam requirentibus.

3 Abſque eo, quod hæc impugnari valeant à Domino Duce moderno Patrono, ipſe ſiquidem nominavit R.P.D. Joannem de Matthæis Sanctiſs. Domini Noſtri Cubicularium honoris, & modo Prælatum, & Gubernatorem Civitatis Montis Alti, nominavit inquam, ad alteram ex Cappellaniis vacantem, cumque hìc in Urbe reſidere non poſſit, ex facto ipſo Ducis Patroni deſumitur, non adeſſe in Cappellaniis ſtrictum onus celebrandi per ſe ipſum, & ſic ceſſare quoad ipſas quamcumque incompatibilitatem cum aliis beneficiis licèt reſidentialibus.

4 His tamen non obſtantibus, meum aperiendo votum in hac cauſa cenſebam præfatam Præpoſituram eſſe incompatibilem cum Epiſcopatu; ſiquidem perpenſis ejuſdem Præpoſituræ fundamentalibus qualitatibus, agnoſcebam ipſam habere onus, ſeu potius honorem præſidendi Cappellanis, & Clericis, ut legitur *in* §. 6. *Bullæ* ibi = *Unam Præpoſituram, quæ inibi Dignitas cenſeatur pro uno Præpoſito, qui Cappellanorum, & Clericorum hujuſmodi caput exiſtat, ibidemque præſit* = Inſuper habere onus celebrandi per ſe ipſum; ut *in* §. 7. ubi imponitur Præpoſito, Sacriſtæ, & Cappellanis onus celebrandi Miſſas per ſe ipſos, & Præpoſito datur facultas concedendi licentiam Cappellanis celebrandi per alios, ſi legitimè fuerint impediti, ſubdendo, quod debeant illi Præpoſito obedire, tanquam membra Capiti ibi = *Qui quidem Præpoſitus, Sacriſta, & Cappellani teneri qualibet hebdomada &c. Miſſam in novis ſacellis prædictis per ſe ipſos, aut ſi quo die ejuſdem Præpoſiti arbitrio legitimè impediti fuerint, per alium Presbyterum ab ipſo Præpoſito ad hoc ſpecialiter approbandum celebrare, ac miniſtrare* = Ac denique habere juriſdictionem, & auctoritatem inſtituendi Sacriſtam, Cappellanos, & Beneficiatos, ut *in* §. 11. ibi = *Inſtitutio verò ad præſentationem hujuſmodi Vicario Urbis prædicto, quo ad Præpoſituram tantùm, quo ad Sacriſtiam verò, Cappellanias, & Beneficia, ſive Clericatus hujuſmodi ipſi Præpoſito pro tempore exiſtenti conceſſa ſit* = Advertebam etiam hujuſmodi Præpoſituram unà cum dictis beneficiis fuiſſe erectam in hoc ſancto Loco pro ejus majori cultu, ac honorificentia. Ex quibus omnibus illam eſſe in gradu Præpoſituræ reſidentialis conſtitutam, adeòque incompatibilem cum Epiſcopatu, minimè vedetur ambigendum, ex ſuperiùs deductis *Par. II. Can. XXVII. Caſ. IX. & Caſ. X.*

Nullatenus adverſante obſervantia, quæ erat fundamentalis baſis prætenſionis

nis Reverendiſſimi Epiſcopi, ea namque non verificatur in facto, nec relevat in jure. Non verificatur quidem in facto, tum quia ex Regeſtis S. Congregationis Concilii habetur, quod Joannes Puccius Secretarius Cardinalis Montis Alti, & Præpoſitus hujus ejuſdem Præpoſituræ ſupplicavit pro licentia celebrandi per alium, quæ attenta ejus infirmitate conceſſa fuit *die 3. Martii 1657.* Tum quia in Regeſto Tabellarum onerum Miſſarum legitur, quod Præpoſitus, & cæteri Cappellani habent onus celebrandi per ſe ipſos, ex quibus potius reſultat obſervantia in contrarium, abſque eo, quod vis ulla fieri valeat in celebrationibus Miſſarum per alios, quæ factæ aſſeruntur à Cappellanis, cùm id potuerit procedere à licentia Præpoſiti facultatem habentis eam elargiendi, in caſu impedimenti.

5 Non relevat autem in jure, tum quia non percutit alia onera perſonalia Præpoſiti, præſidendi nimirum, & alia, ut ſupra faciendi, tum quia, aut prætenditur hujuſmodi obſervantia ante Concilium Tridentinum; & hoc eſt impoſſibile, quia ante Concilium non debebatur hæc Præpoſitura; Aut prætenditur poſt Concilium, & id pariter eſt impoſſibile, cùm illud contra claram Fundatoris voluntatem, reiiciat contrariam obſervantiam tamquam abuſum, & corruptelam, ut in *cap. 5. ſeſſ. 25. de reform.* de quo ſupra *Par. V. Can. XI.* & tradit *Rot. deciſ. 496. n. 9. par. 1. & deciſ. 216. n. 4. & ſeq. par. 2. rec.* Addito præſertim, quod Bulla erectionis hujus Præpoſituræ, continet clauſulam *ſublata*, & decretum irritans, ut *in* §. 12. *&* 13. per quæ annullatur, & inficitur quæcumque contraria obſervantia *Rot. deciſ. 400. par. 9. & in Colonien. Canonicatus* 13. *Junii* 1699. *§. Prout coram Eminentiſſimo Scotto.*

Minuſque urget redditTuum diminutio, ac factum Domini Ducis, qui R. P. D. Matthæjum præſentavit, quia redditTuum diminutio non ſufficit in caſu præſenti pro eximendo onere impoſito in fundatione, & quia Patronus præſentavit R. P. D. de Matthæis, tempore, quo non erat declaratus Gubernator Montis Alti.

Et ita reſolutum fuit ab eadem S. Congreg. in *Romana Præpoſituræ 1. Aprilis* 1719.

CANON XXI.

GREGORIUS XIV. Conſtit. VI. §. 14. *Bull. Rom. Tom.* 2.

Ann. 1592. ONus Apoſtolicæ ſervitutis: *Et infra*. Hortamur verò in viſceribus Domini Noſtri Jesu Chriſti, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac Sancta Sede nominandi, præſentandi, vel etiam eligendi futuros Epiſcopos, vel Abbates, jus habent, ut ſeriò apud ſe cogitent, quanti momenti ſit hoc negotium, ex quo ſalus Animarum, tranquillitas Reipublicæ, incolumitas Religionis, propagatio Fidei, aliaque permulta, & maxima bona dependent. Illud etiam ſæpe, & ſæpius ad mentem revocent, quod Sancta Tridentina Synodus admonet, nihil ſe ad Dei gloriam, & Populorum ſalutem utiliùs poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant, eoſque alie-

nis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magìs utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium cupiditatibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint. De nominandis verò, præſentandis, vel eligendis ad Regulares Dignitates, præter ea, quæ ſuperiùs obſervanda eſſe declaravimus, illud quoque paternis his noſtris hortationibus, & monitionibus adjiciendum cenſuimus, ut nominationis, præſentationis, vel electionis jus habentes, eos eligere ſtudeant, atque omninò conentur, qui non modò eumdem ordinem ſint ante profeſſi, ſed in eodem etiam ſatìs diù laudabiliter verſati, neque enim decet, ut magiſtri aliorum eſſe incipiant, qui non fuerint ante diſcipuli, & ſubditis imperare præſumant, qui priùs non didicerint Superioribus obedire.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone ſequens deducitur concluſio.

Habens jus præſentandi ad Dignitates Episcopales, et Abbatiales, ac ad alia Beneficia Consistorialia debet præſentare Perſonas idoneas.

1 Super humeris Romani Pontificis cùm ſit repoſita omnium Eccleſiarum ſollicitudo, & cura; nulla major ei cogitatio fuit, quam ut Beneficia ſuprema, dignis Paſtoribus providerentur, qui operibus, ac doctrina Oves ſibi commiſſas paſcerent; Integritas enim Præſidentium, ſalus eſt ſubditorum; excluſis proinde, ac remotis Populo, Clero, & Cathedralium Capitulis ab Epiſcoporum electionibus, exceptis dumtaxat Capitulis Germaniæ, apud quæ ex vi Concordatorum adhuc viget electio, ut vidimus ſuperiùs *Can. II.* ac ſibi reſtituta, & reſervata facultate eligendi, ſeu deputandi Antiſtites in Eccleſiis Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus ex vi Regulæ ſecundæ Cancellariæ, de qua ſupra *Can. XV.* varia, & utilia Sedes Apoſtolica, pluribus Conciliorum Decretis, & Conſtitutionibus decrevit, quo ad providendos ad Cathedrales, & Superiores Eccleſias. Voluit namque juxta præceptum Dei, quo in perſonis Timothei, & Titi, omnium Sacerdotum Chriſti numerus eruditur, per D. Paulum emiſſum *epiſt.* 1. *ad Timoth. cap.* 3. *ad Tit. cap.* 1. Promovendum ad hujuſmodi Dignitates eſſe irreprehenſibilem, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem, benignum, juſtum, ſanctum, continentem, non vinulentum, non percuſſorem, non litigioſum, non turpis lucri cupidum, non ſuperbum, nimirum voluit Epiſcopum eſſe ex legitimo Matrimonio natum, Catholicum, maturam ætatem ad minus triginta annorum, gravitatem morum, literarumque ſcientiam habere, ſacris Ordinibus ſaltèm ante ſex menſes initiatum eſſe; Totius namque Familiæ Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite; ut *in cap. Cùm in cunctis de Elect.* & *ex Concil. Trident. cap.* 1. *ſeſſ.* 7. *de reform.*

Juſſitque in eodem Concilio *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. & in hoc *Canone*, ſive Conſtitutione Gregorii fieri examen, proceſſum, ſeu inquiſitionem de Fide, Vita, moribus, doctrina, & pru-

prudentia Promovendorum, & præſcripſit formam omnino obſervandam in confectione hujuſmodi proceſſus, ſive inquiſitionis; Videlicet quod quando proceſſus ſit conficiendus extra Curiam, hoc munus ſpectet ad Legatos Sedis Apoſtolicæ, ſeu Nuncios Provinciarum, in quibus, ſi iſti non adſunt, ad Ordinarios Perſonarum Promovendarum, & iſtis deficientibus ad Ordinarios viciniores, qui per ſe ipſos, & non per eorum Vicarios, Miniſtros, vel Auditores id explere debent; Quod ſi fortè contingat aliquem ex Prælatis, ad quem ordine ſupradicto ſpectat conficere proceſſum conſanguinitate, vel affinitate uſque ad tertium gradum cùm Promovendo eſſe conjunctum, ſi Legatus excludendus eſt, & ad Nuntium, ſi Nuntius ad Ordinarium, ſi Ordinarius ad viciniorem Ordinarium, inquiſitionis officium eſt deferendum; ſicuti ſi quis legitimè impeditus per ſe ipſum, proceſſum conficere non poſſit, eodem ordine transferatur ad alium Prælatum impedito viciniorem; & ſi Prælatus inquirens ob locorum diſtantiam, teſtes per ſe ipſum ſuper aliquo articulo commodè examinare non valeat, partem illam alteri Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, non autem univerſam inquiſitionem ſubrogare poterit.

3 Si verò proceſſus ſit conficiendus in Romana Curia, tunc id ſpectat vel ad Cardinalem, qui apud Sedem Apoſtolicam eſt Protector illius Provinciæ, in qua ſita eſt Eccleſia, vel Monaſterium, ſi Eccleſia, vel Monaſterium, cui eſt providendum, ſit ad nominationem, ſeu præſentationem Imperatoris, & alterius Regis, & Principis, vel ad Cardinalem à Papa deputandum.

4 Idem Prælati, ordine, & gradu, quo ſupra conficere etiam debent proceſſum pro habenda informatione ſtatus Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, quibus providendum erit.

5 Prælatus autem, qui confecturus eſt proceſſum formare debet interrogatoria, & articulos ſuper qualitatibus promovendi, & ſtatu Eccleſiæ, & ſuper eis interrogare Teſtes, qui ſint viri pii, graves, & prudentes, ſanguine non attinentes, aut nimium familiares, neque inimici, aut æmuli Perſonæ promovendæ; Quibus omnibus peractis idem Prælatus, præſente Notario, & Teſtibus recipere debet profeſſionem Fidei à Promovendo faciendam, atque eam à ſe admiſſam, & receptam propriæ manus ſubſcriptione teſtari; Is quoque, qui dictam profeſſionem fecerit, eam ſubſcribet. Hujuſmodi autem proceſſus perfectè compilatus, tranſmittendus eſt ad Sedem Apoſtolicam, qui ſubſcribitur, & expeditur à Cardinale, cui proponendi munus incumbit, & à tribus priorum Ordinum Cardinalibus.

6 Hortatur verò Summus Pontifex Patronos, & eos, qui habent jus præſentandi ad Cathedrales, & Beneficia Conciſtorialia, ut ad ea præſentent Perſonas idoneas, quæ præſentationes, & nominationes examinari debent à Congregatione Conciſtoriali, ut diſponitur à Siſto V. *Conſtit.* 74. *Cong.* 3. meminiſſe enim debent Patroni nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem utiliùs poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant, eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint, ut his verbis admonet Concilium Tridentinum *dicto cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

CANON XXII.

INNOCENTIUS XII. Conſtit. XLIV.

SPeculatores Domus Iſrael. *Et infrà*. Verum quo impenſius Apoſtolicæ Gubernationis curam, & cogitationes in hæc interdicimus, eò majori cum animi noſtri dolore ex quamplurium Ven. Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in diverſis regionibus exiſtentium delatis ad nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in ſancto, ſacrilega ſcilicet illorum impudentia in dies creſcente, qui propriæ ſalutis immemores, Clericales Ordines ſibi forſan à propriis Præſulibus denegatos, ſeu quos aliquibus Canonicis ſibi obſtantibus impedimentis, denegari meritò verentur, ab alienis Epiſcopis, non quæ Jesu Chriſti, ſed eas, quæ ad ipſos non pertinent, oves in animarum ſuarum perniciem quærentibus, nec tot Canonicas damnationes contra uſurpantes alienæ Plebis homines latas perhorreſcentibus abſque ſuorum Prælatorum commeatu, hoc eſt Dimiſſoriis, commendatitiiſque eorum Literis deſtituti, quinimò eis inſciis, & ſæpè etiam invitis, ſub minus legitimis Beneficii Eccleſiaſtici, originis domicilii, ſeu etiam familiaritatis, ac continuæ Ordinantium Epiſcoporum commenſalitatis quæſitis titulis, in ſacrarum Legum fraudem, & contemptum, illegitimè ſuſcipiunt, atque ita non intrantes per oſtium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, Sacrificium in ſacrilegium convertunt, Judicium abſque miſericordia ſibi conſciſcunt, Deoque minimè placentes, & tamen placere velle præſumentes, non modò eum non placant, ſed magìs irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere: non requiret. Ann. 1694.

Hinc eſt, quod nos ex commiſſo nobis divinitus Apoſtolicæ Servitutis munere, abuſus, fraudes, ac ſcandala hu-

juſmodi penitùs, & omninò è medio tollere, ac irreligioſam contrafacientium audaciam, quantum nobis ex alto conceditur, compeſcere, & reprimere volentes: *Et infrà*. Hâc generali noſtrâ, & perpetuò valiturâ conſtitutione decernimus, & declaramus nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis loci Ordinario, tametſi Cardinalibus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione originis, ſeu domicilii, juxta modum inferiùs declarandum legitimè cotracti non ſubditum, ad Clericalem Tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici, ei ſtatim, ac Tonſurâ hujuſmodi inſignitus fuerit, conferendi, ſeu ad quod is à Patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu, etiamſi Beneficium prædictum de novo, eâ expreſsè adjecta lege fundatum fuiſſe, conſtiterit, ut quis immediatè poſt Clericalem characterem ſuſceptum, ad illud inſtituatur; Præterea Clericum, qui legitimè jam à proprio Epiſcopo ad eamdem Clericalem Tonſuram, ſeu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo, ratione, ac titulo cujuſcumque Beneficii in illius Diœceſi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante eorumdem ſuſceptionem, Teſtimoniales literas proprii Epiſcopi, tam originis, quàm domicilii, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita, ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti in actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit.

Licèt verò Clericus ratione cujuſvis Beneficii in aliena Diœceſi obtenti, ſubjici dicatur juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cætero hâc in re inconcuſsè ſervari volumus regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſive juxta Taxam Synodalem, ſive eâ deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad ſacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab Ordinario pacificè poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi, quod deficeret,

ficeret, fructus ejuſdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quòd ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret, ac Epiſcopus ſic ordinans, tam de prædictis Teſtimonialibus literis, quàm de redditu Beneficii hujuſmodi, expreſſam, in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione, mentionem facere debebit.

Cæterum ſubditus ratione originis is tantùm ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, Officii, Legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda; Quod ſi quis tanto temporis ſpacio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus Loci literas Teſtimoniales, ut ſupra obtinere, aliaſque Epiſcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum teſtimonio ſimiliter recenſendas, præſentare teneatur.

At ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiu, ac eo animo permanſerit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejuſdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione domicilii, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeò ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique per aliquod conſiderabile tempus commo-

rando, ſatìs ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit, & nihilominus ulteriùs in utroque caſu ſe verè, & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando affirmet, ſi quis autem à propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ originis Teſtimoniales literas, ut ſupra afferre debebit, ac de illius expreſſa ſimiliter mentio, in ſuſceptorum Ordinum literis, facienda erit.

Ad hæc nullus Epiſcopus alienæ Diœceſis ſubditum familiarem ſuum ad aliquos ſacros, ſeu minores Ordines, vel etiam primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat, abſque ejus propriis originis, ſcilicet, ſeu domicilii Prælati Teſtimonialibus literis, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati, familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit, Beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam, juxta modum ſuperiùs præfinitum, ſufficiat, quacumque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltèm intrà terminum unius menſis à die factæ Ordinationis, re ipſa illi conferat, ac in Ordinationis hujuſmodi Teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porrò, ut quicumque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut Epiſcopus quilibet ſuos ratione originis, ſeu domicilii ſubditos Clericos, quoſcumque ab alienis Epiſcopis, quavis authoritate; etiam cum ſuis commendatitiis literis promotus, nedum ad formam Concilii Tridentini ſupradicti, quo ad ſcientiam examinare valeat, verùm etiam Ordinum eis collatorum Teſtimoniales literas, gratìs tamen recognoſcere, ac diligenter perquirere, an quo ad illos præſentis Conſtitutionis forma, & diſpoſitio adimpleta fuerit, aſſignato ſic

promo-

promotis termino competenti, ac magìs beneviſo, ad docendum de ejuſmodi adimplemento, itaut quos etiam termino elapſo id minimè præſtitiſſe compererit, à ſuſceptorum Ordinum exercitio, ſi ita, & quamdiu ei expedire videbitur, ſuſpendere, illiſque nè in Altari, aut in aliquo Ordine miniſtrent, indicere poſſit.

Ita verò præmiſſa omnia, & ſingula perpetuò, ac inviolabiliter obſervari, atque adimpleri volumus, ut ſi quis in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſecus fiat, Ordinans quidem à collatione Ordinum per annum, Ordinatus verò à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque ſubjaceat.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = Episcopis non licet aliquem præsentatum, seu nominatum a Patronis non subditum ratione originis, aut domicilii ad clericalem tonsuram promovere, prætextu cujusvis Beneficii Ecclesiastici, ei statim, ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, etiam si Beneficium fuerit fundatum ea lege, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur =

Secunda = Promotus ad clericalem tonsuram, aut ad minores Ordines a proprio Episcopo, non potest ad ulteriores Ordines promoveri ab alio, ratione subjectionis ex Beneficio, absque testimonialibus Episcoporum originis, et domicilii = Quæ concluſiones comprobantur ex *Text. in cap. Eos, & cap. Cùm nullus de tempor. ordin. in 6. & à Concilio Tridentino cap.2. ſeſſ.* 14. *& cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *de reform.* & auctoritate plurium Doctorum, nimirum *Fagnan. in cap. Quod à Prædeceſſore de Schiſmaticis num.* 88. *& ſeqq. & in cap. Nullus de Paroch. num.*8. *Paſſerin. in cap. Nullus de tempor. ordin. nu.*5. *Garz. de Benef. par.*2. *cap.*5. *nu.*130. *Pignattell. conſult.* 189. *num.* 82. *& ſeqq. tom.* 9. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 2. *alleg.*4. *n.*1. *& alleg.*19. *n.*28. *& ad Concil. ſeſſ.*21. *cap.*2. *nu.*9. *R. P. D. Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolic. tom.* 1. *pag. mihi* 330. *num.*69. *Monacell. formul. for. tit.*13. *formul.*3. *nu.*12. *Lamperez ad Bullam Speculatores nu.*315. *& ſeq.*

1 Non ſine magno animi dolore audiens Summus Pontifex Innocentius XII. fel. record. in materia adeò gravi, qualis eſt Ordinum collatio, manuumque impoſitio, Eccleſiaſticum Ordinem confundi, & turbari; Epiſcopos videlicet alienos ſubditos ad Ordines indebitè, ac irrationabiliter promoveri, cùm non debeat unus Paſtor ſe ingerere in Ovibus alieni ovilis, quæ alteri Paſtori commiſſæ ſunt, ſed unuſquiſque ſuarum Ovium curam habere teneatur; ad hoc enim Diœceſes jure optimo fuerunt diſtinctæ, & unicuique Gregi proprii attributi Paſtores; hinc tenens alta mente repoſitum, quod ſcriptum

ptum reliquit Gregorius Magnus *in Can. Pervenit* 11. *quæſt.* 1. nimirum = *Si ſua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit Ordo, confundatur* = nè confuſionem hanc Apoſtolica Auctoritate non reprimendo, diceretur eam approbare, Paſtorali ſollicitudine prohibuit Epiſcopis promovere Laicum non ſubditum ratione originis, vel domicilii ad primam Tonſuram, prætextu cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici, & etiamſi ad illud fuiſſet à Patronis præſentatus, aut nominatus, modo, quo ſupra *Par. I. Can. V. Caſ. XIII.* explicuimus, nimirum
2 ſub conditione Clericatus, ea ratione, quia ad hoc, ut Epiſcopus ordinare poſſit alienum ſubditum ratione Beneficii, requiritur quod Ordinandus ſit Clericus, & quod Beneficium poſſideat, ad *Text. in cap. Cùm nullus de tempor. Ordin. in 6.* Laicus autem, utì ſupra præſentatus, aut nominatus, Beneficium non poſſidet, imò nec jus habet in re, nec ad rem, unde prætextu Beneficii, ad quod ſit præſentatus, Clericali Tonſura ab alieno Epiſcopo nequit inſigniri; Et ſic confirmavit idem Pontifex in hoc *Canone* ſententiam eorum aſſerentium ratione ſolius præſentationis ad Beneficium non poſſe licitè ab alieno Epiſcopo quem ordinari, nec ad primam quidem Tonſuram ſinè literis dimiſſorialibus proprii Ordinarii originis, vel domicilii, quam refert, & ſequitur *Pignattell. conſult.* 189. *n.* 82. *& ſeqq. tom.* 9. & è contra reprobavit ſententiam *Panimollæ deciſ.* 139. *nu.* 5. contrarium ſentientis. Prohibuit etiam Clericum à proprio Epiſcopo ordinatum, ab alio Epiſcopo ad ulteriores Ordines promoveri, prætextu cujuſvis Beneficii in illius Diœceſi obtenti abſque literis teſtimonialibus Epiſcopi, tam originis, quam domicilii, quia cùm in utroque loco Clericus ordinandus aliquo canonico impedimento potuerit irretiri, congruum eſt, ut afferat teſtimoniales Epiſcopi utriuſque loci, quibus teſtetur de ejus natalibus, ætate, moribus, & vita; Et quidem hæc omnia prohibuit ſub pœna ſuſpenſionis, reſpectu Ordinantis, à collatione Ordinum per annum, reſpectu verò Ordinati, ab executione Ordinum arbitrio proprii Ordinarii, & aliis pœnis, Romani Pontificis arbitrio pro tempore exiſtentis.

Ad materiam hujus *Canonis* ſequentes exponuntur caſus in Sacra Congregatione Concilii ventilati.

ARGUMENTUM.

De Requiſitis neceſſariis ad hoc, ut quis dicatur ſubditus Epiſcopo ratione Beneficii, ad effectum, ut ab eo ordinari poſſit præviis teſtimonialibus Epiſcopi originis, & domicilii,

SUMMARIUM.

1 *Quando quis ordinari poſſit ad titulum beneficii tenuis unà cum ſupplemento ex bonis patrimonialibus?* Vide ibi.

2 *Supplementum an fieri poſſit ab Epiſcopo beneficii tenuis?*

3 *Ad hoc, ut quis ordinari valeat ab Epiſcopo beneficii tenuis cum ſupplemento patrimonii, requiruntur literæ teſtimoniales, & dimiſſoriales Epiſcopi originis.* Et num. 7.

4 *Quæ requirantur ad hoc, ut quis dicatur ſubditus ratione beneficii?* Vide ibi.

5 *Pro ſtatuenda congrua ſuſtentatione ordinandi, quæ Taxa ſit ſervanda?* Vide ibi.

6 *Si beneficium ſit inſufficiens nequit Epiſcopus quempiam ordinare ad titulum illius, utì Ordinarius beneficii.*

8 *Ad effectum ſtatuendi ſufficientiam beneficii, an detrahenda ſint onera Miſſarum.*

CASUS I.

Poſt collatam ab Archiepiſcopo Sipontino Joanni Pace Clerico Romano ſuo familiari Manſionariam reſidentialem unà cum ſimplici beneficio, quorum fructus congruam patrimonii ſacri à Synodo Sipontina præſcriptam excedebant, exorta fuit controverſia, an onera Miſſarum eſſent deducenda, ad effectum ſtatuendi, quod ipſe haberet ſufficiens ſacrum patrimonium pro ſacris Ordinibus ſuſcipiendis, cumque die 27. Novembris 1717. S. Congregatio Concilii demandaverit, ut ſuper hoc articulo

lo ſcriberetur pro veritate; & hoc interim prædictus Clericus, ad evitandam quamcumque controverſiam, ſupplementum obtinuerit ex bonis patrimonialibus Archiepiſcopi Sipontini, ita ut deductis etiam oneribus Miſſarum, nulla ſit amplius controverſia quin ipſe habeat ſufficiens patrimonium conſtitutum partim in beneficiis, partim in bonis propriis Archiepiſcopi, loquendo tamen de ſufficientia patrimonii non ad tramites Taxæ Urbis, ſed ad tramites Taxæ Sipontinæ, fuerunt à memorato Clerico Joanne Pace preces renovatæ, pro facultate aſcendendi ad ſacros Ordines unà cum inſtantia, ut Tribunali Eminentiſſimi Vicarii Urbis demandetur, quod ſibi literæ teſtimoniales concedantur; Propoſita proinde fuerunt ſequentia dubia.

Primo = *An Oratori indulgenda ſit facultas aſcendendi ad Ordines ſacros ad titulum Manſionariæ unà cum ſupplemento ex bonis patrimonialibus in caſu &c.* Et quatenus affirmativè.

Secundo = *An eidem dandæ ſint à Tribunali Eminentiſſimi Vicarii Urbis literæ teſtimoniales, vel dimiſſoriales in caſu &c.*

Quibus meum aperiendo votum ad primum *affirmativè*; Ad ſecundum *dandas eſſe ab Eminentiſſimo Vicario literas teſtimoniales, & dimiſſoriales ad normam Taxæ Urbis*, reſpondendum cenſebam. Etenim Manſionaria ſupradicta juncta cum patrimonio ab Epiſcopo Sipontino de propriis bonis aſſignato, eſt ſufficiens ad congruam ſuſtentationem Oratoris, & cùm ſit reſidentialis, per promotionem ejuſdem Oratoris conſulitur neceſſitati, & utilitati Eccleſiæ, quo caſu permitti poteſt quemquam ordinari ad titulum beneficii tenuis unà cum ſupplemento ex bonis patrimonialibus juxta *Tridentinum cap.2. ſeſſ. 21. de reform.* ibi = *Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſt hæc non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos, pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque priùs perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem, verè ab illis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatìs ſint* = *Fagnan. in cap. Epiſcopus num.29. de præben. Lamperez ad Bullam Speculatores num.242. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.2. alleg.19. n.14. & ad Concil. ſeſſ.21. cap.2. num.47 Monacell. formul. legal. inſtruct.8. par.3. pag. mihi 227. num.25. & tit.3. formul.3. num.7. tom.2.*

2 Non obſtat, ſi dicatur, quod ſupplementum ex bonis patrimonialibus fieri debeat ab Epiſcopo originis, non verò ab Epiſcopo beneficii tenuis, & inſufficientis; quia licet Epiſcopus beneficii tenuis ſupplere nequeat congruam cum alio beneficio, aut cum bonis patrimonialibus, ad effectum, ut Clericus, cui confertur hujuſmodi beneficium, efficiatur quo ad ordines, ejus ſubditus; & quidem optima ratione, nam aliàs aperiretur via fraudibus, ut optimè animadvertit *Monacell. formul. legal. tom.3. pag. 227. à num.20. uſque ad 26.*; Valet tamen conſtituere ſufficiens patrimonium partim ex beneficiis, partim ex bonis patrimonialibus, ad effectum, ut Clericus ordinari poſſit ab Epiſcopo originis, & domicilii, vel à ſe cum licentia, ſeu literis dimiſſorialibus Epiſcopi originis, & domicilii, ut fuit admiſſum à Congregatione Concilii in *Tudertina Cappellaniæ 12. Martii* 1718.

3 Sed ad hoc ut Orator, qui eſt Clericus Romanus, ordinari valeat ab Epiſcopo Sipontino ad titulum hujus Manſionariæ cum ſupplemento patrimonii, non ſufficiunt ſolæ literæ teſtimoniales Eminentiſſimi Vicarii Urbis, ſed requiruntur etiam dimiſſoriales; Quia memoratus Orator ratione dictæ Manſionariæ non
4 eſt ſubditus Epiſcopi Sipontini; Siquidem ad hoc, ut quis dicatur ſubditus alterius Epiſcopi ratione beneficii, ad effectum, ut ad hujus titulum ab eo ordinari poſſit cum ſolis literis teſtimonialibus Epiſcopi, originis, & domicilii, requiritur primo, quòd Ordinandus beneficium pacificè poſſideat, ſecundo, quòd beneficium ſit per ſe ſufficiens ad congruam Ordinandi ſuſtentationem, juxta diſpoſitionem hujus *Canonis*, & Concilii Tridentini *cap. 2. ſeſſ. 21. de reform. Gloſſ. in cap. Cùm adeo de reſcript. verb. ſufficientem, Lamperez ad Bullam Speculatores n.365. Monacell. formul. for. Eccleſ. par.3. pag.227. nu.26.* Et quidem quod ſit ſuffi-
5 ciens juxtà Taxam Synodalem Loci beneficii, ſi beneficium ſit reſidentiale, & per ſe ſatìs ſit pro congrua Ordinandi ſuſtentatione, ut reſolvit eadem Sac. Congregatio *in Romana, ſeu Sanctæ Agathæ Gothorum*

torum 27. *Maji* 1713. Si verò ſit ſimplex; juxta Taxam Loci originis, ut fuit reſolutum *in Alatrina* 9. *Julii* 1701., *& in Ariminen. Ordinationis* 10. *Januarii* 1705.

6 Etenim ſi beneficium ſit inſufficiens non poteſt Epiſcopus quempiam ordinare ad titulum illius, aut dimiſſorias concedere uti Ordinarius beneficii *Card. de Luc. in annot. ad Concil. diſc.* 14. *nu.* 13., & fuit reſcriptum in *Romana, ſeu Nullius Farſen. Ordinationis* 5. *Junii* 1717.

7 Cùm autem in præſentiarum Manſionaria, de qua agitur, collata Oratori ab Ordinario Sipontino ſit per ſe inſufficiens ad congruam ſuſtentationem, ſequitur, quòd ratione illius Orator non ſit ſubditus ejuſdem Epiſcopi Sipontini, & quòd non valeat ab hoc ordinari abſque literis dimiſſorialibus Eminentiſſimi Vicarii Urbis, uti Ordinarii originis, ut in terminis tuetur *Marchin. de Sacram. Ordin. tract.* 2. *par.* 6. *cap.* 6. *difficult.* 2. ubi inquirens, An ubi beneficium ſit tenue, & extra Patriam, cui ad congruam ſuſtentationem jungatur patrimonium, ad quem tunc ſpectabit Ordinatio? num ad Epiſcopum beneficii, vel ad Epiſcopum patrimonii? reſpondet = *pertinere ad quemlibet, ſed de alterius licentia, & præſertim non poſſe iſtum ordinari ab Epiſcopo beneficii abſque dimiſſoriis Epiſcopi Patriæ, quod præſumeretur fuiſſe ad declinandam juriſdictionem Epiſcopi Patriæ. Hæc autem fraudis ſuſpicio, tunc ſanè meritò ingraveſceret, ſi beneficium, ad cujus titulum Ordinandus promoveretur, de proximo collatum illi fuiſſet, vel ſi poſt Ordinationem reverteretur ad habitandum in propria Patria* =

Et ita reſolutum fuit à Sac. Congregatione *in Romana, ſeu Sipontina* 23. *Julii* 1718.

8 Quæro hìc an detrahenda ſunt onera Miſſarum beneficio injuncta, ad effectum ſtatuendi illius ſufficientiam.

Reſpondeo negativè niſi numerus Miſſarum eſſet adeò exceſſivus, ut non poſſent omnes per Beneficiatum intrà annum celebrari, tunc enim extrahendum eſſet ſtipendium, quod aliis ſolvere ipſe deberet, ut tuetur *Lamperez ad Bullam Speculatores nu.* 366. ibi = *Nota tamen quod licèt obligationes Miſſarum Beneficiis, ſeu Cappellaniis annexæ vocentur quoque onera; cæterum cùm ſtipendium earum percipiatur, ſeu percipi poſſit ab eodem Beneficiato, ſeu Cappellano, cedit in congruam ſuſtentationem ipſius, & ſic non extrahendum à ſupputatione* = & reſolutum fuiſſe à Sacra Congregatione Concilii teſtatur *Monacell. formul. legal. par.* 1. *pag.* 345. *n.* 1.

ARGUMENTUM.

Promotus ad Sacros Ordines ad titulum Cappellaniæ de Jurepatronatus, cum ſupplemento Patrimonii, ſi hoc diſtrahat, & alienet abſque conſenſu Epiſcopi, an alienatio ſuſtineatur?

SUMMARIUM.

1 *Alienatio domus in ſupplementum patrimonii ſacri aſſignatæ facta abſque licentia Epiſcopi, eſt nulla; etiamſi in locum domus alienatæ, fuerit ſubrogatus alius fundus*: ut num. 2.

CASUS II.

Ludovicus Ramazzotus ad Ordines ſacros promotus fuit ad titulum Cappellaniæ de jurepatronatus Laicorum onus habentis Miſſæ quotidianæ, & cum ſupplemento patrimonii ſacri à Joanne Baptiſta Patre conſtituto ſuper quadam ejus domo valoris ſcut. 300. monetæ Urbini, & annui redditus ſcut. 12. ſucceſſivè dictus Sacerdos reportata die 13. Decembris 1707. à Ludovico Maruſcello Romano ceſſione cujuſdam aſſerti crediti fructiferi ſcutorum in ſorte 409., & provenientis ab inſtrumento ſtipulato anno 1645. in ſubrogationem ſui patrimonii, ſinè licentia Ordinarii, conſenſum præſtitit, ut ejus Pater domum, ut ſupra aſſignatam diſtraheret, prout de facto die 3. Januarii 1708. vendidit; hinc inter cætera quæſitum fuit = *An alienatio domus in ſupplementum patrimonii ſacri aſſignatæ ſuſtineatur in caſu &c.*

1 Cui *negativè* reſpondendum dicebam; quia alienatio hujuſmodi domus fuit facta abſque licentia Epiſcopi omnino requiſita ad validitatem alienationis bonorum patrimonii ſacri, juxta diſpoſitionem S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 2. *ibique Barboſ. nu.* 59. *& ſeqq. Gonzal.*

*zal. ſuper Regul.*8. *Cancell. gloſſ.* 5. §. 10. *nu.* 13. *Gratian. diſc. forenſ.* 159. *nu.*2. *ibique Carol. Anton. de Luc. nu.* 1.

2 Nullatenus attento, quod in locum dictæ domus fuerit ſubrogatum quoddam creditum fructiferum in ſorte ſcut. 409.; hæc enim ſubrogatio, utpotè deſtituta conſenſu, & licentia Epiſcopi, eſt nulla, dum ſubrogatio unius rei loco alterius pro patrimonio ſacro aſſignatæ, fieri non poteſt abſque licentia Epiſcopi, ea ratione, quia ad ipſum ſpectat recognoſcere, an nova bona ſubrogata ſufficiant pro congrua, ac decenti Clerici ſuſtentatione. *Pignatell conſult.* 168. *num.* 4. *tom.* 9. *Monacell. formul. legal. tom.* 12. *tit.* 13. *formul.*3. *nu.*18. *pag.*72. *Panimol. decis.* 6. *annot.*3. *nu.*6. *S. Congr. Concilii in Senogallien.* 20. *Junii* 1705.

Et ita reſolutum fuit ab eadem S. Congregatione Concilii in *Fanen. patrimonii ſacri*, & *Miſſarum* 21. *Auguſti* 1717. *ad primum*.

ARGUMENTUM.

An, & quando quis dicatur ſubditus Ordinarii ratione originis paternæ ad effectum, ut ab eo validè ordinari poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Quando quis dicatur ſubditus Epiſcopi ratione originis paternæ?* Vide ibi.

2 *Natus ex accidenti in aliquo loco non dicitur ſubditus Epiſcopi illius loci ratione originis, ſed tunc attenditur origo Patris.*

3 *Quando quis non dicatur ſubditus Epiſcopi ratione domicilii?* Vide ibi.

CASUS III.

Benedictus Mannellus cupiens prima Clericali tonſura initiari, alioſque ſucceſſivè ordines ab Epiſcopo Vici Equenſi, tanquam à ſuo Ordinario ſuſcipere, petiit ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo Neapolitano Literas teſtimoniales, ex quo longo temporis ſpatio moratus fuerat in dicta Civitate, & Eminentiſſimus Archiepiſcopus eas denegavit ſub obtentu, quod ordinatio Benedicti ad ſe, & non ad Epiſcopum Vici Equenſem pertineret: Quæſitum proinde fuit in Sacra Congregatione = *Ad quem ſpectet Ordinatio Oratoris*.

1 Spectare ad Ordinarium Vici Equen. præviis Teſtimonialibus Eminentiſſimi Archiepiſcopi Neapolitani reſcribendum cenſebam; Quoniam cum Pater Oratoris Vici natus ſit, Vici bona ſtabilia poſſideat, ibique ſolvat onera communitativa, & ſit admiſſus tamquam civis ad Syndici electionem, Orator ratione originis paternæ dicitur ſubditus Ordinarii Vici, adeóque ad hunc ſpectat illius ordinatio. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.*2. *alleg.*4. *n.*4., & fuit reſolutum à Sacra Congregatione *in Neapolitana*, *ſeu Anglonen. ordinationis* 29. *Aprilis* 1702., & *in Romana*, *ſeu Sutrina ordinationis* 17. *Martii* 1708.

Nec obſtat, quod idem orator natus fuerit Neapoli, ibique Sacramentum confirmationis receperit, & in denuntiatione facta per Parochum circa ejus liberum ſtatum tanquam Neapolitanus denuntiatus fuerit, & quod ejus Pater à quinque ſupra triginta annis ſe transtulerit ad Civitatem Neapolis, in qua moratus eſt, & moratur, exercendo artem argentariam, & gemmariam; Ex hoc enim deduci non poteſt, quod ipſe ſit ſubditus Eminentiſſimi Archiepiſcopi ratione originis, vel ratione domicilii.

2 Non quidem ratione originis, quia natus eſt Neapoli ex accidenti, ratione ſcilicet Mercaturæ Patris, quæ nativitas accidentalis apta non eſt reddendi illum ſubditum ratione originis ad effectum ſuſcipiendi ordines, ſed attendenda venit in hoc caſu Nativitas Patris juxta præſcriptum hujus *Canonis* §. *Cæterum*, *R.P.D. Petra ad Conſtit. Apoſtolic. unic. Urbani II. ſec.*1. *num.*69. *tom.*1. *pag. mihi* 331.

3 Nec ratione domicilii, quia ejus Pater Neapoli non habuit Apothecam fixam, & ſtabilem, nec bona ſtabilia emit, ſemper habuit, & adhuc habet animum redeundi ad Civitatem, in qua natus eſt, ſæpiùs rediit ad illam, relinquendo in propria domo Uxorem, & liberos, & conſequenter non contraxit ibi domicilium, juxta hunc *Canonem* §. *Subditus*, *Barboſ. de offic.*

offic. & poteſt. Epiſcopi par. 2. dicta alleg. 4. num. 22. & ſeqq., Sed quia Orator permanſit in Civitate Neapolis, in ætate, in qua potuerat contrahere Canonicum impedimentum, ideo requiruntur Literæ teſtimoniales Eminentiſſimi Archiepiſcopi, ut diſponitur ab eodem *Canone* §. *Cæterum*.

Et ita reſolutum fuit ab eadem S. Congregatione in *Neapolitana, ſeu Vici Equem ordinationis* 12. *Martii* 1718.

ARGUMENTUM.

Si quis prætendat ſuſcepiſſe ordines Sacros per vim, & metum, ut collatio ordinum ex hoc capite dicatur nulla, quid requiritur?

SUMMARIUM.

1 *Collatio ordinum, ut dicatur nulla, tam quoad impreſſionem Characteris, quam, quoad votum continentiæ, quid requiritur?* Vide ibi.

2 *Quando conſtare non dicatur de coactione abſoluta, nec de coactione cauſativa?*

3 *Ordinatus per vim, & metum quando cenſetur ratificaſſe ordinem ſuſceptum.* Vide ibi.

4 *Ordinatus ad Subdiaconatum ſi in actu ejus collationis tangat Calicem, & Patenam, non autem librum Epiſtolarum ex inadvertentia, an iſta omiſſio ſuppleri poſſit per Epiſcopum, etiam privatim.*

CASUS IV.

JOſeph Sarco prætendens S. Subdiaconatus ordinem per vim, & metum illatum à Sebaſtiano Patre nulliter ſuſcepiſſe in menſe Septembris anni 1709. curavit poſt obitum Patris ſequutum die 30. Octobris ſequentis ex delegatione Sacræ Congregationis Concilii in Curia Archiepiſcopali Hiſpalen examinari formiter ſex Teſtes, quorum tamen primus, ſecundus, & quintus deponunt tantum de auditu; tertius, & quartus, enixam voluntatem Patris, ut Filius Subdiaconatu inſigneretur, teſtantur, ſextus Teſtis Oratoris Confeſſarius deponit ſe interpoſuiſſe, nè Sebaſtianus cogeret filium invitum ad ſuſceptionem SS. Ordinum, & concludit = *Non lo potè perſuadere per il crudele naturale di detto Sebaſtiano*; E contra verò Promotor Fiſcalis in actis proteſtatus fuit oratorem quamvis Laurea Doctorali inſignitum ſuſcepiſſe ordinem nulla præmiſſa proteſtatione, & poſt obitum Patris non reclamaſſe, niſi poſt triennium. Ulterius idem Promotor novem teſtes contra oratorem induxit, inter quos recenſentur, Mater, Soror, & Avunculus oratoris, qui deponunt, Sebaſtianum Patrem fuiſſe virum optimis moribus imbutum, & negant ſuppoſitum metum, & minas. Sextus Teſtis Fiſcalis deponit à Joſepho oratore fuiſſe requiſitum poſt obitum Patris, ut ipſi procuraret Coadjutoriam cujuſdam Dignitatis; neque videtur ſe retractaſſe in ſecundo examine, dum Teſtis confirmata prima depoſitione addidit à Joſepho ſe acribus verbis reprehenſum, cùm illi propoſuiſſet permutationem Beneficii, quod eſt quid diverſum, & ultra contenta in prima depoſitione; Nonus Teſtis, qui in primo Examine depoſuit habuiſſe à Joſepho in mandatis poſt obitum Patris, ut illi procuraret aliquod Beneficium, in ſecundo examine confirmavit, ſaltem poſt obitum Patris; oratorem ipſi per Epiſtolam gratias egiſſe de adhibitis diligentiis, tranſmittendo etiam munera, & pecunias. Quare diſputatum fuit *An conſtet de nullitate collationis ordinis in caſu &c.*

1 Cui reſpondendum *negativè* ſentiebam; Etenim non conſtat nec de coactione abſoluta, nec de coactione conditionali, ſeu cauſativa Joſephi Sarco in ſuſcipiendo ordinem Subdiaconatus, prout requiritur ad hoc, ut hujus collatio dicatur nulla, tam quoad Impreſſionem caracteris, quàm quoad Votum continentiæ juxta *Hoſtien. in Summ. de Baptiſm. num.* 11. *Fagnan. in cap. majores de Baptiſm. num.* 21. *& n.* 101. *& ſeqq. ibique Barboſ. n.* 18. *Sanchez. de matrim. lib.* 7. *diſp.* 29. *num.* 5. *& ſeqq. Rot. dec.* 225. *coram Emerix*.

2 Quod non conſtet de coactione abſoluta, quæ impedit impreſſionem characteris, ſatis patet, dum nullum ſuper ea, affertur documentum. Quod verò nec etiam conſtet de coactione cauſativa, quæ

quæ impedit votum, ſeu obligationem continentiæ, licet non impediat impreſſionem caracteris, ſatis detegitur ex atteſtationibus, & documentis allatis pro parte ipſius Joſephi. Ex iſtis enim non probatur coactio cauſativa illata eidem Joſepho ab ejus Patre directè ad hunc effectum, ut ipſe ſuſciperet ordinem Subdiaconatus; nam primus, ſecundus, & quintus Teſtis deponunt, ſuper hujuſmodi coactione, ſeu ſuper vi, & metu tantum de auditu, adeòque eamdem coactionem non probant, ad *Text. in cap. licet de Teſtibus Rot. in Tuden. Parochialis de Reverteme* 17. *Junii* 1712. §. *Secunda, coram R.P.D. Falconerio.* Tertius, & quartus solùm enixam teſtantur voluntatem Patris, ut Filius Subdiaconatu inſignireteur; ac proinde nihil probant, fieri namque potuit, quod Pater habuiſſet hanc enixam voluntatem, & tamen, quod non induxiſſet ejus filium per vim, & metum cadentem in coſtantem virum ad ſuſcipiendum Subdiaconatum. Sextus denique Teſtis, qui deponit ſe interpoſuiſſe nè Sebaſtianus cogeret Filium invitum ad ſuſceptionem SS. Ordinum, & concludit = *Non lo potè perſuadere per il crudele naturale di detto Don Sebaſtiano* =, eamdem coactionem non probat, quia cum hujus Teſtis depoſitio conquaſſata remaneat à tot contrariis Teſtibus, nimirum à Matre, Sorore, & Avunculo Joſephi deponentibus Sebaſtianum Patrem fuiſſe virum optimis moribus imbutum, & nullatenus coegiſſe Filium ad ſuſcipiendum prædictum ordinem, nullum probationis gradum de jure conſtituere poteſt *Rot. in dicta Tuden. Parochialis de Reverteme* 17. *Junii* 1712. §. *Concomitans, coram R.P.D. Falconerio*. Et eorum atteſtationibus potius eſt deferendum, cum ſint conſanguinei, & intrinſeci ejuſdem Sebaſtiani, qui proinde ſcire magìs præſumuntur hujus naturam, quam dictus ſextus Teſtis extraneus.

3 Sed etiam ſi ommittatur conſtare de hujuſmodi coactione, tamen quia præfatus Joſeph ſuſcepit ordinem, nulla præmiſſa proteſtatione, & poſt obitum Patris non reclamavit, niſi poſt Triennium; immò procuravit poſt obitum Patris Coadjutoriam cujuſdam Dignitatis, aut aliud beneficium, & gratias egit ei, mediante quo illud procuravit, tranſmittendo etiam munera, & pecunias, ut deponunt ſextus, & nonus Teſtis Fiſcalis; ſequitur ipſum ratificaſſe ordinem ſuſceptum, & conſequenter teneri obſervare votum continentiæ, dum metus, & violentia purgantur per liberum conſenſum ſupervenientem. *Fagnan. in dicto cap. majores de Baptiſmo num.* 114. *ibiq. Butr. n.* 8.

Et ita reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii *in Hiſpalen. Nullitatis Ordinis* 2. *Maji* 1716.

4 Quæro hìc ſi Ordinatus ad Subdiaconatum, in actu ejus collationis tangat calicem, & patenam, non autem Librum Epiſtolarum ex inadvertentia, an iſta omiſſio ſuppleri poſſit per Epiſcopum etiam privatim?

Reſpondeo *Affirmativè*, uti reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Ordinis Capuccinorum, ſeu Senogallion. ordinationis* 10. *Januar.* 1711. ubi cum quidam Religioſus ordinis Cappuccinorum acceſſerit cum dimiſſorialibus ſui Superioris ad Epiſcopum Senogallien. pro ſuſcipiendo Sacro Subdiaconatus ordine, in actu ejus collationis tetigit quidem Calicem, & patenam, non autem librum Epiſtolarum ex inadvertentia Aſſiſtentis; Unde licèt Orator ex cōmuniori Doctorum opinione non dubitaverit de valida ejus ordinatione, ſed tantùm crediderit ei deficere poteſtatem legendi Epiſtolas, nihilominus urgente etiam opinione nonnullorum Doctorum ſentientium in oppoſitum, ſupplicavit pro opportuna declaratione; propoſito proinde dubio = *An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.* fuit reſcriptum *Eſſe ſupplendum per Epiſcopum, etiam privatim.*

ARGUMENTUM.

Baptizatus ab hæretico, & natus à Parentibus hæreticis an ſit irregularis, adeout indigeat diſpenſatione ad effectum, ut promoveri poſſit ad Ordines.

SUMMARIUM.

1 *Recipiens Baptiſmum ab hæretico ante uſum rationis, non efficitur irregularis.*

2 *Hæreticus, hæreſi etiam abjurata remanet irregularis; ſecus filius hæretici;* Limita, ut ibi.

3 *Recipiens Ordines ab alieno Epiſcopo abſque Dimiſſorialibus proprii Ordinarii, remanet ſuſpenſus à ſuſceptorum ordinum executione.*

4 *Hæc ſuſpenſionis pœna, an, & quando ſit de medio tollenda?* Vide ibi.

5 *Ad licitam ordinationem requiruntur Teſtimoniales Ordinariorum eorum Locorum, in quibus ordinandus moram traxit.*

CASUS V.

GUllielmus Melfort, qui obtinet Archipresbyteratum in Collegiata Eccleſia Sancti Euſtachii, debet ex cauſa dicti beneficii ad Sacros Ordines aſcendere, ſed nonnullis indiget diſpenſationibus, ut ex ſequenti facti ſerie deſumitur.

Gullielmus origine Scotus Landini natus eſt anno 1686. ex Genitoribus conſpicuæ, & nobiliſſimæ Familiæ, ſed hæreſis labe infectis, qui tamen hæreſim abjurarunt, & Catholicam Religionem ſubinde amplexi ſunt, dum ipſe erat in ætate annorum duorum, & poſtquam ab Adminiſtro Eccleſiæ Anglicanæ Baptiſmum receperat.

Tempore, quo glorioſæ memoriæ Jacobus Secundus Angliæ Rex è Regno fuit expulſus, ipſe cum ſuis Genitoribus Gallias, & deinde Flandriam petiit, & in Univerſitate Duacenſi ſuorum ſtudiorum curſum explevit, & ab Epiſcopo Atrebatenſi Confirmationis Sacramentum ſuſcepit, & poſt hæc, cùm Gallias reverſus fuiſſet, fuit ab Epiſcopo Nivernienſi ad primam Tonſuram, & ad quatuor Ordines Minores promotus abſque dimiſſorialibus ſui Ordinarii; Duobus ab hinc annis Romam venit, & à Sanctiſſimo Domino Noſtro dictum Archipresbyteratum S. Euſtachii obtinuit; In hoc rerum ſtatu diſputata fuerunt in Sac. Congr. Concilii ſequentia dubia.

Primo = *An Orator ſit irregularis, ex quo Baptiſmum ab Hæretico recepit* =

Secundo = *An irregularis ſit, ex quo natus eſt à Parentibus Hæreticis*; & quatenus affirmativè.

Tertio = *An ei ſit indulgenda diſpenſatio* =

Quarto = *An remanſerit ſuſpenſus à ſuſceptorum Ordinum executione, ex quo eos recepit ſinè dimiſſoriis proprii Epiſcopi?* Et quatenus affirmativè.

Quinto = *An hæc ſuſpenſionis pœna de medio tollenda ſit per Apoſtolicam diſpenſationem, non obſtante, quod ſui Ordinarii conſenſus deficiat.*

Sexto = *An probatio de vita, & moribus, nec non Baptiſmi, & Confirmationis fieri poſſit per teſtes, deficientibus literis teſtimonialibus Ordinariorum juxta præſcripta in Bulla* Speculatores.

1 Super quibus meum aperiendo ſenſum Ad primum *negativè* reſpondendum credebam; Quia Orator recepit Baptiſmum ab Hæretico ante uſum rationis, & dum erat in ætate infantili, nimirum duorum annorum, qua ætate quis per ſuſceptionem Baptiſmi ab Hæretico non efficitur irregularis juxta *Textum in Can. Placuit, & in Can. Qui apud Donatiſtas* 1. *quæſt.* 4. *Gloſſ. in Can Qui in qualibet* 1. *qu.* 7. *verb. Baptizati, Suarez de Cenſur. diſput.* 42. *ſect.* 1. *nu.* 11.

2 Ad ſecundum pariter *negativè*: Licèt enim Hæreticus, hæreſi etiam abjurata, remaneat irregularis. *Can Presbyter de pœnit. diſt.* 5., tamen Hæretici filius non eſt irregularis, ſi Parentes Catholicam Fidem amplexi ſint, *Suarez ubi ſupra diſput.* 43. *ſect.* 3. *Albit. de Inconſtan. in fide cap.* 24. *nu.* 75. *& ſeq.* Et conſequenter ad tertium eſt ſatis proviſum.

3 Ad quartum *affirmativè*; Ita enim diſponitur à Concilio Tridentino *in cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *de reform.* à Bullis Pii II. *la* 7. Clementis VIII. *la* 40. & Urbani VIII. *la* 33. & ab hoc *Canone* in §. *Porro*, Nec Oratori ſuffragari poteſt ratio domicilii in Galliis contracti, quia non conſtat de requiſitis hujuſmodi domicilii ad formam hujus *Canonis*.

4 Ad quintum *Affirmativè*, ſtante Oratoris bona fide, & non conſtat eum ſuſcepiſſe primam Tonſuram, & Ordines Minores ab Epiſcopo Nivernienſi, abſque literis dimiſſorialibus ſui Ordinarii dolosè, & in ſpretum, quo caſu dignus videtur Apoſtolica diſpenſatione.

5 Denique ad ſextum dicebam admitti poſſe probationem Baptiſmi per teſtes, & jura-

juramentum Oratoris; in reliquis verò exquiri debere teſtimoniales Ordinariorum eorum Locorum, in quibus moram traxit; quia cùm ibi canonico aliquo impedimento irretiri potuerit, proinde neceſſariæ videntur teſtimoniales Ordinariorum, prout ab hoc *Canone* præſcribitur.

Et ita reſolutum fuit ab eadem S. Congregatione *in Romana* 21. *Maji* 1718.

ARGUMENTUM.

Neophitus promotus ab Epiſcopo ad ſacros Ordines, & proviſus de Beneficio Eccleſiaſtico Juriſpatronatus an, & quando non indigeat abſolutione cum rehabilitatione ad Ordines, nec nova proviſione Beneficiorum.

SUMMARIUM.

1 *Neophiti, an, & quando ſint irregulares.*

2 *Promotus ad Sacerdotium capax eſt conſequendi beneficia abſque ulla diſpenſatione.*

3 *Filii Hæreticorum ſunt incapaces Beneficiorum Eccleſiaſticorum; ſecus nati à Parentibus Turcis.*

4 *Promovendi ad Epiſcopatum debent eſſe nati à Parentibus Catholicis ſecus promovendi ad alia Beneficia inferiora.*

CASUS VI.

Joannes Baptiſta Simon Vivier natus à Patre, & Matre Turcis, Sacramentum Baptiſmi recepit in infantili ætate, & omnibus ſacris Ordinibus, non excluſo Presbyteratu, fuit initiatus ab Epiſcopo Melevitano, qui ſuæ originis perfectam notitiam dicitur habuiſſe. Aſſumptus etiam fuit ad officium Subſtituti Cancellariæ Curiæ Epiſcopalis, & ab Ordinario fuit proviſus de Beneficio Eccleſiaſtico juriſpatronatus Laicorum; Cumque Sedes Apoſtolica alterum eidem Beneficium contulerit; Quæſitum fuit à S. Congregatione Concilii.

Primo = *An Orator indigeat abſolutione cum rehabilitatione ad Ordines.*

Secundo = *An indigeat nova proviſione Beneficiorum* = & quatenus affirmativè.

Tertio = *An eidem indulgenda ſit abſolutio cum rehabilitatione ad Ordines, & cum nova Beneficiorum proviſione* =

Quæ omnia prout infrà reſolvenda dicebam; Ad primum nimirum *negativè*: Tum quia Orator fuit promotus ad Ordines ab Epiſcopo Melevitano cum facultate ſibi tributa eum ordinandi in quadam Epiſtola S. Officii ipſi ſcripta de an-
1 no *1696.* Tum etiam quia licèt Neophiti ſint irregulares juxta Canones à Gratiano relatos *diſt.*48. hoc tamen procedit in his, qui fuerunt baptizati in adulta ætate, & qui de recenti converſi ſunt, juxta *Suarez de cenſur. diſp.*43. *ſect.*3. *concluſ.*2. *n.*5. non verò applicatur illis, qui in infantili ætate conſtituti Baptiſmum receperunt; ſicuti nec procedit, quo ad eos, qui licèt Baptiſmum in adulta ætate receperint, poſt aliquod nihilominùs temporis intervallum, & experimentum, idonei ab Ordinario reputantur pro ſacrorum Ordinum receptione, juxta *Gibalin. de Irregul. cap.*3. *propoſit.*3. *Diana in editione coordinata tom.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 47. *Suarez ubi ſupra nu.*6. *& ſeq. Sanchez in præcept. Decal. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 11. *Bonacin. oper. moral. tom.*1. *de Irregul. quæſt.* 2. *punct.* 1. *propoſ.* 3. *num.* 5. *Corrad. in prax. diſpenſ. lib.*3. *cap.*7. *num.*2. *& ſeq. Ricciul. in tract. de Neophit. cap.* 3. *ſub nu.* 4. §. *Pugnantes.* Et optimè ponderavit R.P.D. meus Lambertinus in *Folio* impreſſo, & ab ipſo eruditè extenſo.

2 Ad ſecundum pariter *negativè*; Orator namque jam eſt promotus ad Sacerdotium, ac proinde capax eſt conſequendi beneficia abſque ulla diſpenſatione. *Ricciul. de Neophit. cap.* 4.

3 Non obſtat Textus in *cap. Quicumque* §. *Hæretici de hæret. in 6.*; nec Conſtitutio 6. Gregorii XIV. §. 9. De qua ſupra *Can. XXI.*; quia *Textus* loquitur de Filiis hæreticorum, & dicit eos eſſe incapaces Beneficiorum Eccleſiaſticorum, non verò de nato à Parentibus Turcis, & *Conſtitu-*
4 *tio* loquitur de promovendis ad Epiſcopatum, qui debent eſſe nati à Parentibus Catholicis; non verò de promovendis ad alia beneficia inferiora. Ex quibus ſequitur ad tertium eſſe ſatis proviſum.

Et ita reſolutum fuit ab eadem Sacra Con-

Congregatione in *Melevitana* 13. *Auguſti* 1718.

ARGUMENTUM.

Epiſcopus an, & quando teneatur conferre Clericatum nominato ad Beneficium Eccleſiaſticum; & an quis promoveri poſſit ad titulum Cappellaniæ, ſeu Beneficii amovibilis.

SUMMARIUM.

1 *Repoſita eſt in libertate Epiſcopi propriis ſubditis Ordines concedere, vel denegare.* Intellige ut nu. 5.

2 *Renitentia Epiſcopi in conceſſione Ordinum eſt laudabilis.*

3 *Epiſcopus ex juſta cauſa denegare poteſt Ordines etiam arctatis.*

4 *Laborans morbo epileptico eſt incapax ſe promovendi ad Sacerdotium.* Intellige ut nu. 7.

6 *Vocatus à Fundatore ad Beneficium, vel nominatus à Patrono, dicitur quodammodo arctatus primam Tonſuram ſuſcipere.*

8 *Non poteſt quis promoveri ad titulum Cappellaniæ, ſive Beneficii amovibilis.* Limita ut nu. 10.

9 *Nec ad titulum Cappellaniæ merè Laicalis.*

CASUS VII.

Quidam Fundator auctoritate Ordinarii fundavit, & erexit beneficiũ habitu Sacerdotale, cum reſervatione jurispatronatus tam activi, quàm paſſivi favore ſuæ familiæ; vacato beneficio per obitum ultimi Rectoris, Patronus nominavit ad illud Titium ejus Filium de Familia à Fundatore prædilecta, qui cùm eſſet Laicus preces porrexit Epiſcopo, ut ipſum Clericali Tonſura initiaret; Epiſcopus autem ſub prætextu, quod eſſet Filius unicus, & inhabilis ad Sacerdotium, eo, quod olim paſſus fuit deliquium, quod dubitabatur proceſſiſſe ex accidenti epileptico, denegavit eidem hujuſmodi Clericatum; quæritur proinde in hoc caſu an Epiſcopus teneatur ei conferre Clericatum?

1 Reſpondendum videtur negativè; Quoniam repoſita eſt in libero Epiſcoporum arbitrio, propriis ſubditis Ordines concedere, vel denegare, non ſolùm de jure antiquo ad *Text. in cap. Ad aures de temp. ordin.*, verùm etiam ex jure noviſſimo ſacri Concilii Tridentini *cap. 2. ſeſſ. 21. de reform.* ibi = *Niſi illi, quos Epiſcopi judicaverint aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum* = & valde laudabi-
2 le eſt in Epiſcopo, quod ipſe ſit potiùs renitens, quàm facilis in conceſſione ordinum ſanctius eſt paucos bonos, quàm multos malos habere Miniſtros, ut monuit Clemens *in Can. Tales diſt. 23.* ibi = *Tales ad miniſterium eligantur Clerici, qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare; Melius eſt enim Domini Sacerdoti paucos habere Miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant* =

Non obſtat, quod Titius utpotè vocatus ab ipſomet Fundatore ad hujuſmodi beneficium ſit arctatus; ſiquidem Epiſco-
3 pus ex juſta cauſa denegare poteſt Ordines etiam arctatis, ut probat *R.P.D. meus Petra, in comment. ad Conſtit. Apoſtolic. tom. 1. pag. mihi 326. num. 23.* In præſentiarum duplex concurrere videtur cauſa, prima eſt, quod Titius ſit Filius unicus, ex quo dubitari poteſt ipſum Clericalem militiam aſſumere velle, non ut fidelem cultum Deo præſtare poſſit, ſed ad effectum fugiendi ſæculare judicium, *Fagnan. in cap. Cùm ſit ars de ætat. & qualit. n. 14.*
4 Altera, quia dubitatur eumdem eſſe ſubjectum accidenti epileptico; & conſequenter eſt incapax ſe promovendi ad Sacerdotium, infra annum, prout dictum beneficium requirit, ad *Text. in Can. 3. diſt. 33.*

His tamen minimè attentis cenſeo in
5 hoc caſu, Epiſcopum teneri promovere Titium ad primam tonſuram; Diſtinguendum eſt enim quoad Promovendos ad Ordines, inter arctatos, & non arctatos, certum eſt Epiſcopum habere liberam facultatem concedendi, vel denegandi Ordines eis, qui non ſunt arctati juxta auctoritates ſuperiùs relatas, tenetur tamen promovere ad Ordines eos, qui ſunt arctati, vel ratione Ordinis, nimirum ex eo, quia habeat e. g. Subdiaconatum, iſte enim non tenetur ſtare in tam ſtricto ſtatu

tu ſinè aſſecutione Presbyteratus, vel ratione beneficii poſſeſſi, quod habeat annexos Ordines ſacros, vel ratione beneficii ſibi debiti ex lege fundationis, niſi adſit juſta, & legitima cauſa, quæ ipſum retrahat à conceſſione Ordinum. *Pignatell. conſult.* 19. *nu.* 4. *tom.*7. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 2. *alleg.* 4. *n.*66. *R.P.D. Petra in comment. ad Conſtit. Apoſt. tom.*1. *pag.*325. *n.*18. *Rot. deciſ.* 186. *nu.*3. *cor. Rembold.*

6 In caſu præſenti Titius eſt quodammodo ſimilitudinarie arctatus ſuſcipere primam tonſuram, dum cùm ei debeatur hujuſmodi beneficium, utpotè ad ipſum vocato à Fundatore; & nominato à Patrono, ſi ei denegaretur Clericalis tonſura, amitteret beneficium de ſuo jurepatronatus paſſivo, & admitteretur extraneus ad excluſionem ejus de ſanguine, & familia contemplata, quod fieri non debet in grave illius præjudicium, abſque juſta, & rationabili cauſa. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 72. *n.* 7. *& in Miſcell. diſc.* 25. *n.* 10. *R.P.D. Petra ubi ſupra nu.*29.

Nec pro cauſa allegari valet, quod ipſe ſit filius unicus, quaſi quod vellet Eccleſiaſticæ militiæ adſcribi in fraudem, nimirum ad evitandam ſubjectionem Judici ſæculari, quia cùm ipſe petat Clericali charactere inſigniri ob aſſequendum beneficium habitu Sacerdotale, ex hoc præſumitur, primam tonſuram ſuſcipere velle non in fraudem, ſed potius ut laudabile ſervitium in ſtatu Sacerdotali Deo præſtare poſſit. Minuſque eſt allegabilis altera cauſa, quia cum facto experimento intrà terminum unius anni, & ultra, nulla morbi epileptici ſigna dederit, non eſt proinde arcendus à ſacris Ordinibus ex eo, quia olim paſſus fuerit deliquium, ut in ſimilibus terminis reſolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Tudertina Ordinationis* 19. *Julii* 1704.

Quæro an quis promoveri poſſit ad titulum Cappellaniæ, ſive Beneficii amovibilis?

Reſpondeo negativè, quia titulus, ad quem quis promoveri cupit, debet eſſe perpetuus juxta Tridentinum *cap.* 2. *ſeſſ.* 21. *de reform.*, & docent expreſsè *Garz. de benef. p.*1. *cap.*2. *nu.*83. *Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.*2. *cap.* 2. *nu.* 1. & fuit reſolutum à Sac. Congregatione Concilii in
9 *Tiburtina Cappellaniæ* 14. *Junii* 1710.; ſicuti non poteſt quis ordinari ad titulum Cappellaniæ merè laicalis. *Antonell. ubi ſupra num.* 2. *Paſſerin. in cap. Cùm nullus*
10 *art.*3. *num.* 66. Verùm ſi Patroni ſe obligarent non removere præſentatum, dictamque Cappellaniam perpetuare ejus vita durante prævio Beneplacito Apoſtolico, poſſet quis ad titulum illius ordinari, obtento priùs dicto Beneplacito, quod ſolet concedi, prout conceſſum fuit ab eadem Sac. Congregatione in *Civitatis Caſtelli* 18. *Martii* 1719., ubi cùm quidam Clericus promoveri cupiens ad ſacros Ordines nominari obtinuerit à Patronis ad Cappellaniam amovibilem, ſub eorum obligatione illum non amovendi, dictamque Cappellaniam perpetuandi, ejus vita durante, prævio Beneplacito Apoſtolico; fuit pro eo ſupplicatum, & conſecutivè reſcriptum = *Pro gratia attento conſenſu Patronorum, ita tamen ut ſi Orator aliunde provideatur ſufficienter, Cappellania reaſſumat naturam amovibilitatis* =

ARGUMENTUM.

An Regularibus cunctis indiſtinctè faveat Privilegium aliquod, ut promoveri poſſint ad Sacros Ordines *extra Tempora* à jure ſtatuta, diebus Feſtivis.

SUMMARIUM.

1 *Sacri Ordines conferendi ſunt in ſex Sabbathis anni* & num. 3. *Et quare* vide num. 4.

2 *Ordinatus extra Tempora abſque diſpenſatione, eſt ab executione Ordinum ipſo jure ſuſpenſus.*

5 *Nullus ſive Sæcularis, ſive Regularis ordinari poteſt extra Tempora, niſi habeat Privilegium Apoſtolicum.*

6 *Privilegia, quæ in contrarium afferuntur, vel non loquuntur de facultate promovendi extra Tempora, vel ſunt abrogata, vel ſunt inſufficientia indiſtinctè pro cunctis Regularibus; Et quæ ſint hujuſmodi Privilegia?* vide nu. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 22. & 23.

15 *Concilium Tridentinum, ut dicatur revocare Privilegia merè gratuita, & non con-*

conceſſa titulo oneroſo ſufficit, quod ſtatuat aliquid, cui illa repugnent; Et quare: vide num. 16.

17 *Concilium Tridentinum derogavit Privilegiis Regularis ante ipſum conceſſum promovendi extra Tempora.*

18 *Conſtitutio Pii V. la 41. fuit revocata, & reducta ad terminos Juris communis; & S. Concilii Tridentini à Gregorio XIII.*

19 *Privilegium Pii IV. non fuit confirmatum poſt Concilium à Succeſſoribus Pontificibus, quo ad facultatem promovendi extra Tempora.*

20 *Confirmatio reſtringitur ad limites confirmati.*

21 *Papa nunquam cenſetur reſtituere velle Privilegium abrogatum, niſi id exprimat.*

24 *Non valet conſuetudo, quod extra ſtatuta Tempora ſacri Ordines conferantur.*

CASUS VIII.

DUm ſtudebam apud R. P. D. Anſidæum tunc Sacræ Congregationis Concilii Secretarium; quidam Religioſus ſtrictioris obſervantiæ Reformatæ Provinciæ Calabriæ in quadam Scriptura, ſub hoc titulo = *Diſſertatio totius juris pro ordinatione extra Tempora* = impreſſa, quæ præ manibus circumferebatur; decidendum propoſuit ſolitum, ac aliàs in Sacra Congregatione propoſitum dubium = *An Regularibus cunctis indiſtinctè faveat privilegium aliquod, ut promoveri poſſint ad ſacros Ordines extra Tempora à jure ſtatuta, diebus feſtivis* = Quod affirmativè reſolvendum contendebat; Ego verò, eadem diſſertatione perlecta; veritatis amore ductus, ſequentia ſcripſi; & præfato dubio negativè reſpondendum cenſebam, non obſtantibus in contrarium in ea deductis.

1 Diſponitur enim à SS. Canonibus, quod in ſex Sabbathis anni, & non aliis diebus ſacri conferantur Ordines; nimirum in Sabbathis quatuor Temporum, quæ ſunt poſt tertiam Dominicam Adventus, poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, poſt Dominicam Pentecoſtes, poſt Feſtum Exaltationis S. Crucis, & in Sabbathis Paſſionis, & Reſurrectionis, juxta Text. in *cap. Ordinationes diſt.* 75. ibi = *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum, niſi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, ideſt quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed & etiam quadrageſimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, & Sabbathi jejunio, circa veſperam noverint celebrandas* = & in *cap. De eo de tempor. Ordin.* ibi = *De eo &c. Sed ad Subdiaconatum niſi in quatuor temporibus, aut Sabbatho Sancto, vel in Sabbatho ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum præterquam Romano Pontifici licet aliquos Ordinare* = ibique *Abb. Anan. Butr. num.* 1. *Bellemer*, *Fagnan. nu.* 1. *Barboſ. nu.* 7.

2 Quorum Canonum obſervantia adeò intenta, & volita fuit à Pio II., ut contravenientibus impoſuerit pœnam ſuſpenſionis ipſo jure incurrendam; ſtatuendo; quod ſi quis extra hæc Tempora abſque legitima diſpenſatione ſe ad ſacros Ordines promoveri facit, ſit ab eorumdem Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſus; ut in ejus *Conſtit. la VII. incipien. Cùm ex ſacrorum Ordinum* §. 2. de qua *Bullar. Roman. tom.* 1. *pag. mihi* 385.

3 Idem ſtatuitur à S. Concilio Tridentino *cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *de Reformat.* ubi Concilium mandat ordinationes ſacrorum Ordinum fieri ſtatutis à jure temporibus ibi = *Ordinationes ſacrorum Ordinum ſtatutis à jure temporibus, ac in Eccleſia Cathedrali &c. publicè celebrentur* =

4 Et quidem non abſque maxima ratione ſacri Canones determinarunt ordinationem ſacrorum Ordinum fieri his diebus; quia cùm iſti dies ſint dies jejuniorum, quibus Chriſtifideles, piis, & ſanctis precationibus ſunt intenti; ac ſint dies Sabbathi; quo Deus requievit ab opere, ad tanti Miniſterii poteſtatem pro utilitate Eccleſiæ aptiores aſſumerentur; & Ordinandi ad ſacros Ordines intelligerent ſe à ſæculi laboribus, ad requiem Domini tranſire. *Fagnan. in dicto cap. de eo de temp. Ordin. n.* 38. *Rebuff. in prax. beneſ. tit. de Cler. malè promot. gloſſ.* 1. *nu.* 8. *& 9. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 1. *alleg.* 17. *num.* 1. *& ſeq. & de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 33. *nu.* 172.

5 Stante igitur hujuſmodi ſacrorum Canonum, & Concilii Tridentini diſpoſitione, nullus ſive Sæcularis, ſive Regularis prætendere poteſt ſe promoveri facere, extra hæc tempora ſtatuta, ad ſacros Ordines, niſi ſit ſufficienti Privilegio Summi

Summi Pontificis ſuffultus; cujus tantummodò eſt proprium diſpenſare, ut extra ſtatuta tempora ſacri Ordines conferantur ad *Text. in cap. primo*, *& in cap. de eo de tempor. Ordin. Barboſ. de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 33. §. 2. *nu.* 178.

6 Conſarcinabantur, & afferebantur in contraria diſſertatione §. *Conſtat* quamplurima Privilegia Summorum Pontificum, quibus prætenditur Regulares cunctos indiſtinctè promoveri poſſe ad ſacros Ordines extra tempora à Jure ſtatuta diebus feſtivis; At eis perlectis, & attentè ſcrutatis inveniuntur ipſa, vel non loqui de facultate promovendi extra tempora; vel eſſe abrogata; vel denique eſſe inſufficientia indiſtinctè pro cunctis Regularibus.

7 Siquidem Honorius III. anno 1216 in ejus Conſtitutione la 235., de qua *Bullar. Caſſinen. tom.* 2. *pag. mihi* 245. *in* §. 10. non concedit Regularibus facultatem, ut ordinari valeant extra tempora, ſed ſolùm elargitur Patribus Caſſinenſibus Privilegium recipiendi Ordines à quocumque Epiſcopo ſibi beneviſo, ut patet ex *dicto* §. 10. ibi = *Chriſma verò*, *Oleum ſanctum*, *conſecrationes Altarium*, *ſeu Baſilicarum*, *Ordinationes Monachorum*, *ſeu Clericorum à quocumque malueritis Catholico accipiatis Epiſcopo* = Nec in alia ejuſdem Pontificis conſtitutione la 236. §. 3. *eod. Bullar. Caſſinen. tom.* 2. *anno* 1217. conceditur Abbati Monaſterii Sublacen. D. Benedicti, ejuſque Monachis Privilegium, ut promoveri poſſint extra Tempora; ſed ſolùm idem Privilegium ſe promoveri faciendi à quocumque Epiſcopo Catholico; ut ex *dicto* §. 3. ibi = *Ad hæc propter frequentes injurias*, *quæ ab Epiſcopis*, *vel Epiſcoporum Monaſteriis ingeruntur*, *datam veſtro Cœnobio à noſtris Prædeceſſoribus facultatem*, *vobis quoque ratam manere decernimus*, *ut ad Eccleſias*, *cum expedierit*, *dedicandas*, *aut Clericos in Monaſterio Ordinandos à nobis Epiſcopum poſtuletis*; *Quod ſi ad nos pervenire in tempore nequieritis*, *quem malueritis Catholicum Epiſcopum adeatis* =

Innocentius III. anno 1203. in ejus Conſtitutione 22. de qua *Bullar. Caſſinen. tom.* 1. *pag. mihi* 25. non concedit Abbati, & Monachis S. Pauli Urbis Privilegium, ut promoveri queant extra tempora, ſed ſolùm Privilegium, ut ſe promoveri faciant à quocumque Antiſtite, ut *in* §. 8. ibi = *Conſecrationes autem Altarium*, *& ordinationes Monachorum*, *qui ad ſacros Ordines fuerint promovendi à quocumque malueriat Abbas*, *& Monachi ejuſdem Cœnobii Catholico dumtaxat Epiſcopo Apoſtolica freti authoritate ſuſcipiant.*

9 Gregorius IX. anno 1236. in ejus *Conſtitut.* 30. *de qua Bullar. Caſſinen. tom.* 1. *pag. mihi* 35. *in* §. 8. idem Privilegium Innocentii III. ſe promoveri faciendi à quocumque Epiſcopo Catholico favore Abbatis, & Monachorum S. Pauli Urbis confirmat, non verò concedit eis facultatem, ut ſe promoveri poſſint extra tempora ibi = *Conſecrationes autem Altarium*, *& Ordinationes Monachorum*, *qui ad ſacros Ordines fuerint promovendi à quocumque malueriat Abbas*, *& Monachi ejuſdem Cœnobii Catholico dumtaxat Epiſcopo*, *Apoſtolica freti Auctoritate ſuſcipiant* =

10 Dicitur in contraria diſſertatione eodem §. *conſtat* facultatem promovendi ad ſacros Ordines extra tempora, quæ prætenditur conceſſa Patribus Benedictinis, per Honorium III., Innocentium III., & Gregorium IX. ubi ſupra fuiſſe confirmatam, communicatam, & ampliatam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine à Clemente VIII. anno 1601. in ejus. *Conſtitut.* 378., quæ incipit *In ſupremo*, de qua *Bullar. Caſſinen. tom.* 1. *pag. mihi* 416. Sed quàm ſit hoc à veritate alienum, ſufficit perlegere hanc conſtitutionem, & clarè ex ea videbitur Clementem VIII. ibi non confirmaſſe, nec communicaſſe, nec ampliaſſe Privilegium Ordinationis extra tempora; ſed ſolùm communicaſſe Privilegia Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium Ordini S. Hieronymi ſub Regula S. Auguſtini Regnorum Hiſpaniarum cum clauſula, Qua tenus ſint in uſu, & Decretis S. Concilii Tridentini non adverſentur ibi = *Omnia*, *& ſingula Privilegia &c. eidem Ordini S. Hieronymi*, *ac omnibus*, *& ſingulis ejus Monaſteriis &c. motu proprio*, *& ex certa ſcientia*, *ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine &c. etiam per modum communicationis*, *ſeu extenſionis inter ſe*, *ac cum aliis Ordinibus Mendicantibus*, *& non Mendicantibus &c. quatenus ſint in uſu*, *& Decretis S. Concilii Tri-*

Tridentini non adverſentur Auctoritate Apoſtolica &c. approbamus, & confirmamus ≍ Et infrà ibi ≍ *Et ulterius omnia, & ſingula alia, quibuſvis aliis tam Virorum, quàm Mulierum Ordinibus &c. in quibuſcumque Mundi partibus conſiſtentibus &c. in genere, vel in ſpecie conceſſa, approbata, & confirmata Privilegia &c. ſimiliter quatenùs ſint in uſu, ac Decretis ejuſdem Concilii, & Regularibus inſtitutis ipſius Ordinis S. Hieronymi contraria non exiſtant &c. ad prædictum Ordinem S. Hieronymi &c. extendimus, & ampliamus, illaque eis communicamus* ≍ Ac proinde potius ex hac Conſtitutione Clementis VIII. deſumitur; quod Privilegium promovendi ad ſacros Ordines extra tempora; quatenus fuiſſet conceſſum Ordini Benedictino per ſupradictos tres Pontifices ubi ſupra, cùm adverſetur Decreto S. Concilii Tridentini dicta *ſeſſ.* 23. *cap.* 8., non ſit ab eodem Pontifice confirmatum, nec cõmunicatum.

11 Pius II. in *ann.* 1462. ejus *Conſtit. IX.* incipien. *Licèt ex debito*, de qua *Bullar. Rom. tom.* 1. *pag. mihi* 391. non cõcedit Regularibus S. Benedicti Monaſterii Montis Oliveti Aretinæ Diœceſis Privilegiũ, ut ſe promoveri poſſint extra tempora, ſed ſolùm, ut ſe promoveri valeant à quocumque Antiſtite Catholico, ut *in* §. 9. ibi ≐ *Nec non quoties opus fuerit à quocumque Catholico Antiſtite Monachos, & Novitios dicti Ordinis ad hoc idoneos abſque alio examine &c. ad omnes ſacros Ordines promoveri facere, & conferendorum Ordinum hujuſmodi, aut Altarium conſecrandorum cauſa ipſos Antiſtites ad ſe in eorum Monaſteriis advocare* ≍

12 Aſſeritur etiam in eadem diſſertatione *dicto* §. *Conſtat* Quod Facultas, ſeu Privilegium, ut Regulares promoveri poſſint ad ſacros Ordines extra tempora ſit extenſum, & communicatum per Conſtitutionem Sixti IV. incipien. *Regimini* la 4. omnibus Regularibus. Sed quàm ſit hoc erroneum, & falſum advertere ſupplicamus Conſtitutionem IV. hujus Pontificis non incipere *Regimini*, ſed incipere *Sancta Minorum Religio* nec ibi agi de communicatione ſimilis Privilegii, ſed ſolùm ibi contineri approbationem, & explicationem Conſtitutionis Gregorii XI. de Auctoritate Cardinalis pro tempore Protectoris Fratrum Minorum Ordinis Sancti Franciſci, ut videre eſt in *Bullar. Rom. pag. mihi* 405.; Conſtitutionem autem hujus Pontificis, quæ incipit *Regimini* eſſe la 6., & la 7. At in neutra ex illis ſit communicatio ſimilis Privilegii promovendi extra tempora omnibus Regularibus; ſed ſolùm ibi de anno 1474. fit communicatio Privilegiorum inter Ordines S. Dominici, & S. Franciſci, ut legi poteſt *in* §. 16. *Conſtitutionis VI. & in* §. 14. *Conſtitutionis VII.*

Patet igitur Privilegia horum Pontificum non loqui de facultate promovendi ad ſacros Ordines extra tempora; nec hanc Regularibus concedere; ſed ſolùm concedere facultatem, ut promoveri poſſint à quocumque Catholico Antiſtite, quæ eſt omnino diverſa à facultate promovendi extra tempora; ac proinde vigore horum Privilegiorum non poſſunt Regulares indiſtinctè promoveri ad ſacros Ordines extra tempora.

Afferuntur in præfata diſſertatione *dicto* §. *Conſtat* alia Privilegia, quæ reverà concedunt nonnullis Regularibus facul-

13 tatem ſe promoveri faciendi extra tempora, & quorum vigore prætenditur ab Auctore præfatæ diſſertationis poſſe Regulares cunctos, etiam nunc indiſtinctè promoveri ad ſacros Ordines extra tempora. Affertur nempe illud Pauli III., qui de anno 1534. in ejus *Conſtit. I. incipien. Rationi congruit*, de qua *Bullar. Roman. tom.* 1. *pag. mihi* 695. *in* §. 3. conceſſit Patribus Camaldulenſibus facultatem, ut promoveri poſſint ad ſacros Ordines extra tempora; Quod Privilegium Pauli III. fuit *anno* 1528. communicatum Ordini Cappucinorum à Clemente VII. in ejus *Conſtit. la* 21. *incipien Religionis zelus*, de qua *Bullar. Roman. tom.* 1. *pag. mihi* 672. Et illud Pii IV. anno 1560. in ejus *Conſtit.* 9. *incipien. Circumſpecta*, de qua *Bullar. Roman. tom.* 2. *pag. mihi* 9. ab eo conceſſum Militibus Conventus, & Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, ut promoveri poſſint à quocumque Antiſtite, & extra tempora. Quibus addi poſſunt alia duo Privilegia, quæ non nominantur in dicta diſſertatione, nimirum illud Adriani VI. favore Ordinis S. Hieronymi, & illud Eugenii IV. favore Ordinis Benedictini, per quæ conceditur hujuſmodi Religioſis ſimilis facultas, ut promoveri valeant extra tempora, ut habetur

tur in Compend. *Privileg. verb. Mendic. Ordines* §.9. *&* §.11. & referuntur *à Chaſſaing. Privilegia Regularium par.*2. *tract.*7. *cap.*2. *propoſ. III.*

14 Sed vigore horum Privilegiorum Regulares hodie nullatenus promoveri poſſunt ad ſacros Ordines extra tempora; Quoniam fuerunt illa ſublata, & revocata per Concilium Tridentinum dicto *cap.*8. *ſeſſ.* 23. ut teſtantur *Lezana in Sum. quæſt. Regul. cap.*14. *tom.* 1. *nu.* 19. ibi = *Regulares non poſſunt modo poſt Concilium Tridentinum extra tempora ordinari; Ratio eſt, quia licèt de hoc fuerint varia Privilegia Religionibus conceſſa &c. Concilium tamen Tridentinum ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *id prohibet fieri* = Et *tom.* 2. *verb. Ordines ſacri num.* 19. ibi = *Quod Regulares modo poſt Concilium Tridentinum ordinari non poſſint extra tempora* = *Ventrigl. in prax. tom.* 1. *annot.* 44. §. *Unic. num.*12. *pag. mihi* 278. ibi = *In quibus terminis adverte quod poſſunt conferri hodie ſacri Ordines vigore prædictorum Privilegiorum extra tempora, ſi Privilegia ſint conceſſa, vel confirmata poſt Concilium Tridentinum, ſecus ſi ante Concilium, quia illa cenſentur derogata* = *Gonzal. in cap. De eo de tempor. Ordin. n.*7. *prope fin.* ibi = *Sed hodie poſt Concilium Tridentinum ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 8. *ſublata eſſe prædictá Privilegia &c. Barboſ. de jur. Eccleſ. par.* 1. *cap.* 33. §. 2. *nu.* 182. ibi = *Virtute tamen aliorum Privilegiorum à Summis Pontificibus ante Concil. Tridentin. conceſſorum non poſſunt Regulares tunc ab Epiſcopis ordinari Ordinibus ſacris extra tempora* = *Matthæuc. offic. cur. Eccleſ. cap.* 35. §. *unic. num.* 4. §. *Aliis pluribus R. P. D. Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolic. Urbani II. ſect.* 2. *tom.* 1. *nu.* 69. *pag.*344.

Nec juvat reſpondere hujuſmodi Privilegia non eſſe per Concilium Tridentinum *dicto cap.* 8. ſublata; eo quia de illis ibi non facit expreſſam mentionem, ſicut ſolet facere, quando Concilium vult Regularium Privilegiis derogare, ut pluribus exemplis à §. *Verum* uſque *ad* §. *In ſpecie* conatur oſtendere Auctor præfatæ diſſertationis.

5 Quoniam ut dicatur Concilium Tridentinum revocare Privilegia merè gratuita, & non conceſſa titulo oneroſo, non requiritur, quod expreſsè de illis faciat mentionem, ſed ſufficit, quod ſtatuat aliquid, cui illa repugnent; ut patet in *cap.*11. *ſeſſ.*7 *de Reform.* ubi Concilium licet non deroget expreſsè, & in ſpecie Privilegiis, quæ antiquitùs habebant Regulares ſe promoveri faciendi à quocumque Epiſcopo etiam in ſuis domibus ſinè licentia Diœceſanorum, ut patet ex Privilegiis ſuperiùs enumeratis, tamen illa dicuntur revocata per Concilium, & Regulares non poſſunt amplius illis uti. *Lezana in Summ. cap.*14. *nu.*11. *tom.*1. *Tamburin. de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 2. *qu.*19. *R.P.D. Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolic. tom.*1. *pag. mihi* 644. *& in Comment. ad Conſtit. Eugen. IV. nu.* 3. *& ſeq. tom.* 4. *pag.* 514. *Van Eſpen. Un. Jur. Eccleſ. p.* 2. *tit.*9. *cap.*2.

16 Ratio eſt, quia dictum Conciliare decretum editum fuit per viam legis, unde opus non fuit derogare in ſpecie Conſtitutionibus, & Privilegiis antecedentibus, ſed ad hoc, ut revocata dicantur, ſufficit, quod ſint contraria eidem decreto, ut docent *Card. Albit. diſcept.*2. *qu.*9. *n.*2. penès *Card. de Luc. de juridict.* ibi = *De mente autem Pontificis conſtare dicitur quando edit Conſtitutionem poſteriorem per viam legis, nam tunc non eſt opus derogare in ſpecie Conſtitutionibus, & Privilegiis antecedentibus* = *Gonzal. ſuper Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 36. *num.* 32. *Matthæuc. offic. cur. Eccleſ cap.* 35. *num.* 6. §. *Dixit*.

17 Imò reverà Concilium Tridentinum expreſsè illis derogavit; in *cap.* enim 22. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* mandat omnia, & ſingula in ſuperioribus decretis contenta obſervari in omnibus Monaſteriis cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium *non obſtantibus eorum omnium, & ſingulorum Privilegiis*; per quam clauſulam fuiſſe derogatum expreſsè dictis Privilegiis à Concilio tradit idem *Matthæuc. ubi ſupra*, *Barboſ. de Clauſulis, clauſul.* 83. *num.* 1., *Menoch. de Preſumpt. præſumpt.* 40. *num.* 22. *lib.* 6.

Sed ſumus extra difficultatem, dum etiam admiſſo, quod non fuerit expreſsè derogatum eiſdem Privilegiis per Concilium Tridentinum, fuit tamen expreſsè eis derogatum per ipſummet Pontificem Pium IV. *ann.* 1564. *ia ejus Conſtit. la* 94. *incipien. In Principis Apoſtolorum*, de qua *Bullar. Roman. tom.* 2. §. 1. *pag. mihi* 135. ubi

ubi expreſsè revocat, & annullat omnia Privilegia contraria decretis Concilii Tridentini, & ad terminos hujus illa reducit.

Non obſtat, quod inſinuatur in dicta diſſertatione §. *Neque opus fuit*, nimirum Pium V. in ejus Conſtitutione *la* 41. *incipien. Etſi Mendicantium* declaraſſe decretum S. Concilii Tridentini in *dicto cap.*8.
18 non habere locum in Regularibus, quoniam hujuſmodi Conſtitutio non ſolùm fuit revocata, & reducta ad terminos Juris communis, & Sacri Concilii Tridentini; ſed etiam declaratio ibi facta, fuit ablata, & abrogata per Gregorium XIII. in ejus Conſtitutione *la 9. incipien. In tanta Bullar. Rom. tom. 2. pag.* 370. §. 6. ibi = *Quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia alia decreta, nec non prohibitiones, declarationes &c.* = Ac etiam per Sixtum V. in ejus Conſtitutione incipien. *Sanctum, & ſalutare la* 91. *Bullar. Rom. tom.* 2. §. 2. ubi ſtrictè præcepit obſervari in hac materia Ordinationis S. Concilium Tridentinum: & docent *Vaſquez diſp.*246. *cap.* 4. *num.* 44. *in* 3. *Partem Divi Thomæ tom.* 3. *R. P. D. Petra in Comment. ad Conſtit. Urbani II. ſect.* 2. *num.* 7. *pag.* 336.

19 Minuſque adverſatur id, quod dicitur in ſæpedicto §. *Conſtat* videlicet Privilegium Pii IV. poſt ipſum Concilium fuiſſe confirmatum, eo quia fuit ejuſdem Pii IV. Conſtitutio confirmata à Gregorio XIII. in ejus Conſtit. la 60. incipien. *Quo magis*; à Gregorio XIV. in ejus Conſtit. V. incipien. *Quanta* apud Bullar. Roman. tom. 2. ab Urbano VIII. in ejus Conſtit la 16. incipien. Univerſalis Eccleſiæ. Bullar. Rom. tom. 4. Etenim præfati Pontifices confirmarunt Conſtitutionem Pii IV. favore Militum Ordinis Hieroſolymitani, quo ad exemptionem eorumdem Militum à ſolutione decimarum, ac declararunt facultatem uniendi, & diſmembrandi beneficia conceſſam M. Magiſtro, & Conventui à Pio IV. procedere ſive ante, ſive poſt mortem Poſſeſſorum, ut legi poteſt in illa Gregorii XIII. §. 7., & 10.; in illa Gregorii XIV. §. 4., & 5.; in illa Urbani VIII. §. 3. Non verò confirmarunt dictam Conſtitutionem Pii IV. quo ad privilegium promovendi ad ſacros Ordines extra tempora.

20 Et ratio eſt evidens, quia confirmatio reſtringitur ad limites confirmati, & illius naturæ eſt non aliquid de novo tribuere, ſed quod jam tributum eſt roborare, & præſervare, ſi adſit, & ultra contenta in actu confirmato non ſe porrigere; ut expreſsè docent *Bonden. Collect. legal. tom.* 1. *collect.* 26. *num.* 80. *& ſeqq. Matthæuc. offic. cur. cap.* 35. *nu.* 8. *Capic. Latr. conſult.* 82. *num.* 38. *tom.*2. Cùm autem Conſtitutio Pii IV de tempore, quo à præfatis Pontificibus fuit confirmata, non continebat Privilegium Ordinationis extra tempora, dum hoc jam fuit antecedenter revocatum, & ſublatum, tum per Concilium Tridentinum, tum per ipſummet Pium IV., ut ſuperiùs dictum fuit §. 7. *Sed vigore*; ſequitur per neceſſe, quod illud non fuerit confirmatum à prædictis Pontificibus; aliàs confirmatio fuiſſet facta ſinè confirmabili, quod non eſt admittendum, cùm confirmari non poſſit, quod non eſt; *Bonden. ubi ſupra num.* 82. *Altograd. conſ.* 79. *nu.* 20. *lib.* 1. *Rot. dec.* 87. *poſt Tondut. de Penſion. n.* 18. Aut non fuiſſet ſimplex confirmatio, ſed nova conceſſio Privilegii Ordinationis extra tempora, favore Ordinis Hieroſo-
21 limitani; quod non eſt dicendum, dum Papa nunquam cenſetur reſtituere velle Privilegium abrogatum, niſi id exprimat. *Nicol reſol. Canonic. lib.* 1. *tit.* 11. *num.*14. §. *Quidem*.

22 Alia vero Privilegia, quæ adducuntur in eadem diſſertatione §. *Et quamvis*, & §. *Neque opus fuit* poſt Concilium Tridentinum aliquibus Regularibus conceſſa nimirum illud Gregorii XIII. favore Patrum Societatis Jeſu, de quo in ejus *Conſtit.* 77. *incipien. Pium Bullar. tom.*2. Et illud Urbani VIII. favore Patrum Min. de Obſervantia in partibus Indiarum Occidentalium exiſtentium, ut in ejus *Conſtit. incipien. Cùm ſicut la* 46. *Bullar. tom.* 4. ſuffragari non poſſunt indiſtinctè aliis Regularibus. Quoniam Gregorius XIII. concedendo eiſdem Patribus dictæ Societatis Privilegium ſe promoveri faciendi extra tempora, expreſsè prohibuit fieri communicationem hujuſmodi Privilegii cum aliis Regularibus, ut *in* §. 4. ejus Conſtitutionis ibi = *Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua Privilegia cum ipſa Societate copioſè participant, participareque poterunt,*

runt, quomodolibet in futurum fieri omni-
23 *nò prohibemus* = Urbanus autem VIII. conceſſit ſimile Privilegium Ordinationis extra tempora dictis Patribus Minorum in partibus Indiarum tantùm exiſtentibus, ut in ejus Conſtitutione ibi = *Nobis humiliter porrectis inclinati omnibus, & ſingulis ejuſdem Ordinis S. Franciſci in partibus Indiarum Occidentalium tantùm exiſtentibus* = Unde ſolùm Mendicantes in Indiis habitantes illo uti poſſunt; juxta *Vaſquez in 3. Partem Divi Thomæ tom. 3. diſp. 246. cap. 5. num. 50. in fin. Lezzana in Summa Regul. cap. 14. num. 19. tom. 1. & in verb. Ordines ſacri num. 19. tom. 2. Monacell. tit. 6. formul. 20. par. 1. fol. 170. num. 36.* ibi = *Item quod licèt nonnulli Regulares poſſint ex Privilegio Apoſtolico promoveri ad Ordines diebus feſtivis per annum extra tempora à jure ſtatuta, ut ex largitione Gregorii XIII. Conſtit. 77. gaudent PP. Societatis Jeſu; Non indè inferri, & deduci poteſt, quod cæteri aliorum Ordinum, qui cum illis participant de Privilegiis, poſſint vigore hujuſmodi communicationis recipere Ordines extra tempora. Sed debent ſimile Indultum conceſſum, vel confirmatum poſt Concilium Tridentinum exhibere* = Privilegium autem Clementis VIII. quod, ut aſſerit Portellus oculis propriis vidiſſe conceſſum Fratribus Sancti Joannis Euangeliſtæ Portugalliæ, non eſt attendendum; quia ut teſtatur *Lezzana in Summa Regul. verb. Ordines ſacri num. 19.* hujuſmodi Privilegia ultramontana habenda eſſe ſuſpecta.

Denique gratìs aſſeritur, in §. *Neque opponatur*, quod plures Epiſcopi doctiſſimi, & pii, ac etiam Cardinales cum Religioſis Minorum de Obſervantia, & cum aliis Regularibus nullam difficultatem habuerint practicandi Privilegium Ordinationis extra tempora; cùm de hac conſuetudine, & uſu nullum præbeatur legitimum documentum; Sed etiam ſi admitteretur adeſſe hujuſmodi uſus, & conſuetudo, hæc eſſet cum errore juris; & nul-
24 lius eſſet roboris, cùm non valeat conſuetudo, quod extra ſtatuta tempora ſacri Ordines conferuntur *ad Text. in cap. 2. de tempor. Ordin. Barboſ. de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 33. §. 2. num. 177.*

Cùm igitur ex hactenus deductis evidenter appareat omnia, & ſingula Privilegia collecta in contraria diſſertatione, aut non loqui de facultate, ut Regulares promoveri poſſint ad ſacros Ordines extra tempora; aut eſſe abrogata; aut non eſſe ſufficientia indiſtinctè pro omnibus Regularibus; venit per neceſſe dicendum Regularibus cunctis indiſtinctè non favere Privilegium aliquod, ut promoveri poſſint ad ſacros Ordines extra tempora à jure ſtatuta diebus feſtivis.

C A N O N XXIII.

CLEMENS XI. Regul. IX. Cancellariæ.

ITem cupiens idem Dominus Noſter Papa pauperibus Clericis, & aliis benemeritis perſonis providere, omnia beneficia Eccleſiaſtica cum Cura, & ſinè Cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque exiſtentia in ſingulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Auguſti, Octobris, & Novembris menſibus, uſque ad ſuæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, aliàs quàm per reſignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, & quamvis aliam diſpoſitionem quorumcumque Collatorum, & Collatricum, Sæcu- Ann. 1700.

larium,

larium, & quorumvis Ordinum Regularium (non tamen Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, aut aliorum ſub concordatis, inter Sedem Apoſtolicam, & quoſcumque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & obſervare debuerant, acceptatis, & obſervatis, quæ lædere non intendit, comprehenſorum) quomodolibet pertinentia diſpoſitioni ſuæ generaliter reſervavit: Volens in ſupplicationibus, ſeu conceſſionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio fient de menſe, in quo vacaverint, diſpoſitivè mentionem fieri, alioquin gratias nullas eſſe: Ac conſuetudines etiam immemorabiles, optandi majores, & pinguiores Præbendas, necnon Privilegia, etiam in limine erectionis conceſſa, & Indulta Apoſtolica, circa ea, ac etiam diſponendi de hujuſmodi Beneficiis, aut quòd illa ſub hujuſmodi reſervationibus, nunquam comprehendantur, etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, quibuſvis Perſonis, & Collegiis cujuſcumque dignitatis ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentibus, quomodolibet conceſſa, adversùs reſervationem hujuſmodi minimè ſuffragari. Inſuper Sanctitas Sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis intenta, (ipſis quamdiu apud Eccleſias, aut Diœceſes ſuas verè, ac perſonaliter reſederint) dumtaxat de omnibus, & quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis cum Cura, & ſinè Cura, Sæcularibus, & Regularibus, (ad liberam ipſorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis diſpoſitionem, ſeu præſentationem, vel electionem, nec etiam cum conſilio, vel conſenſu, ſeu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut aliàs pertinentibus,) quæ in antea, in menſibus Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris, & Decembris extra Curiam ipſam vacare contigerit (Dummodò aliàs diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata, vel affecta non fuerint) liberè diſponendi facultatem conceſſit. Ac etiam

voluit,

voluit, ut ſi ipſi, in collatione, aut alia diſpoſitione Beneficiorum, in aliis ſex menſibus, videlicet, Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris vacaturorum (quæ etiam diſpoſitioni ſuæ, ut præfertur reſervavit) ſeu etiam aliorum, diſpoſitioni ſuæ, & dictæ Sedis, aliàs quomodolibet reſervatorum, vel affectorum, ſeſe intromiſerint, aut quo minùs proviſiones, & gratiæ Sanctitatis Suæ de illis, debitum effectum conſequantur, impedimentum quoquo modo præſtiterint, uſu, & Beneficio prædictæ facultatis, eo ipſo privati exiſtant, ac collationes, & aliæ diſpoſitiones de Beneficiis, illius prætextu, deinceps faciendæ, nullius eſſent roboris, vel momenti. Illi verò qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujuſmodi per patentes literas manu propria ſubſignatas, ſuoque ſigillo munitas, & in ſua quiſque Civitate, vel Diœceſi datas, declarare, & literas ipſas huc ad Datarium Sanctitatis Suæ tranſmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, ac in libro ad id deputato regiſtratis, tunc demum, & non antea uti incipiant gratia ſupradicta. Inſuper declaravit, quòd ſi idem Epiſcopus pluribus Eccleſiis quomodocumque unitis ex Apoſtolica conceſſione, & diſpenſatione, quomodocumque præſit, teneatur hujuſmodi alternativæ gratiam, quatenus ea potiri velit, utriuſque Eccleſiæ nomine explicitè acceptare, aliàs ipſi non ſuffragetur, & poſt factam acceptationem, & admiſſionem in Dataria neutri parti liceat, niſi concordi conſenſu ab ea recedere; Declarans præterea exceptionem poſitam in Regula favore S. R. E. Cardinalium, & Indultum conferendi Beneficia reſervata conceſſum Cardinali Epiſcopo, non ſuffragari Capitulo ratione communionis, & conſortii juxta declarationem fel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædeceſſoris ſui editam die 10. Septembris anno 1626. quam Sanctitas Sua in omnibus, & per omnia approbat, decernens ſic in præmiſſis omnibus per quoſcumque &c. judicari debere, ac irritum &c.

COM-

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = Beneficia Juriſpatronatus Eccleſiaſtici vacantia in octo menſibus Apoſtolicis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Auguſti, Octobris, et Novembris ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata; vacantia vero in quatuor menſibus Ordinariis Martii, Junii, Septembris, et Decembris ſpectant ad proviſionem, et inſtitutionem Ordinariorum =

Secunda = In Beneficiis Juriſpatronatus non habet locum alternativa menſium conceſſa Epiſcopis reſidentibus, et eam acceptantibus = Quas concluſiones probant etiam *Gonzal. hìc gloſſ. 18. num. 1. & ſeqq., & gloſſ. 41. num. 10., & gloſſ. 45. num. 1., & gloſſ. 51. Garz. de benef. par. 1. cap. 5. num. 472. Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 36. num. 1. & ſeqq. & quæſt. 39. num. 9. Vivian. de jurepat. lib 14. cap. 1. num. 57. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 2. §. 2. num. 65. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par. 3. alleg. 57. num. 183. & 257. Card. de Luc. de benef diſc. 6. num. 11. & diſc. 17. num. 4. & diſc. 93. num. 4. & de jurepatr. diſc. 7. num. 7. & diſc. 59. num. 19. & diſc. 65. nu. 18. & 33. Rot. deciſ. 415. nu. 6. coram Bich., & deciſ. 307. num. 6. coram Peutinger., & deciſ. 274. num. 4. coram Burat., & deciſ. 599. num. final. coram Dunozett., & deciſ. 729. ſub num. 5. & ſeqq. coram Cerro, & deciſ. 773. nu. 3. cor. Manzaned., & in Cracovien. Cantoriæ 25. Januar. 1700. §. Quamvis coram R.P.D. Lancetta, & in Salamantina Beneficii 19. Novembris 1703. §. Cùm ſimplex cum ſeq. coram Reverendiſs. Molines, & in Cæſarauguſtana portionis 2. Julii 1703. §. Inque coram bo. mem. Muto, & in Urgellen. Canonicatus 28. Aprilis 1704. §. Parum coram R. P. D. Kaunitz, & in Legionen. Parochialis 15. Januarii 1703. §. Altero vero coram bo. mem. Pio, & in Monaſterien. Beneficii 30. Januarii 1713. §. De reſervatione coram R. P. D. Aldrovando, & in Monaſterien. Vicariæ 12. Martii 1706. §. Juſtificatio coram bo. mem. R.P.D. Omanna, & in Leodien. Beneficii 29. Novembris 1706. §. Minuſque coram eodem, & in Monaſterien. Canonicatus 19. Februar. 1714. §. Admittebatur coram R. P. D. Anſaldo, & in Aſtoricen. Beneficii 21. Januarii 1715. §. Atque coram R. P. D. Cerro.*

1 Ratio principalis concluſionis legitur expreſſa initio hujus *Canonis*; Cupiens nimirum Summus Pontifex feliciter regnans Clericorum paupertati, & aliarum Perſonarum meritis providere, mediantibus beneficiis, quæ panes Pauperum dicuntur. *Gomeſ. de expect. nu. 75. verſ. Et pro iſta opinione, Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloſſ. 2. nu. 14. Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 36. nu. 5.* reſervavit ſibi omnia, & quæcumque beneficia Eccleſiaſtica, etiam juriſpatronatus Eccleſiaſtici vacantia in octo ſupradictis menſibus; vacantia verò in aliis quatuor tradidit diſpoſitioni Ordinariorum, & ſic ex tribus anni partibus, duas ſibi tribuit, tertiam verò conceſſit Epiſcopis; & quidem ſumma æquitate, & juſtitia; Etenim cùm Summus Pontifex ſit in plenitudinem poteſtatis aſſumptus, & habeat plenam curam, & auctoritatem, Epiſcopi verò ſint in partem ſollicitudinis vocati, minoriſque ponderis ſarcinam deferant, juſtum, & rationabile eſt, ut menſes proportionabiliter dividantur pro rata oneris, ponderis, & auctoritatis, ut Papa duplicatos ha-
2 beat menſes, quàm Epiſcopi. Inſuper idem Pontifex conceſſit Epiſcopis reſidentibus, & acceptantibus, alternativam menſium in beneficiis liberæ Collationis, ſecus in beneficii juriſpatronatus, cujus rei ratio eſt illa eadem, quam tradit *Gonzal. hìc gloſſ. 45. num. 2.*, his expreſſis verbis, videlicet, quia ſicut Epiſcopus per alternativam recipit à Papa poteſtatem liberè conferendi in quatuor menſibus Februarii, Aprilis, Auguſti, & Octobris; ſic etiam ratio poſtulat, quod Papa liberè conferat in duobus menſibus Martii, & Septembris; quos verſa vice recepit ab Epiſcopo; Sed ſi beneficia non eſſent liberæ collationis, Papa non poſſet liberè conferre, ſinè læſione habentis ſimultaneam collationem, electionem, aut præſentationem, ſive conſilium, conſenſum, aut interventum; quem in hac parte lædere non intendit; Igitur conveniens eſt, quod in talibus beneficiis non liberæ collationis, ceſſet alternativa.

Quo ad has concluſiones, ſequentes examinantur Caſus.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Beneficium de Jurepatronatus Eccleſiaſtico vacans in menſe reſervato cadit ſub Reſervationibus Apoſtolicis, dummodo iſtæ non ſint expreſsè, vel tacitè excluſæ in limine Fundationis.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium juriſpatronatus Eccleſiaſtici comprehenditur ſub reſervationibus Apoſtolicis.*

2 *Juſpatronatus ab initio laicale ſi tranſeat ad Perſonas Eccleſiaſticas aſſumit naturam Eccleſiaſticam*, & num. 16.

3 *Clauſulæ* Toties, quoties *in reſervatione juriſpatronatus appoſitæ non excludunt reſervationes Apoſtolicas.*

4 *Dictio* in perpetuum *quando imparſit ad effectum excludendi reſervationibus?* Vide ibi, & num. 10.

5 *Beneficia juriſpatronatus Eccleſiaſtici non cadunt ſub reſervationibus Apoſtolicis, quando iſtæ ſunt expreſsè, vel tacitè in limine fundationis excluſæ.* Amplia ut num. 6. & 21. vide num. 17.

7 *Referuntur conjecturæ, ex quibus dicitur tacita excluſio reſervationum Apoſtolicarum*: Et num. 8. 9. 11. 18. 19. 20. & 22. & 25. & 34.

2 *Decretum irritans in hoc* Canone *appoſitum, an inficiat quamcumque poſſeſſionem, & obſervantiam in contrarium*: & num 26. & 27.

3 *Pontifex derogare ſolet juripatronatus activo, numquam verò paſſivo.*

4 *Reſervatio eſt concludentiſſimè per Impetrantem probanda, aliàs iſte eſt arcendus, ſi reſervatio ſit turbida, aut dubia*: & num. 35.

5 *Beneficia juriſpatronatus Laicalis non ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata.*

3 *Quod Canonicatus ſit de illis fundatis à Patrono; ex quibus præſumatur?*

4 *Vacatio Beneficii in menſe reſervato eſt concludenter probanda per Impetrantem.*

8 *Permiſſum eſt Patronis in limine fundationis excludere expreſsè, vel tacitè reſervationes.*

9 *Deficiente fundatione, recurritur ad obſervantiam ad effectum dignoſcendi qualitatem juriſpatronatus.*

30 *Obſervantia excluſiva qualitatis Eccleſiaſticæ in jurepatronatus, ac reſervationum, ex quibus reſultet?* Vide ibi, & num. 31. & 32.

33 *Obſervantia reſpectu unius beneficii, quando ſuffragari poſſit pro altero?*

CASUS I.

IN limine fundationis beneficii reſervavit quidam Fundator juſpatronatus paſſivum favore originarii Civitatis A, juſpatronatus verò activum favore ejus Familiæ, qua extincta, ſubſtituit Capitulum Cathedralis ejuſdem Civitatis, volens quod ipſum *ſemper omnino, in omni caſu, & in perpetuum, toties, quoties beneficium vacare contigerit ad illud præſentaret*; prout, facto loco ſubſtitutioni, ſemper Capitulum in ſucceſſivis vacationibus præſentavit; Vacato nuper menſe Januarii dicto Beneficio, Titius exterus, & nullatenus originarius Civitatis A, illud impetravit à Sede Apoſtolica, uti reſervatum ratione Regulæ reſervatoriæ menſium, Canonici è contra capitulariter congregati præſentarunt ad idem beneficium Cajum originarium. Hinc quæro, an Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, vel potius ſit inſtituendus Præſentatus à Capitulo.

1 Pro executione Literarum Apoſtolicarum prima fronte reſpondendum videtur; Etenim beneficium vacavit menſe Januarii, qui vigore hujus *Canonis* eſt unus ex octo menſibus reſervatis; & cùm ſit juriſpatronatus Eccleſiaſtici, utpote pertinens ad præſentationem Capituli Cathedralis comprehenditur ſub reſervationibus Apoſtolicis juxta diſpoſitionem hujus ejuſdem *Canonis*, & auctoritates ibi in *Commentario*, lato calamo relatas. Quin attendi mereatur, quod juſpatronatus in hoc caſu ſit ex fundatione laicale, & primitus reſervatum favore eorum de Familia Fundatoris, & conſequenter reſervationibus Apoſtolicis minimè obnoxium, ut dicam infra *caſu ſequenti num.* 1. Quia

2 cùm extincta Familia, fuerit in eo ſubſtitutum Capitulum, hinc propterea eſto, quod juſpatronatus ab initio fuerit laicale, tamen cùm per extinctionem Familiæ, tranſ-

tranſitum fecerit ad Perſonas Eccleſiaſticas, aſſumpſit naturam, & qualitatem Eccleſiaſticam reſervationibus ſubjectam. *Rot. deciſ.* 83. *num.* 4. *& ſeq. poſt Vivian. de jurepat.*, *& deciſ.* 383. *num.* 15. *& deciſ.* 432. *à nu.* 18. *coram. Priolo*, *& in Monaſterien. Beneficii* 30. *Januar.* 1713. §. *Etenim coram R.P.D. Aldrovando*.

3 Nec obſtat quod Fundator voluerit Capitulum præſentare ad beneficium, toties, quoties illud vacare contigerit; quoniam iſtæ clauſulæ *Toties*, *quoties*, in reſervatione juriſpatronatus appoſitæ non excludunt reſervationes Apoſtolicas, quia intelliguntur toties, quoties vacare contigerit in menſe ordinario, ut optimè advertit *Piton. diſcept. Eccleſ.* 25. *num.*26. *& ſeq. Rot. in Tarraconen Beneficii* 11. *Aprilis* 1712. §. *Quibus ita*, *coram R.P.D. Lancetta*.

Minuſque adverſatur, quod idem Fundator proſequutus fuerit ultra, adjiciendo, quod Capitulum præſentaret in per-

4 petuum; Dictio enim iſta *in perpetuum* impar videtur in hoc caſu ad effectum excludendi reſervationes, quia cenſetur adjecta ad deſignandum, quòd Capitulum debeat eſſe Patronus, non temporaliter, ſed in perpetuum hujus beneficii; unde trahi non debet ad importandam excluſionem reſervationum Apoſtolicarum, quæ nunquam inducta cenſetur, quando verba habere poſſunt aliam diverſam juridicam interpretationem, & ſignificatum, ut in puncto, & his verbis tradit *Rota in Aprutina beneficii* 19. *Junii* 1705. §. *Abſque eo*, *quod coram Eminentiſſimo Scotto*.

His tamen non obſtantibus cenſeo in preſentiarum, præfatum beneficium non eſſe ſubjectum reſervationibus Apoſtolicis, & conſequenter Literas Apoſtolicas obtentas à Titio ſub narrativa, quòd illud ſit ratione menſium Sedi Apoſtolicæ reſervatum eſſe ſubreptitias, & inexequibiles; & è contra Præſentatum à Capitulo eſſe in eo inſtituendum; Vera ſiquidem, & incontravertibilis eſt in abſtracto propoſitio illa, quod beneficia juriſpatronatus Eccleſiaſtici ſint reſervatio-

5 nibus Apoſtolicis obnoxia; Sed in concreto ſuſcipit limitationem, quando nimirum eædem reſervationes ſint expreſsè, vel tacitè in limine fundationis à Fundatore excluſæ; in hoc namque caſu juſpatronatus, licèt ſit quoad proprietatem Eccleſiaſticum; quoad verò exercitium reputatur laicale, ad effectum, nè dicatur reſervationibus ſubjectum. *Rota apud Vivian. de jurepat. lib.* 4. *cap.*9. *ſub num.* 56. *& deciſ.*242. *num.*5. *par.*19.*rec. & in Parmen. beneficii* 28. *Januarii* 1701. §. *Conſtabilita coram Eminentiſſimo Scotto*, *& in Aprutina beneficii* 19. *Junii* 1705. §. *Neque obſtare coram eodem*, *& in Gerunden. Eleemoſynæ Panis*, *quoad jus nominandi ſuper reſervatis* 26. *Junii* 1713. §. *Ex triplici coram eodem Eminentiſſimo Scotto*, *& in Monaſterien. Canonicatus* 19. *Februarii* 1714. §. *Verùm hæ coram R.P.D. Anſal-*

6 *do*, *inferius impreſſ.* Quod quidem procedit, etiam ſi fundatio præceſſerit publicationem Regulæ reſervatoriæ menſium factam à Nicolao V. de anno 1447., ut teſtatur *Rot. deciſ.* 121. *num.*14. *par.*19. *rec. & in dicta Parmen. beneficii ubi ſupra* §. *Quoniam*, quia vis non ſtat in voluntate Fundatoris excludendi reflexè reſervationes menſium, ſed in incompatibilitate fundationis cum reſervatione menſium, quæ incompatibilitas, ſive fundatio præcedat, ſive ſubſequatur regulam menſium, ſemper illam excludit. *Rot. in Tarraconen. beneficii* 11. *Aprilis* 1712. §. *Minus obſtat coram R.P.D. Lancetta*.

In caſu preſenti quamvis deficiat expreſſa excluſio reſervationis, concurrit tamen tacita ex conjecturis, & argumentis elicita, ut clarè reſultat ex ipſa fundatione hujus beneficii, ibi enim voluit Fundator.

7 Quod beneficium ſemper ſit conferendum ad præſentationem Capituli; dictio autem *ſemper* importat continuatam facultatem præſentandi in Patrono abſque ulla interruptione, cùm ſit complexiva cujuſcumque temporis, & caſus, & conſequenter excludit reſervationes, ut ponderant *Pacion. de Locat. & conduct. cap.*14. §.*6. nu.*19. *Piton. diſcept. Eccleſ.*25.*nu.*15. & in terminis hujus dictionis *ſemper*; *Rot. in Terraconen. beneficii* 11. *Aprilis* 1712. §. *Excluſio coram R.P.D. Lancetta*.

8 Voluit etiam, quod juſpræſentandi omnino ſpectet ad Capitulum; quæ dictio *omnino*, cùm æquipolleat clauſulæ, *in omni caſu*, *& in perpetuum*, per eam excluditur reſervatio Apoſtolica, ut tradit *Prob.*

ad

ad Monac. in cap. Cùm de beneficio de præben. in 6. Rot. in Parmen. beneficii 28. *Januarii* 1701. §. *Quam quidem coram Eminentiſſimo Scotto*.

9 Inſuper conceſſit juspræſentandi Capitulo in omni caſu, & in perpetuum, toties, quoties beneficium vacare contigerit; ſi enim Capitulum habere, & exercere debet juspræſentandi, in omni caſu, & in perpetuum toties, quoties beneficium vacare contigerit; hoc ſignificat, quod in omnibus vacationibus, etiam ſuccedentibus in menſibus reſervatis debeat habere juspræſentandi, ut tradit à *Spiritu Sancto conſult.* 30. *nu.*14. *& ſeqq. Rot. de-*
10 *ciſ.*476. *nu.*11. *par.*19. *tom.*2. Nullatenus attento, quod ſuperius in contrarium aſſerebatur §. *Minuſq.* nimirum, quod dictio *in perpetuum* deſignet, quod Capitulum debeat eſſe Patronus non temporaliter, ſed in perpetuum, non verò quod ſit apta excludere reſervationes Apoſtolicas; quia hoc eſt verum, quando eadem dictio legitur appoſita circa pertinentiam jurispatronatus, ſecus quando, prout in præſentiarum legitur adjecta circa modum præſentandi, ut reſpondet *Rot. in Tarraconen. beneficii* §. *Deciſio cor. R.P.D. Lancetta*.

11 His accedit ſubſecuta obſervantia tum affirmativa, ex eo, quia ſemper in menſe reſervato fuit beneficium collatum ad præſentationem Capituli, tum negativa eo, quia nunquam fuit proviſum à Sede Apoſtolica, tanquam reſervatum ratione menſium; ex qua obſervantia rectè deſumitur interpretatio, quod ex lege fundationis locum non poſſit habere reſervatio, etiam ſi agatur de jurepatronatus Eccleſiaſtico *Rot. in dicta Tarraconen. beneficii* 11. *Aprilis* 1712. §. *Cæterum coram R.P.D. Lancetta, & in Gerunden. eleemoſynæ panis quoad jusnominandi ſuper reſervatis* 26. *Junii* 1713. §. *Et demum coram Eminentiſſimo Scotto*.

12 Abſque eo, quod quicquam officiat Decretum irritans, in hoc *Canone* appoſitum, per quod derogatur cuicumque poſſeſſioni, quamvis immemorabili. *Gonzal. hìc gloſſ.* 35. *num.*21. *Rot. in Aſtoricen. beneficii* 21. *Januarii* 1715. §. *Nec magìs coram R.P.D. Cerro*. Quia illud inficere valet poſſeſſionem, & obſervantiam, quando abſque ulla hæſitatione locum ſibi vindicat idem *Canon*; ſecùs quando ex tot; tantiſque conjecturis ille eſt incompatibilis cum Lege fundationis, ut huic objecto reſpondendo tuetur *Rot. in Compoſtellana beneficii* 15. *Martii* 1717. §. *Minimè coram R. P. D. Althann* inferiùs legen.

Fortius ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ ſunt in hoc caſu inexequibiles, quia Titius impetravit beneficium non ſolùm uti reſervatum vigore hujus *Canonis*, verum etiam ſub falſa expreſſione, quod nullus aderat qualificatus, qui ad hujuſmodi beneficium aſpiraret, quando aderat Cajus originarius Civitatis A, vocatus à Fundatore, & præſentatus à Capitulo, quod reddit gratiam ſubreptitiam, & inexequibilem, etiam ſi ageretur de beneficio
13 reſervato, cùm Summus Pontifex tollat quidem jusſpatronatus activum quoad præſentationem Patronorum, nunquam verò paſſivum favore Perſonarum de certo genere in fundatione vocatarum, quarum juri quæſito ex fundatione, derogare voluiſſe præſumitur, dummudo vocatus à Fundatore compareat in tempore, & re integra, ſeu ante proviſionem. *Roſ. de execut. Liter. cap.* 5. *num.* 177. *Rot. coram Bich. deciſ.*189. *num.*17. *& ſeq. & deciſ.*66. *num.*5. *cor. Carill. & in Vicen. beneficii* 17. *Februarii* 1713. §. *Preterea cum ſeqq. cor. R.P.D. Aldrovando, &* 19. *Junii* 1716. §. *Ex quibus coram R. P. D. Rovault de Gamaches*.

R. P. D. ANSALDO

Monaſterien. Canonicatus.

Lunæ 19. *Februarii* 1714.

CAnonicatum in Inſigni Collegiata S. Bonifacii Oppidi Freckenhorſtenſis, quem ultimo loco vacantem Abbatiſſa Caput Cleri ex utroque ſexu compoſiti in vim facultatis ſibi, & aliis pro tempore in tali munere exiſtentibus à Fundatoribus elargitæ contulerat Joſepho Ceisberg., poſtmodum Jo. Antonius Theodorus exiſtimans fore Sanctæ Sedi reſervatum; eo quia vacaſſet in menſe Septembris juxta notiſſima Germaniæ concordata Papæ reſervato, impetrare ab eodem Sanctiſſimo non dubitavit, expedi-

peditiſque Literis Apoſtolicis, cùm fruſtrà pro illarum executione apud eamdem Abbatiſſam inſtetiſſet, ſatius duxit eumdem Joſephum Oppoſitorem, & in actuali beneficii poſſeſſione exiſtentem in Jus vocare, ad quem effectum obtenta à Sanctiſſimo commiſſione mihi directa, conſuetum Dominis meis propoſui Dubium = *An nempe Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ*, quod fuit *negativè* reſolutum.

14 Omiſſa enim inſpectione, An Literæ juſtificatæ dici poſſent circa Clericatum, & idoneitatem Proviſi, ac valorem in iiſdem expreſſum, principaliùs ſanè Gratiæ Apoſtolicæ fundamentum conſiſtens in reſervatione Papæ narrata, nullatenus viſum fuit *Dominis* per impetrantem juſtificatum, prout contra anteriorem Proviſum, & juſto titulo in poſſeſſione exiſtentem concludentiſſimè probandum eſſe docent *Garz. de Benef. par.6 cap.3. nu.*10. *& ſeqq. Modern. Roman. diſcept. Eccleſ.*12. *num.*3. *& diſcep.*17. *nu.*63. *& in Parmen. beneficii* 28. *Januarii* 1701. *coram R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore impreſſ. apud eumdem Modern. Roman. diſcept.*25. *num.*40. Itaut ſi quæ reſervationis dubietas, aut turbiditas animum Judicis involveret, arcendus foret impetrans, & abſolvendus poſſeſſor juxta firmata per *Lotter. de re benef. lib.* 2. *qu.* 45. *num.* 42. *Rot. deciſ.* 472. *num.* 6. *par.* 19. *tom.*2. *rec. & in Parmen. Beneficii* 28. *Januarii* 1701. §. *Cùm enim cor. eod. R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore, & in Cremonen. Beneficii* 3. *Decembris* 1706. §. *Præmiſſo enim coram R. P. D. meo Lancetta*.

Quod autem de reſervatione non doceretur; Nec doceri poſſet per Impetrantem palàm *Dominis* emicuit ex ipſa fundatione hujuſmodi Canonicatuum utriuſque ſexus peracta uſque de anno 851. per Laicos, nempe per *Everardum*, & *Gevam* conjuges cum bonis laicalibus, ac cum reſervatione ad eorum favorem juris nominandi Canonicos, & Canoniſſas, quouſque ipſi Fundatores in humanis exiſterent, iis verò è vivis ereptis præceperant, quòd eademmet facultas, & idem jus ad Abbatiſſas pro tempore devolve-

15 retur: Poſita autem hujuſmodi laicalitate tam reſpectu Fundatorum, quàm bonorum, ex quibus beneficia dotata extiterant cùm conſecutiva laicalis juriſpatronatus reſervatione, planum emergit nullas intrare reſervationes Apoſtolicas, ut millies declaravit *Rota*, & ſignanter *in deciſ.*589. *num.*2. *coram Pamphil. in recent. deciſ.*242. *num.*13. *par.*19. *& in Cremonen beneficii* 14. *Maji* 1706. §. *Abſque eo, quod coram Reverendiſſimo Kaunitz, in Parmen. beneficii* 16. *Januarii* 1702. §. *Altera cor. Me, & in Vicen. beneficii* 17. *Februarii* 1713. §. *Econverſo cor. R.P.D. Aldrovando*.

16 Admittebatur per Scribentes pro Jo. Antonio Theodoro qualitas hæc laicalis de tempore fundationis horum Canonicatuum, illiuſque perduratio uſque ad obitum Fundatorum ad effectum etiam impediendæ reſervationis; Aſt poſtquam iis defectis, juſpatronatus translatum fuerat in Abbatiſſas intuitu non certæ illarum perſonæ, quæ Fundatoribus incognitæ erant; ſed qualitatis Religioſæ, eo quod Eccleſiaſtico ſervitio addictæ Monialium Cœtui præeſſent, cum hoc caſu Fundatores viderentur reſpexiſſe ad Monaſterium ipſum, ſeu Eccleſiaſticam Dignitatem, non verò ad particularem Abbatiſſæ parſonam, prætendebant idcirco iidem Scribentes, quod tale juſpatronatus effectum illico fuerit Eccleſiaſticum, & utì tale reſervationibus Apoſtolicis ſubjectum, ut diſcuſſo formiter articulo dicebatur firmatum per *Rotam in Monaſterien. Vicariæ* 12. *Maji* 1706. §. *Eo autem fortiùs cum ſeq. &* 18. *Maji* 1707. §. *Præſertim coram Omanna*; Non attenta laicalitate Patronæ præſentare debentis, quia ubi Locus Pius, & Eccleſiaſticus principaliter extitit per Fundatorem conſideratus, itaut ejus intuitu juſpatronatus relictum fuerit, tunc qualitas laicalis inhærens perſonæ, quæ tali Loco præficitur, & cui tanquam Capiti, ac Miniſtro illius Pii, & Eccleſiaſtici Loci jus præſentandi relictum fuit, alterare nequit Eccleſiaſticam juriſpatronatus naturam ipſi beneficio impreſſam, ſtatim ac tale jus ipſi Eccleſiaſtico Cœtui, ſeu Loco relictum eſt, ut diſtinguendo firmat *Rot. in deciſ.* 661. *num.*5. *verſic. Etenim eſt diſtinguendum par.*19. *recent.*, & in propoſito juriſpatronatus relicti Operariis Eccleſiæ meris Laicis, quod nihilominus Eccleſiaſticum

ſticum cenſendum ſit; & cadat ſub reſervatione, habetur in illa *Barchionen. beneficii* 12. *Junii* 1688. §. *Agitur, uſque ad fin. coram Cardinali Matthæjo*, ac contra Capitaneos Poloniæ Adminiſtratores bonorum Eccleſiæ, etſi ſimpliciter Laicos reſpondit eadem *Rot. in illa Cracovien. Cantoriæ* 25. *Januarii* 1700. §. *Verùm coram R.P.D. Lancetta*, & 11. *Maji* 1701. §. *Tum quia*, & 6. *Junii ejuſdem anni* §. *Reſpectu coram clar. mem. Cardinali Caprara*.

17 Verùm hæ, & ſimiles Theoricæ, quas modernioribus hiſce temporibus amplecti cœpit *Rota*, adaptabiles viſæ ſunt *Dominis* in ſuis tantùm caſibus, in quibus juſpatronatus transferatur in perſonas Eccleſiaſticas, utì Eccleſiaſticas, vel in Sæculares, contemplatione tamen Loci Eccleſiaſtici, itaut fundationum Litera à Pontificiis reſervationibus abhorrere non videatur; Secus verò dicendum exiſtimarunt in Themate, quo Fundatores Laici eamdem qualitatem laicalem ſemel beneficio impreſſam, & cujuſcumque reſervationis, ac impedimenti excluſivam, & ipſis viventibus ad actum redactam perdurare voluerint etiam in eorum Succeſſoribus, quamvis Eccleſiaſticis, vel alicui Pio, ac Eccleſiaſtico Loco præpoſitis, itaut juſpatronatus eamdem penitùs laicalem naturam, & qualitatem retinere velint, perindè ac ſi ipſimet Fundatores Laici præſentare deberent; Poſita enim hujuſmodi Fundatorùm voluntate excludendi in perpetuum ſimiles reſervationes, quàm ſufficere etiam tacitam deſumptam ex conjecturis, & argumentis voluit *Rota in deciſ.*476. *nu.*1. *par.*19. *recent. ac in Parmen. beneficii* 28. *Januarii* 1701. §. *finali coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore*, & 16. *Januarii* 1702. §. *At quando coram Me*, & 27. *Junii* 1703. §. *Quoniam coram Reverendiſſimo Domino Molines Decano*, & *in Tarraconen. beneficii* 11. *Aprilis* 1712. §. *Excluſio coram R.P.D. meo Lancetta*; Nil amplius referebat, quod perſona ad juſpatronatus invitata foret Eccleſiaſtica, vel Sæcularis, vel proprio intuitu, aut potius Loci Eccleſiaſtici contemplatione in tali præſentandi munere ſubſtituta; Quoniam utroque caſu Fundatorum voluntatem hujuſmodi reſervationem excluſivam ſervandam eſſe monent *Corrad. in prax. benef. lib.*4. *cap.*2. *ſub nu.*40. *Lotter. de re benef. lib.*2. *qu.*10. *num.*4. *Cardinalis de Luca de jurepatronat. diſcurſ.*59. *num.*16. cum aliis *in deciſ.*157. *nu.*5. & *ſeqq. par.*7. *recent. Gloſſ. in cap.*2. *verſic Collatio de Præbend. in ſexto*, *Garz. de benef. par.* 5. *Dunozett. jun. deciſ.* 769. *num.* 7. *Rota in prædicta Vicen. beneficii* 30. *Junii* 1713. §. *Sicuti cor. R. P. D. meo Aldrovando*, & *in Monaſterien. beneficii* 30. *Junii* 1713. §. *Minimè cor. eodem*.

18 Quod autem memorati Fundatores voluerint eorum beneficia à quibuſcumque reſervationibus exempta, itaut liberæ præſentationi, & collationi hujuſmodi beneficiorum nullum impedimentum ullo unquam tempore, vel ipſis Fundatoribus, vel eorum ſucceſſoribus afferri poſſet, clarè elici exiſtimarunt *Domini* ex ipſis fundationis verbis, ibi = *Volumus, ut ſi quis, & filiis noſtris Sacerdotibus, Diaconibus, aut filiarum &c. obierit alium, vel aliam in eorum locum ſubſtituendi, & nominandi facultas non impedita penès nos permaneat; poſtquam autem ſors beata, & & extrema nos corpore mortalitatis ſolverit; præcipimus, & decernimus, ut Theabilda devota Dei Famula, aut illius in perpetuum Succeſſores à Sororibus eligendæ, quoties Sacerdotium, vel Diaconia, aut Locus in Congregatione filiarum vacaverit &c. de illo liberè, & omnimodè diſponat ſinè ullius impedimento poteſtatis Sæcularis, aut Clericalis interventu ordinent, & provideant eodem modo, qualitate, & ſtatu in memoriam noſtri, utì Nos, ſi in vivis eſſemus, ordinaremus, diſponeremus, & poteſtate per præſentis fundationis, & dotationis Tabulas acquiſita faceremus*; Ex quibus negari nequit, quod Fundatores eamdem penitùs facultatem, quam ſibi abſolutè reſervaverant, quæque nequibat per reſervationes impediri, tranſtulerint in Abbatiſſam, alias implicaret poteſtas Abbatiſſæ providendi *eodem modo, qualitate, Statu*, quo poterant ipſi Laici Fundatores, & reſtrictio facultatis præſentandi ad paucos menſes Sanctæ Sedi non reſervatos; Unde manifeſtè patet, quod prædicti Fundatores noluerunt, quod alteraretur qualitas, & natura laicalis juriſpatronatus per mutationem perſonæ Eccleſiaſticam figuram gerentis, ſed in eodem Laicali ſtatu quocumque futuro

futuro tempore perduraret: Nihilo prorſus immutato, quod poſſe præcipi per Fundatores ſupra fuit comprobatum, quibus addi poſſunt *Ricciull. lucubrat. Eccleſ. lib. 4. cap. 13. num. 2. Cardinalis de Luc. de jurepatr. diſc. 7. num. 8. Modern. Roman. diſcept. Eccleſ. 25. nu. 21.* cum concordan. *in dicta Parmen. beneficii 16. Januarii 1702. §. quando cor. Me.*

19 Eamdem reſervationum excluſionem non minus clarè, & evidenter patefaciunt verba illa adjecta facultati Abbatiſſæ nominandi, & ſubſtituendi Canonicos quoties vacatio contigerit, nimirum *liberè, & omnimodè ſinè ullius impedimento poteſtatis Sæcularis, aut Clericalis*; hæc enim omnem penitùs excludunt reſervationem tanquam incompatibilem cum omnimoda libertate à Fundatoribus per ea verba conceſſa, prout de verbo *liberè* quod ſit excluſivum reſervationum tradit *Gonzal. ad Reg. 8. gloſſ. 53. num. 25.* ibi = *Vigeſimoquarto liberè, ideſt ſine aliquo reſervationis obſtaculo*, ubi adducit *Text. in cap. Si Apoſtolica 35. de Præbend. in 6.* & verbum *omnimodè*, quod æquivalet verbis *omni caſu* ad tradita per *Reboff. in l. pecuniæ 178. verſ. poſtremò ff. de verb. ſignificat. Fuſar. conſ. 52. num. 40. & 41. & Barboſ. dict. 239. num. 1.* importatque plenariam diſpoſitionem ad favorem Abbatiſſæ cum alterius cujuſcumque excluſione, nimirum contra proprii ſenſus naturam reſtringeretur; Si in omni penitùs caſu proviſiones non fierent per Abbatiſſam, ſed in majori anni parte forent S. Sedi reſervatæ, ut patet ad ſenſum.

20 Omnem verò difficultatis umbram fugare viſa ſunt cætera verba ſuperaddita omnimodæ facultati Abbatiſſæ providendi beneficia prædicta ibi = *Sinè ullius impedimento poteſtatis Sæcularis, aut Clericalis*, quæ utpotè indefinita pandunt deliberatam Fundatorum intentionem, quod nemo in hujuſmodi beneficiorum proviſione ſe ingereret, ſed abſolutè unicè, ac perpetuò ad Abbatiſſam ſpectaret, excludendo quemlibet Superiorem etiam Eccleſiaſticum indefinitè, & ſic etiam Summum Pontificem, à qua Superioris cujuſcumque excluſione reſultare etiam reſervationum Apoſtolicarum excluſionem firmavit *Rot. in deciſ. 769. num. 4. cor. Dunoz. jun. cor. Pamphil. deciſ. 589. num. 2. cor. Seraphin. deciſ. 1263. per tot. & in rec. deciſ. 242. num. 13. par. 19. & in Parmen. beneficii apud Piton. diſc. Eccleſ. 25. nu. 41. & in Vicen. beneficii 17. Februarii 1713. §. E converſo cor. R.P.D. meo Aldrovando*; Animadvertendo præcipuè, quod dicta verba non ipſi juriſpatronatus reſervationi, ſed collationi, & proviſioni eorumdem beneficiorum reperiuntur adjecta; Unde magìs, magiſque reſultabat enixa Fundatorum voluntas, quod perpetuò, & abſque ulla penitùs interruptione, remotoque quolibet Superiorum obſtaculo, proviſiones omnes, quæ contingere valerent, ſemper per Abbatiſſam unicè explerentur; Ideoque data tam literali laicalitatis præſervatione, & conſtanti Fundatorum intentione, quod ad ſolam Abbatiſſam ſpectaret proviſio, excluſa quacumque reſervatione, corruebat per conſequens omne literarum Apoſtolicarum fundamentum, quod ſoli reſervationi nitebatur; Ideoque tanquam in parte magìs eſſentiali non juſtificatæ minimè exequutioni demandari promerebantur, ut quotidie practicari videmus, & ſignanter in *Cremonen. beneficii 14. Maji 1706. §. Abſque eo quod cor. Reverendiſſimo Kaunitz. Tarraconen. beneficii 11. Aprilis 1712. §. Conſiſtit coram R. P. D. meo Lancetta in Monaſterien. beneficii 30. Januarii 1713. §. Minimè coram R. P. D. Aldrovando, & in Vicen. beneficii 17. Februarii ejuſdem anni §. Ex quibus, coram eodem.*

21 Non attenta replicatione per Scribentes pro Jo. Antonio Theodoro allata, quod cùm nimirum fundatio horum Canonicatuum initium deſumat ab anno 850. quo Regulæ Cancellariæ, ſeu reſervationes adhuc non erant adinventæ, nequiverint propterea Fundatores in animo habere hujuſmodi reſervationum excluſionem, quas providere non poterant, cùm voluntas ad incognita non feratur; Quoniam *Domini* non deſumebant excluſionem reſervationum ſimpliciter ab animo Fundatorum, ſed ab incompatibilitate diſpoſitionis eorumdem cum prædictis reſervationibus, itaut prædicta incompatibilis lex, ſive præceſſerit reſervationes menſium, ſive fuerit ſubſecuta ſemper earumdem reſervationum excluſionem operetur, ut plenè huic objecto ſatisfacit *Rota in ſæpe allegata Parmen. beneficii*

28. *Ja-*

28. *Januarii* 1701. §. *Quibus tamen coram R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore*, & 16. *Januarii* 1702. §. *Applicando*, & §. *Utique coram Me*, *in Gerunden. beneficii* 12. *Januarii* 1702. §. *Reſponſum cor. Reverendiſſimo Molines Decano*, & *in Tarraconen. beneficii* 11. *Aprilis* 1712. §. *Minus obſtat cor. R.P.D. meo Lancetta*.

22 Prædictam autem Apoſtolicarum reſervationum excluſionem, quam clarus, & literalis fundationis tenor operari *Dominis* videbatur indubitabilem ſubinde effecit continuata tot ſæculorum uſque in præſens obſervantia, qua hujuſmodi Canonicatus, & Beneficia ſemper collata exstiterunt ab Abbatiſſa, abſque eo quod ullo unquam tempore, aut ulla vacationum occaſione Dataria in illis manum appoſuerit, aut aliàs in eorum proviſione ſe ingeſſerit, & tamen nemo non videt inveriſimilitudinem, quod in tam longo tot annorum, & ſeculorum decurſu aliquæ non evenerint in reſervatis menſibus vacationes, pro quibus ſanè non defuiſſent ſtantes ad oſtium impetrantes, niſi nimium evidens, & clarum Abbatiſſæ jus, & jure fulcita conſuetudo eos retraxiſſet, de qua uſque ad hæc tempora non interrupta obſervantia, ac continuata omni tempore proviſionum ſerie factarum per Abbatiſſas utì Patronas Laicas ad excluſionem tam reſervationum Apoſtolicarum, quàm Concordatorum Germaniæ ex certa ſcientia teſtatus eſt uſque de anno 1693. ipſemet Epiſcopus Monaſterien. *Summario Joſephi num*. 2. cui conſonat altera relatio Vicarii Generalis ejuſdem Epiſcopi edita de anno 1692. quibus atteſtationibus utì editis à Perſonis Excelſa Dignitate fulgentibus, & contra proprium commodum deponentibus, quanta fides habenda ſit, monent ad *Text. in cap. Nobiliſſimis* 97. *diſtinct. Roman. in conſ*. 59. *num*. 6. *Cardin. de Luc. de Emphyt. diſc*. 63. *à nu*. 3. & plenius in *tract. de Judic. diſc*. 30. *num*. 3. *Rot. deciſ*. 656. *num*. 9. *par*. 2. *recent.* & *deciſ*. 1784. *nu*. 53. *coram Coccin. deciſ*. 714. *num*. 16. *cor. Merlin* & *deciſ*. 316. *num*. 4. *coram Bich.* Hujuſmodi autem obſervantiæ in linea interpretativa voluntatis Fundatorum pro excluſione Apoſtolicarum reſervationum maximè deferendum eſſe plenè docet *Rot. in memorata Tarraconen. beneficii* 11. *Aprilis* 1712. §. *Cæterùm cor. R.P.D. meo Lancetta*, & *in Gerunden. eleemoſynæ panis*, *quoad jus nominandi ſuper reſervatis* 26. *Junii* 1713. §. *Demum cor. R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore*.

Abſque eo quod pro hujuſmodi obſervantiæ interruptione mereretur adduci caſus in illa *Monaſterien. Vicariæ* 2. *Julii* 1706. *cor. R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore*; Quoniam, ut animadvertebant *Domini*, in eo caſu agebatur de Vicaria à diverſa fundatione procedente, quæ nil commune habet cum Canonicatibus erectis ab Everardo, & Geva, de quibus hodie eſt ſermo, ac propterea inallegabile erat tale exemplum, ſeu deciſio illa in cauſa penitùs diſſimili emanata, cùm à diverſis, & diſparatis fieri non poſſit illatio ex vulgatis.

23 Certam autem omnino videntes impetratoris defenſores qualitatem laicalem excluſivam reſervationum menſium nedum in ipſis Fundatoribus, ſed in Abbatiſſis ſubſtitutis; Eamque plurium ſæculorum obſervantia tam negativa, quàm affirmativa fulcitam, inficiari, hinc cœperunt, quod hodiernus Canonicatus ſit de illis fundatis ab Everardo, & Geva, ſed iſta negatio gratìs undique emiſſa nullum impetranti favorabilem peperit effectum; Siquidem cùm piiſſimi Fundatores integrum hoc Collegium Canonicorum utriuſque ſexus erexerint de anno 851. ut memorati Epiſcopus, & Vicarius Generalis Monaſterienſes diverſis vicibus, ac temporibus teſtati ſunt, & ſuper quibus atteſtationibus *R.P.D. meus Aldrovandus* utì Judex Commiſſarius in conſimili caſu favore proviſi ab Abbatiſſa de anno 1705. pronuntiaverat; Cumque pluralitas fundationum non præſumatur, nec alterius fundationis in hac Eccleſia detur fumus, præſumptio ſtat, quod hujuſmodi Canonicatus ſemper liberè per Abbatiſſam collatus ſit de illis in primordiali fundatione Everardi, & Gevæ erectis, itaut contrarium aſſerenti incumbat onus cum exhibitione diverſæ, & novæ fundationis ejus aſſumptum juſtificandi, ut animadvertit *Rota in Compoſtellana Parochialis de Pardenſa* 22. *Junii* 1710. §. *Primogeniali cor. R.P.D. meo Falconerio*, & *in eadem* 22. *Junii* 1711. §. *Atque ex his coram Me*.

Atque

24 Atque huic poſito, quod hujuſmodi beneficia non cadant ſub menſium reſervationibus, ut ſupra fuit comprobatum *Domini* ſuperfluam exiſtimarunt inquiſitionem, num ultimus proviſus obierit in Menſe Septembris reſervato, nec nè; Et tamen cùm onus concludentiſſimè probandi talem obitum, exiſtente alio proviſo ab Ordinario in beneficii poſſeſſione ſpectaret ad impetrantem tamquam primarium ſuæ gratiæ fundamentum ex firmatis per *Rot. coram Ubald. in deciſ.* 300. *num.* 2. *&* *dlciſ.* 14. *num.* 5. *coram Duran. ac in dicta Parmen. beneficii* 28. *Januarii* 1701. *coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore*, adhuc ſuæ obligationi non ſatisfeciſſe inpetrantem nonnulli ex *Dominis* exiſtimabant, cùm dictus impetrans non exhiberet probationes univocas, & concludentes vacationem in menſe reſervato, prout facere debuiſſet juxta notata per *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 45. *num.* 42. *Rot. deciſ.* 472. *num.* 6. *par.* 19. *tom.* 2. *recent.* cùm abundè relatis *in Vicen. beneficii* 17. *Februarii* 1713. §. *Ex quibus coram R.P.D. Aldrovando*, præſertim quod è contra Joſepho proviſo ab Abbatiſſa ordinaria Çollatrice favebat præſumptio pro vacatione in menſe ordinario utì naturali juxta doctrinam *Gonzal. ad Regul.* 8. *Gloſſ.* 11. *nu.* 43.

Et ita &c. Utraque &c.

R. P. D. ALTHANN

Compoſtellana Beneficii.

Lunæ 15. *Martii* 1717.

Diuturna ſua quaſi poſſeſſione freti emphyteutæ, ſeu poſſeſſores pro tempore nonnullorum bonorum in Vico de Bean ſitorum alias jure directi dominii ſpectantium ad Prioratum Portus Marini Sacræ, & Inclytæ Religionis S. Joannis Hieroſolymitani vigore conceſſionis in emphyteuſim ad vitam trium Sereniſſimorum Regum Hiſpaniarum per eos juxta ſolitum reportatæ ab hujuſce Prioratus, ſeu Commendæ tunc Præceptore, præſentandi nimirum in qualibet vacatione tam ad Eccleſiam Parochialem ejuſdem loci de Bean, quàm ad ſimplex beneficium in ipſamet Eccleſia exiſtens ratione annexionis, quam utrumque habere reperiebatur iiſdem bonis emphyteuticis, licèt ipſi anno 1708. præſentaſſent ad prædictum ſimplex beneficium illo tempore vacatum per obitum Bernardi Gil ad eorum præſentationem ſimiliter inſtituti Ferdinandum Pedreira, & is etiam inſtitutionem una cùm illius poſſeſſionem aſſecutus fuerit; attamen pervento poſt aliquot annos eodem beneficio in Joannem Antonium Salazar ex permutatione inter ipſum, & præfatum Ferdinandum ſolemniter inita, illius poſſeſſio alioquin pacificè obtenta, adeo exagitata remanſit à Benedicto Carvajales, ut iſte confiſus Pontificia collatione per eum uſque ab anno 1709. reportata de ipſomet Beneficio veluti vacato per mortem prædicti Bernardi in menſe Octobris Sedi Apoſtolicæ reſervato executionem illam Literarum Apoſtolicarum, quam in Partibus obtinere nequivit, in noſtro Sacro Tribunali proſperè conſecutus fuit contumacialem reportando deciſionem editam ſub die 29. Aprilis anni proximè præteriti coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano una cum favorabili ſententia in illius ſequelam per eumdem promulgata, ſed commiſſa mihi in gradu appellationis à ſupradicto Joanne Antonio Salazar interpoſitæ ulteriori cauſæ diſcuſſione, eoque etiam jura ſua deducente conſultis hodie Dominis meis ſub congruo dubio = *An ſit procedendum ad legitimam* = ipſi negativè reſpondere non hæſitarunt.

25 Emergebat namque hujuſmodi reſolutionis ratio ex illa non minùs æqua, quàm prævalida juris diſpoſitione, juxta quam cùm præfinitum extet tunc Apoſtolicas Literas eſſe exequendas, quoties illæ veritate nituntur, quemadmodum monet Alexander III. *in cap.* 2. *de reſcriptis*. Exequutioni utique demandari nullo modo poterant literæ, de quibus agitur, ex quo apertè demonſtrabatur nequaquam ſufficere præcipuum illud Apoſtolicæ Gratiæ fundamentum Eccleſiaſtica nempe innixum qualitate ejuſdem juriſpatronatus per Benedictum Summo Pontifici expoſita, & qua mediante tale beneficium utì Apoſtolicis reſervationibus obnoxium unicè aſſecutus fuit, eo ipſo, quod pro illius qualitate laicali, ac Apoſtolica-

ſtolicarum reſervationum excluſione militabat ultimus ſtatus anni 1680. ex inſtitutione prædicti Bernardi Gil efformatus, & à ſententia quoque Ordinarii tunc comprobatus unà cum literali expreſſione, quod illud eſſet de præſentatione laica, quodque etiam poſſeſſores eorumdem bonorum extarent in quaſi poſſeſſione præſentandi *tutte le volte, che ſuccede vacare*, juxta formam expreſſam in præcedenti ſtatu anni 1670. ubi eadem quaſi poſſeſſio præſentandi in menſibus reſervatis per aliam ſententiam Ordinarii ſimiliter canonizata apparet, *ut in Summ. Joannis Antonii num. 6. & 7.* In his enim terminis haud dubium eſſe valet, quod in hujuſmodi mero judicio poſſeſſorio, quale dicitur illud ſuper executione Literarum Apoſtolicarum, ut aliàs cenſuit *Rot. in deciſ.* 115. *num.* 19. *coram Priolo, in Mediolanen. Prioratus* 14. *Februarii* 1701. §. *Cùm enim coram Eminentiſſimo Scotto, &* 5 *Maji* 1702. §. *Ratio reſolutionis coram Eminentiſſimo Priolo, in Pennen. Beneficii ſuper executione Literarum Apoſtolicarum* 17. *Martii* 1710. §. *Ex hoc autem coram R. P. D. Aldrovando, & in Bononien. Beneficiorum de Caſtello ſuper executione Literarum Apoſtolicarum* 12. *Decembris* 1712. §. *De Juſtificatione cum ſeqq. coram R.P.D. meo Criſpo*, opus non ſit pro ſuſtinenda collatione Ordinarii de conſenſu Patronorum facta adversùs proviſum Apoſtolicum pergere ad diſcuſſionem petitorii, ſed tantummodò attendi debet quaſi poſſeſſio, ac ultimus ſtatus ad effectum excludendi aſſertam reſervationem juxta celebre *Calderin. conſ.* 28. *de præbend. verſ. & ſtatus præſens communiter receptum*, ut tradunt *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 34. *Simon. de reſervat. qu.* 70. *Rot. coram Gregor. deciſ.* 77. *num.* 9. *&* 12. *coram Penia deciſ.* 823. *num.* 18. *coram Arguell. deciſ.* 110. *num.* 28. *coram Reverendiſſimo meo Anſaldo, deciſ.* 9. *num.* 33. *in recent. deciſ.* 154. *num.* 3. *par.* 1. *deciſ.* 472. *num.* 67. *par.* 19. *tom.* 2. *& in Placentina juriſpatronatus* 20. *Junii* 1701. §. *Urget, &* §. *final. coram Eminentiſſimo de la Tremoille*.

6 Minimè urgente reſponſione, quod idem ultimus ſtatus refragari nequeat, ubi prout hìc intrat reſervatio Apoſtolica vigore *regul.* 8. *hodie* 9. *Cancell.*, eo quia agatur de jurepatronatus, quod clarè oſtenditur eſſe Eccleſiaſticum, utpote annexum bonis jure directi dominii pertinentibus ad Prioratum, ſeu Commendam Portus Marini Hieroſolymitanæ Religionis, licèt illorum utile dominium attineat ad Laicos, ut dixit *Rot. deciſ.* 298. *num.* 9. *& deciſ.* 339. *nu.* 23. *par.* 9. *recent.* Quoniam objectio iſthæc verè procederet quoties adversùs prædictum ultimum ſtatum prætenſa qualitas Eccleſiaſtica controverſi beneficii, ejuſque reſervatio detegeretur ita perſpicua, ut poſita non eſſet in diſcrimen, vel erueretur, ſeu probata extaret ex illo triplici probationum genere deducto ex re judicata, ſeu publico fundationis Inſtrumento, vel ex Partis confeſſione, prout communiter tradunt Doctores, & omnium anteſignanus *Panormit. in cap. Conſultationibus nu.* 9. *verſic. Quod ego intelligerem de jurepatr. & Rot. in dicta Bononien. beneficiorum de Caſtello* 12. *Decembris* 1712. §. *Abſque eo quod coram R.P.D. meo Criſpo, in Firmana beneficiorum* 11. *Januarii* 1715. §. *Neque dicatur coram R.P.D. meo Lancetta, & in Caſertana benefic.* 15. *Junii* 1716. §. *Cæterum coram Me*, cum eo caſu talis reſervatio non ſolùm diceretur de per ſe clara, utì promanans ex incontrovertibili illius qualitate Eccleſiaſtica, ſed etiam locum ſibi vindicare valeret in everſionem ejuſdem ultimi ſtatus, ac etiam cujuſcumque contrariæ obſervantiæ, ſeu præſcriptionis quatenus adeſſet ex Decreto irritanti in eadem regula menſium reſervatoria adjecto, aliiſque rationibus adductis per *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 67. *num.* 39. *& ſeqq. & Rot. in Cracovien. Cantoriæ* 11. *Martii* 1701. §. *Hinc non obſtante coram clar. mem. Card. Caprara in oppoſitum allegat.* & juxta diſtinctionem, de qua eadem *Rot. in Auguſtana ſummæ Cuſtodiæ ſuper ſecundis literis* 21. *Junii* 1715. §. *Non ſubſiſtente coram R.P.D. meo Falconerio*.

27 Secùs verò dijudicandum eſt, quando prout in præſenti Eccleſiaſtica qualitas ſæpedicti juriſpatronatus, illiuſque reſervatio non convincitur ex ſupradictis validis probationibus, ſed deſumi contenditur ex mera dumtaxat juris præſumptione unicè proveniente ab annexione, quam illud habet bonis de directo dominio

minio prædicti Prioratus Portus Marini. Nam hac in hypotheſi hujuſmodi aſſumptum ex ſola præſumptione emergens, uti in jure fallax, & æquivocum ob poſſibilitatem in contrarium, quod tale juſpatronatus licèt annexum prædictis bonis poſſeſſis per Eccleſiam adhuc ſit laicale, & ſic non ſubjectum reſervationibus Apoſtolicis, plenam conſtituere nequit probationem ejuſdem reſervationis ad effectum, ut in hoc poſſeſſorio judicio attendendus non ſit ultimus ſtatus ita legitimè efformatus, & ratio eſt evidens,

28 quia cùm iſtæ Commendæ in ordinibus militaribus, ut plurimum proveniant ex fundatione particularium, & laicorum aſſignantium propria bona patrimonialia in dotem Commendæ, reſervato jurepatronatus ſub legibus ſibi beneviſis, non repugnat equidem potuiſſe ipſos in illius fundatione, tam expreſsè, quàm tacitè, & virtualiter excludere reſervationes Apoſtolicas, apponendo legem, quod quocumque tempore vacaret Beneficium, ſemper illius collatio fieret ad præſentationem poſſeſſoris Commendæ, ejuſque bonorum, prout eis permiſſum eſſe ſæpiùs reſpondere non hæſitavit *Rota*, & ſignanter in *deciſ.* 274. *num.*17. *& in Parmen. beneficii* 28. *Januarii* 1701. §. *Conſtabilita cum ſeqq. cor. Eminentiſs. Scotto*, *&* 16. *Januarii* 1702. §. *Evidentiùs cor. Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano*, *&* 27. *Junii* 1703. *per totam coram Reverendiſſimo Molines*, *in Gerunden. beneficii* 12. *Junii* 1702. §. *Reſponſum coram eodem*, *in Tarraconen beneficii* 17. *Aprilis* 1712. §. *Conſtitit cum ſeqq. cor. R.P.D. meo Lancetta*, *in Gerunden. eleemoſynæ panis quoad jus nominandi ſuper reſervatis* 26. *Junii* 1713. §. *Ex triplici cum ſeqq. cor. Eminentiſſimo Scotto*, *& in Monaſterien. Canonicatus* 19. *Februarii* 1714. §. *Quod autem coram Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano*.

29 Idque eo certiùs evadebat in hac facti ſpecie ex animadverſione illa, quod tam etſi res perpendenda foret in judicio petitorio, adhuc eædem literæ Apoſtolicæ nequaquam exequendæ eſſent, quia ſi ob deficientiam fundationis, illiuſque plenæ probationis, ut ſupra dictum eſt, dari minimè valet certa Sedes qualitati ejuſdem beneficii, nullam aliam utique tutiorem viam ſupereſſe oſtenditur quàm illam revertendi ad obſervantiam veluti in locum Inſtrumenti fundationis ſuccedentem, ut ex ea dignoſci queat qualitas præfati juriſpatronatus, cùm talis præſumatur fundationis lex, qualem ſubſecuta, ac diuturna obſervantia demonſtravit, ut in puncto reſpondit *Rot. coram Penia deciſ.* 691. *num.* 7. *in Florentina Canonicatus* 8. *Maji* 1705. §. *Etenim*, *&* 12. *Martii* 1706. §. *Et quamvis cor R.P.D. meo Lancetta*, *in Majoricen. benef.* 9. *Martii* 1711. §. *finali coram bon. mem. Caſarello*, *& Salernitana alimentorum* 20. *Junii* 1712. §. *Neque adverſari coram Eminentiſſimo Scotto*, & generaliter tradunt *Card. de Luc. de jurepatr. diſc.* 60. *num.* 9. *Tondut. quæſt. benef. par.* 3. *cap.* 157. *num.*42. *Modern. Roman. diſc.* 28. *ſub nu.*5. *& diſc.*53. *num.*43. egregiè *Modern. Aſculan. deciſ. Florent.* 45. *num.* 10. *& Rot. coram Prio. deciſ.* 40. *nu.* 4. *in Firmana juriſpatronatus* 21. *Aprilis* 1704. *coram bon. mem. Muto impreſſ. penès eumdem Modern. Aſcul. in. deciſ. Florent.*45. §. 1. *nu.* 4. *aliæque relat. in dicta Caſertana beneficii* 15. *Junii* 1716. §. *Adeout coram Me*.

30 Porrò hæc undique militare videbatur adversùs illius Eccleſiaſticam qualitatem, aſſertamque reſervationem, conſtabat enim plures extare ſtatus eamdem longævam obſervantiam convincentes, & revera ordine inverſo procedendo ultra prædictum ultimum ſtatum pro qualitate laicali à ſententia Ordinarii in contradictorio Judicio canonizatum, & præcedentem ſtatum anni 1670. in quo emanavit alia Ordinarii ſententia pariter confirmans eamdem laicalem qualitatem, ac inſtitutionem, decernens præſentato per Patronos non obſtante vacatione beneficii in menſe Januarii Sedi Apoſtolicæ reſervato jam ſupra recenſitum in §. *Emergebat*. Nedum valde qualificatus pro ea comprobanda exiſtebat ille ſtatus anni 1659., in quo vacato tali beneficio de menſe Aprilis ſimiliter reſervato, licèt in prima inſtantia Ordinarius Compoſtellanus pronuntiaſſet per ſententiam hoc idem beneficium eſſe Eccleſiaſticum, ac Sedi Apoſtolicæ reſervatum; Attamen in gradu appellationis formiter examinatis pluribus Teſtibus, Nunciatura Apoſtolica, ſeu ejus Delegatus anno 1663. eamdem

dem Ordinarii ſententiam revocavit, expreſsè declarando hujuſmodi beneficium non eſſe Eccleſiaſticum, neque obnoxium reſervationibus Apoſtolicis, ac inſuper manutentionem concedendo iiſdem poſſeſſoribus bonorum, utì in quaſi poſſeſſione præſentandi exiſtentibus *tutte le volte che è ſucceſſo vacare in tutti i tempi, e meſi dell' anno &c.* cùm talis ſententia utì prævio formali teſtium examine emanata in hac expreſſa quæſtione, ejuſdemque beneficii ſtatu, & effectum ſortita, atque etiam in judicatum tranſacta, neque in poſſeſſorio, minuſque in petitorio impugnari queat, niſi obtenta commiſſione reſtitutionis in integrum, ut monet *Card. de Luca de jurepatr. diſc.* 22. *nu.* 7. *Rota coram Zarat. deciſ.* 2. *num.* 9. *&* 11. *&* 16. *in Compoſtellana Parochialis* 8. *Junii* 1696. §. *Juſtificatio autem coram Reverendiſſimo Molines*, *&* 28. *Nomembris ejuſdem anni* §. *Quod autem coram Eminentiſſimo Priolo*, *in Pennen. beneficii ſuper pertinentia* 17. *Martii* 1710. §. *Sed hic non ſiſtit cum ſeqq. coram R. P. D. Aldrovando aliiſque congeſtis in dicta Caſertana beneficii* 15. *Junii* 1716. §. *Eoque firmius coram Me*.

31 Verum etiam gemini ſuperaccendebant anteriores ſtatus annorum ſcilicet 1649., & 1617., ubi itidem pronunciatum apparet beneficium eſſe de præſentatione laica, & Patronos exiſtere in quaſi poſſeſſione præſentandi in quocumque caſu vacationis, qui ſanè ſtatus etiamſi non contineant tempus, quo vacaſſet beneficium, an ſcilicet in menſe reſervato, vel Ordinario, validè tamen eamdem obſervantiam concludunt, dum ſatìs eſt, quod id declaratum legatur in prædicta re judicata anni 1663., & quidem pro fundamento ejuſdem rei judicatæ prædictos nempe poſſeſſores permanſiſſe in quaſi poſſeſſione præſentandi *in tutti i tempi*, *e meſi dell' anno*, ea ratione quod ſecus hoc comprobari nequiſſet, quoties verè antecedentes ſtatus non eſſent illi conformes, prout alias etiam de jure præſumitur, niſi plenè, & concludenter contrarium oſtendatur, ut inquit *Rota in deciſ.* 57. *num.* 9. *par.* 6. *deciſ.* 68. *num.* 19. *& ſeq. par.* 8. *deciſ.* 244. *num.* 19. *par.* 16. *deciſ.* 560. *num.* 22. *par.* 19. *recent. in Brixien. juriſdictionis* 27. *Junii* 1710. §. *Et quidem coram Reverendiſſimo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*, *in Saliſburgen. Vicariæ* 31. *Januarii* 1714. §. *Nec in aliqua cor. R. P. D. meo Falconerio*, *&* 4. *Februarii* 1715. §. *Abſque eo quod*, *coram R. P. D. meo Criſpo*.

32 Quapropter cùm ex tot ſtatibus ita viriliter firmatis à diſpoſitione Teſtium, ſententiis Ordinarii pro tempore, & maximè etiam ex re judicata de ſui natura titulum fortiorem ipſamet centenaria, & immemorabili præſeferente, ut dixit *Rota in Burgen. juris viſitandi de Bribieſca* 22. *Junii* 1714. §. *finali cor. R. P. D. meo Cerro*, *&* 17. *Junii ejuſdem anni pariter* §. *finali coram Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano* apertè probata remanet eadem obſervantia, & quidem centenaria non ſtante quod aliqui ex dictis Statibus reſpiciant beneficium Curatum, non autem illud ſimplex, de quo agitur ex illa ratione, quod cùm utrumque proveniat
33 ab eodem fonte, & ſit ejuſdem naturæ, utpote utrumque annexum iiſdem bonis emphiteuticis, obſervantia reſpectu unius ſuffragari debet pro altero ex animadverſis per *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 10. *num.* 20. *Poſth. de manut. obſervat.* 73. *num.* 148. *Modern. Roman. diſcept. Eccleſ.* 28. *num.* 9. *Adden. ad Gregor. deciſ.* 557. *nu.* 8. *& Rota coram Emerix jun. deciſ.* 820. *num.* 7., *in Majoricen. beneficii* 11. *Maji* 1705. §. *finali coram bon. mem. Muto impreſſ. apud Modern. Aſculan. deciſ. Florent.* 33. §. 2. *nu.* 38., *in Melevitana juriſpatronatus* 13. *Januarii* 1708. §. *Neque obſtat coram bon. mem. Omanna*, *& in Cremonen. beneficii* 4. *Februarii* 1715. §. *Et ubi etiam coram R. P. D. meo Cerro*. In neceſſarium conſequens proinde emergit, quod hujuſmodi centenaria obſervantia omnino attendenda ſit ad effectum probandi non minùs in judicio poſſeſſorio, quam in petitorio controverſum beneficium ſubjectum non eſſe prædictis reſervationibus, ut optimè probant *Modern. Roman. diſcept. Eccleſ.* 27. *num.* 21. *Adden. ad Gregor. deciſ.* 184. *num.* 8. *& Rota deciſ.* 608. *num.* 6. *par.* 2. *recent. & in Auguſtana Summæ Cuſtodiæ ſuper ſecundis literis* 21. *Junii* 1715. §. *Non ſubſiſtente coram R. P. D. meo Falconerio*, cum centenaria dicatur completa etiamſi deficiant aliquot anni, prout firmant *Card. de Luca de jurepatr. diſc.* 57. *num.* 33. *Balducc. ad Ramon.* inob-

inobſervat. ad conſ. 24. *num.* 53. *& apud Modern. diſcept. Eccleſ.* 23. *num.*4.

34 Hæc autem omnia eo faciliùs procedere viſa ſunt in præſenti hypotheſi non ſolùm quia eidem obſervantiæ affirmativæ præſentandi nimirum, & obtinendi inſtitutionem etiam in menſibus reſervatis ſimul quoque juncta apparet obſervantia centenaria, & ferè immemorabilis negativa, juxta quam oſtenditur nullo umquam caſu, ſeu vacatione in menſe reſervato Sedem Apoſtolicam apposuiſſe manus ſuper collatione talis beneficii ex capite reſervationis, quando aliàs ſi verè illud fuiſſet Eccleſiaſticum, & non obſtitiſſet lex fundationis, inveriſimile prorſus redditur, quod non adducerentur proviſiones Apoſtolicæ, & quidem plures cùm intrà ſpatium centum annorum, & ultra eveniſſe cenſeatur vacationes in menſibus reſervatis ex præſumptione inducta per eamdem centenariam, præſupponendi videlicet omnes contigiſſe caſus poſſibiles eaſdem vacationes comprobantes ex ponderatis per *Rot. deciſ.* 661. *nu.*15. *par.* 19. *recent. in dicta Parmen. beneficii* 16. *Januarii* 1702. *§ finali coram Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano in dicta Tarraconen. beneficii* 11. *Aprilis* 1712. *§. Cæterum coram R.P.D. meo Lancetta, in dicta Gerunden. eleemoſynæ panis ſuper reſervatis* 26. *Junii* 1713. *§. Et demum cor. Eminentiſſimo Scotto, & dicta Monaſterien. Canonicatus* 19. *Februarii* 1714. *§. Prædictam coram Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano*, & optimè *in dicta Auguſtana Summæ Cuſtodiæ ſuper ſecundis literis* 21. *Junii* 1715. *§. Altera cor. R.P.D. meo Falconerio.* Sed etiam quia in hujuſmodi Apoſtolicis gratiis alioquin impetratis ad irritas faciendas collationes beneficiorum emiſſas ab Ordinariis ad præſentationem Patronorum, ſuaque etiam pacifica poſſeſſione ſpoliandos eorumdem Ordinariorum proviſos tanquam odioſis, ut inquit *Lotter. de re benefic. quæſt.* 44. *num.* 2. *& per tot.* ſemper rigidè expendendæ ſunt probationes ad illas juſtificandas per impetratores adductæ, & præcipuè in iſta de qua agitur reſpiciente quæſtionem, an intret
35 reſervatio propter qualitatem Eccleſiaſticam, vel Laicalem juriſpatronatus, adeout ubicumque per impetratorem non probatur, ut in caſu aſſerta reſervatio, liquidis undique, ac validis probationibus, prout requiritur, ſatis eſt, quod ea reddatur turbida ad effectum, ut ille repellendus ſit, ſuæque proviſionis executio impediatur, quemadmodum advertunt *Hoſtien. in cap. Cùm in multis num.* 4. *verſic. providè de reſcript. in* 6. *& idem Lotter. de benefic. lib.*2. *quæſt.*45. *num.*42. & in his expreſſis terminis reſpondit *Rot. deciſ.*44. *num.*23. *coram Duran. deciſ.*769. *nu.* 3. *verſ. quæ omnia in recent. deciſ.* 327. *num.*2. *par.* 15. *in Parmen. beneficii coram Eminentiſſimo Scotto, apud Modern. Roman. diſcept. Eccleſ.* 25. *num.* 40. *& diſcept.* 27. *nu.*63. *& ſeq. in Cremonen. beneficii* 3. *Decembris* 1706. *§. Præmiſſo enim cor. R.P.D. meo Lancetta, in dicta Tarraconen. beneficii* 11. *Aprilis* 1712. *§. Conſtito coram eodem, optimè in Vicen. beneficii* 17. *Februarii* 1713. *§. Ex quibus coram R.P.D. Aldrovando in Auguſtana Canonicatus ſuper literis Ludovici* 6. *Martii* 1713. *§. Pluribus coram R.P.D. meo Criſpo, in dicta Auguſtana Summæ Cuſtodiæ ſuper ſecundis literis* 21. *Junii* 1715. *§. Moti, &* 15. *Martii* 1716. *§: Firmum namque, & §. finali cor. R.P.D. meo Falconerio.*

Et ita utraque parte fortiter informante reſolutum fuit &c.

ARGUMENTUM.

Beneficium de Jurepatronatus Laicali, aut mixto vacans in menſe reſervato non cadit ſub reſervationibus Apoſtolicis; Quid ſi Juſpatronatus mixtum ſit diviſum per Turnum, & Beneficium vacet in Turno Patroni Eccleſiaſtici.

SUMMARIUM.

1 *Reſervationes Apoſtolicæ non afficiunt beneficia juriſpatronatus Laicalis, aut mixti*; & quare? Vide ibi.

2 *Diviſo jurepatronatus mixto per Turnum ſi beneficium vacet in Turno Patroni Eccleſiaſtici, & in menſe reſervato, eſt reſervationibus Apoſtolicis ſubjectum.*

CA-

CASUS II.

Fundavit de propriis bonis quidam Fundator beneficium cum reſervatione juriſpatronatus activi pro una voce favore eorum de propria Familia, & pro altera voce favore Præpoſiti Cathedralis A, præcepitque præſentationes fieri alternatim, & per turnum, ita ut in prima vacatione præſentarent illi de Familia; in ſecunda verò præſentare deberet Præpoſitus. Vacato beneficio menſe Februarii, & in turno ſpectante ad Præpoſitum, iſte præſentavit ad illud quemdam Clericum habilem, & idoneum; è contra alter Clericus impetravit idem beneficium à Sede Apoſtolica tamquam vacans in menſe reſervato; Quæritur in hoc caſu an hujuſmodi beneficium ſit Sanctæ Sedi reſervatum?

Videtur negativè reſpondendum agitur enim de jurepatronatus laicali, aut ſaltèm mixto, cùm beneficium fuerit erectum, & fundatum de bonis laicalibus, & juſpatronatus reſervatum perſonis tam laicis, quàm Eccleſiaſticis, nimirum pro una voce favore illorum de Familia, & pro altera voce favore Præpoſiti, unde S. Sedi nequit eſſe reſervatum, ſed quocumque menſe vacet, eſt ab Ordinario providendum ad præſentationem Præpoſiti, vel eorum de Familia, cùm reſervationes Apoſtolicæ non afficiant beneficia juriſpatronatus laicalis, aut mixti, & quidem optima ratione, quia cùm per eas adeptum remaneat Patronis exercitium facultatis præſentandi, ad quam à Fundatoribus vocati fuerant, hinc nè laici retrahantur à fundatione, conſtructione, & dotatione Eccleſiarum, aut beneficiorum, Summus Pontifex non intelligit in hoc *Canone* comprehendere beneficia juriſpatronatus laicalis, aut mixti, quod competat laicis titulo oneroſo. *Gloſſ. in cap. 2. verb. Collatio de præben. in 6.* ibi = *Unde ſæpius reperitur receptum in Curia Papam per hoc non conferre beneficia, quæ pertinent ad præſentationem laicorum* = *Alexand. conſ. 75. num. 1. volum. 4. Gemin. in cap. unic. in fin. de jurepat. in 6. Rocch. de curt. de jurepat. verb. Honorificum quæſt. 4. nu. 22. & ſeq. & quæſt. 24. nu. 54. Lambertin. eod. tract. lib. 2. par. 1. quæſt. 9. art. 22. & par. 3. lib. 2. quæſt. 9. art. 9. Gonzal. hic gloſſ. 18. nu. 1. & ſeqq. Garz. de benef. par. 5. cap. 1. num. 571. & ſeq. Rot. deciſ. 589. num. 2. coram Pamphil, & deciſ. 1263. per tot. coram Seraph. & in Parmen. beneficii 28. Januarii 1701. §. Et hinc coram Eminentiſſimo Scotto, & in Monaſterien. Vicariæ 12. Martii 1706. §. Minuſque coram R. P. D. Omanna, & in Cremonen. beneficii 14. Maji 1706. §. Abſque eo, quod coram R. P. D. Kaunitz, & in Monaſterien. beneficii 30. Januarii 1713. §. Minimè coram R. P. D. Aldrovando, & in Monaſterien. Canonicatus 19. Februarii 1714. §. Quod autem coram R. P. D. Anſaldo, & in Vicen. beneficii 17. Febr. 1713. §. E converſo cor. R. P. D. Aldrovando, & 19. Junii 1716. §. Prætermiſſo coram R. P. D. Rovault de Gamaches.*

At hoc non obſtante cenſeo in præſentiarum præfatum beneficium eſſe reſervatum; cùm vacaverit menſe Februarii, ex diſpoſitione hujus *Canonis* S. Sedi reſervato; adeò ut validè illud potuerit impetrari à Dataria Apoſtolica per ſupradictum Clericum.

2 Quin ullatenus adverſetur, quod ipſum beneficium ſit de jurepatronatus laicali, aut mixto; quoniam quamvis beneficia juriſpatronatus hujus naturæ, & qualitatis regulariter non comprehendantur ſub reſervationibus Apoſtolicis juxta auctoritates ſuperius relatas, tamen cùm in fundatione jus præſentandi fuerit diviſum per turnum inter Patronos laicos, & Eccleſiaſticos, videlicet inter eos de Familia Fundatoris, & Præpoſitum, & vacatio contigerit in turno Patroni Eccleſiaſtici, ſcilicet Præpoſiti, Uſus, ſeu exercitium præſentandi in hoc turno dicitur ſpectare ad Eccleſiam, & juſpatronatus in tali turno conſideratur tanquam merè Eccleſiaſticum, & conſequenter cadit ſub reſervationibus Apoſtolicis. *Joan. Andr. in cap. Cùm in illis §. final. de Preben. in 6. Garz. de benef. par. 5. cap. 1. num. 614. & ſeq. Vivian. de jurepat. par. 1. lib. 1. cap. 3. nu. 18. Rot. deciſ. 362. nu. 11. & deciſ. 383. num. 15 coram Priolo, & in Aprutina Beneficii 19. Junii 1705. §. Viſum enim coram Eminentiſſimo Scotto.* Quæ opinio hodie prævaluit contra *Lotterium* ut notavi ſuperius *Par. IV. Can. II. Caſ. V. n. 4.* Licet con-

contraria verior, & probabilior in theorica mihi videatur.

ARGUMENTUM.

Beneficium quando dicatur eſſe de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, aut Laicali.

SUMMARIUM.

1 *Qualitas juriſpatronatus quoad ejus Eccleſiaſticitatem, aut laicalitatem dignoſcitur ex bonis, quibus beneficium ſit fundatum: & ex perſonis, quibus juſpatronatus ſit reſervatum*; ut num. 2.

3 *Juſpatronatus relictum Cuſtodibus & Gubernatoribus Confraternitatis laicalis, eſt laicale*; & num. 15.

4 *Relictum verò Cuſtodibus, & Gubernatoribus Confraternitatis Eccleſiaſticæ eſt Eccleſiaſticum; licèt iidem Gubernatores ſint laici*, & quare? Vide num. 5. & 12.

6 *Juſpatronatus relictum Capitulo compoſito ex Canonicis, & Canoniſſis eſt Eccleſiaſticum.*

7 *Idem eſt, ſi ſit relictum operariis alicujus Eccleſiæ licèt laicis; aut aliis Perſonis laicis ratione adminiſtrationis Eccleſiaſticæ.*

8 *Idoneitas Proviſi Apoſtolici præſumitur probata, quando agitur de literis expeditis in forma gratioſa.*

9 *Papa ſolet derogare Juripatronatus Eccleſiaſtico, non verò laicali, niſi de eo fiat ſpecialis mentio.*

10 *Qualitas Eccleſiaſtica, aut laicalis Juriſpatronatus dignoſcitur ex bonis, quibus beneficium ſit fundatum.*

11 *Juſpatronatus ab initio laicale, ſi tranſeat ad perſonas Eccleſiaſticas, eſt Eccleſiaſticum.*

13 *Juſpatronatus relictum Adminiſtratoribus bonorum Eccleſiæ præſumitur relictum intuitu Eccleſiæ.* Amplia ut nu. 14.

CASUS III.

Cum in menſe reſervato vacaſſet beneficium de jurepatronatus à Fundatore relicto favore Gubernatorum, & Officialium cujuſdam Confraternitatis auctoritate Ordinarii erectæ; quidam Clericus exiſtimans idem beneficium eſſe juriſpatronatus Eccleſiaſtici, illud impetravit à Dataria Apoſtolica; Quæritur proindè an reverà dictum beneficium ſit juriſpatronatus Eccleſiaſtici; itaut valuerit impetrari tamquam reſervatum.

Suadent negativam reſolutionem hujus dubii tum qualitas bonorum, quibus beneficium hoc fuit erectum, tum qualitas perſonarum, quibus juſpatronatus fuit reſervatum; Reſpiciendo quidem ad bona, quibus beneficium fuit erectum, & fundatum iſta fuere merè laicalia, & patrimonialia ipſius Fundatoris; & conſequenter juſpatronatus dicitur laicale;
1 cùm qualitas juriſpatronatus quoad ejus laicalitatem, vel Eccleſiaſticitatem ad effectum judicandi an intrent nec nè reſervationes Apoſtolicæ dependeat à qualitate bonorum, quibus beneficium ſit fundatum, aut dotatum; etenim ſi beneficium ſit dotatum de bonis Eccleſiaſticis, juſpatronatus eſt Eccleſiaſticum, & reſervari non poteſt favore laicorum, ſi verò ſit dotatum de bonis laicalibus, eſt laicale, ad tradita per *Lotter de re benef. lib. 2. quæſt. 10. num. 2. Vivian. de jurepat. par. 1. cap. 3. num. 11. Card. de Luc. eodem tract. diſc. 59. num. 1. Rot. in Parmen. beneficii* 28. *Januarii* 1701. §. *Reſervatio coram Eminentiſſimo Scotto, & in Vicen. beneficii* 17. *Februarii* 1713. §. *Tantoque magìs coram R.P.D. Aldrovando.*

2 Inſpiciendo verò perſonas, quibus iſtud juſpatronatus fuit reſervatum illæ ſunt perſonæ laicæ, dum Gubernatores, & Officiales dictæ Confraternitatis ſunt laici, adeoque juſpatronatus etiam ex hoc capite erit laicale, quoniam pro ſtatuenda natura juriſpatronatus laicalis, ſeu Eccleſiaſtici non ſolùm attenditur, ex cujus bonis fiat erectio, ſed principaliter ſpectatur qualitas perſonæ, & quidem eſſentialis, non verò accidentalis, penès quam illud reſideat, ut notavi *Par. I. in Apparatu num.* 8. nam ſi ſit laica, vel Eccleſiaſtica, tale etiam dijudicari debet ipſum juſpatronatus, juxta *Vivian. de jurepatr. lib. 1. cap. 2. num. 9. Card. de Luc. eod. tract. diſc. 59. num. 13. Rot. deciſ. 103. num. 2. & deciſ. 48. num. 8. & deciſ. 560. num. 5. par. 18. rec. & in Aprutina beneficii* 19. *Junii* 1705. §. *Etiamſi coram Eminentiſſimo Scotto, & in Aſtoricen. beneficii* 21. *Januarii* 1715. §. *Atque ex his coram R. P. D. Cerro.*

Quin

3 Quin oſiſtere poſſe videatur, quod agatur de jurepatronatus reſervato Gubernatoribus, & Officialibus Confraternitatis Eccleſiaſticæ, quia pluries *S. Rot.* definivit juſpatronatus relictum Cuſtodibus, & Gubernatoribus Confraternitatum eſſe laicale, ut in *deciſ.* 130. *num.* 1. *coram Duran.* ibi = *Et fuit reſolutum juſpatronatus eſſe laicale; Ratio reſolutionis fuit, quia dicta Confraternitas eſt Confraternitas laicorum, & Confratres non induuntur, aut diſtinguuntur aliquo ſigno Religionis, & beneficium fuit à laico fundatum, ac de bonis prophanis, cujus propterea juſpatronatus, juxta magìs communem, & receptam opinionem, eſt laicale* = *Et deciſ.* 661. *nu.*4. *par.*19. *rec. tom.* 2. ibi = *In hiſce enim terminis ſpectatur qualitas laicalis perſonarum componentium dictam Confraternitatem, & juxta eamdem qualitatem, etiam juſpatronatus induere, & retinere dicitur naturam laicalem* =

4 At his minimè attentis cenſeo hujuſmodi beneficium eſſe juriſpatronatus Eccleſiaſtici, & conſequenter reſervationibus Apoſtolicis ſubjectum; Etenim fuit reſervatum à Fundatore juſpatronatus Gubernatoribus, ſeu Cuſtodibus, & Officialibus Confraternitatis Eccleſiaſticæ, utpote auctoritate Ordinarii erectæ, ac proinde aſſumpſit naturam, & qualitatem Eccleſiaſticam, ad *Text. in cap. unic. de jurepatr. in 6.* de quo ſupra *Par. III. Can. unic. Rot. deciſ.* 661. *num.* 5. *verſ. Diſtinguendum eſt par.*19.*rec. & in Monaſterien. Vicariæ* 12.*Martii* 1706. §. *Indeque coram R.P.D. Omanna*, *& in Ortonen. beneficii* 10. *Junii* 1709. §. *Præterea coram R.P.D. Polignac.*, *& in Hildeſimen. Canonicatus* 16. *Martii* 1716. §. *final. coram R. P. D. Criſpo*, *inferius legen.*

Abſque eo, quod quidquam officiat, quod Gubernatores, & Officiales prædicti ſint perſonæ laicæ; quia cùm ipſi ſint addicti ſervitio Confraternitatis Eccleſiaſticæ, & repræſentant Confraternitatem Eccleſiaſticam, in reſervatione juriſpatronatus, hoc non cenſetur eis relictum uti laicis, ſed uti repræſentantibus cœtum, ſeu opus pium, & Eccleſiaſticum, quod ſufficit, ut juſpatronatus verè Eccleſiaſticum dici debeat, ex adductis in dicta *Hildeſimen. Canonicatus* §. *Nihil adverſante*, *hic impreſſa*. Ex qua ratione videmus, quod juſpatronatus relictum Capitulo compoſito ex Canonicis, & Canoniſſis, iſtæ licèt ſint perſonæ laicæ, tamen juſpatronatus eſt Eccleſiaſticum, ut fuit reſolutum à *S. Rota in Monaſterien. Vicariæ* 12.*Martii* 1706. §. *Enim*

7 *verò cum ſeqq. cor. R. P. D. Omanna*. Idem fuit reſolutum in jurepatronatus reſervato Operariis alicujus Eccleſiæ licèt laicis in *Barchinonen. beneficii* 12. *Junii* 1686. *coram clar. mem. Card. Matth. & in Monaſterien. Canonicatus* 19. *Februarii* 1714. *cor. R.P.D. Anſaldo ſuperius impreſſ. Caſ. I. num.* 16. Ac in jurepatronatus relicto quibuſdam Capitaneis Poloniæ, quamvis merè laicis ratione adminiſtrationis bonorum Eccleſiaſticorum, *in Cracovien. Cantoriæ* 25. *Januarii* 1700. *cor. R. P. D. Lancetta*, *&* 11. *Martii*, *&* 6. *Junii* 1701. *coram bo. me. Eminentiſs. Caprara*. Et denique in jurepatronatus reſervato Mamburnis cujuſdam Eccleſiæ Diœceſis Leodien., quamvis merè laicis, ratione miniſterii, & ſuperintendentiæ, quam ipſi habere debent ſupellectilibus ſacris, & introitibus ejuſdem Eccleſiæ in *Leodien. beneficii* 26. *Februarii* 1706. *coram Eminentiſſimo Priolo*.

Nec contrariantur deciſiones ſuperius in contrarium relatæ num. 3. quia illæ loquuntur de Confraternitate merè laicali; non verò de Confraternitate Eccleſiaſtica, prout eſt hæc, de qua agitur.

R. P. D. CRISPO

Hildeſimen. Canonicatus.

Lunæ 16. *Martii* 1716.

IN Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ in Cartallo ex pia largitate Conolphi Eccleſiæ Cathedralis Hildeſimen. perpetui Vicarii auctis tam dotibus quinque Canonicatuum jam ibi exiſtentium, & ad liberam Epiſcopi collationem ſpectantium, quàm aliis tribus *ex bonis*, *& eleemoſynis ſibi à Deo collatis* denuo fundatis, Epiſcopus Hildeſimen. accedente etiam Auctoritate Apoſtolica, ac ſui Capituli conſenſu, juſpatronatus dd. ſingulorum Canonicatuum primo ad favorem ipſius Conolphi Fundatoris reſervavit; poſtmodum vero jus nominandi attribuit laicis

cis equè, ac Clericis ab ipſo tamen Epiſcopo, & Canonicis ad officium Advocatorum, ſeu adminiſtrationem bonorum ejuſdem Capituli pro tempore aſſumendis, qui ad Canonicatus præfatos juxta ordinem in dicta reſervatione juriſpatronatus præſcriptum per Turnum præſentarent.

Per liberam reſignationem alterius ex his Canonicatibus à Conulpho fundatis Ignatius Schmid à S. Sede de illo in forma gratioſa provideri obtinuit, cujus proviſionis vigore mediante Decreto Exequutoris de partibus, Canonicatus etiam poſſeſſionem fuit adeptus; Verùm quia Deputatus in Advocatum novæ Civitatis Hildeſimen. tamquam unus ex Patronis, ad quos fuerat juſpatronatus reſervatum, Canonicatum in ſuo turno vacaſſe contendebat, ad eumque præſentaverat filium ſuum, indè ad Signaturam Juſtitiæ una cum aliis Compatronis confugit, appellationem nedum à literarum Apoſtolicarum demandata exequutione expoſtulando, quam etiam ſubſequutæ poſſeſſionis circumſcriptionem, & in omnibus voti compotes Patroni prædicti effecti extiterunt. Unde Rotæ judicio literarum Apoſtolicarum exequutione delegata curavit in hac audientia Proviſus Apoſtolicus, ut dubium commiſſioni conformè diſcuteretur, & Patronis, qui in Signatura Juſtitiæ commiſſionem reportarunt minimè comparentibus, pro literis Apoſtolicis ipſius Ignatii favorabile reſcriptum emanavit *Non intrare arbitrium pro retardatione*.

8 Pro exequendis literis Apoſtolicis Ignatii omnino urgebat, quod illæ in omnibus plenè juſtificatæ dicebantur, namque ipſius idoneitas, cùm agatur de literis expeditis in forma gratioſa in Dataria, jam probata præſumebatur *Rot. coram Merlin. deciſ.* 141. *num.* 11. *in recent. deciſ.* 160. *num.* 4. *par.* 15. *in Abulen. Cappellaniæ* 28. *Junii* 1715. §. 2 *coram R.P.D. meo Anſaldo*, & nuper *in Monaſterien Canonicatus* 22. *Januarii* 1716. §. *Quantum coram R.P.D. meo Lancetta.* Expreſſio vero valoris facta per non exceſſum in vigintiquatuor ducatis ulteriori juſtificatione non indigebat, dum in Canonicatibus Germaniæ juxta concordata valor ita exprimi aſſolet, de quo *Card. de Luc. de benef. diſc.* 90. *num.* 15. *Rot. deciſ.* 69. *nu.* 3. *par.* 12. *in Monaſterien. Canonicatus* 28. *Junii* 1709. §. *Literæ Siquidem coram Me, & in Monaſterien. Vicariæ* 3. *Aprilis* 1713. *ſub* §. *Illæ enim coram R. P. D. meo Lancetta*. Quoties autem literæ plenè juſtificatæ docentur, illarum utique exequutio retardari non debet, *vulgat. cap. ſi Capitulo de conceſſ. Præbend. & cap. ex literis de reſcript. Rot. deciſ.* 150. *num.* 1. *& ſeqq. par.* 17. *cor. Emerix jun. deciſ.* 1176. *num.* 1. *in Aurrana beneficii ſuper exequutione literarum Apoſtolicarum* 16. *Junii* 1710. §. *Quod autem coram Eminentiſſimo Priolo, & in Compoſtellana Præſtimonii* 3. *Martii* 1713. §. *Cùm etenim coram Eminentiſſimo Scotto*.

Unica quodammodo exceptio pro retardanda exequutione prædicta in eo poterat reſidere, quod in literis Apoſtolicis vigore reſignationis expeditis nulla mentio facta fuerit juriſpatronatus favore Advocatorum Capituli reſervati; Unde hoc attento merito vereri videbatur gratiam Apoſtolicam Patronorum jus tollere neutiquam valere ex firmatis *in Vicen. Beneficii* 17. *Februarii* 1713. §. *E converſo, & ſeqq. cor. R.P.D. Aldrovando, & in Monaſterien. Canonicatus* 19. *Februarii* 1714. §. *Quod autem cor. R.P.D. meo Anſaldo*; Verùm hæc fortaſſe urgerent, qua-
9 tenus ageretur de jurepatronatus laicali, & laicis perſonis reſervato, juxta proximè deductas Auctoritates, ſed cùm verſemur in jurepatronatus Eccleſiaſtico, eo ipſo quod Papa Canonicatum Ignatio contulit, juripatronatus derogaſſe dicitur, ad differentiam alterius Patronatus laicalis, quod ad ſui derogationem expreſſam declarationem requirit, ut benè diſtinguunt *Vaſquez in opuſc. de beneſic. cap.* 2. §. 1. *dubit.* 8., *Covarruv. pract. quæſt. cap.* 36. *num.* 2. *& ſeqq. Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 18. *num.* 5. 6. *&* 7. *Lambertin. de jurepatr. lib.* 3. *quæſt.* 10. *num.* 29. *Murg. de benef. quæſt.* 3. *num.* 24. *Rot. in Cracovien. Cantoriæ* 25. *Januarii* 1700. §. *Quamvis cor. R. P. D. meo Lancetta*.

10 Quod autem præſens juſpatronatus Eccleſiaſticam naturam ſortiatur ipſius reſervationis Diploma manifeſtum poſtmodum reddit, in eo, namque exprimitur, quod in Collegiata Eccleſia Sanctæ Mariæ Magda-

Magdalenæ Canonicatibus numero quinque exiſtentibus, & ad proviſionem Epiſcopi ſpectantibus Conulphus piiſſimus Fundator approbante Epiſcopo, & Capitulo Cathedrali, & auctorante ipſomet Summo Pontifice, poſtquam pinguioribus redditibus illos augere curaverit præter antiquos alios tres de novo ex integro fundaverit: Cùm igitur ex hoc pateat juriſpatronatus fundationem provenire tam à Perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, quàm ex bonis Eccleſiæ, ſeu eleemoſynis, cum alia præter illa Fundatorem poſſediſſe non conſtet; in hoc planè caſu juſpatronatus Eccleſiaſticam qualitatem imbibitam habere dicitur, tum habito reſpectu ad Fundatoris Perſonatum, ad bona, quemadmodum pro arguenda qualitate juriſpatronarus Eccleſiaſtici ad effectum ſuſtinendi proviſionem Papæ conſiderant *Text. in Clement.* 2. ibique *gloſſ. in verb. præſentare de jurepatronat. Abb. conſ.* 57. *ſub num.* 5. *ad fin. verſic. autem patronatus lib.* 1. *Murg. de benef. qu.* 3. *ſect.* 2. *nu.* 23. *Gonzal. loc. cit. num.* 5. *Corrad. in praxi benefic. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 45. *&* 84. *Garz. de benef. par.* 5. *cap.* 1. *nu.* 593. *Rubeus de Teſtament. cap.* 56. *num.* 75. *& ſeqq. Tondut. quæſt. & reſol. beneficial. cap.* 153. *nu.* 6. *lib.* 2. *Rot. in Parmen. Beneficii* 1. *Martii* 1700. §. *Neque obſtare verſ. inde præterea &* 28. *Januarii* 1701. §. *Reſervatio coram Eminentiſſimo Scotto, in Cracovien. Cantoriæ* 11. *Martii* 1711. §. *Quoties coram clar. mem. Card. Caprara, & in Vicen. Beneficii* 17. *Februar.* 1713. §. *Tantoque magìs coram R. P. D. Aldrovando*.

Sed ab his etiam præciſivè hoc juſpatronatus Eccleſiaſticam qualitatem induere comprobatur, ex quo exercitium juriſpræſentandi poſt ipſum Fundatorem, qui erat Eccleſiaſticus, reſervatum legi-
11 tur Advocatis, ſeu Adminiſtratoribus bonorum Eccleſiæ Collegiatæ ab Epiſcopo, & Capitulo ad hujuſmodi munus aſſumendis, qui ratione officii, cùm Eccleſiaſtici reputentur; hinc etiam ſi juſpatronatus ab initio laicale haberetur, adhuc novam, & diverſam naturam Eccleſiaſticitatis juxta Patronorum Perſonas acquiſiviſſet priorem laicalem quidditatem penitus deſerendo, ut benè in terminis *Vivian de jurepatr. lib.* 1. *cap.* 3. *nu.* 13. *Lambert. eodem tract. lib.* 1. *par.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 10. *num.* 6 *&* 7. *Pariſ. de reſignat. benefic. lib.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 39. *Murg. de benefic. quæſt.* 3. *nu.* 22. *Rot. in Monaſterien. Vicariæ* 12. *Martii* 1706. §. *Nec qualitas coram bon. mem. Omanna, in Tarraconen. Cappellaniæ* 17. *Januarii* 1707. §. *Tantoque magìs coram R.P.D. meo Lancetta, & in Monaſterien. Canonicatus* 19. *Februarii* 1714. §. *Admittebatur coram R. P. D. Anſaldo*.

Nihil adverſante, quod dd. Advocati,
12 ſeu Adminiſtratores non ſint Perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed quidem pro majori eorum parte laici, nam ad effectum, ut juſpatronatus ob Perſonas præſentare debentes qualitatem Eccleſiaſticam impreſſam dicatur habere, non attenditur laicalitas ipſorum Patronorum, ſed locus Pius, & Eccleſiaſticus, quem dd. laici repræſentant; Unde, cùm Adminiſtratores, ſeu Advocati bonorum Eccleſiæ, & Capituli Collegiatæ S. Mariæ Magdalenæ adminiſtrationem rei Eccleſiaſticæ retineant, & ab ipſo Capitulo, & Epiſcopo ſint deputati, & quibus ob eam cauſam ſubjiciuntur non ipſis utì Perſonis particularibus, & laicis juriſpatronatus per Fundatorem reſervatum præſumitur, ſed ipſi cœtui, ſeu operi pio, & Eccleſiaſtico, cui dd. laici præficiuntur, & hoc ſatis eſſe videtur, ut juſpatronatus verè Eccleſiaſticum debeat conſiderari, ut in individualibus terminis juriſpatronatus laicis relicti, qui ſint Adminiſtratores bonorum Eccleſiæ, ſeu illius Operarii *Gambar. de offic. & poteſt. legat. lib.* 3. *nu.* 66. 390. *&* 415. *Rebuff. in prax. benef. tit. de præſentat. & Inſtit. num.* 6. *&* 10. *fol.* 23. *Garzias de benef. par.* 5. *cap.* 1. *num.* 600. *& ſeqq. Viuian. de jurepatr. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 13. *Ricciull. lucubr. Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 13. *nu.* 4. *Lambertin. de jurepatr. lib.* 1. *par.* 1. *qu.* 1. *art.* 10. *num* 6. *&* 7. *Corrad. in prax. benef. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 51. *Rot. in Cracovien. Cantoriæ* 25. *Januarii* 1700. §. *Verum etiam coram R. P. D. Lancetta, &* 11. *Martii* 1701. §. *Tum quia coram clar. mem Card. Caprara, in Leodien. Beneficii* 26. *Februarii* 1706. §. *Sed procedendo coram Eminentiſs. Priolo, &* 29. *Novembris* 1706. §. *Non attento coram bon. mem. Omanna, & in Tarraconen. Cappellaniæ* 17. *Januarii* 1707. §. *Non attento coram R. P. D. meo Lancetta, & ad-*

miſſum fuit in d. Monaſterien. Canonicatus 19. Februarii 1714. §. *Admittebatur coram R.P.D. meo Anſaldo*.

13 Et nulla profectò adeſſe poteſt hæſitatio, quod Advocati, & Adminiſtratores bonorum Eccleſiæ non utì Perſonæ merè laicæ fuerint à Fundatore conſideratæ, nec tales valeant in ſe dijudicari veluti, quia ſint ad ſolum, & nudum miniſterium revidendi computa Eccleſiæ, & adminiſtrandi bona Præpoſiti, quod cuicumque Perſonæ privatæ, & laico poteſt committi. Quoties enim munus iſtorum Adminiſtratorum rei ſacræ inhæret, & ſervitium qualecumque ſit ipſi Eccleſiæ præſtatur, juſpatronatus eiſdem Adminiſtratoribus non alio impulſu, & fine reſervatum cenſetur, quàm intuitu Eccleſiæ, cujus ſunt Advocati, & Miniſtri, non autem intuitu ipſarum particularium Perſonarum, cùm officia in Perſonis, non autem Perſonæ in officiis contemplata dicantur *Corrad. in prax. beneficiar. d. lib.*4. *cap.*2. *Rot. in Barchionen. Beneficii* 16 *Januarii* 1688. §. *Non enim coram Cardinali Matthejo*, *in Leodien Beneficii* 26.*Februarii* 1706. §. *Neque obſtat*, *& ſeq. cor. Eminentiſs. Priolo*, *&* 29. *Novembris ejuſd. anni* 1706. §.*Non attento cor. bo. me. Omanna*.

14 Præſertim quia veriſimile non eſt Fundatorem intuitu Perſonarum juſpatronatus his laicis voluiſſe reſervare, quando Perſonæ prædictæ præſentare debentes ipſi Fundatori incognitæ reddebantur, cùm de die in diem mutari valerent, ut ad hunc effectum in puncto obſervat *Rot. in Leodien. Beneficii* 25. *Februarii* 1707. §. *Quin ad eliciendum cor. bo.me. Omanna*; Animadverſo ulteriùs, quod ſicuti cùm ab Epiſcopo, & Capitulo Miniſtri bonorū Eccleſiæ deputantur, hinc attenta qualitate, & dignitate Eccleſiaſtica reſidente in Perſonis à quibus dicti Miniſtri eorum officium recognoſcunt, & acquirunt, eo magis non ipſis laicis, ſed Eccleſiæ, cujus adminiſtrationem retinent juſpatronatus cenſetur reſervatum, ut ad rem fuit animadverſum *in Cracovien Cantoriæ* 11. *Martii* 1701. §.*Tum quia*, *&* 6.*Junii ejuſdem anni*, §. *Reſpectu cor. clar.mem. Card. Caprara*.

15 Hæc utique opinio pro qualitate Eccleſiaſtica juriſpatronatus à Doctoribus, & Rota in ſingulis caſuum occurrentiis conſtanter amplexa interverti in aliquo non valebit, ex eo quod circa juriſpatronatus relictum Operariis, ſeu Cuſtodibus Confraternitatum pro qualitate laicali aliquando Rota reſponderit, *ut coram Duran. deciſ.* 130. *coram Card. Cerro deciſ.*722. *in recent. deciſ.*661.*par.*19.; Quoniam deciſiones præfatæ, & quotquot aliæ poſſent allegari procedere fortaſſe poterunt, ubi agitur de jurepatronatus reſervato favore Operariorum, & Cuſtodum Confraternitatis laicalis auctoritate Epiſcopi non erectæ, quo caſu adeſſe dicitur defectum eſſentiæ Eccleſiaſticitatis in officio, cui Operarii, & Cuſtodes præfati incumbunt, prout in hoc themate loquuntur Deciſiones enunciatæ; Cùm de cætero quoties res eſt de adminiſtratione corporis, & bonorum Eccleſiaſticorum, cujus ratione Arminiſtratoribus competit jus præſentandi; hoc caſu juſpatronatus ſemper Eccleſiaſticum fuit reputatum, ut præfatas auctoritates declarando ſolidè ſtatuit *Rot. in d. Cracovien. Cantoriæ* 6.*Junii* 1701. §. *Reſpectu verò coram clar.mem. Card. Caprara*, *& in Leodien. Beneficii* 26. *Februarii* 1706. §. *Deciſiones autem coram Eminentiſſimo Priolo*.

Et ita altera tantùm &c.

CA-

CANON XXIV.

CLEMENS XI. Regula 36, Cancellariæ;

ITem ſtatuit, & ordinavit idem D. N., quod ſi quis quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica qualiacumque ſint, abſque ſimoniaco ingreſſu, ex quovis titulo, Apoſtolicâ, vel Ordinaria collatione, aut electione, & electionis hujuſmodi confirmatione, ſeu præſentatione, & inſtitutione illorum, ad quos Beneficiorum hujuſmodi collatio, proviſio, electio, & præſentatio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet, per triennium pacificè poſſederit (dummodo in Beneficiis ejuſmodi, ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ex reſervatione in generali corpore Juris clauſa reſervata fuerint, ſe non intruſerit) ſuper eiſdem Beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de Beneficiis ipſis ſic poſſeſſis factas, irritas, & inanes cenſeri debere decrevit, antiquas lites ſuper illis motas penitùs extinguendo. Ann. 1700.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone iſta deducitur concluſio:

POSSIDENS PACIFICE BENEFICIUM PATRONALE PER TRIENNIUM AD PRÆSENTATIONEM ILLIUS, AD QUEM SPECTAT JUSPATRONATUS, NEQUIT SUPER EODEM BENEFICIO TALITER POSSESSO MOLESTARI, DUMMODO NON HABUERIT INGRESSUM SIMONIACUM, AUT EX TITULO RESERVATIONIS IN CORPORE IURIS CLAUSO =

Quam concluſionem ſequuntur etiam *Gomes ſuper Regula de Triennal. in præfat. & qu.9. Antonell. de temp. legal. lib. 2. cap. 53. num. 1. Caſſador. deciſ. 5. num. 5. de reſtit. ſpoliat. Card. de Luc. de benef. diſc. 91. num. 1. & ſeq. Rot. deciſ. 280. num. 1. & ſeq. cor. Buratt., & deciſ. 171. num. 1. & ſeq. coram Bich. & deciſ. 392. num. 10. & ſeq. coram Celſo, & deciſ. 327. num. 4. coram Cerro, & deciſ. 609. num. 5. par. 18. & deciſ. 423. num. 17. & ſeqq. par. 19. rec. & in Conchen. Præſtimonii 17. Januarii 1701. §. Verum, & §. Non relevante coram Eminentiſſimo Priolo, & in Treviren. Canonicatus 6. Martii 1716. §. Ipſi ſiquidem cor. R.P.D. Criſpo.*

1 Per hunc Canonem ex Decreto Concilii Baſilien. deſumptum, ut teſtantur *Gomes hic in præfat. Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 53. num.* 2. liberat Summus Pontifex triennalem poſſeſſorem beneficii ſive liberi, ſive patronalis à quibuſcumque moleſtiis eorum, qui tanto temporis ſpatio jus ſuum petere neglexerunt, dummodò ingreſſus in beneficium non fuerit ſimoniacus, aut hoc non fuerit reſervatum S. Sedi ex generali reſervatione in corpore juris clauſa. Statuit autem in tuendo hujuſmodi poſſeſſore triennium, quia cùm veteres Legislatores in actibus judicialibus, & extra judicialibus multum huic numero ternario tribuerint, ut pluribus legum exemplis oſtendere conatur idem

Gomes hic quæſt. 1., Papa ad horum immitationem potiùs triennium, quàm aliud tempus præfixit.

Quoad hanc concluſionem ſequens examinatur Caſus.

ARGUMENTUM.

Inſtitutus ab Ordinario in Beneficio patronali vacato per obitum Familiaris Cardinalis, & illud pacificè poſſidens per triennium, an ſucceſſivè moleſtari poſſit, & beneficium impetrari, ſi appareat ingreſſum in illud fuiſſe ſimoniacum, ſimonia commiſſa à Patre Inſtituti, ſeu Beneficiati, hoc penitùs ignorante.

SUMMARIUM.

1 *Regula Triennalis ſuffragari non poteſt poſſidenti beneficium ex titulo ingreſſus ſimoniaci; Limita*, ut num. 11. *neque ſi beneficium ſit reſervatum. Limita*, ut num 12.

2 *Enumerantur requiſita ad hoc ut Regula de Triennali locum habeat*, & num. 3. 4. 7. & 8.

5 *Interruptio poſſeſſionis Triennalis ſi habuit originem à lite judiciali, durat non obſtante quocumque collitigantis ſilentio, ſi verò procedat à moleſtiis, iſtis ceſſantibus, ceſſat & ipſa interrumptio.*

6 *Lis ſi fuerit introducta poſt annalem poſſeſſionem an impediat curſum triennalis poſſeſſionis.*

7 *Regula de Triennali non intrat in beneficiis unitis.*

9 *Regula de Triennali locum non habet contra incompatibilitatem beneficiorum inductam à Concilio.*

10 *Regula de Triennali tuetur Poſſeſſorem in judicio tam petitorio, quàm poſſeſſorio.*

CASUS UNICUS.

VAcato Beneficio Patronali A extra Curiam per obitum Familiaris cujuſdam Cardinalis; quidam obtinuit præſentari à Patrono proprium Filium, mediante pecunia, id eo penitùs ignorante; qui fuit inſtitutus ab Ordinario; & beneficium pacificè poſſedit per triennium; Quæritur an hujuſmodi Poſſeſſor beneficii ſucceſſivè moleſtari poſſit, & beneficium à S. Sede impetrari.

Affirmativam dubii reſolutionem ſuadet exceptio expreſſa hujus *Canonis*; Liberat enim hujuſmodi *Canon* triennalem Poſſeſſorem beneficii à quibuſcumque moleſtiis, exceptis caſibus ſimoniaci ingreſſus in illud, & reſervationis; utraque exceptio in præſentiarum concurrere videtur; ſi quidem ingreſſus in hoc beneficium patronale fuit ſimoniacus, dum Pater Inſtituti, ſeu Poſſeſſoris beneficii obtinuit illum præſentari à Patrono, interveniente pecunia; Et Beneficium eſt S. Sedi reſervatum in vim *Regulæ quartæ Cancellariæ*;

1 Ex quo ſequitur quòd Regula de Triennali huic Beneficiato ſuffragari minimè poſſit *Card. de Luc. de benefic. diſc.* 135. *num.* 5. *Rot. deciſ.* 423. *num.* 19. *& ſeq. par.* 19. *recent. & in Conchen. Præſtimonii* 17. *Januarii* 1701. §. *Non relevante cor. Eminentiſs. Priolo.*

2 At veritas eſt in contrarium. Etenim ad hoc, ut habeat locum Regula de Triennali requiritur primo Triennalis poſſeſſio, & titulus ſaltem coloratus, vel ſaltem quod effluxerint anni decem ad illum præſumendum; *Gomes hìc qu.* 45. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 53. *num.* 14. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 91. *num.* 13. *&* 16. *& diſc.* 135. *num.* 5. *Rot. diſc.* 130. *num.* 9. *& ſeq. coram Celſo, & deciſ.* 294. *num.* 1. *coram Roxas, & deciſ.* 264. *num.* 4. *par.* 9. *& deciſ.* 238. *num.* 8. *par.* 12. *recent.* Se-

3 cundo requiritur quod hujuſmodi poſſeſſio concludenter probetur integrè uſque ad ultimum momentum. *Card. de Luc. de benef. d. diſc.* 91. *num.* 9. *Rot. coram Celſo ubi ſupra, & deciſ.* 238. *num.* 3. *par.* 12.

4 Requiritur tertio quod ipſa ſit pacifica, & nullatenùs interrupta, quod evenire poteſt dupliciter, nimirùm per litem, aut per moleſtias extra judiciales ac de facto, dummodò iſtæ interpoſitæ ſint vel ad impediendam poſſeſſionem, vel ad removendam fructuum perceptionem. *Card. de Luc. d. diſc.* 91. *nu.* 21. *& ſeq. Rot. deciſ.* 171. *num.* 26. *cor. Bich. & deciſ.* 699. *num.* 2. *& ſeq. coram Buratt. & deciſ.* 609. *nu.* 7. *& ſeq. par.* 18. *& deciſ.* 423. *nu.* 22. *par.*

par. 19. *rec.* cum hac tamen differentia
5 quod ſi interruptio originem habuit à lite judiciali, durat non obſtante quocumque collitigantis ſilentio, & impedit inchoare novam poſſeſſionem, ſi verò proveniat à moleſtiis extra judicialibus, harum proſequutione ceſſante, ceſſat interruptio, & non impeditur quo minus incipere poſſit novum triennium aptum, & ſufficiens ad hoc, ut habere poſſit locum Regula *Card. de Luc. ubi ſupra num.* 26. *Rot deciſ.*294. *num.*28. *& ſeq. cor. Roxas*, *& deciſ.* 264. *num.* 32. *& ſeqq. par.*9. *rec.*

6 Animadvertendo tamen, quòd ſi lis fuerit introducta poſt annalem poſſeſſionem, hæc annalis poſſeſſio facit, ac ſi lis non fuiſſet introducta, adeò ut non impedit curſum triennalis poſſeſſionis. *Gomes ſuper regul. de annal. quæſt* 81. *num.* 2. *Rot. deciſ.* 263. *num.* 6. *& deciſ.* 345. *num.* 10. *par.*17. *& deciſ.*609. *par.*18. *& in Conchen. Præſtimonii* 17. *Januarii* 1701. §. *Non relevante coram Eminentiſſimo Priolo*.

7 Requiritur quarto, quod beneficium non ſit unitum, quia Regula non intrat in beneficiis unitis, eo quia in unitis non datur vacatio, & conſequenter nec poſſeſſio, *Tondut. quæſt. benef.* 85. *num.* 62. *Card. de Luc de benef. diſc.* 135. *nu.*8. *Rot. deciſ.* 202. *in fin. cor. Cavaler. & dec.*551. *coram Coccin.*

8 Requiritur denique, quod poſſeſſio non ſit contra Decreta S. Concilii Tridentini *c.*4. *ſeſſ.*7. *& c.*17. *ſeſſ.* 24. *& c.*15. *ſeſſ.*25. *de refor.* quoniam ſi quis poſſideret beneficium contra diſpoſitionem horum Decretorum, e.g. ſi quis poſſideret per triennium duo beneficia incompatibilia, ei
9 ſuffragari non poſſet Regula de triennali quia hæc locum non habet contra incompatibilitatem inductam ex diſpoſitione S. Concilii Tridentini habentis Decretum irritans. *Fagnan. in cap. De Multa de Præbend. num.* 48. *Garz. de benef. par.* 11. *quæſt.* 5. *num* 379. *Gomes ſuper hac Regula quæſt.* 10. *Barboſ. ad Concil. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 17. *num.*51. *Panimoll. deciſ.* 31. *adnot.* 1. *num.* 48. *Rot. in Friſingen. Canonicatus* 9. *Januarii* 1705. §. *final. coram Eminentiſſimo Scotto*; *& in Auguſtana Canonicatus* 27. *Januarii* 1714. §. *final. cor. R.P.D. Criſpo*, *& in Monaſterien. Canonicatus* §. *Alterum* 13. *Maji* 1715. *coram R. P. D. Falconerio*.

Hæc omnia requiſita concurrunt in caſu præſenti; dum præfatus Poſſeſſor poſſedit beneficium cum titulo, ſaltem colorato, videlicet ex inſtitutione reportata ab Ordinario ad præſentationem Patroni; per integrum triennium, & pacificè, abſque ulla interruptione, & reſiſtentia ſupradictorum Decretorum S. Concilii; & beneficium, quod ita per triennium poſſedit non eſt unitum; unde per neceſſe intrat
10 ad ejus favorem diſpoſitio hujus *Canonis*, qui tuetur Poſſeſſorem in quovis judicio tam petitorio, quàm poſſeſſorio, adeò ut iſte moleſtari ampliùs non valeat, ex quocumque defectu, quem ejus titulus pati poſſit. *Rot. deciſ.* 264. *num.* 1. *par.* 9. *& deciſ.* 423. *num.* 17. *par.* 19. *recent. & in Treviren. Canonicatus* 16. *Martii* 1716. §. *Ipſi ſi quidem cor.R.P.D.Criſpo*; *& in Colonien.Canonicatus S.Urſulæ* 17. *Junii* 1718. §. *Præterea cor.R.P.D.Foſcaro.* & aliæ Auctoritates *in Comment.* relatæ.

11 Non obſtat, quod ingreſſus in hujuſmodi beneficium fuerit ſimoniacus, quia ſimonia fuit commiſſa non per Poſſeſſorem beneficii, ſed per ejus Patrem eo penitùs ignorante, ac nullatenus cooperante, quo caſu triennalis poſſeſſio prodeſt poſſidenti beneficium ex titulo infecto ſimoniæ, vel confidentiæ ita commiſſæ, ut expreſsè tuetur *Gomes ſuper hac Regula quæſt.* 12. §. *Et iſta* ibi = *Et iſta*, *quæ dicta fuerunt*, *procedunt in ſciente ſimoniaco*, *ſecùs in ignorante*; *ut quia pater*, *vel frater aliquid dedit pro dando beneficio filio*, *vel fratri*, *eo penitùs inſcio*, *quia talis ignorans benè defenderetur Regula* = *Mantic. deciſ.* 211. *nu.* 3. §. *Et quamvis* ibi = *Et quamvis confidentia in ejus collatione fuerit commiſſa ab ejus patre*, *nihilominus filio ignoranti adhuc competit exceptio dictæ Regulæ de triennali*. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 91. *num.* 6.

12 Minuſque adverſatur, quod ſupradictum beneficium ſit ex capite familiaritatis reſervatum, quia Regula triennalis excipit tantùm reſervationem in corpore juris clauſam, nempe ob vacationem per obitum apud Sedem juxta *Text. in cap.* 2. *& cap. præſenti de præben. in* 6. ita ut quælibet alia reſervatio non ſufficit ad elidendam triennalem poſſeſſionem. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 132. *num.* 9. *Rot. deciſ.* 264. *num.* 6. *par.* 9. *rec.*

CA-

CANON XXV.

CLEMENS XI. Regula 42. Cancellariæ.

Ann. 1700. ITem voluit, quod ſuper quovis Beneficio Eccleſiaſtico de jurepatronatus laicorum non expediantur literæ, niſi ponatur expreſsè, quod tale Beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apoſtolicam legitimè eſt devoluta, vel quia tempus Patronis laicis ad præſentandum à jure præfixum lapſum exiſtat, aut ad id Patronorum ipſorum accedat aſſenſus. Etſi per ipſum juripatronatus hujuſmodi derogari contigerit, juriſpatronatus hujuſmodi mentio, diſpoſitivè, ac ſpecificè, & determinatè, non autem conditionaliter fiat, ſi illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat. Etſi de hoc in literis proviſionis, vel mandato de providendo de dicto Beneficio, ſimilis mentio facta non fuerit, non cenſeatur quomodolibet derogatum.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones.

Prima = IMPETRANS BENEFICIUM DE JUREPATRONATUS LAICORUM JURE DEVOLUTO, LITERAS IMPETRATIONIS EXPEDIRE NON POTEST, NISI FIAT MENTIO, QUOD TALE BENEFICIUM TANTO TEMPORE VACAVERIT, QUOD EJUS COLLATIO AD SEDEM APOSTOLICAM LEGITIME SIT DEVOLUTA, VEL QUIA PATRONI NON PRÆSENTARUNT IN TEMPORE, VEL QUIA AD ID PATRONORUM IPSORUM ACCEDAT ASSENSUS =

Secunda = JURIPATRONATUS LAICORUM NON CENSETUR DEROGATUM, NISI DE EO FIAT SPECIALIS MENTIO = Quas probant etiam *Lambertin de jurepatr. lib.*3. *quæſt.*10.*nu.*29. *Covarruv. pract. quæſt. cap.*36. *num.*2. *Gonzal. ſuper Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.*18. *num.*2. *& ſeqq. Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 8. *num.*93. *Rot. deciſ.* 44. *num.*7. *poſt Antonell. de jurib. & oner. Cleric. & in Cremonen Beneficii* 14. *Maji* 1706. §. *Abſque eo, quod cor. R. P. D. Kaunitz, & in Vicen. Beneficii* 17. *Febr.* 1713. §. *E converſo cor. R. P. D. Aldrovando, & in Hildeſimen. Canonicatus* 16. *Martii* 1716. §. *Unica cor. R. P. D. Criſpo, ſuperiùs impreſſ. Can. XXIII. Caſ. III.*

1 Talis, ac tantus eſt zelus Sūmorum Pontificum intuendis juribus Patronorum laicorum, ut pro lege diſpoſitum ſit, quod in literis Apoſtolicis debeat fieri mentio juriſpatronatus laicorum diſpoſitivè, ac ſpecificè, & determinatè, non autem conditionaliter, & quod derogatio debeat eſſe expreſſa, & poſitiva, & non ſubintellecta, nec conditionalis, aliàs illi nunquam cenſeatur derogatum per Papam ex defectu intentionis ejuſdem, & gratia remanet nulla, & ſubreptitia ipſo jure; cujus diſpoſitionis ratio, non alia aſſignatur à Doctoribus, niſi ea, quam pluries in decurſu Operis inſinuavimus, quia nimirum Patronorum præſertim laicorum jura tollere, piaſque Fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare æquum non eſt, nè laici ab Eccleſiarum fundatione, conſtructione, aut dotatione retrahantur.

Quo ad has concluſiones, ſequens diſſeritur Caſus.

AR-

ARGUMENTUM:

Si plures Patroni præſentaverint ad Beneficium per ſortem, an præſentatio ſit nulla, adeò ut literæ Apoſtolicæ impetrationis obtentæ ſub expreſſione quod Beneficium tanto tempore vacaverit, ut ejus collatio ad Sedem Apoſtolicam legitimè ſit devoluta, eo quia Patroni non præſentarunt in tempore, ſint exequendæ.

SUMMARIUM.

1 *Literæ Apoſtolicæ non juſtificatæ executionem non merentur.*

2 *Devolutio admittitur ad ſupplendam negligentiam Patronorum, & aliorum inferiorum collatorum.*

3 *Per clauſulas generales non cenſetur derogatum juripatronatus laicali:*

4 *Electio Eccleſiaſtica an fieri poſſit per ſortes*, & num. 11.

5 *Literæ Apoſtolicæ in omnibus juſtificatæ ſunt exequendæ.*

6 *Probibitum eſt Patronis actum præſentationis, aut nominationis explere per ſortes.*

7 *Textus* in cap. final. de ſortileg. *locum etiam babet in præſentatione.*

8 *Non præſentantibus, aut nulliter præſentantibus Patronis in tempore beneficium impetrari poteſt à Sede Apoſtolica jure devoluto; etiam non expectato ſemeſtri Epiſcopo competente.* & num. 9.

10 *Papa in quibus caſibus derogare ſolet Patronatibus laicalibus?*

CASUS UNICUS.

Tenentur quamplures Patroni laici ex lege fundationis unitim, & per modum Collegii præſentare ad beneficium patronale A, Perſonam idoneam, & habilem; vacato nuper beneficio, Patroni poſuerunt in urna nomina non nullorum Clericorum, & habuerunt pro præſentato illum Clericum, cujus nomen fuit per ſortem extractum; cui denegata fuit inſtitutio ab Ordinario. E contra quidam Sacerdos impetravit idem beneficium à Summo Pontifice, cum expreſſione quod illud tanto tempore vacaverit, ut ejus collatio ad Sedem Apoſtolicam legitimè ſit devoluta, eo quia Patroni non præſentarunt in tempore. Quæritur an hujuſmodi literæ ſint exequendæ?

1 Reſpondendum videtur hujuſmodi literas Apoſtolicas, utpote non juſtificatas exequutionem non mereri ad *Text. in cap. 2. de Reſcript. Rot. in Dertuſen. beneficii 29. Aprilis* 1710. §. *Cùm enim coram R. P. D. Lancetta, & in Caputaquen. Cappellaniæ 27. Junii* 1718. §. *Executioni cor. R.P.D. de Herrera.*

Defectus autem juſtificationis dictarum literarum ex eo reſultare dignoſcitur, quia illæ impetratæ apparent, cum ſuppoſito quod beneficium tanto tempore vacaverit, ut ejus proviſio ſit dovoluta ad Sedem Apoſtolicam, eo, quia Patroni non præſentarunt in tempore; quod ſanè ſuppoſitum corruit ex ipſa præſentatione facta à Patronis intrà quadrimeſtre, quæ ſicuti excludit in illis negligentiam præſentandi, ita quoque ceſſare facit devo-
2 lutionem, quæ non niſi ad ſupplendam negligentiam Patronorum, aut aliorum inferiorum collatorum admittitur. *Cap. Licèt de ſupplen. neglig. Prælat. Abb. in cap. 2. num. 7. de conceſſ. præbend. Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 24. num. 1. Rot. deciſ. 392. num. 3. & ſeqq. coram Celſo.*

3 Fortiùs eædem literæ non eſſent exequendæ, ſi non fuiſſet expreſsè derogatum juripatronatus eorumdem Patronorum, ſed ſolùm in illis fuiſſet dictum; *ad cujuſcumque collationem, ſeu præſentationem, beneficium pertineat*; quia per hanc clauſulam non cenſeretur derogatum eidem juripatronatus, cùm ſub quibuſcumque clauſulis generalibus, licèt effrænatis, nunquam veniant Patronatus laicales; *Covarruv. practic. quæſt. cap. 36. num. 2. verſ. Quod autem, Lotter. de re benef. lib. 4. quæſt. 10. nu. 77. & 83.* & alii *apud Rot. deciſ. 44. num. 8. poſt Antonell. de jurib. & oneribus. Cleric.*

4 Non officit Textus *in cap. final. de ſortileg.* ubi prohibetur electio Eccleſiaſtica fieri per ſortes; quia in primis Textus loquitur de electione, deinde etiam omiſſo, quod hanc quoque comprehendat, tamen non videtur omninò prohibitum eligere, & præſentare per ſortem, ut patet ex

ex pluribus auctoritatibus, & exemplis congeſtis à *Gonzal in dicto cap. final. nu.* 5. 10. *& ſeq.*

5 At his minimè obſtantibus cenſeo ſupradictas literas, cùm ſint in omnibus juſtificatæ, eſſe exequendas ad *Text. in cap. ſi quando*, *& cap. ſuper literis de Reſcript. Rot. in Vicen. Parochialis* 12. *Junii* 1711. §. *Cùm enim coram Eminentiſſimo Molines, & in Lauretana juriſpatronatus* 11. *Decembris* 1716. §. *Cùm enim coram R. P. D. Criſpo*.

De juſtificatione verò literarum Apoſtolicarum in caſu præſenti, ambigi nequit, quia præſentatio facta à ſupradictis
6 Patronis eſt nulla; Etenim prohibitum eſt Patronis actum præſentationis, vel nominationis expleri per ſortes, juxta *Text. in cap. final. de ſortilegiis*, quem ſequuntur *Gonzal. ibi num. 6. & ſeq. Rot.*
7 *deciſ.* 459. *num.*24. *par.* 19. *rec.* qui licèt loquatur de electione, locum etiam habet in præſentatione. *Rot. in Majoricen. beneficii* 25. *Junii* 1699. §. *Urgentius cor. R.P.D. Anſaldo*, & noviſſimè *in Pampilonen. beneficii de Trun.* 23. *Januar.* 1719. *z. Nullitas coram. R. P. D. Lancetta* inferiùs inter deciſiones additionales impreſſa.

8 Unde cùm perinde ſit non præſentare, ac nulliter præſentare, & cùm intrà terminum juris à ſacris Canonibus ad præſentandum Patronis conceſſum, iſti ad nullam aliam præſentationem devenerint, validè proinde potuit controverſum beneficium jure devoluto impetrari à S. Sede juxta diſpoſitionem hujus *Canonis*, eò quia Patroni non præſentarunt in tempore; non expectato etiam graduali ordine per Concilium Lateranenſe ſtatuto in
9 *cap.*2. §. *Cùm verò de conceſſ. præben.* Cùm poſſit Papa in jure devoluto non expectato ſemeſtri Epiſcopo competenti liberè conferre, Ordinarium collatorem præveniendo. *Garz. de benef. par.*10. *cap.*3. *n.*30. *Tondut. qu. benef. par.*2. *cap.*3. §.4. *nu.*15. *& ſeqq. Rot. in Oſnaburgen. Canonicatus* 10. *Decemb.*1714, §. *Itidemque, &* 14. *Junii* 1715. §. *Prima ſiquidem coram R.P.D.*
10 *Criſpo*. Derogando expreſsè juripatronatus dictorum Patronorum, prout ſolet Patronatibus laicalibus derogare non ſolùm in iſto caſu, ubi beneficium tanto tempore vacavit, ut ejus collatio ad Sedem Apoſtolicam legitimè ſit devoluta, eo quia Patroni non præſentarunt in tempore, ſed etiam in aliis caſibus; & quidem aliquando in totum, & aliquando in partem; In totum nempe, ſi beneficium vacat in Curia, vel ſuper illo pendet lis in Curia; in partem, quando quis præſentatus eſt à majori parte, vel à medietate Patronorum. *Rot. deciſ.*44. *num.*8. *poſt Antonell. de jurib. & onerib. Cleric.*

11 Minimè attentis juribus, & exemplis per *Gonzal. ubi ſupra* congeſtis; illa ſiquidem fortaſſe procedere poſſunt circa officia civilia, & res prophanas, non verò in materia Eccleſiaſtica, & in beneficiis Eccleſiaſticis, ut benè reſpondet *Rota in dicta Majoricen. beneficii* 15. *Junii* 1699. §. *Siquidem, &* §. *At in materia cor. R.P.D. Anſaldo*.

Et hæc omnia ſufficiant ad majorem Sanctiſſimæ Trinitatis, Deiparæque Virginis gloriam, ac Seraphici S. Franciſci laudem, per quæ ſi nec uni utilis fuero; mihi tamen maximè profui, dum per ea otium malorum omnium originem fugavi.

F I N I S.

RESOLUTIONES
SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII
Quæ ad materiam hujus Operis adduntur.

Aliphana Redditionis Rationis.

17. *Decembris* 1718.

SUMMARIUM.

1 *Presbyteri an teneantur reddere rationem bonorum, & fructuum, ad eorum Eccleſiam ſpectantium Epiſcopo.* & nu. 4. & 5.

2 *Electio, ſeu deputatio Procuratoris, aut Adminiſtratoris bonorum, & reddituum Eccleſiæ facta à Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, non ſervata forma Decreti Epiſcopi eſt nulla; & deveniendum eſt à Presbyteris ad novam electionem Adminiſtratoris*, & num. 6.

3 *Non eſt permiſſum Patronis ſe ingerere in adminiſtratione bonorum Eccleſiæ patronatæ.*

Seſſ. 22. cap. 9. de Reform.

Contendit Curia Epiſcopalis Aliphana, quod Presbyteri Eccleſiæ S. Antonii extra partem nuncupati Terræ Pedemontis teneantur ad redditionem rationis bonorum, & reddituum ad eamdem Eccleſiam pertinentium, & quòd ulterius non ſit valida electio Procuratoris, ſeu Adminiſtratoris ab ipſis facta, bonorum, & reddituum ſpectantium ad Cappellam Beatæ Mariæ de Monte Carmelo erectam in memorata Eccleſia S. Antonii, ſed quòd valida ſit, & ſuſtineatur deputatio Procuratoris, ſeu Adminiſtratoris bonorum, & reddituum dictæ Cappellæ à ſe facta in perſona Sacerdotis Franciſci Bojani.

1 Fundamentum prætenſionis redditionis rationis bonorum, & reddituum ad Eccleſiam S. Antonii ſpectantium potiſſimùm conſtituitur *in cap. 9. ſeſſ. 22. de Reform.*, in qua derogatur conſuetudinibus, & privilegiis, quæ in contrarium allegari poſſent.

Fundamentum prætenſionis, quòd non
2 ſuſtineatur electio Procuratoris, ſeu Adminiſtratoris bonorum, & reddituum Cappellæ Beatæ Mariæ de Monte Carmelo à dictis Presbyteris facta, ſed quòd potiùs ſit valida illa, quam idem Epiſcopus fecit in perſona Sacerdotis Bojani, reponitur in hoc, quòd in electione à Presbyteris factâ, non fuit ſervata forma Decreti editi à Curia Epiſcopali, quòd Adminiſtrator videlicet, ſeu Procurator hujus Cappellæ non eligeretur, niſi ille, qui eſſet facultatibus idoneus, vel qui ſufficientem præſtaret cautionem, quòd item electio fieret per ſecreta ſuffragia, quòd pariter ab Adminiſtratore præſtaretur juramentum de fideliter adminiſtrando, & quòd non eligeretur, qui debitor remaneret in præcedenti adminiſtratione.

Abſque eo quod quidquam faciat prætenſum à Sacerdotibus Juſpatronatus in Eccleſia S. Antonii, primò, quia non ſolùm ex eorum bonis; ſed etiam ex eleemoſynis Fidelium fundata fuit Eccleſia prædicta, itaut de ſubſiſtentia juriſpatronatus, etſi à prædeceſſoribus approbati, dubitandum ſit; Secundò quia non eſt de
3 jure permiſſum Patronis ſe ingerere in adminiſtratione bonorum Eccleſiæ patronatæ juxta Textum *in cap. Præterea* 4. *de Jurepatronatus*. Tertiò quia Eccleſiæ S. Antonii fuerunt relicta plura legata pia, de quorum adimplemento Sacerdotes tenentur reddere Epiſcopo rationem.

Multoque minus refragantibus cæteris, quæ opponi poſſent adversùs electionem Sacerdotis Bojani in Adminiſtratorem, ſeu Procuratorem Cappellæ, quia eadem fuit confirmata, & ab iiſdem Sacerdotibus Eccleſiæ S. Antonii ratificata.

Adversùs hæc, Sacerdotes excipiunt, quòd

quòd Eccleſia S. Antonii fuit à ſuis Prædeceſſoribus fundata cum reſervatione
4 jurispatronatus, ab Epiſcopo tunc temporis approbatâ, & quod ſemper à ſe, & à ſuis Prædeceſſoribus fuit electus Adminiſtrator, ſeu Procurator, qui rationem reddidit in manibus Sacerdotum eligentium, factâ ab anno 1653. uſque in præſens diviſione fructuum, & redditnum inter ipſos; Et electo ſemper, juxta conceſſionem Epiſcopi factam de anno 1653. Rectore, cui ſola conceſſa fuit, quoad honores præeminentia, & non quoad emolumenta, in quo rerum themate dicitur non habere locum allegatam Concilii Tridentini diſpoſitionem, quæ non procedit in ordine ad fructus, & emolumenta, quæ inter ipſos Sacerdotes, ſeu Cappellanos ſunt dividenda. Quo ſtante, Sacra Epiſcoporum Congregatio *die 16. Julii 1717.* Sacerdotes Eccleſiæ S. Angeli hujus ejuſdem Diœceſis abſolvit à prætenſa redditione rationis, quæ reſolutio dicitur firmare ſtatum, etiam in caſu præſenti.

Et in eo quod attinet ad electionem Procuratoris, ſeu Adminiſtratoris bonorum Cappellæ S. Mariæ de Carmelo, Sacerdotes aſſerunt electionem à ſe factam in perſonis Jacobi Natalitii, & Joannis Baptiſtæ de Roma eſſe validam, & ſuſtineri, non obſtante decreto Epiſcopi, tum quia facultas eligendi unum, vel plures Procuratores à Julio Antonio Ciccarello, qui bona Cappellæ reliquit, delata fuit ad ipſos, tum quia ipſi ſe agnoſcunt obligatos ad redditionem rationis, itaut ſuperfluæ remaneant quæcunque cautiones, & cautelæ ab Epiſcopo in ſuo decreto quoad Adminiſtratorem præſcriptæ. Nullatenus urgente approbatione facta à nonnullis Sacerdotibus de perſona Bojani ab Epiſcopo electa, quia horum Sacerdotum conſenſus non fuit datus capitulariter, ſeu collegialiter, utì præſcribitur in Conſtitutionibus.

His ſtantibus, onus erit EE. VV. decernere.

1 *An Decretum Epiſcopi, ſeu illius Vicarii Generalis ſuper redditione rationis fructuum, & redditnum Eccleſiæ S. Antonii Caſtri Pedemontis ſuſtineatur in caſu.*

2 *An Decretum ſuper electione Procuratoris, ſeu Adminiſtratoris bonorum Cappellæ S. Mariæ de Carmelo factum ab Epiſcopo ſuſtineatur, ſeu potius ſuſtineatur electio facta à Sacerdotibus dictæ Eccleſiæ in caſu &c.*

5 Ad primum. *Affirmativè quoad redditus, quibus eſt aliquod onus annexum, negativè quoad redditus, qui liberè dividi debent inter Presbyteros.*

6 Ad ſecundum. *Deveniendum eſſe à Presbyteris ad novam electionem Adminiſtratoris juxta decretum Epiſcopi, quoad qualitates eligendorum juxta modum.*

Nullius, ſeu Brictinorien., & Policaſtren.

21. *Januarii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Dimiſſoriarum conceſſio reſervata eſt Epiſcopis, intrà quorum Diœceſum fines Abbatiæ ſitæ ſunt, non obſtante quòd eædem fruantur Territorio ſeparato.*

2 *Capitulum S. Petri nequit concedere Dimiſſorias Clericis Caſtrorum Foripompilii, & Meldulæ, etiamſi conſtaret de Territorio ſeparato.*

Seſſ.23. cap.10. de Reform.

Pendet in Tribunali Rotæ controverſia inter Epiſcopum Brictinorien. ex una, & Capitulum Baſilicæ S. Petri ex altera partibus, ſuper puncto, an Abbatia S. Ruffilli, quæ eſt in Caſtro Foripompilii, & quæ fuit dicto Capitulo unita, Territorium habeat ſeparatum, & an hoc Territorium comprehendat Caſtrum prædictum, nec non alterum Meldulæ. Non fuit uſque adhuc hæc controverſia deciſa, ſed etiam admiſſo, quòd conſtaret de Territorio ſeparato, contendit Epiſcopus Brictinorien., quòd Capitulum. S. Petri concedere non poſſit dimiſſorias Clericis Caſtrorum prædictorum; quid quid enim eſſet de jure antiquiori Decretalium,
1 Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 10. de Reform.* conceſſionem dimiſſoriarum reſervavit Epiſcopis, intrà quorum Diœceſum fines Abbatiæ ſitæ ſunt, non obſtante, quòd eædem fruantur Territorio ſeparato, utì præter antiquiores hujus Sac. Congregationis Reſolutiones à Scribentibus

bentibus allegatas, reſpondit hæc Sacra Congregatio *in Nullius, ſeu Veſprimen. Jurisdictionis, quæ fuit propoſita die* 12., *& reſoluta die* 26. *Martii anni* 1718.

Additur ab Epiſcopo Brictinorien., quòd Capitulum Sancti Petri uſque adhuc non exhibuit Privilegium, quòd eſſet neceſſarium ad effectum de quo agitur, facultatis videlicet concedendi literas dimiſſorias, & quod Privilegium præſumptum conſiſtens in immemorabili non eſt probatum, & quatenus eſſet probatum, non relevaret, utpotè à Tridentino ſublatum.

Se quoque ad Cauſam admiſit Epiſcopus Policaſtren., in cujus, utì prætenditur, Diœceſi exiſtit alia Abbatia eidem Capitulo S. Petri unita, & ex iiſdem juribus ſupra recenſitis ſuſtinet non poſſe prædictum Capitulum literas concedere dimiſſorias.

His ſtantibus, onus erit EE. VV. decernere.

2 *An Etiamſi conſtaret de Territorio ſeparato poſſit Capitulum Sancti Petri concedere dimiſſorias in caſu.*

Negativè, & amplius.

Nullius, ſeu S. Severini Juriſdictionis.

4. *Febr.* 1719., *&* 17. *Junii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *An in collatione Eccleſiarum Parochialium Abbatiæ Sancti Laurentii in Dogliolo ſervanda ſit forma tradita à Sacro Concilio Tridentino, & à Conſtitutione Piana.* & num. 6.

2 *Parochis, ſeu Vicariis Abbatialibus dictæ Abbatiæ Sancti Laurentii an liceat abſque licentia Epiſcopi exponere publicæ venerationi Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, Indulgentias, ac Jubilea publicare?*

3 *Electio Oeconomorum tam in caſu vacationis Eccleſiarum Parochialium dictæ Abbatiæ, quàm inhabilitationis eorum Parochorum ad exercitium Curæ ſpectat privativè ad Epiſcopum.*

4 *Confraternitates laicales erectæ in Altaribus Eccleſiarum Parochialium dictæ Abbatiæ non ſubjacent viſitationi, directioni, & juriſdictioni Epiſcopi.*

5 *Beneficia erecta in Altaribus dictarum Parochialium non ſubjacent directioni, & juriſdictioni Epiſcopi.*

Seſſ. 7. cap. 7. & 8. de Reform.

INter Epiſcopos S. Severini, & Abbates Commendatarios Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo frequentes excitatæ ſunt controverſiæ; Claræ etenim mem. Cardinalis Antonius Barberinus Abbas Commendatarius nominavit Antonium Fabarium ad Parochialem Eccleſiam Sanctæ Mariæ Caſtri Petini, & Epiſcopus S. Severini tanquam Ordinarius, prævio concurſu, pro dicta Parochiali approbavit Nicolaum Boantium, ex quo orta eſt lis, quæ fuit in Tribunali Rotæ diſcuſſa anno 1660. utì habetur ex *deciſ.* 148. *par.* 13. *recentior.*

1 Poſt lapſum decem annorum, anno videlicet 1670. Epiſcopus S. Severini, occaſione viſitationis Sacrorum Liminum, expoſuit nonnulla prætenſa præjudicia ſuæ juriſdictioni illata à Miniſtris Abbatiæ, propoſitiſque in hac Sacra Congregatione decem dubiis, fuit unicuique data congrua reſponſio, utì habetur *lib.* 26. *Decretorum fol.* 397. *à tergo*, & aliis quinque propoſitis dubiis in Congregatione habita *die* 14. *Martii* 1682., ex quibus quartum conceptum erat ſequentibus verbis: *An, & quando in collatione Eccleſiarum Parochialium Abbatiæ ſervanda ſit forma tradita à S. Concilio cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de Reform.*, fuit eidem reſponſum in Congregatione habita *die* 11. *Aprilis ejuſdem anni* 1682. modo, qui ſequitur: *Ad quartum ſervandam eſſe Conſtitutionem Pianam la* 47. utì habetur *lib.* 32. *Decret. fol.* 172. *& fol.* 216. *à tergo*, cumque in relatione ſtatus ſuæ Eccleſiæ ab Epiſcopo anno 1699. ad hanc Sac. Congregationem
2 tranſmiſſa, alia dubia fuiſſent excitata, fuit eidem, non audito Promotore Fiſcali Abbatiæ, ſic reſcriptum *die* 30. *Maji* 1699. *Quoad Presbyteros, & Clericos Abbatiales exemptos à juriſdictione Epiſcopi, & Synodalia decreta eludentes, procedi poſſe contra inobſervantes ad pœnas contentas in Synodalibus Conſtitutionibus. Quoad Parochos, & Vicarios Abbatiales publicæ venerationi exponentes Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, ac Indulgentias, & Jubilea publi-*

publicantes, *Epiſcopo irrequiſito*, *id eiſdem Parochis minimè licere abſque ipſius licentia*, quemadmodum legitur *lib.* 19. *Literarum Viſitat. Sacrorum liminum fol.* 250. ſed prætendente poſtmodum Promotore Fiſcali prædictos Presbyteros, & Vicarios non ſubjacere Decretis, & pœnis Synodalibus, niſi quoad concernentia curam animarum tantùm, necnon eiſdem licere, irrequiſito Epiſcopo, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum exponere, ac Indulgentias, & Jubilea publicare, utpotè ab Ordinarii juriſdictione omninò exemptis, in ſequelam Brevis ſan. mem. Urbani VIII., fuit in Congregatione habita *die* 24. *Januarii* 1702. propoſitum dubium: *An eſſet ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die* 30. *Maji* 1699. *in caſu*, nullaque tunc capta reſolutione, fuit idem dubium repropoſitum in Congregatione habita *die* 4. *Februarii* 1702., & reſponſum fuit *recedendum eſſe à deciſis*, *præter quam quo ad concernentia curam animarum, expoſitionem Sanctiſſimi, & publicationem Indulgentiarum*, ſicuti legitur *lib.* 52. *Decret. fol.* 1. *& fol.* 39. *à tergo*.

Hæc ſunt, quæ operæ pretium exiſtimatum eſt referre, ut novis dubiis ab Epiſcopo Sancti Severini propoſitis congruum dari valeat reſponſum. Ex juribus autem circumferendis, dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An in collationibus Eccleſiarum Parochialium Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die* 11. *Aprilis* 1682. *in caſu &c.*

3 II. *An electio Oeconomorum, tam in caſu vacationis Eccleſiarum Parochialium dictæ Abbatiæ, quàm inhabilitationis eorum Parochorum ad exercitium Curæ, ſpectet privativè ad Epiſcopum in caſu &c.*

4 III. *An Confraternitates laicales, erectæ in Altaribus Eccleſiarum Parochialium dictæ Abbatiæ, ſubjaceant viſitationi, directioni, & juriſdictioni Epiſcopi, in caſu &c.*

5 IV. *An Beneficia erecta in Altaribus dd. Parochialium ſubjaceant directioni, & juriſdictioni Epiſcopi, in caſu &c.*

V. *An decretum Sac. Congregationis emanatum die* 30. *Maji* 1639. *& confirmatum die* 4. *Februarii* 1702. *ſit etiam ſervandum ſingulis tertiis Dominicis cujuslibet menſis, & per totam octavam Feſtivitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Eccleſia S. Laurentii, in caſu &c.*

Ad primum: *Dilata, & videatur particulariter de unaquaque Eccleſia.*

Ad ſecundum: *Affirmativè.*

Ad tertium: *Negativè.*

Ad quartum: *Negativè.*

Ad quintum: *Affirmativè.*

Repropoſita Cauſa ſub die 17. Junii 1719. ſub ſequentibus dubiis.

I. *An in collationibus Eccleſiarum Parochialium Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die* 11. *Aprilis* 1682. *in caſu &c.*

II. *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis quoad ſecundum, tertium, quartum, & quintum.*

Prodiit reſolutio.

6 Ad primum: *Recedendum à deciſis.*

Ad ſecundum: *Standum in deciſis quoad ſecundum, tertium, quartum, & quoad primam partem quinti, & eſſe recedendum, quoad ſecundam partem quinti.*

Veneta Reductionis Miſſarum.

4. *Februarii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Legatum Miſſarum quando eſt demonſtrativè conceptum, diminutis redditibus, non eſt locus reductioni, ſed ſupplemento*; & num. 4. Limita, ut num. 3.

2 *Legatum quando dicatur demonſtrativè conceptum?*

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

JOannes Delphinus, in ultimo, cum quo deceſſit, Teſtamento, condito de anno 1539. inter cætera, duas voluit Miſſas quotidianas celebrari in Eccleſia S. Canziani, alteram pro anima Floriſdeliſæ ſororis, jubendo, ut Sacerdoti celebranti ſolverentur ducati 16., aliam pro anima propria, jubendo, ut Sacerdoti ſolverentur ducati 20. In eodem Teſtamento idem Teſtator prælegavit Elenæ ſuæ Conſobrinæ Campos 55. *Item laſcio à Madonna Elena figlia del quondam Meſſer Criſtofaro Soranzo mia cugina, alla quale ho molte obbligationi, e maſſime per avermi ſempre governato, campi* 55. *delle mie poſſeſſioni &c.* Hanc eandem Elenam Joannes ſubinde ſcripſit hæredem, impoſito onere ſatis-

ſatisfaciendi legatis à ſe relictis, *il reſto veramente di tutti i miei beni di ogni ſorte laſcio, e voglio, che ſia della detta Elena Soranzo per li beneſizi, che ho avuto da lei, con queſto, che la facci tutti i miei legati*, & in Codicillis poſt Teſtamentum exaratis iterùm voluntatem expreſſit, quòd ad Elenam Campi 55. devenirent: *Item voglio, che del tutto Madonna Elena Soranzo mia cugina, figlia di Criſtoſaro ſia commiſſaria per la maggior parte, e che abbia il tutto, e ſopra tutto li miei campi* 55. *&c.*

Bona Elenæ ad duas devenerunt familias, ad familiam videlicet Mori, cui in diviſione bonorum contigit onus celebrationis Miſſæ pro anima Teſtatoris, & ad familiam Delphinam, quæ in ſe ſuſcepit onus adimplendi celebrationem Miſſæ quotidianæ, de qua tantummodo nunc agitur pro anima Floriſdeliſæ; cumque Aloyſius Barbadigus cauſam habens à Delphinis, hujus Sacræ Congregationi ſupplicaverit pro reductione oneris Miſſæ quotidianæ, ex quo ſexdecim ducati à Teſtatore relicti, hodie non ſunt ſufficientes, ſcriptum fuit pro informatione, & voto Patriarchæ Venetiarum, qui ſenſit eſſe locum reductioni.

1 Si de reductione agendum eſt ad tramites ordinariæ praxis hujus Sacræ Congregationis, non videtur, quòd eidem eſſe valeat locus, ſed quod ab hæredibus ſupplendum ſit id, quòd requiritur pro celebranda Miſſa quotidiana; Teſtator enim incœpit ab onere, & deinde meminit eleemoſynæ: *Item voglio ſia celebrato ogni anno una Meſſa nella detta Chieſa di S. Canziano per l'anima della detta Fiordeliſe per un Sacerdote da eſſer eletto per li miei Commiſſari, quale abbi ogni anno ducati* 16. & in hac Sacra Congregatione, reprobatâ ſententiâ Beorii *in cap. ſuper literis de reſcriptis*, negantis hæredem poſſe cogi ad ſupplendum, quando Teſtator expreſſit quantitatem eleemoſynæ pro Miſſis celebrandis, invaluit opinio Felini *in eodem cap. ſuper literis de reſcriptis*, qui dicit eſſe locum ſupplemento, quando quantitas fuit relicta demonſtrativè; ſecus
2 autem ſi taxativè fuerit relicta, & ſemper cenſendum eſt, quod quantitas fuerit demonſtrativè relicta, quando Teſtator incœpit ab onere, utì teſtatur bon. mem. Carolus de Vechiis meritiſſimus hujus Sac. Congregationis Secretarius in ſuo ſuffragio impreſſo apud Chriſpin. *de viſit. paſtoral. par.*2. §.18. *n.*6.

3 At punctùs eſt, quòd Felini doctrina in Sacra Congregatione recepta non applicatur, quando ex Teſtamento deſumitur, & ex circumſtantiis ſupplementum ſibi locum vindicare non poſſe, juxta tradita per *Monacell. in formul. par.*1. *tit.*10. *formul.* 19. *num.* 22. *in fine*, cumque admiſſo in præſenti rerum ſtatu ſupplemento, remanere non poſſint, teſte Patriarcha in ſua informatione, in hæreditate Elenæ illi Campi 55. quos Teſtator eidem prælegavit, & in Codicillis expreſſit enixis verbis: *e ſopra tutto*, quod ad eam devenire deberent, id operari potiſſimùm videtur, ut, non obſtante regula in contrarium, eſſe valeat locus limitationi.

His ſtantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

An ſit locus reductioni in caſu &c.

Negativè.

Melevitana Expoſitionis Sanctiſſimi Sacramenti.

4. *Februarii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti fieri poteſt in Altaribus ſitis propè januas Eccleſiarum.*

2 *Epiſcopus prohibere non debet fieri à Confratribus expoſitionem Sanctiſſimi Sacramenti in eorum Altari ſito propè januam Eccleſiæ; ſed tenetur providere nè ſequantur inconvenientia.*

Seſſ.13. de Euchariſt. cap.6.

Epiſcopus Melevitanus in actu viſitationis decrevit, quòd in Parochiali Eccleſia S. Pauli Apoſtoli Civitatis Vallettæ fieri deberet expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in Altari majori, & non in alio Altari pertinente ad Confraternitatem S. Michaelis Archangeli in eadem Eccleſia erectam; cumque reclamantibus Confratribus adversùs hoc decretum ſcriptum de more fuiſſet Epiſcopo pro informatione, retulit ipſe ſe feciſſe decretum ſupra memoratum, ex quo Altare Con-

Confraternitatis poſitum eſt in veſtibulo, & primo ingreſſu Eccleſiæ, itaut de irreverentia ingredientium, & egredientium ab Eccleſia maximoperè timeri potuerit, de quo periculo nulla rationabilis ſuſpicio adeſſe poteſt, ſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum exponatur in Altari majori.

Adversùs hæc excipiunt Confratres, primò hìc, & nunc agi de expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, quæ fit quâlibet primâ Dominicâ menſis, & quæ poſt Miſſam cantatam terminatur, cùm in fine Miſſæ Sacramentum reponatur; ſecundò, in pluribus Urbis Eccleſiis adeſſe conſuetudinem Euchariſtiam publicæ venerationi exponendi in Altaribus minoribus, quando, prout hìc, non agitur de ſolemniori, & per non modicum tempus duratura expoſitione; tertiò, non ſuffragari rationem deductam à periculo irreverentiæ,
1 tum quia novum non eſt, nec in Urbe, nec in Diœceſi Melevitana, quòd fiat expoſitio in Altaribus ſitis propè januas Eccleſiarum, tum quia in latere dextero Eccleſiæ S. Pauli, in qua eſt Altare Confraternitatis nulla janua reperitur, cùm pateat aditus à duabus aliis januis, altera in medio, altera à latere ſiniſtro, quartò tandem, & ultimo fuiſſe à Vincentio Hagius dono data Altari Confraternitatis nonnulla bona cum obligatione expoſitionis Sanctiſſimi Sacramenti quâlibet primâ Dominicâ menſis in eodem, & cum pacto reſolutivo, in caſu, quo conditio non adimpleretur, quaſi quod ſubſiſtente Epiſcopi decreto certa ſit bonorum relictorum jactura.

His ſtantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

2 *An expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti fieri debeat quâlibet primâ Dominicâ menſis in Altari Confraternitatis, vel potius in Altari majori Eccleſiæ S. Pauli, in caſu &c.*

Affirmativè quoad primam, & negativè ad ſecundam, & Epiſcopus provideat nè ſequantur inconvenientia.

Aſculana Viſitationis.

4. *Martii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopi Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas auctoritate ordinaria ſingulis annis viſitare tenentur.*

2 *Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati viſitare poſſunt ſingulis annis Monaſteria commendata, Abbatias, Prioratus, & Præpoſituras, in quibus non viget regularis obſervantia, necnon Beneficia tam Curata, quàm non Curata, ſæcularia, & regularia, qualitercumque commendata.*

3 *Privilegia Religionis Hieroſolymitanæ exemptiva à juriſdictione Ordinariorum redacta dicuntur ad terminos S. Concilii Tridentini à Gregorio XIII.*

4 *Epiſcopus viſitare non poteſt Eccleſiam non Parochialem ſpectantem ad Commendam S. Joannis Hieroſolymitani, etiam ſi pluries fuiſſet à Prædeceſſoribus Epiſcopis viſitata.*

Seſſ.7. de Reform. cap.8

Contendit Reverendiſſimus Epiſcopus Aſculanus ſe viſitare poſſe Eccleſiam S. Joannis ad Templum, quæ eſt Commenda Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ, non ſolùm quia ſui in Epiſcopatu Prædeceſſores eam viſitarunt, ſed etiam
1 quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 7. *de Reform. cap.* 8. decernit, quod Locorum Ordinarii Eccleſias quaſcunque quomodolibet exemptas auctoritate Ordinaria ſingulis annis viſitare teneantur, & *ſeſſ.*
2 21 *cap.* 8. *de Reform.* ſtatuit, quod Commendata Monaſteria, Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis obſervantia, necnon Beneficia tam Curata, quàm non Curata, Sæcularia, & Regularia qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Epiſcopis, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis annis ſingulis viſitentur.

3 Abſque eo quod ſuffragari valeant Equiti Commendatario Privilegia Religionis exemptiva à juriſdictione Ordinariorum innovata poſt Concilium Tridentinum

tinum à S. Pio V. *Conſtit. 67. & Conſtit. 136. Bull. tom.* 2. quandoquidem literæ hæ Apoſtolicæ S. Pii V. redactæ dicuntur ad terminos S. Concilii Tridentini; à Summo Pontifice Gregorio XIII. in ſua *Conſt. 67. citato tom. 2. Bullarii*.

4 Adversùs autem fundamenta huc uſque deducta facere poſſe videtur reſolutio hujus S. Congregationis *in Mantuana juriſ. viſitandi 17. Junii 1690. lib. 40. Decret.* in qua dictum fuit Epiſcopum non poſſe viſitare Eccleſiam non Parochialem ſpectantem ad Commendam S. Joannis Hieroſolymitani, etiam ſi pluries fuiſſet à Prædeceſſoribus Epiſcopis viſitata.

His ſtantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

An, & quo jure liceat Epiſcopo Aſculano viſitare Eccleſiam S. Joannis ad Templum, in caſu &c.

Negativè, & amplius.

Alexandrina.

18. *Martii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Miſſa eſt pro Fundatore applicanda licèt ipſe applicationem non expreſſerit.*

2 *Fundata Cappellania cum onere quotidianæ celebrationis quadam hora determinata* acciò molti occupati da'negozj poſſino andare a ſentirla, ed in ſpecie li Scolari quando eſcono dalla Scuola. *Cappellanus non tenetur ad applicationem Miſſæ.*

3 *Fundata Cappellania cum onere celebrationis Miſſæ quotidianæ* pro ſatisfactione, & voto Monialium *Cappellanus non tenetur ad illius applicationem.*

4 *Fundata Cappellania cum onere Miſſæ quotidianæ in Aurora celebrandæ pro* commoditate Operariorum, Viatorum, & Peregrinantium *Cappellanus tenetur ad illius applicationem pro anima Teſtatoris, dummodo concurrant circumſtantiæ, de quibus* num. 1.

Seſſ. 22. de Obſerv. & Vit. in celebrat. Miſſar.

ANno 1628. Joannes Zucca rogavit Patrem Præpoſitum, & reliquos Patres Somaſchæ Eccleſiæ Parochialis S. Sirii Civitatis Alexandrinæ, ut vellent, aſſignatâ iiſdem eleemoſynâ, *celebrare, ſeu celebrari facere Miſſam unam quotidianam in perpetuum in aurora ad Altare ipſius Joannis erectum in dicta Eccleſia ſub titulo S. Caroli, ad effectum, ut omnes Viatores, Laboratores, & Peregrinantes poſſint illam commodè audire, & in apertura januarum hujus Civitatis Alexandriæ recedere, & ad viaticum, & laborerium accedere, & pergere*; & præviâ licentiâ Patris Generalis, necnon præviâ aſſignatione ducat. 800. Patres promiſerunt *Miſſam quotidiè, & ſingulo die, & ſi feſtivo in honorem B. Mariæ Virginis, & Sanctorum dicere, & celebrare, ſeu dici, & celebrari facere in aurora, & tempore congruo, quo valeant Laboratores, Coltivatores, & quivis Operarii, & Viatores, & Peregrinantes dictam Miſſam audire, & ab hac Civitate recedere, & exire in apertione januarum hujus Civitatis*, & in hypotheſi, in qua Patres deficerent in celebratione, etiam pro unica vice, conventum fuit, ut caderent ab aſſignatione dictorum ducatorum, uti latiùs deſumitur ex inſtrumento.

In executionem hujus inſtrumenti Miſſa fuit punctualiter celebrata, & ulteriùs Patres eam applicarunt pro anima pii Teſtatoris, cumque ſubinde prætenſionem excitaverint, quòd ad dictam applicationem minimè tenerentur, & huic prætenſioni ſe oppoſuerint Dominicus Ruphinus, & alii de Zucca, cauſam habentes à Joanne, de hoc onere applicationis in præſenti diſputari contigit.

1 Pro applicatione facit, quòd Miſſa eſt pro Fundatore applicanda, licèt ipſe applicationem non expreſſerit, juxta reſolutionem hujus Sacræ Congregationis in *Tinen. applicationis Sacrificii die 18. Auguſti 1668. lib. 26. Decretorum fol. 61.* cui hæc Sacra Congregatio temporibus ſubſequentibus paſſim adhæſit. Facit ulteriùs, quòd Joannes devenit ad hujus Cappellaniæ fundationem volens in aliqua parte *gratias reddere, ac etiam ad implorandam*

plorandam divinam miſericordiam, utì legitur in inſtrumento, hæc etenim verba præſeferre videntur obligationem applicandi. Facit denique ipſorum Patrum obſervantia, qui in præteritum Miſſas celebrarunt, & applicarunt; non omiſſo, quòd aſſignamentum factum à Joanne congruum, & proportionatum dici debet, quæ res favet oneri applicationis.

Putant è contra Patres ſe ad applicationem non teneri, quia quando Teſtator de applicatione locutus non eſt, &, prout hic, aliam expreſſit cauſam celebrationis, pro commoditate videlicet Viatorum, atque Peregrinantium, tunc onus celebra-
2 tionis ſibi vindicat locum, ſed non illud applicationis, ut in terminis Cappellaniæ fundatæ cum onere quotidianæ celebrationis quâdam horâ determinatâ, *acciò molti occupati da' negozj poſſino andare a ſentirla, ed in ſpecie li Scolari quando eſcono dalla Scuola*. Reſpondit hæc S. Congregatio *in Collen. applicationis Sacrificii* 17. *Decembris* 1679. *lib.* 4. *Decret. fol.* 4.
3 & in terminis Cappellaniæ fundatæ cum onere celebrationis Miſſæ quotidianæ *pro ſatisfactione, & vota Monialium degentium in Monaſterio Corporis Chriſti Civitatis Mantuanæ*, reſpondit hæc S. Congregatio *in Mantuana applicationis Sacrificii* 19. *Novembris* 1718. in cujus folio aliæ allegantur conſimiles reſolutiones. Addunt Patres præteritam obſervantiam ſibi non obeſſe, cum obſervantia ſibi vindicet locum in re dubia, non in re clara, & in hujus ſui aſſumpti comprobationem aſſerunt, quòd aſſignamentum factum à Joanne non eſt congruum, habitâ ratione celebrationis in aurora, ſi ultrà celebrationem, diceretur onus adeſſe applicationis.

His ſtantibus dignabuntur EE. VV. decernere.

4 *An Patres Congregationis Somaſchæ teneantur ad applicationem Miſſæ celebrandæ in aurora, in caſu &c.*

Affirmativè.

Fanen.

18. *Martii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Lite pendente inter hæredem Teſtatoris, & Regulares ſuper jure deputandi Cappellanum Cappellaniæ erectæ in eorum Eccleſia; & obtenta ab eis ſententia favorabili, ſi fiat inter ipſos, & hæredem tranſactio, qua hæres nominavit ſuperiorem dictorum Regularium in Cappellanum perpetuum cum obligatione nunquam variandi, nec revocandi, & qua hæredi fuit à Religioſis conceſſum jus paſſivum pro ſuis filiis, nepotibus, & deſcendentibus, quatenus inter eos aliquis idoneus Sacerdos reperiretur, an ipſa ſuſtineatur?* & nu. 3.

2 *Cappellania ſi juxta præceptum Teſtatoris non fuit ab hærede ſufficienter dotata, non eſt locus reductioni Miſſarum, ſed ſupplemento dotis*, & num. 4.

Seſſ. 5. cap. 4. de Reform.

Laurentius Daniellius in ultimo, ſub quo deceſſit, Teſtamento, demandavit Papirio ſuo filio, & hæredi, ut infrà ſex menſes emeret Cappellam S. Joannis Baptiſtæ, ſitam in Eccleſia S. Petri Patrum Congregationis S. Philippi Nerii Civitatis Fanen. & ut ulteriùs eam congruè dotaret, ut Miſſa quotidiana in eadem celebrari poſſet pro ſuffragio animæ ſuæ, & Papirius Cappellam emit pretio ſcutorum 550. & inſuper adimplevit celebrationem Miſſæ quotidianæ, & nedum ipſe, ſed etiam Alavolinus ſucceſſor Cappellanos elegit, qui Miſſas celebrarunt, exortâque deinde controverſiâ inter memoratum Alavolinum, & Patres ſuper jure deputandi Cappellanum, poſt obtentas à Patribus binas ſuper hoc puncto ſententias favorabiles, alteram à Curia Epiſcopali Fanenſi, alteram ab A. C. deventum ſubinde fuit ad tranſactionem anno 1687. in qua Alavolinus nominavit in perpetuum Cappellanum cum obligatione nunquam variandi, nec revocandi, Patrem Præfectum Sacriſtiæ pro tempore Eccleſiæ S. Petri, excepto ſolo caſu, in quo inter ſuos filios, nepotes, & pronepotes

potes aliquis reperiretur Sacerdos idoneus, qui dictam Cappellam vellet obtinere. In eadem quoque tranſactione conventum fuit, ut pro dotatione Cappellaniæ, ſeu pro eleemoſyna Sacerdotis celebrare debentis, ſolverentur ſcuta 40. monetæ Urbini, & alia ſcuta 2. ejuſdem monetæ pro ſolitis utenſilibus Sacriſtiæ, ſed cùm anno 1715. Epiſcopus Fanenſis eleemoſynas Miſſarum auxerit à julio uno monetæ Urbini, ad julium unum monetæ Romanæ, nova exorta eſt controverſia inter Alavolinos, & Patres, tam ſuper validitate tranſactionis, quàm ſuper augmento dotis, ſeu reductione Miſſarum.

1 Contendunt autem Patres tranſactionem non ſuſtineri; primò, quia defuit beneplacitum Apoſtolicum, tam de jure, quàm ex voluntate contrahentium requiſitum. Secundò quia non obſtantibus ſententiis favorabilibus obtentis, uti diximus, & prolatis favore Patrum, fuit conceſſum Alavolino jus paſſivum pro ſuis filiis, nepotibus, & deſcendentibus, quatenus inter eos aliquis idoneus Sacerdos reperiretur. Tertiò, quia ad tramites Teſtamenti, dotanda erat Cappellania in cenſibus, aut in rebus conſimilibus, quo ſtante, non erat permiſſum Alavolino ſuſcipere in ſe onus ſolvendi ſcuta 40. monetæ Urbini; quartò tandem, quia cùm ageretur de Cappellania perpetua, ſtipendium non poterat taxari ad rationem eleemoſynæ manualis, & in eo quòd attinet ad ſupplementum dotationis, contendunt iidem Patres debere eſſe locum ſupplemento, & non reductioni Miſſarum.
2 Si etenim Teſtator voluit, quod Cappellania congruenter dotaretur, ſtatim ac congrua dotatio facta non fuit, non poteſt eſſe locus reductioni Miſſarum, ſed ſupplemento dotis.

Contendunt è contra Alavolini, quòd tranſactio ſuſtineatur; de exiſtentia ſiquidem litis non videtur dubitari poſſe, ſicuti nec de ſpe probabili obtinendi revocationem præcedentium ſeutentiarum, cùm quæſtio eſſet ſuper poſſeſſorio, & ipſi præcedenter deveniſſent ad nominationem Cappellanorum; cùmque utilitas Patrum ex tranſactione proveniens conſiſtat in jure per eoſdem acquiſito, circa perpetuam deputationem Præfecti Sacriſtiæ in Cappellanum, inferunt nihil aliud requiri pro validitate tranſactionis, etiamſi defuerit beneplacitum Apoſtolicum, tum quia fuit reſervatum in caſu, in quo eſſet neceſſarium, tum quia beneplacitum requiritur in tranſactione, in qua fit alienatio ſtabilium, & non in tranſactione, in qua Patres acquiſiverunt jus paſſivum perpetuæ Cappellaniæ. Addunt Alavolini non eſſe locum reductioni Miſſarum, nec augmento dotis, tum quia in Civitate Fani adſunt aliæ Cappellaniæ perpetuæ cum ſimplici eleemoſyna ſcutorum 36. monetæ Urbini, itaut per conſequens juſta, & proportionata à fortiori reputanda ſit dos, de qua nunc agitur, utpotè conſtituta in ſcutis 42. ejuſdem monetæ; tum quia punctus reductionis Miſſarum, vel augmenti dotis diſcuti poſſe videtur, cùm contigit deterioratio fundorum aſſignatorum, ſecus autem, quoties, prout in caſu, nulla accidit deterioratio, cùm eadem ſemper vigeat obligatio perſolvendi annua ſcuta 42. Abſque eo quod quidquam referat edictum Epiſcopi augens eleemoſynam Miſſæ à julio uno monetæ Urbini ad julium unum monetæ Romanæ, quandoquidem edictum loquitur de Miſſis manualibus, & non de Miſſis perpetuis.

His ſtantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

3 I. *An tranſactio ſuſtineatur, & quatenus affirmativè, ſeu negativè.*

4 II. *An ſit locus augmento dotis, vel reductioni Miſſarum, in caſu &c.*

Ad primum; *Negativè, & Patres utantur jure ſuo quoad litem.*

Ad ſecundum; *Teneri ad dotationem prout de jure.*

Caſulen. Reſidentiæ.

18. *Martii* 1719.

S U M M A R I U M.

1 *Canonici Eccleſiæ Collegiatæ nominati, & nominandi à Patronis, an, & quando non habeant onus formalis reſidentiæ perſonalis præciſæ.*

Seſſ.24. cap.12. de Reform.

OCcaſione qua per obitum Canonici Theodori Belliardi vacavit alter ex Canonicatibus Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ Novæ Oppidi Lù Caſalen. Diœceſis, ad quem ſic vacantem Alphonſus Cajetanus Belliardus præſentavit Joannem Franciſcum fratrem ſuum, qui inſtitutionem ab Epiſcopo reportavit, & poſſeſſionem cœpit, exorta eſt controverſia inter Agentes Communitatis Oppidi de Lù, ad quos per turnum pertinet præſentatio ad Canonicatus, & eos de Belliardis, qui pariter per turnum habent jus nominandi, ſeu præſentandi, an Canonici nominati, & nominandi ab hac eadem familia onus habeant formalis, & præciſæ reſidentiæ perſonalis, eâdemque ad hanc Sacram Congregationem delatâ, diſputandum in præſenti proponitur dubium infrà exponendum.

1 Contendit Communitas Oppidi de Lù, quòd diſti Canonici ad formalem præciſam reſidentiam perſonalem teneantur non ſolùm ex diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* ſed etiam quia Præpoſitus Eccleſiæ anno 1699. ceſſit favore Menſæ Capitularis ducatos decem auri de Camera, & Sacra Congregatio accedente aſſenſu eorum de Belliardis tanquam Patronorum, approbavit ceſſionem, injuncta Canonicis obligatione reſidendi, & Eccleſiæ inſerviendi per ſeipſos.

Addit Communitas, quòd relicta fuerunt Eccleſiæ Legata pia, intuitu reſidentiæ, & ad finem eandem promovendi, & quod reſidentibus aliis Canonicis tam antiquis, quàm recenter à moderno Epiſcopo inſtitutis, monſtruoſum eſſet, quòd nominati à familia de Belliardis non eſſent oneri reſidentiæ ſubjecti; & multò magìs, quia Præpoſitus Placentinus præſentatus à Belliardis, anno 1700. & ſic poſt relatam Sacræ Congregationis reſolutionem, punctualiter per decem & octo annos, quibus vixit, perſonaliter reſedit, quæ Præpoſiti reſidentia referri nequit ad curam animarum, quam idem exercebat, cum Choro intereſſet indutus Superpelliceo, Bireto, & Almutia, & ſubjaceret punctaturis, ſicut alii ſubjacebant Canonici.

Contendunt è contra illi de Belliardis, quòd Canonici à ſe nominati, & nominandi non habeant onus formalis, & præciſæ reſidentiæ perſonalis, Xyſtus etenim Quartus in ſua Bulla expreſsè permiſit Canonicis, ut inſervire poſſent per ſuſtitutos, & quamvis univerit Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Novæ quædam Beneficia, quorum fructus eſſent dividendi inter intereſſentes Divinis Officiis, hæc tamen reſidentia non eſt præciſa, ſed cauſativa; & in eo quòd attinet, vel ad diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini, vel ad reſolutionem hujus Sacræ Congregationis, dicunt nullam in iiſdem applicari caſui præſenti, non primam, quia Concilium Tridentinum non imponit onus reſidendi illis Canonicis, qui illud non habent in ſequelam Bullæ Pontificiæ; non ſecundam, quia præmiſſo in facto, quod Præpoſitus ſibi in præteritum applicaverat redditus Beneficiorum à Xyſto Quarto unitorum, & quòd loco reddituum prædictorum Beneficiorum ceſſit anno 1698. menſæ Capitulari ducatos decem auri de Camera, ſupplicando Sacræ Congregationi pro confirmatione, nè ceſſio à ſe facta impugnaretur à ſubſequentibus in Præpoſitura ſucceſſoribus, infertur, quòd reſponſum Sacræ Congregationis, in quo ceſſio fuit confirmata, & in quo injuncta fuit Canonicis obligatio reſidendi, & Eccleſiæ inſerviendi per ſe ipſos, referri nequit ad reſidentiam præciſam, ſed ad reſidentiam cauſativam; & ſpecialiùs, quia aſſenſus tunc præſtitus à Belliardis tanquam Patronis, in ventre expreſſam habuit præſervativam, quòd ex eo non intelligeretur impoſitum ullum onus reſidentiæ perſonalis. Pro aſſumpti etiam corroboratione affertur obſervantia, quia poſt decretum Sacræ Congregationis anni 1699. Canonici, qui noluerunt inſervire per ſe ipſos, continuarunt, ut in præteritum, inſerviendo per alios, & quòd notabilius eſt, Canonicus ipſe Jacobus Franciſcus Belliardus, ex cujus præſentatione orta eſt lis, de qua nunc agitur, inſtitutionem reportavit ab Epiſcopo cum verbis excluſivis obligationis Reſidentiæ perſonalis. Abſque eo quod quidquam referant, vel Legata relicta ad finem promovendi reſidentiam, vel exempla aliorum Canonicorum, qui perſonalem

lem reſidentiam adimpleverunt, & adimplent. Primò quia Reſidentia à legantibus promota non poteſt eſſe præciſa, ſed cauſativa. Secundò quia exempla aliorum Canonicorum reſidentium, aut referri poſſunt ad reſidentiam cauſativam, aut ut plurimum militant in Canonicis nominatis ab aliis Compatronis, non in illis nominatis à Belliardis.

His ſtantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

An Canonici Eccleſiæ Collegiatæ Oppidi Lù nominati per Familiam de Belliardis poſt decretum Sac. Congregationis Concilii emanatum de anno 1699., & per eandem Familiam in poſterum nominandi, habeant onus formalis reſidentiæ perſonalis præciſæ in caſu &c.

Negativè & amplius.

Ferrarien.

18. *Martii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Miſſa Conventualis eſt applicanda pro Benefactoribus*. Amplia ut ibi.

2 *Miſſa Parochialis eſt à Parocho pro Populo applicanda*.

3 *Cappellani Curati amovibiles an teneatur applicare Miſſam Parochialem pro Populo*, & num. 8.

4 *Dignitates, Canonici, Manſionarii, & Cappellani Capituli tenentur ad applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus*.

5 *Celebrantibus, & applicantibus Miſſas Conventuales ſolvenda eſt eleemoſyna à Capitulo*.

6 *Pro eleemoſyna Miſſarum Conventualium tenentur contribuere ex Maſſa diſtributionum omnes conſtituentes corpus Capituli ſive ſint Sacerdotes, ſive Diaconi, ſive Subdiaconi*.

7 *Capitulum an, & quando in poſterum continuare teneatur in recitatione Nocturni à mortuis, & in celebratione Miſſæ cantatæ cum applicatione prima die cujuslibet menſis, non impedita pro Benefactoribus*.

9 *Eleemoſyna Miſſæ Parochialis pro Populo an, & quando ſit ſolvenda à Capitulo Cappellanis Curatis amovibilibus; & unde ſit deſumenda*; num. 10.

Seſſ. 23. cap. 1. de Reform.

IN Paſtorali Viſitatione expleta ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Ruffo Epiſcopo Ferrarien. fuerunt ab Eminentia Sua edita nonnulla Decreta, & ſignanter, quòd in Cathedrali Eccleſia Miſſa Conventualis pro Benefactoribus applicetur, & quòd Capitulum teneatur eleemoſynam elargiri Cappellanis illis, qui, juxta conſuetudinem, Miſſas celebrant Conventuales. Fuit ulteriùs ab eodem Eminentiſſimo Epiſcopo editum Decretum, quòd Cappellani Curati, qui à Capitulo Cathedralis Eccleſiæ amovibiliter deputantur pro exercitio curæ Animarum, quarum habitualis cura reſidet aut penès Archipresbyterum, uti habetur in Bullis proviſionis ejuſdem, aut penès Archipresbyterum, & Capitulum, utì legitur in Statuto Capituli *cap.* 23. teneantur diebus Dominicis, & feſtis pro Populo Sacrificium offerre, & quod Capitulum debeat hiſce Cappellanis Curatis pro dictis Miſſis eleemoſynam dare; Cumque adversùs hæc Decreta habitus fuerit à Capitulo recurſus ad hanc Sacram Congregationem, examinanda idcircò proponuntur dubia infrà exponenda.

Putat autem Capitulum nullam ſibi impoſitam eſſe obligationem applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus, tum quia ab immemorabili nunquam facta fuit dicta applicatio, tum quia quolibet menſe, à Capitulo, primâ die non impeditâ, recitatur nocturnum à Mortuis cum laudibus, & Miſſa de requiem pro Benefactoribus decantatur, ultrà Miſſam à rubricis præſcriptam, utì legitur in *cap.* 27. Statuti Apoſtolicâ Auctoritate roborati à Summo Pontifice Clemente Septimo, & in eo quod attinet ad applicationem faciendam pro Populo diebus Dominicis, & feſtis, à Cappellanis, qui exercent curam Animarum, Capitulum ſubdit, Parochialitatem fuiſſe Cathedrali annexam abſque ulla congruæ aſſignatione, cùm fuerit Cathedrali aſſignata ſexta pars Parochiæ S. Romani, quæ continet Animas 300. & ex qua tenuiſſimi fructus incerti percipiuntur, qui pro majori parte Sacriſtiæ Eccleſiæ applicantur, inferendo

do ex his, quæ huc uſque deducta ſunt, non adeſſe, in caſu de quo agitur obligationem applicandi Miſſam Conventualem, & Parochialem.

1 Adversùs hæc autem excipit Eminentiſſimus Epiſcopus in ſua informatione; & loquendo de Miſſa Conventuali, ait certum eſſe, quòd eadem eſt applicanda pro Benefactoribus, juxta reſoluta ab hac Sacra Congregatione *in Ceſenaten. Miſſæ Conventualis* 24. *Maji* 1661. *impreſſa apud Chriſpin. in ſua Viſit. Paſtor. par.* 2. §. 20. *num.* 37. non obſtante quacunque conſuetudine contraria, ut in ſpecie reſolutum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Tuſculana* 16. *Novembris* 1652. *lib.* 19. *Decret.fol.*210. Conſimile inquit ferendum

2 eſſe judicium de applicatione Miſſæ Parochialis diebus ſaltem Dominicis, atque feſtis; textus etenim Concilii Tridentini *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *de Reform.* ubi legitur, præcepto divino mandatum eſſe omnibus, quibus Animarum cura commiſſa eſt, pro his Sacrificium offerre, intelligitur de ſpeciali ipſius Sacrificii, & fructus medii applicatione, juxta latè deducta *per Fagnan. in cap. Fraternitatem num.* 93. *&* 94. *de ſepulturis*, & juxta mentem hujus Sacræ Congregationis expreſſam in reſolutionibus fusè cumulatis *per Monacel. in formul. legal. par.* 1. *tit.* 2. *num.* 4. *&* 5. *& tom.* 2. *tit.* 16. *formula* 2. *num.* 18. *&* 19. abſque eo quod quid-

3 quam referat, quod Decretum editum in Sacra Viſitatione loquitur de Cappellanis Curatis amovibilibus, & quod nulli ſunt redditus, vel ſaltem pauci, qui ratione Parochialitatis à Cathedrali percipiuntur, quandoquidem obligatio applicandi pro Populo extenditur etiam ad Curatos amovibiles, cùm amovibilitas non tollat, quin habeant curam Animarum, utì ratiocinatur *Monacell. loco allegato num.*20. & paupertas non excuſat ab applicatione pro Populo, ut in terminis Parochorum, non habentium congruam reſolvit hæc Sacra Congregatio *in Foroſempronien. Miſſæ Parochialis* 8. *Februarii* 1716. *lib.* 66. *Decret. fol.* 55. *à tergo*, quæ etiam Sacra Congregatio reſolvit celebrantibus Miſſam Conventualem eſſe debitam eleemoſynam per modum diſtributionis, & eamdem eſſe perſolvendam ex redditibus Capituli, utì videre eſt *in Burgii S. Donini Miſſæ Conventualis* 16. *Maji* 1716. *lib.* 66. *Decret. fol.* 223. *à tergo*.

His ſtantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

4 I. *An Dignitates, Canonici, Manſionarii, & Cappellani Capituli, qui omnes ex uſu, & conſuetudine tenentur celebrare in Cathedrali Eccleſia Miſſas Conventuales, teneantur ad eaſdem applicandas pro Benefactoribus, & quatenùs affirmativè.*

5 II. *An celebrantibus, & applicantibus Miſſas Conventuales ſolvenda ſit eleemoſyna à Capitulo, & quatenùs affirmativè.*

6 III. *An pro eleemoſyna dictarum Miſſarum Conventualium teneantur contribuere omnes conſtituentes corpus Capituli, ſive ſint Sacerdotes, ſive Diaconi, ſive Subdiaconi, & ſive participent, ſive non participent de Maſſa diſtributionum.*

7 IV. *An ſuppoſitâ obligatione applicationis Miſſæ Conventualis, teneatur Capitulum in poſterum continuare in recitatione Nocturni à mortuis, & in celebratione Miſſæ cantatæ cum applicatione primâ die cujuslibet menſis non impedita pro Benefactoribus.*

8 V. *An Cappellani Curati amovibiliter à Capitulo deputati pro exercitio curæ Animarum teneantur diebus Dominicis, & feſtis Miſſam applicare pro Populo, & quatenùs affirmativè.*

9 VI. *An eleemoſyna ſit iiſdem perſolvenda ab Archipresbytero, vel à Capitulo, & quatenùs ſolvenda ſit à Capitulo.*

10 VII. *An eleemoſyna deſumenda ſit ex maſſa diſtributionum, vel ex fructibus præbendæ ſingulorum Canonicorum.*

Ad primum: *Affirmativè.*

Ad ſecundum, & tertium: *Affirmativè, ſed ex maſſa diſtributionum.*

Ad quartum, & quintum: *Affirmativè.*

Ad ſextum: *Eleemoſynam eſſe perſolvendam à Capitulo in caſu.*

Ad ſeptimum: *Eſſe deſumendam ex maſſa diſtributionum.*

Aqui-

Aquipenden. Indulti.

18. *Martii*, *&* 1. *Aprilis* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Fallentiæ*, *ſeu punctaturæ an debeantur Canonico jubilato, ſi in Choro non interſit*: & num. 5. & 8. & 10.

2 *Canonicus jubilatus an participare debeat de emolumentis adventitiis Anniverſariorum*, *& aſſociationum cadaverum ſi functionibus non interſit*: & num. 3. & 9. & 11.

4 *Anniverſaria æquiparari videntur diſtributionibus*.

6 *Canonicus jubilatus an teneatur vel per ſe*, *vel per alium ad celebrationem Miſſæ Conventualis per turmum*.

7 *Canonicus jubilatus an teneatur facere depoſitum tertiæ partis fructuum Præbendæ pro diſtributionibus quotidianis*, *ſicuti faciunt alii Canonici*.

Seſſ. 22. cap. 3. de Reform.

PRopter continuum, & laudabile quadraginta annorum ſervitium, conceſſum fuit Canonico Seraphino Indultum jubilationis, ſub conſueta clauſula, *ut quamvis in poſterum non inſerviat*, *nihilominus fructus omnes*, *& diſtributiones quotidianas ſui Canonicatus percipere valeat*, *perinde ac ſi Choro*, *& Officiis Divinis perſonaliter intereſſet*, exortâque ſubinde controverſiâ inter ipſum, & cæteros Canonicos Collegiatæ Eccleſiæ Terræ Canini ſuper participatione punctaturarum, quæ *fallentiæ* dicuntur, necnon emolumentorum, quæ adventitia dici valeant, cùm deſumantur ex anniverſariis, & aſſociationibus cadaverum, in hypotheſi, in qua Canonicus Seraphinus, nec Choro, nec Anniverſariis, nec prædictis aſſociationibus cadaverum interſit, reſolvenda idcircò proponuntur dubia infrà exponenda.

1 Quoad punctaturas, ſeu fallentias, Sacra hæc Congregatio aliàs reſolvit eas non deberi Canonico jubilato, ſi Choro non interſit, utì habetur *in Romana diſtributionum lib.* 30. *Decret. fol.* 16. *&* 36. *à tergo*.

2 Quoad Anniverſaria, Sacra hæc eadem Congregatio cenſuit eorum emolumenta deberi Canonico jubilato, in hypotheſi, in qua non fuerat à Teſtatoribus appoſita conditio, quod inter præſentes dividerentur, & in hypotheſi, in qua immemorabilis fuerat introducta conſuetudo, ut Participantes de diſtributionibus, participarent etiam de Anniverſariis, & in his terminis procedit reſolutio *in Cauſa Patavina* 9. *Julii* 1714. *lib.* 64. *Decret.*

3 E contra in caſu, in quo prædictæ deficiebant circumſtantiæ, & in quo conceſſum fuerat conſuetum jubilationis Indultum, cum facultate percipiendi omnes fructus; unà cum diſtributionibus quotidianis, perinde ac ſi jubilatus Choro intereſſet, Sacra Congregatio cenſuit non eſſe jubilatum admittendum ad partici-
4 pandum de eleemoſynis Anniverſariorum, non obſtante, quod Anniverſaria videantur æquiparari diſtributionibus, juxta Textum *in cap. unico de Cler. non reſid. in* 6. & in his terminis procedit reſolutio *in Bituntina Anniverſariorum* 1. *Junii* 1679. *lib.* 30. *Decret.*

His ſtantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An Canonicus Seraphinus vigore Indulti jubilationis*, *ſi Choro non interſit*, *participare debeat de punctaturis*, *ſeu fallentiis*, *in caſu &c.*

II. *An idem participare debeat de emolumentis adventitiis Anniverſariorum*, *& aſſociationum cadaverum*, *ſi functionibus non interſit*, *in caſu &c.*

Dilata, & reproponatur in prima.

AQuipenden. Indulti. Pro adæquata hujus Cauſæ reſolutione mihi fuit ab EE. VV. in proximè præterita Congregatione demandatum, quòd præter Decreta, in folio dictæ Congregationis benignè reaſſumendo, allegata, perquirerem, an alia in Regeſtis hujus Sacræ Congregationis reperirentur, quæ ad rem
5 facere poſſent. Quoad punctum itaque Canonici, qui obtinuit Indultum jubilationis, an, ſi Choro non interſit, participare debeat de punctaturis, ſeu fallentiis, invenio, quod in quadam Cauſa *Reatina diſtributionum* injunctum quoque fuit tunc temporis Secretario, ut præcedentia Decreta uniret, factâque Decretorum unione,

ne, & propoſito dubio: *An Canonico jubilato debeantur fallentiæ Canonicorum abſentium, ſi Choro non interſit*, reſponſum fuit *affirmativè, dummodò non obſtent Conſtitutiones particulares, & conſuetudo Eccleſiæ*, utì videri poteſt *in cit. Reatina diſtributionum* 19. *Aprilis* 1692. *fol.* 41. *à tergo*, *lib.*42. *Decret.*

Invenio quoque, quod in alia Cauſa *Aquipendii Jubilationis*, quæ propoſita fuit in Congregatione habita *die* 2. *Martii* 1697. & reſoluta in ſubſequenti Con-
6 gregatione habita *die* 23. *ejuſdem menſis, & eodem anno*, tria fuerunt dubia diſputata, primum, *an Canonicus jubilatus teneretur vel per ſe, vel per alium ad celebrationem Miſſæ Conventualis per turnum*, & huic
7 dubio reſponſum fuit *negativè*. Fuit ulterius propoſitum ſecundum dubium, *An idem Canonicus teneretur facere depoſitum tertiæ partis fructuum Præbendæ pro diſtributionibus quotidianis, ſicuti faciunt alii Canonici*, & huic dubio reſponſum fuit
8 *affirmativè*, tertium denique dubium propoſitum fuit, *an idem Canonicus participare poſſet de diſtributionibus, quas ponunt in maſſa cæteri Canonici, ſive ipſe ſit præſens, ſive abſens à Choro*, & huic dubio reſponſum fuit *affirmativè, etiam quoad fallentias, niſi obſtent ſtatutum, ſeu conſuetudo*; utì videre eſt *pag.*85. *pag.*111. *lib.* 47. *Decret.*

9 Quoad alium verò punctum, an Canonicus jubilatus participare debeat de emolumentis adventitiis Anniverſariorum, aſſociationum cadaverum, ſi functionibus non interſit, invenio, quod in quadam cauſa *Novarien. jubilationis*, quæ fuit propoſita *die* 2. *Octobris* 1677. diſputatum fuit, *an duo Canonici jubilati Collegiatæ S. Gaudentii Civitatis Novariæ frui deberent emolumentis Anniverſariorum, quæ fiunt intrà annum, licèt non aſſiſterent*; & dubio reſponſum fuit *affirmativè*; cumque in quadam cauſa *Bituntina Anniverſariorum* 1. *Julii* 1679. Sacra hæc Congregatio reſpondiſſet, jubilatum non eſſe admittendum ad participandum de emolumentis Anniverſariorum, utì relatum fuit in alio præcedenti folio, novus à Capitulo Collegiatæ S. Gaudentii Civitatis Novariæ habitus eſt ad hanc Sacram Congregationem recurſus, allegatoque cauſæ Bituntinæ exemplo, iterum propoſitum fuit dubium, an Canonici jubilati frui deberent emolumentis Anniverſariorum, quæ fiunt intrà annum, quamvis non aſſiſtant, itaut ſtandum eſſet, vel recedendum à deciſis, & Sacra Congregatio *die* 29. *Novembris* 1681. ſtetit in deciſis *quoad Anniverſaria fixa, & in quibus non eſt cautum à Teſtatoribus, ut intereſſentes tantùm participare deberent*, quemadmodum habetur *lib.* 22. *Decret. fol.* 44.

His ſtantibus, onus erit EE. VV. decernere.

10 I. *An Canonicus Seraphinus vigore Indulti jubilationis, ſi Choro non interſit, participare debeat de punctaturis, ſeu fallentiis, in caſu.*

11 II. *An idem participare debeat de emolumentis adventitiis Anniverſariorum, & aſſociationum cadaverum, ſi functionibus non interſit, in caſu &c.*

Ad primum: *Affirmativè, & amplius.*

Ad ſecundum: *Affirmativè ad primam partem dummodo non obſtet voluntas Teſtatoris, vel dantis, & ad ſecundam partem negativè.*

Ordinis S. Franciſci.

18. *Martii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Syndici Ordinis S. Franciſci habent facultatem à Summo Pontifice alienandi mobilia, & immobilia Fratribus ſub modo licito relicta.*

2 *An in alienationibus bonorum Patribus Ordinis S. Franciſci relictorum, quæ fiunt ex neceſſitate juris neceſſarium ſit Beneplacitum Apoſtolicum.*

3 *Syndicus Ordinis S. Franciſci, ad hoc ut alienare poſſit mobilia pretioſa Eccleſiæ incorporata, requiritur Beneplacitum Apoſtolicum; quoad omnes verò alias res non poteſt procedere ad venditionem niſi prævia Edictorum affixione, ut venditio fiat majori oblatori.*

Seſſ.25. de Regul. & Monial. cap.3.

PRovinciæ Reformatæ S. Franciſci Familiæ Ciſmontanæ exponunt, quòd à ſuis Syndicis Apoſtolicis res ipſis relictæ viliſſimo pretio venduntur, vel quia

Syndici

Syndici eas vendunt favore Propinquorum, vel quia contractus faciunt cum Perſonis Potentibus, quibus reſiſtere non poſſunt; auditoque Procuratore Generali, prædicta omnia confirmante, quæritur in præſenti quodnam remedium parandum ſit adversùs hoc malum, quòd non eſt habendum tanquam malum parvi momenti.

Proponi poſſet, quòd Syndici in poſterum non procederent ad bonorum alienationem, niſi petito, & obtento Apoſtolico Beneplacito, ut fit in alienatione cæterarum rerum ad alias Eccleſias, & loca pia pertinentium.

At loquendo de hoc temperamento, non levis urget difficultas, & præſcindendo à neceſſitate vendendi, & alienandi, ut Fratrum indigentiis ſuccurratur, cum qua neceſſitate non videtur compatibilis obligatio recurrendi ad Sedem Apoſtolicam pro obtinendo Beneplacito,
1 Syndici hujus Ordinis habent à Summo Pontifice facultatem alienandi mobilia, & immobilia Fratribus ſub modo licito relicta, utì habetur *in Conſtit.* 1. *Pauli IV.* §. 11. *Bull. tom.* 1. *in Conſtit. cap.* 4. *Si dichiara, che noi poſſiamo ſervirci del Syndico in due ſoli atti, il primo de' quali è, che poſſa ricevere in nome della Sede Apoſtolica tutte le coſe mobili, ed immobili, offerte, donate, o laſciate à' Frati in teſtamento. Il ſecondo è, che poſſa a nome di detta Sede Apoſtolica vendere, alienare, o commutare le coſe, delle quali non poſſono i Frati lecitamente ſervirſi, e convertire il prezzo per i biſogni de' detti Frati.*

Abſque eo quod in his alienationibus Apoſtolicum requiritur Beneplacitum, quia alienatio fit ex neceſſitate juris, ut in puncto firmat *Fagnan. in cap. Nulli num* 27. & 28. *de reb. Eccleſ. non alien.* vel quia bona dici nequeunt Monaſteriis incorporata propter incapacitatem eorundem, quemadmodum relatâ hujus Sacræ Congregationis reſolutione ponderant *Lantuſc. in Theatr. Regul. in verbo bona temporalia num.* 7. *Corrad. in praxi diſpenſ. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 13. *Donat. in praxi Regul. tom.* 1. *tract.* 14. *quæſt.* 67.

Excluſo hoc temperamento, reliquum eſt, ut videatur, an præcipiendum ſit, ut Syndici ad alienationes non procedant, niſi prævia Edictorum affixione; quid quid enim ſit, an hæc ſolemnitas ab aula receſſerit, quando agitur de alienatione rerum ad Pupillos, & Minores pertinentium, hoc unum certum eſt, quòd cautela prædicta demandatur ab hac Sacra Congregatione, quando conceditur licentia locandi, vel concedendi in emphitheuſim bona Eccleſiaſtica.

His ſtantibus, onus erit EE. VV. decernere.

An, & quale temperamentum ſit capiendum, in caſu &c.

3 Quoad mobilia pretioſa Eccleſiæ incorporata eſſe neceſſarium Beneplacitum Apoſtolicum, quo verò ad omnes alias res non poſſe Syndicus procedere ad venditionem niſi prævia Edictorum Affixione, ut venditio fiat majori oblatori.

Tarantaſien.

22. *Aprilis* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Parocho de Oblationibus à Fidelibus exteris, & non Parochianis, alicui Oratorio, vel Cappellæ rurali relictis non debetur aliqua portio.*

2 *Univerſitati, aut Procuratori piorum operum ab eadem conſtituto licèt de Oblationibus à Fidelibus exteris, & non Parochianis alicui Oratorio, vel Cappellæ rurali relictis, dictum Oratorium, aut Cappellam ampliare, illamque in forma publicæ Eccleſiæ redigere, diſſentiente Parocho.*

3 *Pro celebratione miſſæ quotidianæ in dicto Oratorio, aut Cappella in Eccleſiam erigenda, non licèt eidem Univerſitati, ſed iſte deputandus eſt ab Ordinario.*

Seſſ.22.cap.9. de Reform.

Occaſione cujuſdam ſaluberrimæ aquæ, quæ à quodam Monte ſcaturire cœpit in finibus Ducatus Sabaudiæ, & ſignanter in Comitatu Tarantaſiæ ad cujus aquæ potum finitimarum gentium factus eſt, & fit concurſus, conſtructum fuit quoddam Oratorium B. Mariæ Virgini dicatum; cumque ſubinde actum fuerit de eodem in Eccleſiam ampliando, nec non de erigendo Hoſpitali, quod

quod certè eſſet maximopere proficuum, ut in illud Exteri, & Peregrini ſe recipere poſſent, contingit enim aliquando, ut nivibus, & glacie homines illis in locis opprimantur, & vita priventur, quemadmodum legitur in actis Tarantaſienſis Eccleſiæ Lugduni editis anno 1697. *fol.* 140. ibi, *Verùm quoniam in hac noſtra Diœceſi aliquando accidit homines vitâ privari, ſive ex altiſſimorum Montium præcipitiis, ſive opprimi nivibus, aut glacie*, exorta eſt controverſia inter Communitatem, & Homines Pagi Peyſei, & dicti Pagi Parochum tùm ſuper oblationibus, tum ſuper erectione Hoſpitalis, cauſâque ad hanc Sacram Congregationem devolutâ, dignabuntur EE. VV. decernere.

1 I. *An Parocho Peyſei de obligationibus à Fidelibus exteris, & non Parochianis Oratorio rurali B. Mariæ Virginis relictis debeatur aliqua portio in caſu &c.*

2 II. *An Univerſitati Peyſei, & Procuratori piorum operum ab eadem conſtituto, liceat cum dictis oblationibus ampliare dictum Oratorium, illudque in forma publicæ Eccleſiæ redigere, diſſentiente Parocho in caſu &c.*

III. *An eidem Univerſitati cum dictis oblationibus pro commodo Peregrinorum, & Exterorum ad dictum Oratorium confluentium liceat erigere Hoſpitale, etiam diſſentiente Parocho, in caſu &c.*

3 IV. *An pro celebratione Miſſæ quotidianæ in dicto Oratorio in Eccleſiam erigendo, & pro inſerviendo dicto Hoſpitali, liceat eidem Univerſitati deputare Cappellanum independenter à Parocho, in caſu &c.*

Ad primum: *Negativè*.

Ad ſecũdum: *Affirmativè juxta modum.*

Ad tertium: *Dilata*.

Ad quartum: *Negativè, & Sacerdos deputetur ab Ordinario.*

Biſuntina.

22. *Aprilis* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Clamans adversùs fures, prævidendo, quod ſi caperentur ultimo poterant ſupplicio mulctari non eſt irregularis, licèt deinde fures à Judice, vel à circumſtantibus occidantur.*

2 *Irregularitas ex homicidio, quomodo contrahatur?*

3 *Ad incurrendam irregularitatem ex homicidio ſufficiens eſt quodcumque dictum, vel factum quod dirigatur, ſive ordinetur ad homicidium inde ſecutum.*

4 *Mandans alteri ut fures inſequatur, ſi iſti poſtea à Judice ultimo ſupplicio plectantur, eſt irregularis.*

5 *Diſpenſatio ab irregularitate contracta occaſione militiæ aſſumptæ ab aliquo obtenta ſub expreſſione, quod neminem occiderat, aut mutilaverat, an ei ſuffragetur ſi mandaverit Officiali, ut fures inſequeretur; qui capti fuerunt poſtea à Judice ultimi ſupplicii pœna affecti.*

Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.

CLemens Joſeph Pollet de Chintro Biſuntinæ Diœceſis, cupiens adſcribi militiæ Clericali, petiit, & obtinuit à Sede Apoſtolica diſpenſationem ab irregularitate, quam incurrerat, ex eo quod militiæ ſæculari nomen dederat, & arma pro ſui Principis ſervitio geſſerat, nemine tamen interfecto, aut mutilato. Quia verò occaſione, qua ipſe erat Dux, ſeu Officialis ſubalternus cohortis militum præſidiariorum in quadam Arce, habuit in mandatis à ſuo Superiore, ut quoſdam inſequeretur, qui ad furandum illuc advenerant, alteri mandavit Officiali, ut hæc adimpleret, & hic eos inſecutus apprehendit, & ad carceres publicos duxit, & capti ſubindè per Judices Regios damnati fuerunt, & ultimâ ſupplicii pœnâ affecti, ſtimulis conſcientiæ agitatus, dubitat, an diſpenſatio obtenta ſub ea expreſſione, quòd neminem occiderat, aut mutilaverat ſibi prodeſſe poſſit.

Pro affirmativa facit, quòd non obſtantibus his, quæ ſupra fuerunt inſinuata, nunquam dici poteſt, quòd aliquem occiderit, ſeu mutilaverit, quo admiſſo, ſequi videtur, diſpenſationem obtentam eidem debere eſſe proficuam; & multò magìs, cùm Orator nullum dederit ſuffragium ſuper occaſione eorum, qui capti fuerunt, in quibus terminis videtur ceſſare irregularitas, qua ceſſante, nòn alia remanere poteſt irregularitas, quàm illa contracta occaſione militiæ aſſumptæ,
1 quæ per diſpenſationem Apoſtolicam fuit jam

jam de medio ſublata, & in terminis ejus, qui clamorem extulit adversùs fures, prævidendo, quod ſi caperentur, ultimo poterant ſupplicio mulctari, quod ab illo non contrahatur irregularitas, licèt deinde fures à Judice, vel à circumſtantibus occidantur, docet *Del Bene inter tract. moral. tract. 6. de comit. ſeu parlam. dubit.* 8. *num.* 21. *& ſeqq.*

2 Pro negativa verò opinione facit, quod irregularitas ex homicidio contrahitur, aut facto, aut præcepto, aut conſilio, juxta *Textum in can. ſi quis viduam diſt.* 50. & concordat *Textus in cap. ſicut*, §. *Clericos*, ibi: *& illos qui conſilium dederunt*, & in *cap. ſignificaſti il ſecondo*, ibi: *neque ipſius ſtudio, conſilio, vel mandato; titulo de homicidio voluntario, vel caſuali*, & notabilis eſt gloſſa *in citat. cap. ſicut*, §. *conſilium*, ibi: *& ſic diſtingue circa hanc materiam, aut committitur homicidium voluntate, aut caſu, aut neceſſitate. Si voluntate, quod ſit tribus modis, facto, præcepto, & conſilio. In quocunque iſtorum caſuum, qui committit homicidium, non ſolùm non debet promoveri, ſed in perpetuum debet deponi.* Si autem irregularitas ex homicidio contrahitur, non ſolùm facto, ſed etiam præcepto, atque conſilio, videtur, quòd Orator eam incurrerit ſtatim ac alteri Officiali demandavit, ut hoſtes furantes inſe-
3 queretur, qui deinde ad mortem damnati ſunt, cùm ad incurrendam in his terminis irregularitatem ſufficiens reputetur quodcunque dictum, vel factum, quod dirigatur, ſive ordinetur ad homicidium inde ſecutum, quemadmodum poſt Navarrum, & Avilam docet *Piringh. ad tit. Decret. de homicidio voluntario ſect.* 4. §. 1. *ſub n.* 91. in quo rerum themate diſpenſatio obtenta Oratori ſuffragari non poſſet.

4 Additur, quod ſi Orator ipſe inſecutus fuiſſet furantes, eoſque apprehendiſſet, iidemque ſubinde morte mulctati fuiſſent, irregularis evaſiſſe dici poſſet ex homicidio ſecuto. Idem ergo judicium ferendum eſſe videtur, etiam in hypotheſi, in qua Orator non eſt inſecutus, ſed alteri mandavit, ut fures inſequeretur, qui poſtmodum à Judicibus ultimo fuerunt affecti ſupplicio, utì probat *Textus in cap. is, qui de homicidio in 6.*

His poſitis, dignabuntur EE. VV. decernere.

5 *An Oratori ſuffragetur obtenta diſpenſatio, in caſu &c.*

Negativè.

Antequexen. in Indiis Occidentalibus.

22. *Aprilis* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopus indicere poteſt Feſtum de præcepto in ſua Diœceſi de conſenſu Capituli; an verò ſit neceſſarius conſenſus Populi?* vide ibi.

Seſſ. 25. de Regul. cap. 12.

EPiſcopus Antequexen. in Indiis Occidentalibus literas dedit Sanctiſſimo Domino Noſtro, in quibus expoſuit, quòd in ſua Civitate plurimæ fiebant proceſſiones tempore Quadrageſimæ, & ſignanter in hebdomada majori, & quod præſertim tempore noctis, cùm functiones illæ ad multam noctem producerentur, ſcandala ſequebantur, & mala, quæ non licèt homini loqui, nedum in vicis, & plateis, ſed etiam in ipſis Eccleſiis, & quòd idcircò ipſe prohibuit proceſſiones tempore Quadrageſimæ, exceptis duabus in feria ſexta majoris hebdomadæ, latâ lege, quòd feriâ quintâ in Cœna Domini omnes Eccleſiæ clauderentur horâ nonâ poſt meridiem, & quod demum ſpatio quindecim annorum, hæc omnia feliciter, & cum plauſu executioni mandata ſunt, cùm populus non ſit duræ cervicis, nec domus ſit exaſperans.

In iiſdem quoque literis exponitur, quod ad majorem Dei gloriam, adhibito conſilio, & conſenſu Capituli Cathedralis Eccleſiæ, & Magiſtratuum, præcepit, ut dies Expectationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, qui magnâ cum celebritate recolitur, habeatur, & ſit feſtivus de præcepto; cumque Epiſcopus Summo Pontifici exoraverit pro horum omnium confirmatione, & à Sanctitate Sua fuerint preces remiſſæ ad hanc Sacram Congregationem, in præſenti agendum eſt, an geſta ab Epiſcopo ſint auctoritate Apoſtolicâ confirmanda.

1 Quoad diem itaque feſtum de præcepto Expectationis Beatæ Mariæ Virginis,

pro quo à Sacrorum Rituum Congregatione conceſſum fuit nonnullis Diœceſibus Officium particulare, de jure communi, ſicuti poteſt Summus Pontifex feſtum indicere de præcepto in univerſa Eccleſia, ita poteſt Epiſcopus hoc ipſum facere in ſua Diœceſi, accedente conſenſu Cleri, & Populi, utì probat *Textus in can. pronunciandum de conſecrat. diſt. 3. & in cap. conqueſtus de feriis*, & licèt nonnulli Doctores dicant conſenſum populi de conſuetudine ampliùs non requiri, omnes tamen agnoſcunt neceſſitatem conſenſus Capituli, *Azor. inſtit. moral. tract. 27. lib. 1. cap. 26. quæſt. 1. & 2. Diana in edit. coordinat. tom. 3. tract. 3. reſolut. 89. num. 2.* & quoad Bullam 291. Urbani VIII., in qua dies feſti ſtatuuntur, non prohibetur Ordinariis aliorum feſtorum indictio, ſed tantummodo iidem admonentur, ut à dicta indictione novorum feſtorum de præcepto ſtudeant, quantùm fieri poteſt, abſtinere.

His poſitis, dignabuntur EE. VV. decernere.

An, & quomodo precibus ſit annuendum. Affirmativè.

Comen. Diſtributionum.

6. Maji 1719.

SUMMARIUM.

1 *Erectis in Eccleſia Cathedrali nonnullis Manſionariis à Fundatore ad formam aliarum Manſionariarum, prius erectarum ab alio Fundatore; Manſionarii ſecundæ erectionis tenentur ad omnia onera, ad quæ tenentur Manſionarii primæ erectionis, & participare debent de omnibus emolumentis, prout participant primi Manſionarii; & quæ ſint hujuſmodi onera?* Vide prout in corpore.

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

Anno 1618. fuit erectum, & fundatum in Cathedrali Eccleſia Comenſi ab Abbate Marco Gallio inſigne Collegium octo Manſionariorum, qui inſervire deberent eidem Cathedrali diebus feſtis, & adjectis nonnullis aliis legibus, & Conſtitutionibus, facultate ſibi reſervatâ eas pro ſuo arbitrio mutandi, & moderandi, & inter alias hæc aderat, quòd videlicet ipſe Abbas, & ejus Succeſſores retinere poſſent penès ſe unum ex dictis Manſionariis, qui, Patrono commorante in Civitate Comi, vel in ejus diſtrictu, non teneretur Eccleſiæ inſervire, niſi in diebus feſtis de præcepto, & proceſſionibus intereſſe, & Patrono abſente à Civitate, aut diſtrictu, deberet ille eſſe liber, & immunis à ſervitio, ita tamen, ut tempore permanentiæ apud Patronum abſentem haberi deberet, ac ſi præſens eſſet in Choro.

Anno 1625. Pius Fundator auxit dotem favore Collegii Manſionariorum, & utendo memoratâ facultate ſibimet reſervatâ, eoſdem obligavit ad reſidentiam, & intereſſentiam quotidianam ſervitio Eccleſiæ Cathedralis, & abrogavit jus, quòd ſibi, & ſucceſſoribus aſſeruerat, retinendi penès ſe Manſionarium, qui, hoc minimè obſtante, haberi deberet, ac ſi præſens eſſet in Choro juxta ea, quæ ſupra dicta ſunt.

Anno 1632. Marcus Abbas Gallius, conſtituto novo dotis augmento, binos alios addidit Manſionarios, impoſitâ iterùm tam his, quàm aliis obligatione perpetuæ reſidentiæ, & intereſſentiæ Divinis Officiis, & in eo, quòd attinet ad facultatem retinendi penès ſe Manſionarium, ſic diſpoſuit: *Che ſia lecito al ſuddetto Illuſtriſſimo Fondatore tenere appreſſo di sè, ed in ſuo ſervizio uno di detti Manſionarii, qual mentre ſtarà al detto ſervizio, ſia eſente, e libero dalla reſidenza, & da qualſivoglia altro carico impoſto a' detti Manſionarii, eccetto, che dall' obbligo della ſua contingente parte delle Meſſe. Ordina tuttavia, che detto Manſionario, benche aſſente dal Coro, ed eſente, come ſopra, debba eſſere riputato preſente, e debba godere il corpo del Beneſizio, e delle diſtribuzioni quotidiane, frutti, redditi, ed emolumenti, che godono quelli, che attualmente riſiedono, come ſe ancor eſſo attualmente, e quotidianamente riſedeſſe.*

Anno 1683. Marchio Jacobus Gallius hæredem inſtituit fabricam Eccleſiæ Cathedralis Comi, & inter cætera demandavit, quòd ex ſuis bonis erigerentur bini alii Manſionariatus uniendi, aggregandi aliis decem Manſionariis ab Abbate

te Marco Gallio erectis, & fundatis: *volendo, che detti due Manſionarj ſiano tenuti oſſervare, e fare tutto ciò, che fanno, ed oſſervano li ſuddetti dieci, come ſe anch' eſſi foſſero ſtati fondati dal detto quondam Signor Abbate Marco nella di lui fondazione, fuori che circa l'applicazione del Santiſſimo Sagrificio della Meſſa*; & ſub hac lege fuerunt anno 1689. nova hæc Beneficia ab Ordinario erecta.

1 Ad alterum ex his Manſionariatibus fundatum à Marchione Jacobo Gallio, nuper aſſumptus fuit Sacerdos Ptolemæus Pila, negotiorum geſtor, ſive agens Ducis Franciſci Gallii Patroni, exortiſque inter ipſum, & alios Manſionarios nonnullis controverſiis, iiſdemque ad hanc Sacram Congregationem delatis, ex juribus circumferendis, dignabuntur EE. VV. ſequentibus dubiis reſpondere.

I. *An duo Manſionarii fundati per Marchionem Jacobum Gallium teneantur reſidere, ac intereſſe Choro, cæteriſque Eccleſiaſticis functionibus, ſicuti tenentur alii Manſionarii prius erecti per Abbatem Marcum Gallium, in caſu &c.*

II. *An redditus annuus per D. Marchionem Jacobum relictus pro unoquoque ex dictis duobus Manſionariis ſit in fundatione partim deſtinatus pro Præbenda, & partim pro diſtributionibus quotidianis ad formam aliorum Manſionariatuum erectorum per Abbatem Marcum in caſu &c.*

III. *An Sacerdos Ptolemæus Pila unus ex dictis duobus Manſionariis fundatis per Marchionem Jacobum pro eo tempore, quo eſt addictus ſervitio, ſeu gerit negotia D. Ducis Albeti teneatur ad reſidentiam, ac intereſſentiam, ſicuti cæteri Manſionarii, in caſu &c. & quatenus negativè.*

IV. *An participare debeat de diſtributionibus, necnon fallentiis, ſeu punctaturis omnium aliorum Manſionariorum, in caſu &c.*

V. *An etiam de omnibus, & quibuſcunque emolumentis tam non fixis, vel extraordinariis, quàm fixis, & ordinariis, quæ percipiuntur à Collegio Manſionariorum in exequiis mortuorum, ac in aliis ſimilibus functionibus in caſu &c.*

VI. *An pro eo quoque tempore, quo dictus Sacerdos Pila in præteritum non interfuit Choro, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus, ſit admittendus ad participationem diſtributionum, & fallentiarum aliorum Manſionariorum, in caſu &c.*

VII. *Quatenus verò affirmativè ad tertium dubium. An pro eo tempore, quo non intereſt Choro, cæteriſque Eccleſiaſticis functionibus amittat diſtributiones quotidianas, & ad cujus favorem iſtæ cedere debeant, in caſu &c.*

VIII. *An pro eo tempore, quo dictus Sacerdos Pila in præteritum defecit in ſupradicta intereſſentia à Choro, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus teneatur reſtituere pecuniam exactam reſpectu portionis deſtinatæ pro diſtributionibus quotidianis.*

IX. *Quo verò ad alteram portionem deſtinatam pro Præbenda, an intret diſpoſitio Sac. Canc. Trid. cap.12. ſeſſ.24. de Reform. ſeu potiùs ſit locus pœnæ injunctæ per Abbatem Marcum Gallium in cap. 5. inſtrumenti fundationis anni 1632. & quomodo ſit providendum, in caſu &c.*

X. *An dicti duo Manſionarii erecti per Marchionem Jacobum debeant in poſterum gaudere de utilibus librarum trium millium relictarum in Teſtamento dicti Marchionis Collegio Manſionariorum, necnon debuerint illis gaudere etiam pro tempore præterito, in caſu.*

XI. *An redditus relicti per Marchionem Jacobum pro dictis duobus Manſionariatibus debeant in poſterum poni in communi maſſa cum redditibus Collegii Manſionariorum fundati per Abbatem Marcum, in caſu &c.*

XII. *An iidem redditus ſint exigendi à dictis duobus Manſionariis, ſeu potiùs à Canepario Collegii ad hoc, ut quoad ratam deſtinatam pro diſtributionibus quotidianis diſtribuantur juxta præſtitum Eccleſiæ ſervitium, in caſu &c.*

Ad primum, ſecundum, & tertium: *Affirmativè, & amplius*

Ad quartum, quintum, & ſextum: *Satis proviſum in tertio.*

Ad ſeptimum: *Ad primam dubii partem affirmativè, & ad ſecundam ſervetur diſpoſitio Abbatis Marci Gallii de anno 1632. & amplius.*

Ad octavum: *Negativè, & amplius.*

Ad nonum: *Negativè quoad primam, & affirmativè quoad ſecundam partem, ſed in futurum, & amplius.*

Ad decimum: *Affirmativè quoad primam partem, & quoad ſecundam affirmativè*

tivè pariter excepto Pila, & *amplius*.

Ad undecimum: *Affirmativè*, & *amplius*.

Ad duodecimum: *Negativè quoad primam*, & *affirmativè quoad ſecundam partem*; *Et ſumma à Canapario deponenda pro diſtributionibus non excedat ſummam, quam contribuunt cæteri Manſionarii*.

Narnien. Juriſpatronatus.

6. Maji 1719.

SUMMARIUM.

1 *Patronus Laicus concedere poteſt loco Religioſo juſpræſentandi abſque conſenſu Epiſcopi, non verò Eccleſiam, & ejus fabricam, ſive titulum, aut proprietatem ſinè dicto conſenſu*.

2 *Donato jurepatronatus à Patronò una cum Eccleſia Regularibus, intuitu fundationis Conventus, ſeu Hoſpitii eorum Religionis; ſi hujuſmodi fundatio, non fuerit exequuta, nec exequi poſſit, donatio eſt nulla, & Regulares præſentare non poſſunt; ſed præſentatio ſpectat ad Patronum donantem*.

Seſſ.25. de Reform.cap.9.

PEtrus de Rapaciolis donavit Patribus Auguſtinianis Excalceatis juſpatronatus ſibi competens in Eccleſia Sanctæ Mariæ *del Colle*, una cum ipſa Eccleſia, & ſitu eidem contiguo, necnon juſpatronatus duorum aliorum Beneficiorum erectorum in Cappella Sanctiſſimi Crucifixi Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Nicolai, & intuitu hujus donationis, Patres promiſerunt fundare Conventum, ſeu Hoſpitium ſuæ Religionis; Cùmque ante Conventus, ſeu Hoſpitii erectionem Beneficia prædicta vacaverint per obitum Joannis Pauli Factoris, Dominicus de Scipiis præſentationem obtinuit à Patribus Auguſtinianis, & Nicolaus Leander Paternus fuit præſentatus à Petro Rapaciolo, & inter præſentatos exorta eſt controverſia, quis ex ipſis ſit ab Ordinario inſtituendus in dictis Beneficiis.

Pro Dominico facit, quòd ipſe eſt præſentatus à Patribus Donatariis, quorum jus ſalvum eſſe videtur, cùm Donator poſt donationem nequeat amplius præſentare.

Pro Nicolao verò Leandro facit, quòd donatio videtur nullitatis vitio laborare, & quatenus eſſet valida, contenditur eam Patribus ſuffragari non poſſe in caſu, & ad effectum de quo agitur.

1 Dicitur autem donationem nullitatis vitio laborare, quia quidquid ſit, utrum Laici valeant donare Loco Pio ſinè conſenſu Epiſcopi juſpræſentandi ad Beneficia Eccleſiaſtica, exiſtimant nihilominus Doctores, quòd illi donare nequeant Eccleſiam, & ejus fabricam, ſive titulum, aut proprietatem ſinè dicto conſenſu *Barboſ. in cap. cùm & plantare num.*12. *de privilegiis*, *Tamburin. de jure Abbatum tom.*1. *diſput.* 9. *quæſito* 2. *nu.* 2. *Monacell. tom.*4. *pag.* 10. *num.* 18.

2 Dicitur quoque donationem, quatenus eſſet valida, Patribus ſuffragari non poſſe in caſu, & ad effectum de quo agitur, quia quidquid ſit, an, corruente modo, corruat donatio, vel potiùs agendum ſit ad oneris implementum; cùm tamen tum ex defectu redditJuum, tum ex diſſenſu Canonicorum, Parochorum, & aliorum Religioſorum, necnon Communitatis, & ab experientia deſumatur, impoſſibilem eſſe Conventus, ſive Hoſpitii publici fundationem, impoſſibilitas hæc operari videtur, quòd Patres uti nequeant jure præſentandi ipſis ceſſo ſub intuitu, & contemplatione fundationis Conventus, & Hoſpitii.

Monitis itaque Patribus ad ſua jura deducenda, aliiſque informantibus, onus erit EE. VV. decernere.

An, & *ad cujus favorem ſuſtineatur nominatio ad Beneficia erecta in Cappella Sanctiſſimi Crucifixi Sancti Nicolai Colliſcipionis in caſu &c.*

Suſtineri nominationem factam favore Nicolai Leandri Paterni.

Maceraten. Jurium Parochialium.

17. Junii 1719.

SUMMARIUM.

1 *Præpoſitus, irrequiſito, & invito Plebano, benedicere nequit in hebdomada majori, ſeu octava Paſchatis Reſurrectionis, cum ſtola,*

ſtola, vel ſinè, Domos eidem Plebaniæ ſubjectas.

2 *Neque intervenire poteſt Funeribus, & aſſociare Cadavera Parochianorum Plebaniæ, ubi non fuerit vocatus, vel à Plebano, vel à Familiaribus, ſeu Hæredibus defuncti.*

3 *Neque ubi intervenerit, poteſt invito Plebano, exigere unum intortitium ex iis, quæ circa Cadaver deferuntur, & apponuntur.*

4 *Præpoſitus, & Clerus tenentur in hebdomada majori, & in nocte Nativitatis intereſſe functionibus in Plebania.*

5 *Licet Præpoſito facere ſecundam proceſſionem Rogationum, & aliis proceſſionibus intervenire, quæ fiunt à Plebano, ita tamen ut præcedentia competat Præpoſito in ſola proceſſione, in aliis verò Plebano,* & num.6.

7 *In functionibus explendis in Eccleſiis exiſtentibus intrà limites Plebaniæ, vel in aliis locis tertiis, interveniente Plebano, & Præpoſito, præcedentia debetur Plebano.*

8 *Licet Præpoſito alternativè cum Plebano retinere in ipſius Domo Concionatorem tempore Quadrageſimæ.*

9 *Licet Præpoſito celebrare alternatim cum Plebano in ipſius Eccleſia Miſſas, & Officia Communitatis.*

Seſſ.22. cap.8. de Reform.

In Terra Urbiſaliæ geminæ extant Eccleſiæ Parochiales, altera ſub titulo S. Laurentii, altera ſub titulo S. Georgii; Cùmque inter Parochos harum Parochiarum exortæ fuerint controverſiæ, quæ non potuerunt ab Epiſcopo Maceratenſi componi in actu viſitationis, deventum fuit ad ſubſcriptionem ſequentium dubiorum, pro quorum reſolutione, ex juribus ab utraque parte circumferendis, ſupplicatur.

1 I. *An liceat Præpoſito S. Georgii Terræ Urbiſaliæ, irrequiſito, & invito Plebano Eccleſiæ S. Laurentii, benedicere in hebdomada majori, ſeu in octava Paſchatis Reſurrectionis cum ſtola, vel ſinè Domos eidem Plebaniæ ſubjectas in caſu &c.*

2 II. *An eidem Præpoſito liceat intervenire Funeribus, & aſſociare Cadavera Parochianorum Plebaniæ S. Laurentii, ubi non fuerit vocatus, vel à Plebano, vel à Familiaribus, ſeu Hæredibus defuncti.*

3 III. *An, ubi intervenerit, poſſit invito Plebano exigere unum intortitium ex iis, quæ circa Cadaver deferuntur, & apponuntur, vel potiùs dicto Præpoſito dictum intortitium tradi debeat ab hæredibus defuncti.*

4 IV. *An dictus Præpoſitus, & Clerus teneantur in hebdomada majori; & in nocte Nativitatis, & in aliis Feſtivitatibus intereſſe functionibus in dicta Plebania.*

5 V. *An, & quomodo liceat Præpoſito peragere Proceſſionem, & in ea exercere functiones ſolitas in altero ex diebus Rogationum.*

6 VI. *An, & quomodo in aliis ſolitis proceſſionibus liceat Præpoſito intervenire cum Plebano in caſu &c.*

7 VII. *An, & cui in functionibus explendis in Eccleſiis exiſtentibus intrà limites Plebaniæ, vel in aliis locis tertiis, interveniente Plebano, & Præpoſito, præeminentia debetur in caſu &c.*

8 VIII. *An liceat Præpoſito prædicto alternativè cum Plebano retinere in ipſius Domo Concionatorem tempore Quadrageſimæ.*

9 IX. *An, & quomodo liceat Præpoſito celebrare in ipſius Eccleſia Miſſas, & Officia Communitatis.*

X. *An, & cui competat Jus deputandi Quæſtuatores in Quadrageſima pro eleemoſynis Animarum purgantium.*

XI.. *An Miſſæ cum dictis eleemoſynis celebrandæ, celebrari debeant in Eccleſia Plebaniæ Sancti Laurentii, vel in altera Præpoſituræ.*

XII. *An illi, qui à Præpoſito Sacramenta recipiunt, teneantur pro fructibus recollectis in Prædiis Plebaniæ ſubjectis, ſolvere decimas Plebano in caſu &c.*

Ad primum: ſecundum, & tertium: *Negativè.*

Ad quartum: *Affirmativè in hebdomada majori, & nocte Nativitatis.*

Ad quintum, & ſextum: *Licere Præpoſito facere ſecundam proceſſionem Rogationum, & aliis proceſſionibus intervenire, quæ fiunt à Plebano, ita tamen, ut præcedentia competat Præpoſito in ſola proceſſione, in aliis verò Plebano.*

Ad ſeptimum: *Deberi præcedentiam Plebano.*

Ad octavum: *Affirmativè.*

Ad nonum: *Affirmativè, ſed alternatim.*

Ad

Ad decimum, & undecimum: *Servandum eſſe decretum Viſitatoris, donec aliter ab Epiſcopo ſtatutum fuerit.*

Ad duodecimum: *Dilata, & examinentur hinc inde Teſtes.*

Regien.

5. *Auguſti* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Confraternitas erecta in Eccleſia Collegiata adimplere nequit onera Miſſarum, & Anniverſariorum ſibi injuncta mediantibus Presbyteris exteris ſibi beneviſis etiam annuente, & permittente Archipresbytero, & Parocho, ſed tenetur utì miniſterio Canonicorum Eccleſiæ Collegiatæ.*

2 *Iidem Canonici tempore celebrationis Miſſarum cantatarum celebrandarum in Altari Canfraternitatis non recedendo ab eorum Choro, poſſunt ibidem Miſſis cantatis aſſiſtere.*

3 *Dictis Canonicis pro dictis Miſſis tam lectis, quàm cantatis præſtanda eſt eleemoſyna juxta morem Loci.*

4 *Confraternitas nequit infra annum in ejus Altari exponere publicæ venerationi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum de licentia ſolius Parochi, ſed requiritur licentia Epiſcopi.*

5 *Confratres etiam annuente, & permittente Archipresbytero nequeunt facere proceſſiones intrà, & extra Eccleſiam Collegiatam ſinè interventu Canonicorum, dummodo non agatur de proceſſionibus, quæ fiunt ex inſtituto Confraternitatis, in quibus ſufficit, quòd Canonici ſint invitati.*

6 *Via proceſſionum, quæ fiunt extra Eccleſiam Collegiatam, & per Parochiam à Confratribus determinanda eſt à Præfecto Chori interveniente Capitulo.*

7 *Dicta Confraternitas etiam permittente Archipresbytero nequit erigere in dictis proceſſionibus propriam Crucem.*

8 *Neque poteſt de licentia Archipresbyteri pulſari facere organa, & campanas dictæ Eccleſiæ Collegiatæ, ſed requiritur etiam conſenſus Canonicorum.*

9 *Confratres permittente Archipresbytero, & Parocho nequeunt impedire Canonicis celebrationem Miſſarum in eorum Altari.*

10 *Canonici non tenentur concurrere ad manutentionem Altaris, ſeu Cappellæ Confraternitatis.*

11 *Archipresbyter, & Canonici tenentur applicare Miſſam Conventualem pro Benefactoribus.*

Seſſ.22. cap.8. de Reform.

Alphonſus Gonzaga Comes Novellariæ obtinuit à S. Pio Quinto anno 1567., quod nova Eccleſia propriis ſumptibus à ſe ædificanda ſub invocatione, & titulo S. Stephani, erigeretur in Collegiatam, prævià fundatione octo Canonicatuum, & Archipresbyteratus, cui tanquam primæ dignitati Animarum Cura commiſſa fuit. Fuerunt ſubinde in hanc Eccleſiam introductæ, & receptæ duæ Confraternitates, altera ſub titulo Sanctiſſimi Sacramenti, altera ſub inſtituto Sanctiſſimi Roſarii, exortiſque controverſiis inter Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ ex una, & Archipresbyterum, & Confratres Sanctiſſimi Roſarii, ex altera partibus, concordata fuerunt ſequentia dubia, ex juribus circumferendis ab EE. VV. reſolvenda.

1 I. *An annuente, & permittente Archipresbytero, & Parocho poſſit Confraternitas SS. Roſarii adimplere onera Miſſarum, & Anniverſariorum ſibi injuncta mediantibus Presbyteris exteris ſibi beneviſis, ſive potiùs teneatur utì miniſterio Canonicorum Collegiatæ, & quatenus affirmativè quoad ſecundam partem in caſu &c.*

2 II. *An prædicti Canonici tempore celebrationis Miſſarum cantatarum celebrandarum in eodem Altari non recedendo ab eorum Choro, poſſint ibidem Miſſis cantatis aſſiſtere.*

3 III. *An, & in qua ſumma præſtanda ſit eleemoſyna pro dictis Miſſis tam lectis, quàm cantatis.*

4 IV. *An Confraternitas poſſit de licentia, & conſenſu dicti Parochi exponere infra annum in Cappella Roſarii publicæ venerationi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſive potiùs requiratur licentia Ordinarii.*

5 V. *An Confratres annuente, & permittente dicto Archipresbytero, facere poſſint pro-*

proceſſiones intra, & extra Eccleſiam ſinè interventu Canonicorum.

6 VI. *An, & à quo ſit determinanda via proceſſionum, quæ fiunt extra Eccleſiam, & per Parochiam.*

7 VII. *An permittente dicto Archipresbytero poſſit dicta Confraternitas erigere in dictis proceſſionibus propriam Crucem.*

8 VIII. *An de licentia ejuſdem Archipresbyteri poſſit dicta Confraternitas pulſari facere organa, & campanas dictæ Eccleſiæ, ſeu potiùs circa præmiſſa requiratur quoque conſenſus Canonicorum.*

9 IX. *An permittente Archipresbytero, & Parocho poſſint Confratres impedire Canonicis celebrationem Miſſarum in eodem Altari Sanctiſſimi Roſarii, & quatenus negativè.*

10 X. *An prædicti Canonici teneantur concurrere ad manutentionem dicti Altaris, ſeu Cappellæ.*

11 XI. *An prædicti Archipresbyter, & Canonici teneantur applicare Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in caſu &c.*

Ad primum: *Negativè quoad primam, & Affirmativè quoad ſecundam partem.*

Ad ſecundum: *Affirmativè, dummodo non aſſiſtant in Sacriſtia.*

Ad tertium: *Præſtandam eſſe eleemoſynam tam pro Miſſis lectis, quàm pro cantatis juxta morem Loci.*

Ad quartum: *Negativè quoad primam, & Affirmativè quoad ſecundam partem.*

Ad quintum: *Ad primam, & ſecundam partem Negativè, dummodo non agatur de proceſſionibus, quæ fiunt ex inſtituto Confraternitatis, in quibus ſufficit, quod Canonici ſint invitati.*

Ad ſextum: *Eſſe determinandam à Præfecto Chori interveniente Capitulo.*

Ad ſeptimum: *Negativè.*

Ad octavum: *Negativè quoad primam, & Affirmativè quoad ſecundam partem.*

Ad nonum, & decimum: *Negativè.*

Ad undecimum: *Affirmativè, & ampliùs.*

Aquen.

8. *Julii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Juſpatronatus acquiſitum ex privilegio non eſt confirmandum*, & num. 4.

2 *Juſpatronatus ex ſimplici privilegio acquiſitum fuit revocatum à Concilio.*

3 *Ad hoc ut Juſpatronatus acquiri poſſit ex dotis augmento, requiritur, quod dos aſſignata ſit penitùs deperdita.*

Seſſ.25. cap.9 de Reform.

Franciſcus Maria Ludovicus de Ruvere Sanctiſſimo Domino Noſtro ſupplicavit pro confirmatione Patronatus, & jurisnominandi ad Parochialem Eccleſiam loci Monaſterii, allatâ Bullâ Alexandri Papæ VI., in qua præcedentes conceſſiones Xyſti IV., & Innocentii VIII. favore Joannis de Ruvere, & ejus ſucceſſorum Apoſtolicâ auctoritate
1 fuerant iterum roboratæ. Remiſſiſque precibus ad hanc Sacram Congregationem, illiſque relatis inter ſummaria precum, *die* 23. *Julii* 1718. reſcriptun fuit
2 *Lectum*, ſeu obtentu, quod agebatur de jurepatronatus acquiſito ex ſimplici privilegio, quod per conſequens fuit à Concilio Tridentino ſublatum *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* utì plenè adnotarunt *Gonzalez ſuper regulam* 8. *Cancellariæ, Gloſſ.* 16. *num.* 98. *& ſeqq. Panimol. deciſ.* 9. *annot.* 3. *num.* 6. *Rot. deciſ.* 907. *num.* 2. *& ſeqq. coram Seraphino*; abſque eo quòd prodeſſe poſſet oblatum à Marchione do-
3 tis augmentum, ut enim juſpatronatus acquiri valeat ex dotis augmento, oportet, quod dos aſſignata fuerit penitùs deperdita, utì adnotavit *Ventrigl. in praxi par.* 2. *annot.* 1. §. 1. *num.* 7. *& ſeqq.*

Impetratâ autem à Marchione novâ audientiâ, unâ cum deſcriptione inſtantiæ in folio, de viribus præcedentis reſolutionis in præſenti eſt agendum.

Putat autem Marchio locum eſſe poſſe confirmationi jurisſpatronatus ad dictam Parochialem Monaſterii, non obſtante quod de præcedentibus præſentationibus nullum ſuperſit documentum; deperditæ quippè

quippè fuerunt ſcripturæ ex injuria temporum, atque bellorum, uti legitur in informatione Ordinarii; & petitionis fundamentum in hoc potiſſimùm reponitur, quod annui redditus Parochialis non excedunt annua ſcuta 14.; cùmque prædictus Marchio paratus ſit ad eoſdem augendos in ſcutis 30. ſi juſpatronatus acquiritur ex augmento dotis, quando illud aſcendit ad medietatem valoris reddituum Beneficii, *Barboſ. juris Eccleſiaſt. univerſi lib. 3. cap. 12. num. 66. adden. ad Ludoviſ. deciſ. 397. in fin. adden. ad Burat. deciſ. 931. num. 10. Rot. coram. Coccin. deciſ. 1056. num. 9.* multò fortiùs augmentum, de quo nunc agitur, videtur, quod haberi debeat pro ſufficienti, ad effectum obtinendi petitam confirmationem.

His poſitis, dignabuntur EE. VV. decernere.

4 *An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum, in caſu &c.*

Negativè.

Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus.

8. *Julii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Nemo promoveri poteſt ad ſacros Ordines, niſi priùs legitimè conſtet eum habere Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem, vel ad minus patrimonium, vel penſionem.* Intellige ut ibi.

2 *Ordinatus ſinè titulo ſufficienti non eſt ſuſpenſus, & miniſtrando, non fit irregularis.* Limita, ut num. 4.

3 *Ordinans aliquem ſinè titulo ſufficienti tenetur ſic Ordinato alimenta ſubminiſtrare, donec ille Beneficium Eccleſiaſticum conſequatur.*

5 *Afferuntur exempla, in quibus urgente Eccleſiarum neceſſitate conceſſum fuit, ut fieri poſſet ab Epiſcopis Ordinatio Clericorum ſæcularium, abſque Beneficio, & patrimonio.*

6 *Epiſcopo S. Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus conceſſum fuit, ut promovere valeat ad ſacros Ordines in Civitate S. Laurentii de la Branca eos, quos ipſe neceſſarios judicaverit licèt nec Beneficium, nec penſionem, nec patrimonium obtineant.*

Seſſ. 21. cap. 2. de Reform.

1 Licèt à Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 21. cap. 2. de reform.* ſtatutum fuerit neminem promoveri poſſe ad ſacros Ordines, niſi priùs legitimè conſtet eum habere Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem, vel ad minus patrimonium, vel penſionem, in hypotheſi tamen, in quâ Epiſcopus judicaverit, quod obtinens patrimonium, ſeu penſionem ſit ad ſacros Ordines aſſumendus pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiæ, & antiquorum Canonum pœnæ fuerint ibidem à Sacro Concilio innovatæ, non ita quidem, ut Ordinatus ſinè titulo ſufficienti ſit ſuſpenſus, & miniſtrando fiat irregularis, juxta *Textum in Can. neminem, & in Can. Sanctorum diſt. 70.* ſed ita ut ordinans teneatur ſic ordinato alimenta ſubminiſtrare, donec ille Beneficium Eccleſiaſticum conſequatur, juxta *Textum in cap. Cùm ſecundum de præbendis*, & latè diſputata ad ſenſum hujus Sacræ Congregationis per *Fagnan. in citat. cap. Cùm ſecundum n. 63. & ſeqq.*, ubi ſolùm *ſub nu. 68.* docet pœnam ſuſpenſionis Clericum ſinè titulo ſufficienti ordinatum afficere in caſu in quo ipſe Ordinantem deceperit, falſas producendo probationes ſuper ſui tituli congruitate; Et licèt interpretando allegatum Textum Concilii Sacra hæc Congregatio de menſe Octobris anni 1589., ut in regeſtis *lib. 6. pag.* 58. plura propoſuerit generalia dubia examinanda, inter quæ illud reperitur; *An habens ex propria induſtria, & honeſto labore tantum lucrum, quantum ſatis eſt ad vitæ ſuſtentationem promoveri valeat*, negativè reſpondit.

2 (margin numbers in the paragraph above: 2 at "num pœnæ", 3 at "ctorum diſt. 70.", 4 at "nam ſuſpenſionis")

5 Exempla nihilominus non deſunt, in quibus, urgente Eccleſiarum neceſſitate, conceſſum fuit, ut fieri poſſet ab Epiſcopis ordinatio Clericorum ſæcularium, etſi illi nec Beneficium, nec patrimonium obtineant; Et prætermiſſo quidem exemplo Eccleſiæ Metropolitanæ Florentinæ, in qua uſque adhuc viget privilegium ab Eugenio IV. conceſſum, ut Clerici, qui eidem inſervierint ſpatio decem annorum, Ordinibus ſacris initiari ſubinde valeant,

valeant, licèt nec Beneficium, nec patrimonium obtineant, à Summo Pontifice Urbano VIII. *die* 13. *Martii* 1640. conceſſum fuit Alumnis Seminarii Pragenſis, ut Ordines recipere valeant ſinè titulo Beneficii, aut patrimonii, ſed ſolùm ad titulum Miſſionis, prout ab eodem Pontifice præcedenter conceſſum fuerat *die* 18 *Maji* 1638. Alumnis Collegii de Propaganda Fide. Alumni Collegii Illirici à Gregorio XIII. inſtituti, & ab Urbano Papa VIII. reſtaurati in Civitate Lauretana, privilegio potiuntur ordinationis ſinè Beneficio Eccleſiaſtico, & patrimonio, nullâ factâ mentione tituli Miſſionis, ut legitur in privilegio ab eodem Urbano conceſſo *prima Junii* 1627. Conſimile eſt privilegium ab eodem Pontifice conceſſum Collegio Fuldenſi pro Scholaribus Germanicæ nationis, nec non Collegio Pragenſi, utì pleniùs deprehendi valet ex collectione Bullarum, & decretorum Congregationis de Propaganda Fide, impreſſâ, ſed nunquam abſolutâ, nec publicatâ.

6 Cohærenter ad hæc, Epiſcopus Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus, cùm in ſuis literis ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum datis, expoſuerit, quòd in Civitate Sancti Laurentii de la Baranca, quæ loco alterius Sanctæ Crucis, quæ ampliùs non exiſtit, ſubrogata fuit, duo tantùm ſunt Parochi, & duo Miniſtri in Cathedrali, Decanus videlicet, & Archidiaconus, quodque nullus ſupereſt modus Cappellanias, aut Beneficia erigendi, ad quorum titulos Clerici ordinari valeant, & quòd tandem impoſſibile eſt extraneos advocare, qui ad dictas Regiones accedant, ex quo nullum eſt hujus Provinciæ cum aliis commercium, & ſic Sanctitati Suæ ſupplicaverit pro facultate initiandi ſacris Ordinibus ejus regionis incolas, licèt titulum Beneficii, aut patrimonii non habeant, & multò magis, cùm nullum adſit periculum, quòd Promoti mendicare conſpiciantur, quia nullus in dicta Regione eſt, qui mendicet, & à Sanctitate Sua fuerint preces remiſſæ ad hanc Sacram Congregationem, diſputandum in præſenti proponitur dubium.

An Epiſpopus Sanctæ Crucis de la Sierra ſit indulgendum, ut promovere valeat ad ſacros Ordines in Civitate Sancti Laurentii de la Baranca eos, quos ipſe neceſſarios judicaverit, licèt nec Beneficium, nec penſionem, nec patrimonium obtineant.

Pro gratia dummodo non excedat numerum duodenarium.

Regien.

5. *Auguſti* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Reductio oneris Miſſarum an, & quando ſit concedenda, etiam ſi onus fuerit acceptatum; & an, & quando idem onus non ſit transferendum de una, ad aliam Eccleſiam?*

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

JUlia Cavallotti Zoboli in Teſtamento condito anno 1595. diſpoſuit, ut Antonius ſuus Maritus traderet alicui Loco Pio, quoddam Prædium extradotale ſibimet in ſuis nuptiis reſervatum, *cum onere*
1 *tamen, quod dictus Locus Pius, ſicut ſupra deputan. & eligen. teneatur, & debeat celebrare, ſeu celebrari facere in Eccleſia dictarum Monialium*, hoc eſt Monialium Miſericordiæ Civitatis Regien. exiſtentium ſub gubernio Patrum Minoris Obſervantiæ Sancti Franciſci, *tot Miſſas ſingulo die, ſeu ſingulâ hebdomadâ in perpetuum pro anima dictæ Teſtatricis, & ſuorum, prout convenerit dictus Antonius cum Loco Pio, ut ſupra deputan. & eidem D. Antonio placuerit.*

In executionem mentis Juliæ Uxoris, tradidit Antonius Prædium Presbyteris Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Nicolai Civitatis Regien. cum hoc, quod Collegiata prædicta, ſeu illius Presbyteri *teneantur &c. ſingulo anno, & ſingulâ hebdomadâ in perpetuum, etiam ultra centum annos, celebrari facere in Eccleſia Monialium Sanctæ Mariæ della Miſericordia Civitatis Regii Miſſas tres pro anima dictæ Juliæ, & ſuorum ad dictam ſummam per dictum Dominum Antonium redactas, habito reſpectu ad recollectas, quæ percipiuntur ex dicto Prædio, quas Miſſas voluit etiam dictus Antonius, quod dicti Prapoſiti pro tempore dictæ Eccleſiæ minuere valeant eorum arbitrio, habito reſpectu ad recollectas è dicto*

Prædio percipien. juxta temporum qualitatem, quia ſic &c. & hoc onus fuit nomine Collegiatæ in contractu acceptatum.

Anno 1598. à Presbyteris Eccleſiæ Collegiatæ alienatum fuit Prædium pretio ſcutorum 213. 52. quod pretium fuit erogatum in emptionem Cenſuum; cùmque redditus Prædii alienati eſſent in ſcutis decem annuis, utì conſtat ex Inſtrumento venditionis, & pro eleemoſyna 159. Miſſarum, Julii 36. ſufficerent, prædicta ſumma fuit perſoluta uſque ad annum 1620. ſed cum Miſſarum eleemoſyna ſubinde excreverit, ab anno 1621. uſque ad annum 1716. data fuit eleemoſyna Iuliorum 72. Fratribus Minoris Obſervantiæ Sancti Franciſci, ut Miſſas à Julia ordinatas celebrarent in Eccleſia Monialium.

Fratres, qui Miſſas 159. pro dicta eleemoſyna in præteritum celebrarunt in Eccleſia memorata, proteſtati ſunt ſe nolle ampliùs continuare in dicta celebratione, niſi ſibi ſubminiſtretur eleemoſyna ſolidorum 30. quod eſt idem ac dicere unius Julii pro qualibet Miſſa, cùm hæc ſit taxa eleemoſynæ, quæ viget in Civitate Regien. & niſi ulteriùs aliquid ſolvatur Sacriſtiæ Monialium pro ſuppellectilibus; cùmque Presbyteri Collegiatæ Eccleſiæ huic Sacræ Congregationi ſupplicaverint pro oneris, hoc eſt Miſſarum reductione, & pro tranſlatione earundem ab Eccleſia Monialium ad propriam Eccleſiam, ſcriptum fuit Epiſcopo pro informatione, & voto, qui cenſuit annuendum eſſe petitis.

Fundamentum reductionis in hoc conſiſtit, quod ſcuta 10. quæ ex Prædio à Teſtatrice relicto retrahebantur, hodie non ſufficiunt pro celebratione Miſſarum 159. itaut ſit locus reductioni, & multò magìs cùm Prædium fuerit non demonſtrativè, ſed taxativè relictum.

Abſque eo quod quidquam faciat, quod onus Miſſarum fuit à Presbyteris in contractu acceptatum, quia in contractu adeſt clauſula reductionis oneris ad vires reddituum, juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt.

Fundamentum deinde tranſlationis ab Eccleſia Monialium ad Eccleſiam Collegiatam reponitur, primò in abundanti numero Miſſarum, quæ in Eccleſia Monialium celebrantur, ſecundò in conſenſu, tam à Fratribus, quàm à Monialibus præſtito in eo quod attinet ad tranſlationem, tertiò, ex quo in Collegiata Eccleſia ſepulta jacent Cadavera Teſtatricis, & aliorum Familiæ Zoboli.

His ſtantibus, onus erit EE. VV. decernere:

An, & quomodo ſit annuendum petitioni, in caſu &c.

Pro reductione ad manualem, & quoad tranſlationem negativè.

Brunduſina Adimplementi.

26. Auguſti 1719.

SUMMARIUM.

1 *Bona relicta Fratribus Cappucinis, & Minoribus ſtrictioris Obſervantiæ applicantur Rev. Fabricæ.*

2 *Fratres Cappucini, aut Minores ſtrictioris Obſervantiæ ſunt incapaces annuorum relictorum, adjecto onere celebrationis Miſſarum.*

3 *Fratres Cappucini, & alii, qui bona in communi poſſidere non poſſunt, ſunt incapaces eleemoſynarum manualium Miſſarum.*

4 *Hæredes ſe eximere non poſſunt ab onere adimplementi onerum Miſſarum, ſub obtentu incapacitatis Fratrum.*

5 *Fratres Cappucini, & alii, qui bona in communi poſſidere non poſſunt, quid facere debeant, quando ipſis relicta ſunt annua legata.*

6 *Relicto annuo legato Cappucinis, aut aliis poſſidendi bona in communi incapacibus cum onere Miſſarum hæredes habent libertatem dandi, aut non dandi Fratribus dictum annuum legatum, ſeu celebrare faciendi per illos, aut per alios ſibi beneviſos Sacerdotes, Miſſas, & Sacrificia legata.*

7 *Fratres Cappucini, & alii incapaces poſſidendi bona in communi, an ſint incapaces annui legati, annuatim præſtandi ab hærede, & an hæres teneatur ad ejus præſtationem favore eorumdem,* & num. 8. 9. & ſeq.

9 *Prædicti Fratres nullam poſſunt habere ſecuritatem, ſed debent pendere ab incerto.*

11 *An hæres legatum, ſeu onus celebrationis Miſſarum ab Altari Regularium transferri*

ferri poſſit ad Eccleſiam Collegiatam.

12 *Impoſito hæredi onere præſtandi annuatim certam eleemoſynam Fratribus Cappucinis, aut Minoribus Obſervantiæ, cum onere celebrationis Miſſarum, quomodo dictus hæres adimplere valeat onus impoſitum celebrationis Miſſarum.*

Seſſ. 25. cap. 3. de Regul.

JOannes Vincentius Vitalis in ſuo ultimo, ſub quo deceſſit, Teſtamento, hæredem univerſalem inſtituit Joannem Angelum fratrem, & eum ſequenti onere gravavit: *Eſſo Teſtatore vuole, ordina, e commanda, che ſeguita la ſua morte ſia tenuto il ſuo univerſal' Erede di far celebrare da' Reverendi Padri di detto Venerab. Convento di S. Rocco una Meſſa cantata per ogni Venerdì dell' anno in perpetuum nell' Altare del Glorioſo S. Franceſco di Paola &c. con la carità di carlini cinque per ciaſcheduna Meſſa, e per fondo di detto Legato, poſſa, e vaglia, tanto detto Gio: Angelo, quanto li ſuoi Eredi, fondare uno, o più capitali di cenſi ſicuri corriſpondenti alla ſoddisfazione della predetta carità di Meſſe cantate in perpetuum, e nella fondazione di detti capitali facienda a ſuo arbitrio, ſia tenuto detto Gio: Angelo, o ſuoi Eredi farvi intervenire il Procuratore, o Guardiano pro tempore di detto Convento, accio non ſiano tenuti alla evizione de' capitali, o annualità.*

Patres Conventus S. Rocchi, de quibus in particula Teſtamenti, ſunt Patres ſtrictioris Obſervantiæ Sancti Franciſci; cùmque ſub obtentu incapacitatis dictorum Patrum recipiendi prædicta capitalia, ſeu cenſus Joannes Angelus huic Sacræ Congregationi ſupplicaverit pro facultate transferendi onus celebrationis Miſſarum ad Eccleſiam Collegiatam Terræ Liberani, in qua dictus Conventus Patrum Sancti Rocchi exiſtit, nec ullus alius Regularium reperitur Conventus, relatâ ejus inſtantia inter ſummaria precum *die* 17. *Decembris* 1718. Reſcriptum fuit, *Lectum*. Impetratâque ſubinde novâ audientiâ, una cum deſcriptione in folio, Joannes Angelus iterùm inſtat pro applicatione Legati favore Eccleſiæ Collegiatæ, vel quod ad minus præſcribatur modus, quo piam ſui Authoris diſpoſitionem valeat executioni demandare.

1 Quo ad diſpoſitiones factas favore Fratrum Cappucinorum, & Minorum ſtrictioris Obſervantiæ, & aliorum Regularium, qui bona in communi poſſidere non poſſunt, privilegia Reverendæ Fabricæ ſibi vindicant locum, in eorum ſequelam, bona, dicto modo relicta, eidem Fabricæ applicantur juxta relata *in Compendio privilegiorum bonæ memoriæ Veſpiniani pag.* 25.

2 Quo ad redditus verò his iiſdem Fratribus relictos, adjecto onere celebrationis Miſſarum in Congregatione habita tempore Urbani VIII., reſolutum fuit memoratos Fratres eſſe incapaces horum annuorum relictorum, uti habetur *apud Fagnan. dictæ Congregationis Secretarium in cap. Nimis prava num.* 49. *& num.* 53. *de exceſ. Prælat.*

3 Procedentibus contrariis quo ad eleemoſynas manuales Miſſarum, quarum abſque dubio Fratres etiam, qui bona in communi poſſidere non poſſunt, ſunt capaces, uti adnotarunt *Sanchez ad præcept. Decal. lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 49. *Barboſ. juris Eccleſ. univerſ. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 77. *Adden. ad Burat. deciſ.* 756. *nu.* 11. *Pignatel. conſult.* 16. *num.* 7. *&* 8. *tom.* 3. *Torr. de pactis futuræ ſucceſſionis lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 75. *Rot. deciſ.* 456. *num.* 15. *coram Merlin. deciſ.* 1219. *num.* 8. *deciſ.* 1326. *num. pariter* 8. *coram Emerix jun.*

4 Quia verò permiſſum eſſe non debet, ſub obtentu incapacitatis Fratrum, ut hæredes ſe eximant ab onere adimplementi Miſſarum, uti probat *Textus in L. hæredes in fin. ff. de petit. hæred.*, & ad rem proſequuntur *Corduba in expoſit. Regulæ Sancti Franciſci cap.* 6. *quæſt.* 7. *& quæſt.* 11. *puncto* 2. *&* 4. *Redoan. de Spoliis Eccleſ. quæſt.* 8. *num.* 47.; & durum eſſe videretur Fratres arcere à perceptione redditum aſſignatorum cum onere celebrationis Miſſarum per modum ſaltem puræ, & ſimplicis eleemoſynæ:

5 Statutum fuit, ut ſolemnis à Fratribus emittatur proteſtatio ſubſignatâ ſigillo Conventus, & in ejus libris inſerenda, & ad Hæredes, ſive Executores transmittenda, in qua declarent ſe nullum jus ſibi vindicare, aut aſſerere ex prædictis Legatis, ſeu relictis, juxta expreſſum monitum S. Bonaventuræ in libello Apologetico, ſeu excuſatorio contra eos, qui Minorum

norum Ordini adverſantur, uti habetur *lib.2. Opuſcul. quæſt.9.*

6 Firmâ interea remanente libertate apud Hæredes dandi, aut non dandi Fratribus prædictos annuos redditus, quod eſt idem ac dicere celebrare faciendi per illos, aut per alios ſibi benevisos Sacerdotes, Miſſas, & Sacrificia legata uti probat *Textus in cap. Exiit*, §. *Si verò de verb. ſignif. in 6.* ibi, *ad quæ Legata ſolvenda tam Hæredes Teſtatorum, quam Executores ſe liberales exhibeant*, & habetur in Compendio privilegiorum Fabricæ *pag.72. & pag.74.* & præcedentes deciſiones modificando, firmavit *Rot. in citata deciſ. 1326. num. 8. & ſeqq. coram Emerix juniore*, ad cujus poſtremæ deciſionis normam datum fuit ab eadem Rota votum Sacræ Congregationi Epiſcoporum, & Regularium, à qua fuerat pro voto requiſita, utì colligitur ex tenore voti impreſſi *apud Piton. diſcept. Eccleſ. tom. 1. diſcept. 2. num. 53.* quod votum eadem Sacra Congregatio amplexa eſt, & Sanctæ memoriæ Clemens X. reſolutionem Sacræ Congregationis confirmavit per literas Apoſtolicas in forma Brevis impreſſas *apud Matthæuc. in ſuo Officiali cap. 30. num. 12.*

Factaque Commiſſariis, & Miniſtris Fabricæ expreſſâ prohibitione admittendi compoſitiones ſuper Legatis Fratribus factis cum onere Miſſarum, & Officiorum, præter quam quo ad annuas præſtationes duorum annorum decurſorum à die obitus Teſtatorum, quas etiam integraliter recipere debent, & Reverendæ Fabricæ applicare, ſalvo ſemper capitali, ſeu proprietate, ut hæredes, vel debitores, qui primis duobus annis non adimpleverunt, poſſint, ſi velint, futuris temporibus dare Fratribus annua Legata titulo eleemoſynæ, juxta decreta Sacræ Congregationis Fabricæ impreſſa *apud R.P.D. Petram ad Conſtitutiones Apoſtolicas tom. 2. pag. 463. & ſeqq.*

7 Hæc ſunt, quæ pro materiæ delucidatione, reverenter inſinuanda exiſtimavi, ſed cùm in caſu præſenti non agatur de cenſibus, ſeu pecuniis inveſtiendis, quæ fuerint Fratribus relictæ cum onere Miſſarum, ſed de onere à Teſtatore impoſito, & hæredem afficiente *ſia tenuto il ſuo univerſal' Erede di far celebrare da' Reverendi Padri &c. una Meſſa cantata per ogni Venerdì dell' anno in perpetuum*, hinc oritur rationabilis dubitatio, an Fratres ſint conſimilis Legati capaces, & an hæres teneatur ad ejus præſtationem favore eorumdem.

8 Facit pro affirmativa, quod diſputato in hac Sacra Congregatione *in quadam Cauſa Aprutina Legati 29. Februarii 1677.* dubio, an Legatum ſequentibus verbis conceptum ſuſtineretur, *item dice di aver a cenſo ducati cento ottanta, laſcia di ragion di Legato, che l'infraſcritto Erede, e ſucceſſori in infinitum debbano con li frutti di quelli farne celebrare quattro Anniverſarj l'anno nella Chieſa di S. Maria de' Lumi da' Frati Zoccolanti &c.* fuit affirmativè reſolutum; Et conſimilis pariter prodiit ab hac Sacra Congregatione reſolutio *in Iſernien. Legati 10. Junii 1684.* Cùm etenim ageretur de Teſtamento ſequentibus verbis concepto *laſcio, che detti miei Eredi faccino celebrare quaranta Meſſe l'anno all' Altare di S. Maria Maddalena nella Chieſa di S. Maria delle Grazie de' Frati Minori Oſſervanti, da quelli Padri, che ſaranno aſſiſtenti al Convento ſopradetto, e più, che li ſiano dati da i ſuddetti Eredi quattro ducati l'anno, quali ſerviranno per i biſogni di detta Cappella*, & cohærenter ad hæc bina dubia fuiſſent propoſita, primum ſcilicet *an præter ſcuta annua quatuor Legata pro indigentiis Cappellæ Hæredes teneantur ſeparatim perſolvere eleemoſynam pro celebratione Miſſarum*, & ſecundum *in qua quantitate*, ad primum fuit reſponſum affirmativè, & ad ſecundum dictum fuit quantitatem eſſe debere ſaltem ad rationem eleemoſynæ manualis.

9 Pro negativa verò facit, quod Fratres iſti nullam poſſunt habere ſecuritatem, ſed debent pendere ab incerto juxta *Textum in cap. unico de Religioſis Domibus in 6. & juxta Gloſſ. in cap. unico in verbo mendicantes de exceſ. Prælat. in 6.* & dici poſſet, quod ab incerto non penderent, ſi eſſent capaces dictorum Legatorum; etſi Hæredes tenerentur ad eorum præſtationem; Quodque notabilius eſt, cùm in hypotheſi præſenti Teſtator dixerit, quod in emptione cenſuum accedere deberet conſenſus Procuraroris, ſeu Guardiani pro tempore, *acciò non ſiano tenuti alla*

evizio-

evizione de' capitali , *o annualità* , ſermo ibi eſt de Hæredibus , ſupponit hæc circumſtantia , quod ſecutâ capitalium , aut fructuum evictione , poſſent Fratres judicialiter agere , aut officium Judicis implorare pro damni emendatione , ſeu pro ſupplemento adversùs Hæredes, quod nè dum adverſatur decretis Congregationis *apud Fagnan. in allegato cap. nimis prava de exceſ. Prælat.* Sed etiam Regulæ , & Teſtamento S. Franciſci , de quibus *in Bulla V. Honorii Tertii Bull. tom.* 1.

His ſtantibus , dignabuntur EE. VV. decernere.

10 I. *An Fratres ſint capaces Legati in caſu, de quo agitur , & quatenus negativè.*

11 II. *An Hæres Legatum , ſeu onus celebrationis Miſſarum ab Altari S. Franciſci de Paula transferri poſſit ad Eccleſiam Collegiatam Terræ Liberani, & quatenus negativè.*

12 III. *Quomodo dictus Hæres adimplere valeat onus impoſitum celebrationis Miſſarum.*

Ad primum, & ſecundum : *Negativè* .

Ad tertium: *Hæredem poſſe cenſum creare , & aſſignare pro fundo Miſſarum , ſed creatio , & aſſignatio fiat cum auctoritate Archiepiſcopi , cui ſcribatur juxta mentem, & Hæres curet ſe obligare ad ſatisfaciendum oneri Miſſarum in Altari S. Franciſci de Paula , juxta voluntatem , idemque fiat, toties,quoties ſequatur retrovenditio cenſus.*

Auximana Reſtaurationis Eccleſiæ Parochialis.

26. *Auguſti* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Parochus tenetur ad reaptamentum , & reparationem Eccleſiæ Parochialis , non verò communitas .*

Seſſ.21.cap.7. de Reform.

Eccleſia Parochialis S. Ægidii Terræ Staphyli Auximanæ Diœceſis celeri indiget reparatione , cùm principales ejuſdem muri ſint aperti . Exortâ autem controverſiâ inter Parochum , ex una , & Communitatem ex alia partibus,ad quem ex ipſis pertineat onus Eccleſiæ ruinam reparandi , eâdemque delatâ ad hanc Sacram Congregationem , Ludovicus Moriconus , qui de præſenti dictam obtinet Parochialem Eccleſiam , contendit ſe ad ejus reparationem non eſſe obligatum, primò quia ſubductis ſubducendis Còngruam non habet Conciliarem , ex quo ipſi non remanent annua ſcuta centum,&
1 licèt Parochus, ad inſtar omnium aliorum Beneficiatorum , teneatur ad ſuæ Eccleſiæ reſtaurationem , id tamen procedit , ſi ultra congruam , & honeſtam ſuſtentationem , alios ex Parochia percipiat redditus , juxta *Textum in cap. de his tit. de Eccleſiis ædificandis* , ibi , *de his , qui Parochiales Eccleſias habent , duximus reſpondendum , quod ad reparationes , & inſtitutionem Eccleſiarum cogi debent , cùm opus fuerit , de bonis , quæ ſunt ipſius Eccleſiæ , ſi eis ſuperſint , conferre , ut eorum exemplo cæteri invitentur .*

Secundò quia Communitas , quæ neceſſariis accedentibus beneplacitis , notabilem pecuniæ quantitatem erogavit pro Eccleſiæ reædificatione, ſe etiam obligavit ad contribuendum in hypotheſi, in qua muri principales reſtauratione indigerent , *ſenza che la detta noſtra Communità ſia più in obbligo di rifacimento , o reattamento , benche minimo , di tetto , fineſtre, vetrate , ed altro , purche non foſſero di neceſſità nelle muraglie principali* , hinc inferendo , quod ſicuti evenit caſus reparationis in muris principalibus,ita ab onere reparationis non poſſit ullo modo Communitas ſe liberare .

His ſtantibus , onus erit EE. VV. decernere .

An manutantio , ſeu reaptamentum Eccleſiæ Parochialis , & Matricis Terræ Staphyli ſpectet ad Plebanum , ſeu Parochum, vel potiùs ad Communitatem in caſu &c.

Affirmativè quoad primam , & negativè , quoad ſecundam partem .

DECI-

DECISIONES
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
Quæ ad materiam hujus Operis adduntur.

R. P. D. FALCONERIO

Salisburgen. Vicariæ.

Lunæ 16. Januarii 1719.

SUMMARIUM.

1 *Vicarii in Eccleſiis Parochialibus unitis Monaſterio Regularium debent eſſe perpetui, & non amovibiles, ſeu temporanei.* Amplia ut nu. 2. & 7. Limita ut nu. 11. & 12.

3 *Unio Eccleſiæ Parochialis favore Monaſterii, ex quibus dicitur non eſſe plenaria.*

4 *Unio in dubio præſumitur facta quoad temporalia tantùm.*

5 *Unionem Eccleſiæ eſſe plenariam, & ſubjectivam tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus non arguitur ex aſſignatione congruæ portionis pro Vicario deputando; neque ex eo, quod Eccleſia nunquam fuerit proviſa per concurſum;* & num. 6.

Obſervantia centenaria efficit, ut allegari poſſit Beneficii ſtatus immutatio, ſive per hujus erectionem, ſive per pactum, ſive per privilegium, aut alium titulum meliorem de mundo.

In Beneficialibus non eſt incompatibilis pluralitas titulorum, ſed uno exhibito poteſt alius melior allegari.

10 *Voluntas talis præſumitur, qualem actus geſti natura declarat.*

13 *Regula, quod in actibus facultativis non cadit præſcriptio, quo caſu ſit inapplicabilis.*

14 *Abbas, aut Superior Monaſterii ex petitione licentiæ deputandi Vicarium Regularem in Eccleſia unita arguitur ſibi non competere talem facultatem jure proprio.*

DECISIO I.

VIcarium pro cura Animarum in Parochiali Eccleſia S. Joannis in Pettingh, unita Monaſterio Sancti Zenonis Canonicorum Regularium S. Auguſtini propè Hall deputandum eſſe à Præpoſito dicti Monaſterii Presbyterum Sæcularem ab Ordinario inſtituendum, non autem Regularem ad nutum amovibilem, conſtanter hoc Sacrum Auditorium judicavit in tribus inſtantiis, ut videre eſt ex tribus deciſionibus, quæ ſententias de more præceſſerunt: prima coram Me ſub die 31. Januarii 1714. in ſequelam ſimilis ſententiæ prolatæ in partibus ab Eccleſiaſtico Salisburgen. Conciſtorio: altera coram R. P. D. meo Criſpo ſub die 4. Februarii 1715., ac tertia coram R. P. D. meo Foſcaro ſub die 30. Aprilis 1717. in qua dictum fuit = *Conſtare de tribus* = At cùm Præpoſitus novam inſuper commiſſionem impetraſſet à Signatura mihi directam cum reſcripto = *Alteri, qui ad legitimam* = Domini per me hodie ſuſcitati ſuper dubio = *An ſit procedendum ad legitimam executionem*, inhærendo firmiter deciſis, *affirmativè* reſponderunt.

1 Ceſſante ſiquidem nullitatis oppoſitione, juſtitia ſententiarum triplici viſa fuit legali præſidio communita. Primò ex jure communi *cap. 1. de Cappell. Monach.*, & *cap. 1. eodem tit. in 6.* ibi = *Presbyteri, qui ad curam populi per Monachos præſentantur Epiſcopis, & inſtituuntur ab ipſis, cùm debeant eſſe perpetui, conſuetudine, vel Statuto in contrarium non obſtante &c.* Secundo ex *Concil. Trident. ſeſſ. 7. de reform. cap. 7.* ubi expreſsè conceditur Epiſcopis facultas inſtituendi Vicarios perpetuos in Parochialibus, quamvis unitæ ſint Monaſteriis exemptis Regularium;

qui

qui titulus perpetuus non benè convenit Regularibus addictis Abbatis nutibus *cap. Monachi*, *& cap. Cùm ad Monaſterium 6. §. Tales, & ibi Gloſſ. & DD. extr. de ſtat. Monach. Lotter. de re beneſ. lib.* 1. *quæſt.* 33. *nu.*85. *Maceraten. variar. lib.*1.
2 *cap.* 20. *num.* 12. Ac tertio ex continuata obſervantia pluſquam centum annorum, dum ab anno 1594. ad noviſſimam uſque vacationem de anno 1712. (quæ liti cauſam dedit) ſemper in hac Parochia fuerunt inſtituti Presbyteri Sæculares à Monaſterio præſentati; quapropter ſuccedit certa juris concluſio, quod Beneficia Sæcularibus conferri ſolita, nequeunt Regularibus concedi *cap. ſuper eo quæſitum 9. de Regularib. cap. Cùm de beneficio 5. de Præbend. & Dignitat. in 6. Clem. Quia Regulares unica de ſupplen. neglig. Prælatorum Concil. Trid. ſeſſ.* 10. *cap.* 10. *Navarr. de præbend. conſ.*9. *Selv. de beneſ. quæſt.* 11. *num.* 130. *Azor. inſtit. moral. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *Gonzal. ad reg. Cancell. gloſſ.* 7. *num.* 4. *Navar. quæſt. forenſ. par.* 1. *quæſt.* 80. *num.* 3. *Rot. cor. Seraph. deciſ.* 1305. *num.* 4. *cor. Duran. deciſ.*234. *num.* 7. *coram Bich. deciſ* 360. *num.* 2. Et ad cognoſcendum, an Beneficium ſit Regulare, vel Sæculare, ſive an Vicaria ſit perpetua, vel amovibilis, præcipuè ſtatus ultimus attenditur *Dec. conſ.*126. *n.*1. *Gonzal. loc. cit. gloſſ.* 5. §. 3. *num.* 18. *& gloſſ.* 8. *num.* 31. *Tondut. quæſt. beneſ. par.* 2. *cap.* 1. §. 5. *num.* 4. *Rot. deciſ.*2. *de præben. in novis coram Seraph. deciſ.* 1095. *num.*3. *& ſeqq. & deciſ.* 1103. *num.*5. *cor. Duran. dicta deciſ.* 234. *num.* 6. *cor. Priol. deciſ.* 104. *nu.* 18. *in rec. par.* 1. *dec.* 154. *num.* 6.

3 Quo triplici fundamento ſicut jus Ordinarii firmiſſimè ſtabilitur, ſic difficilis non fuit objectorum propulſatio. Quod enim dicebatur, unionem eſſe plenariam favore Monaſterii, tam quoad temporalia, quàm etiam quoad ſpiritualia, id neque in facto viſum fuit ſubſiſtere, nec in jure ſuffragari. Non ſubſiſtit in facto, quia litera donationis, aut unionis, neque continet clauſulam = *pleno jure*, neque clauſulam = *in temporalibus, & ſpiritualibus*, ut legenti patet: ita ſi cauſa expreſſa unionis attendatur, illa eſt, ut Monaſterium, quod gravi premebatur onere debitorum pro ſui ſuſtentatione contractorum, ea perſolvere poſſet, ac ſuſtentari commodiùs: Ideoque ſi diſpoſitio quælibet à ſua finali cauſa determinatur, atque interpretationem recipit *cap. Intelligentia dictorum, de verbor. ſignific. Bald. in leg.* 1. *num.* 13. *ff. ſolut. matrim. Mantic. de tacit. convent. lib.* 3. *tit.* 12. *nu.* 13. *& ſeqq. & de conjectur. lib.*6. *tit.* 14. *n.* 8. *Guttier. practicar. lib.* 5. *quæſt.* 17. *nu.*98. patet quod neque litera, neque cauſa unionis factæ pro ſubſidio temporali, ſubjectionem in ſpiritualibus plenariam continet.

4 Quod neque in dubio præſumendum eſt, nam potiùs unio præſumitur facta quoad temporalia tantùm, ut eo minùs Epiſcopi jura lædantur *cap. quia Monaſterium* 2., *& cap. cùm Venerabilis* 6. *de Religioſ. domib. Imol. in cap. extirpandæ de præbend. Felin. conſ.*2. *Flor. de men. variar. quæſt.* 10. *ſub nu.* 17. *verſ. Et in dubio &c. Lotter. de re beneſ. lib.* 1. *quæſt.*33. *nu.* 93. *& lib.* 2. *quæſt.* 12. *num.* 10. *& ſeqq. Rot. coram Mohed. deciſ.* 1. *de Offic. Vicar.* Propterea quando unio, ſeu incorporatio ad menſas Monaſteriorum non continet etiam ſubjectionem quoad ſpiritualia, manet ſalvum in Epiſcopo jus inſtituendi, & Monachi jus tantùm habent præſentandi; quia non eo ipſo, quod Eccleſia ſit unita plenariè quoad temporalia, dicitur ad eos pleno jure ſpectare *cap. in Lateranenſi* 31. *de præbend. cap. cum & plantare §. In Eccleſiis de privileg.* ibi = *In Eccleſiis ſuis, quæ ad eos pleno jure non pertinent inſtituendos Presbyteros Epiſcopis præſentent &c.* ubi *Gloſſ. in verbo* = *pleno jure, ſic notat* = *id eſt utroque jure quoad ſpiritualia, & temporalia &c. & in Clem.* 1. *§. Quidam, verb. ad menſam de exceſſib. Prælator. ibique Jo: Andr. Card. & Imol. & in Clem.* 1. *de ſupplend. neglig. Prælat. Gonzal. in cap.* 1. *de Cappell. Monach. alter Gonzal. ad reg. Cancell. gloſſ.*5. §. 3. *nu.*11. *Rebuff. in tract. de congrua portione nu.*32. *&* 34. *& in prax. beneſ. tit. de Vicar. perpet. num.* 1. optimè *Rota deciſ.*2. *de exceſſ. Prælat. in nov. ſub num.*1. *cor. Dunoz. jun. deciſ.* 382. *num.*7. Qui omnes concludunt eo ſolùm caſu Vicarium amovibilem à Monachis deputari, quando Eccleſia eſt eis pleno jure conceſſa quoad temporalia, & ſpiritualia ſimul.

5 Ceſſante igitur hac ſubjectione quoad ſpiri-

ſpiritualia tum in litera, tum in ratione concesſionis, & reſiſtente potiùs præſumptione contraria, fruſtra levibus quibuſdam argumentis Regulares illam aſſerere conabantur: Ex eo ſignanter, quod hæc Eccleſia nunquam fuerit proviſa per concurſum, & quod in ipſa concesſione tribuatur Monaſterio univerſalis perceptio Decimarum, & fructuum, reſervata tantùm congrua portione pro Vicario deputando; cæteris levioribus omisſis. Quod enim attinet ad congruæ reſervationem, hæc nihil concludit pro ſubjectione in ſpiritualibus, nec pro qualitate Vicarii amovibilis; quia imò congrua propriè reſervatur pro Vicario perpetuo præſentando per Monachos, & inſtituendo per Ordinarium, ut conſtat ex *cap. de Monachis, qui Vicarios* 12. *ubi Gloſſ. notab. in verb. de proventibus &c.* ex ipſa aſſignatione congruæ ſumit argumentum, quod unio ſit in temporalibus tantùm, *& cap. extirpandæ* 30. *de præbend. & dignitat. cap.*1. *eodem tit. in 6. Clem.* 1. *de Jurepatr.* & ibi DD. communiter *Rebuff. in tract. congr. poſt quæſt.* 3. *num.* 17. *& ſeqq. & quæſt.* 4. *num.* 20. *& num.* 32. *& ſeqq. & in prax. benef. tit. de Vicar. perpet. num.*7. *Lotter. lib.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 19. *& lib.* 2. *quæſt.* 12. *num.* 20. *Rota par.* 11. *rec. deciſ.* 102. *num.* 11.

6 Leviuſque profectò eſt alterum argumentum ex eo deſumptum, quod Eccleſia proviſa fuiſſet abſque concurſu; nam hoc valere poteſt ad probandam unionem favore Monaſterii, minimè verò probat unionem ſubjectivam in ſpiritualibus; quia in iis etiam Parochialibus, quæ ſunt unitæ Monaſteriis quoad temporalia tantùm, concurſus non requiritur, ſed Vicarius perpetuus inſtituitur ad præſentationem Abbatis ita diſponente *Conſtitutione* 47. *ſan. mem. Pii V. Sanchez de præcept. Decalog. lib.* 7. *cap.* 29. *nu.* 192. *Flor. de Men. dicta quæſt.* 10. *num.* 40. *Rota par.* 1. *diverſ. deciſ.* 798. *num.* 5. *& par.*1. *rec. deciſ.* 102. *num.*1. *cor. Bich. deciſ.*137. *num.*3. *coram Priol. deciſ.* 44. *num.*27. *cor. Emer. jun. deciſ.* 1301. *&* 1354.

7 Sed tametſi per hypotheſim ſupponere liceret, quod unio de anno 1535. importaret plenariam ſubjectionem quoad temporalia, & ſpiritualia, & quod priſcis illis temporibus deputati fuiſſent à Præpoſito Regulares ad nutum amovibiles, (de quo non ſatis conſtare Domini putarunt ex enunciativis extractis à libris Monaſterii, & ex aliis actis exadverſo compulſatis) minimè tamen hoc officeret Ordinario, tum ob ſupervenientem *Concil. Trid. diſpoſitionem ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 7. qua datur Epiſcopis facultas inſtituendi Vicarios perpetuos etiam in Eccleſiis unitis pleno jure Monaſteriis Regularium, ut notant *Navarr. cap.* 11. *de Stat Monach. Garz. de benef. par.* 11. *cap.*2. *num.*4. *& ſeqq. Barboſ de poteſt. Epiſcop. allegat.* 72. *num.* 190. *Flor. de men. dicta quæſt.* 10. *num* 39. *Tondut. quæſt. benef. par.*2. *cap.* 1. §. 5. *num.* 13. *Rota coram Dunoz. jun. deciſ.* 368. *num.* 4. tam ob ſecutam poſteriùs longævam, & continuatam obſervantiam inſtituendi Sæculares à Monaſterio præſentatos: cùm ad effectum imprimendi novum ſtatum ſæcularitatis in Beneficio, juxta communem ſententiam, ſufficiat obſervantia quadraginta annorum, etiamſi conſtaret de anteriori ſtatu contrario, ad *Text. in cap. Cùm de Beneficio* 5. *de præbend. in 6. & ibi notata per Lap. Butr. Franc. Geminian. & alios Felin. in cap. In noſtra num.* 43. *de reſcript. Dec. conſ.* 126. *num.* 4. *Rebuf. ſuper concordat. tit. de collation.* §. *Volumus, verb. Regularia, Quintanaduenn. Eccleſiaſticon. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 15. *Gonzal. ad regul. Cancell. gloſſ.* 8. *num.* 31. *Selv. de re benef. part.* 3. *quæſt.* 11. *nu.* 127. *Lotter. lib.*1. *quæſt.* 34. *num.* 45. *Mareſcott. lib.* 1. *cap.*55. *num.*67. *Garz. par.* 7. *cap.* 10. *num.* 37. *Rot. dec.* 2. *de præbend. in nov. coram Duran. dec.* 244. *num.* 7. Et maximè ſi Beneficium redeat ad ſuam qualitatem originariam, prout in caſu; nam facilè res quælibet ad primævam naturam revertitur *leg. ſi unus ex argentariis* 27. §. *Eadem ratione ff. de pact. Gloſſ in can. ab exordio diſt.*35. *Gonzal. loc. cit. & gloſſ.* 7. *num.* 8. *Rot. dicta deciſ.* 2. *de præbend. in nov. num.* 3. *ad finem*.

8 Hic verò nedum quadragenaria concurrit obſervantia, ſed centenaria, quæ ad inſtar immemorabilis, cui æquiparantur, efficit, ut posſit allegari Beneficii ſtatus immutatio, ſive per Vicariæ perpetuæ legitimam, & ſolemnem erectionem, licèt illa non appareat; ſive per pactum, privilegium, aliumvè meliorem titulum, qui poteſt quidem per centenariam alle-

gari, ſed cum exhiberi non eſt neceſſe: itaut quod antea fuerit minimè attendatur *cap. ſuper quibuſdam* §. *Præterea de verb. ſignific. leg. Hoc jure* §. *Ductus aquæ ff. de aqu. quotid. & æſtiv. Felin. in cap. Cùm à nobis de præſcript. Roſ. conſult.* 12. *num.* 21. *Gonzal. ad reg. Cancell. gloſſ.* 33. *nu.* 4. *&* 14. *Guttier. practic. lib.* 3. *qu.* 14. *num.* 21. *Avendan. de exequend. mandat. lib.* 1. *cap.* 12. *ſub num.* 32. *Rocc. ſelect. cap.* 7. *nu.* 31. *Rot. par.* 1. *diverſ. dec.* 717. *num.* 18. *coram. Burat. deciſ.* 875. *num.* 7. *cor. Priol. dec.* 44. *num.* 18. *cor. Emer. jun. deciſ.* 286. *num.* 4.

Nil referente, quod Archiepiſcopus de anno 1594. fecerit primam inſtitutionem Presbyteri Thomæ Kemeter, vigore
9 Inſtrumēti donationis à Regularibus præſentati, in quo expreſſa legitur facultas deputandi Vicarium Regularem, aut Sæcularem, atque ideo non poſſit nunc alius titulus diverſus ex centenaria præſumptus allegari; Quia prætermiſſo quod in Beneficialibus, cùm non ſit incompatibilis pluralitas titulorum, uno exhibito poteſt melior ex longa poſſeſſione præſumptus allegari *Felin. dicto cap. In noſtro de reſcript. Selv. de Benef. par.* 3. *quæſt.* 19. *Gonzal. ad reg. Cancell.* §. 7. *proœm. n.* 129. *Card. de Luc. ad Concil. Trid. diſc.* 11. *n.* 16. *Caſſador. deciſ.* 21. *num.* 5. *ſuper reg. Cancell. Merlin. deciſ.* 82. *num.* 10. Certi juris eſt, quod titulus à Regularibus productus pro fundamento ſuæ intentionis, non prohibet quin Ordinarius exadverſo meliorem titulum præſumptum poſſit allegare, *Roſ. conſult.* 12. *num.* 48. *Card. de Luc. ad Concil. Trid. loc. cit. & de præemin. diſc.* 8. *num.* 13. *Giurb. caſ.* 71. *num.* 15. *Rot. cor. Buratt. deciſ.* 875. *num.* 7. *cor. Merl. dicta deciſ.* 82. *num.* 11. *coram Bich. deciſ.* 285. *num.* 14. *coram Emerix. jun. deciſ.* 829. *num.* 2.

Nec ideò quod Ordinarius unionem tunc approbavit (quam nec modo impugnat) & ad formam dicti Inſtrumenti mandavit ſolvi congruam Vicario, propterea dicendum eſt, quod approbaverit etiam qualitatem amovibilitatis in eodem Inſtrumento contentam: Quia talis approbatio cadit ſuper reſervatione congruæ tunc deductæ in controverſiam, non verò ſuper qualitate amovibilitatis, quæ expreſſa non legitur, nec tacita præſumitur in præjudicialibus; & poſitivè potiùs excluditur ex ipſa geſti actus natura; Non enim potuit Ordinarius approbare tacitè qualitatem amovibilitatis, quam Regulares tunc non prætendebant; imò nec Ordinarius, nec Regulares eam potuerunt melius excludere, quam iſti petendo, ille verò concedendo canonicam inſtitutionem, ſeu collationem in titulum perpetuum Presbytero Sæculari præſentato.
10 Voluntas autem talis præſumitur, qualem actus geſti natura declarat, nec illam egreditur *leg.* 1. §. *Julianus, ubi Bart. ff. de itin. actuq. privat. leg. operis non poſitis ff. de oper. libert. Pariſ. conſ.* 79. *nu.* 1[illegible]. *lib.* 4. *Dec. conſ.* 72. *in fin. Surd. conſ.* 5[illegible]. *num.* 73. *& conſ.* 460. *num.* 48. *Cravett. de antiqu. temp. part.* 2. §. *Materia iſta num.* 102. *Rocc. ſelect. cap.* 64. *num.* 14. Præterquamquod, ſepoſito etiam hoc actu de anno 1594. ſequentes inſtitutiones de anno 1610. uſque ad motam litem factæ de Presbytero Sæculari, ſimpliciter à Monachis præſentato vigore Jurispatronatus Monaſterio competentis etiam ante unionem, complent integram centenariam, cujus virtute poteſt Ordinarius meliorem allegare titulum ex prædictis.

Pariter, & illud obſtare viſum non fuit, quod ſæpiùs oppoſitum, & ſemper rejectum, nunc laxiori ſtylo replicabatur, nempè quod Præpoſitus habuiſſet alternativam facultatem ſive deputandi Regularem amovibilem, ſive præſentandi Presbyterum Sæcularem inſtituendum, tum vigore prædictæ unionis, tum etiam ex Conſtitutione 47. ſan. mem Pii V., quæ incipit = *Ad exequendum &c.* poſt Concil. Trid. emanata; ubi pro Regularibus mendicantibus, & Monachis libera præſervatur facultas in Parochialibus unitis deputandi ad curam Animarum Regularem amovibilem, ut in §. *Volumus &c.* itaut eo ſolùm caſu competat Ordinario jus inſtituendi, quando Superior Monaſterii vellet pro ſuo libitu deputare Presbyterum Secularem, ut ad mentem dictæ Conſtitut. declaravit Sac. Congregatio Concilii Teſte *Barboſ. in Remiſſion. ad Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 7. *nu.* 17. *& de poteſt. Epiſc. alleg.* 72. *ſub num.* 190. & rurſus *in Auguſtana pro Monachis Præmonſtraten. anno* 1584. *& pro Ciſtercien. in Ratisbonen. Juris deputandi Vicarium ſub die*

die 28. *Julii* 1713. Propterea ſi Præpoſitus pro ſua facultate deputavit, ac præſentavit Presbyterum Sæcularem ab Ordinario inſtituendum, ſibi non præjudicavit in ſimili facultate deputandi Regularem amovibilem, quia in facultativis nulla datur præſcriptio, niſi præcedat actus coactivus ad notat. *in cap. Cum Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſeſſ. & propr. Gabr. de præſcript. concl.* 10. *Abb. in cap. ex parte de conceſſ. præb. Rota coram Merl. dec.* 830. *eod. num.* 7. & in terminis dixit *Sac. Congregatio Concil. in d. Ratisbonen. Juris deputandi Vicarios*, ubi non obſtante quod Epiſcopus referret ab immemorabili tempore fuiſſe præſentatos Presbyteros Sæculares, reſpondit liberum eſſe Abbati deputare Monachum amovibilem.

12 Etenim Conſtitutio ſan. mem. Pii V. dum Conciliarem diſpoſitionem de Vicariis perpetuis non ſubſtulit, ſed ſolùm excepit ab ea Parochiales unitas Monaſteriis Monachorum, & Mendicantium, firmat potiùs regulam in contrarium pro Canonicis Regularibus, de quibus agitur, qui neque Mendicantes ſunt, nec Monachi propriè dicuntur, ut poſt *Div. Thom.* 2. 2. *qu.* 18. *art.* 8. *& in opuſc.* 19. *cap.* 2. notant *Sbrozz. de offic. Vicar. lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 3. *Trull. de ord. Canonic. Regul. lib.* 1. *cap.* 4. *Grat. cap.* 123. *num.* 22. *Andreol. controv.* 340. *num.* 6. *Capon. controv.* 15. *num.* 10. *Card. de Luc. de Regular. diſc.* 19. *num.* 5. *de Præmin diſc.* 24. *per tot. & ad Concil. Trid. diſc.* 35. *num.* 7. Et contra quos in eodem articulo poſt ſolemnem diſcuſſionem *Rota* judicavit *in Friſingen. Juris deputandi Curatos*, ut ex deciſionibus *coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano* 24. *Martii* 1713. *& coram R.P.D. meo Cerro* 26. *Junii* 1716. Ac proinde reſolutiones Sacræ Congregationis ad terminos dictæ Conſtitutionis emanatæ pro Monachis Ciſtercienſibus, & Præmonſtratenſibus, non autem pro Canonicis Regularibus, minimè viſæ ſunt caſui præſenti applicabiles: præſertim quia Præmonſtratenſes, de quibus agitur in Auguſtana, cùm verè Monachorum regulam profiteantur, *Pignattell. conſult.* 44. *num.* 14. *tom.* 1. tum inſuper habent ſpecialia S. Sedis privilegia pro deputando Vicarios amovibiles in Parochiis unitis eorum Monaſteriis, teſte *Barboſ. ad Conc. de Reform. ſeſſ.* 7. *cap.* 7. *num.* 17. *Rota in Uratislavien. Manutentionis* 12. *Junii* 1703. §. *Nullo namque &c. coram R. P. D. meo Lancetta*, & dixit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium *in Leodien. Parochialis* 2. *Septembris* 1712. *&* 3. *Februarii* 1713. *referente Eminentiſſimo Fabrono*.

Præterea verò Domini animadverterunt quod nulla ex allegatis reſolutionibus Sacræ Congregationis decidere videtur punctum Centenariæ obſervantiæ, Epiſcopo aſſiſtentis, inſtituendi Sæcularem in titulum perpetuum, de qua, præter dictam Ratisbonen., in aliis nulla fit mentio: ſed & in ipſa Ratisbonen., quæ, ut dictum eſt, loquitur de Monachis Ciſtercienſibus in Bulla Piana comprehenſis, nec tamen hoc punctum Centenariæ dici poteſt deciſum, quia verba reſolutionis hoc non tangunt, nec apparet fuiſſe in probatis prætenſam ab Epiſcopo conſuetudinem immemorabilem inſtituendi in titulum perpetuum Presbyteros Sæculares, cujus rei nullum enunciatur documentum, præter ipſius Epiſcopi relationem, qui fuerat à Monachis in judicium vocatus, ac propterea tamquam nuda partis aſſertio non merebatur attendi, neque ullum poterat reſolutioni præſtare fundamentum: Quin etiam ipſa relatio ſubjungebat, quod Monachi retroactis temporibus omnes exploraverant aditus ſubinferendi Vicarios Regulares ad nutum amovibiles; & ſic excludebatur ex ipſa confeſſione Partis obſervantia pacifica, prout requiritur, *Menoch. conſ.* 337. *in fin. Decian. reſponſ.* 87. *nu.* 22. *lib.* 2. *Rocc. Selectar. cap.* 79. *num.* 12. *Rot. coram Coccin. deciſ.* 436. *num.* 9. quæque optimè concurrit in caſu præſenti, dum Regulares per ſæculum, & ultra pacificè præſentarunt Presbyterum Sæcularem canonicè inſtituendum, & nunquam Regularem amovibilem deputare prætenderunt.

Regula verò, quod in actibus facultativis non cadit præſcriptio, redditur in-
13 applicabilis ex facti circumſtantiis; nam primò hic non agitur de libera facultate ex jure gentium competente, qua ſi quis per mille annos non utatur, ſibi non præjudicat, ut notant *DD. in leg. Viam publicam ff. de via pub. leg. Quominùs ff. de*

flumin. & d. cap. Cum Eccleſia Sutrina de Cauſ. poſſeſſ. & propr. ſed de prætenſa facultate deputandi Regularem ex titulo unionis Eccleſiæ, & ſic ex jure quæſito, quo caſu veriùs appellatur jus, quàm facultas, eique rectè præſcribitur per non uſum, *Felin. in cap. Cùm acceſſiſſent nu. 3. de Conſtit. Ceph. conſ. 176. num. 53. Surd. conſ. 73. nu. 48. Port. Imolen. comm. opin. lib. 3. reg. 33. limit. 3. Cravett. conſ. 111. num. 22. & ſeqq. Honded. conſ. 82. lib. 1. num. 9. Balb. de præſcript. par. 4. quæſt. 1. num. 4. Gabr. commun. concluſ. tit. de præſcript. concl. 10. num. 10. Conciol. alleg. 14. nu. 42. & ſeqq. Rocc. Select. cap. 84. nu. 15. Rota apud Poſth. de Manut. deciſ. 45. nu. 9.* Deinde hìc obſervantia non affertur ad finem præſcribendi alterius facultati, ſed ad juris proprii conſervationem, interpretando ſcilicet actum unionis, & quemcumque meliorem titulum præſumendo, ut in propoſito *Card. de Luc. de Regul. diſc. 51. num. 12.* nec enim facilè poteſt admitti, quod ſi Præpoſitus habuiſſet facultatem deputandi Regularem amovibilem vigore unionis, noluiſſet in tam diuturno tempore hanc facultatem ſibi magìs favorabilem aliquando exercere, ſed potiùs utendo ſimpliciter Jurepatronatus pati voluiſſe continuos actus perpetuæ Sæcularium inſtitutionis, jus, & auctoritatem Epiſcopi magìs confirmantes: Ipſaque multiplicitas actuum uniformiter tam longo tempore geſtorum ſicut Ordinario præbet jus firmiſſimum ex omni titulo ſibi magìs proficuo, ſic excludit in altera parte præſumptionem liberæ facultatis, *Rip. in dicto cap. Cum Eccleſia Sutrina num. 55. Jo. Fab. in §. Æquè nu. 21. inſtit. de actionib. Jaſ. in d. leg. Quominùs nu. 42. ff. de flumin. Cravett. d. conſ. 111. num. 25. Soccin. conſ. 145. num. 40. lib. 1. Conciol. alleg. 14. num. 44. Rocc. Select. cap. 84. num. 16. & cap. 167. nu. 48. Panimoll. deciſ. 15. n. 26. Adden. ad Greg. XV. deciſ. 162. nu. 16. Rota coram Seraph. deciſ. 212. num. 2. & deciſ. 323. num. 4. cor. Merl. deciſ. 593. num. 8. coram Bich. deciſ. 522. num. 19. part. 4. Rec. deciſ. 300. num. 7. & par. 17. & deciſ. 139. num. 23.*

14 Accedente præſertim notabili circumſtantia, quod de anno 1616. Præpoſitus enixè ſupplicavit Conciſtorio Salisburgen., ut ſibi liceret, ſaltem pro interim deputare Vicarium Regularem, quia Sæcularem invenire non poterat, & hanc licentiam Conſiſtorium reiteratis etiam precibus denegavit, ac Præpoſitus acquievit: Unde duplex naſcitur effectus, primus quod jure ſibi proprio talem facultatem Præpoſitus non aſſeruit, cùm eam præcario rogavit *leg. 1. & ſeqq. ff. de precar. l. 1. ubi DD. C. de theſaur. lib. 10. Surd. conſ. 215. num. 23, Salgad. in Labyr. par. 2. cap. 17. nu. 5.*: Alter, quod etiam exordiendo ab hoc actu coactivo cum patientia de anno 1616. uſque ad 1712. quo fuit mota lis intercedit ſpatium 96. annorum, quod pro Centenaria reputatur, *Lotter. de re Benef. lib. 2. quæſt. 7. num. 62. & ſeqq. Card. de Luc. de Jurepatr. diſc. 57. num. 32. Pacion. de Locat. cap. 14. nu. 7. Rot. cor. Buratt. deciſ. 142. num. 9. ibique Adden. & deciſ. 875. num. 4. coram Merl. deciſ. 60. num. 6. & part. 5. Rec. deciſ. 509. num. 5.* Imò, & pro tempore præterito removetur præſumptio liberæ facultatatis, quia petitio licentiæ ſupponit præcedentem prohibitionem, & impedimentum, *Natt. conſ. 522. nu. 9. poſt Bald. in leg. Si permittente num. 2. Cod. ad S. C. Vellejan. Soccin. conſ. 12. num. 3. Caſanatt. conſ. 39. nu. 53. Noguerol. alleg. 28. num. 86. Salgad. par. 1. cap. 35. num. 27. Gonzal. ad reg. Cancell. gloſſ. 5. §. 6. n. 37. Rot. par. 1. diverſ. deciſ. 33. num. 3.*

Minimè revelante, quod hæc licentia petita fuerit pro Eccleſiis filiabus, non autem pro Matrice, de qua nunc agitur: quia cùm omnes eodem titulo unionis ad Monaſterium pertineant, non debent diverſo jure cenſeri, nec membra præſumuntur diverſæ rationis à capite, *cap. Cùm non liceat de præſcript. Felin. in cap. Auditis nu. 29. eod. tit. Bald. in l. 1. nu. 25. C. de emancipat. lib. Rot. cor. Mantic. deciſ. 320. num. 6. coram Priol. deciſ. 295. num. 10.* Cætera ſatìs, ſuperque ſublata fuere in prioribus deciſionibus.

Et ita utraque &c.

R. P. D.

R. P. D. HERRERA

Leodien. Vicariæ de Jemeppe.

Lunæ 23. Januarii 1719.

SUMMARIUM.

1 *Unita Eccleſia Parochiali Monaſterio, nominatio Vicarii ſpectat ad Abbatem.*

2 *Unio Eccleſiæ Parochialis Monaſterio in defectum Inſtrumenti probari poteſt ex conjecturis, ſive ſignis, aut argumentis.*

3 *Eccleſia unita dicitur de juribus, & pertinentiis ejus, cui unitur.*

4 *Diſmembratio Eccleſiæ Parochialis eſt ſolùm in ſubſidium admittenda.*

5 *Quod in diſmembratione Eccleſiæ Parochialis non ſit avulſa ab Eccleſia Matrice cura habitualis, ex quibus arguatur*, & num. *6.* & ſeq.

8 *Unio Eccleſiæ Parochialis Monaſterio, ex quibus probetur*, & num. 9. & 10.

11 *Vocabula nominationis, & præſentationis inter ſe fraternizant.*

12 *Præſentationes, & nominationes duplici titulo fieri poſſunt, juriſpatronatus nempè, vel unionis.*

13 *Præſentationes expletæ ratione juriſpatronatus ſunt unioni omninò contrariæ.*

14 *Præſentationes, ſeu nominationes factæ ratione unionis, huic non contrariantur.*

15 *Inſtitutiones, ſeu collationes Vicariæ in titulum, nec non expreſſio illius vacationis, ac denominatio Rectoris reſpectu Vicarii an opponantur unioni.*

16 *Vicariæ perpetuæ ante Conſtitutionem Divi Pii V. la 47. comprehendebantur ſub Primariis precibus, & ſub aliis Apoſtolicis reſervationibus, ſecùs nunc poſt dictam Conſtitutionem.*

17 *Proviſiones Apoſtolicæ æquivocæ Vicariæ perpetuæ non opponuntur unioni.*

18 *Vicariæ perpetuæ, & unitæ permutari, & reſignari poſſunt in manibus Papæ, & ab eo provideri abſque ullo prejudicio unionis.*

19 *Sub Indulto conferendi Beneficia conceſſo Univerſitati Lovanii non comprehenduntur Vicariæ, quæ ſemper ad nominationem Abbatis, ſive Superioris illius Monaſterii, vel Eccleſiæ, cui unitæ comperiuntur, ſunt conferendæ.*

DECISIO II.

AD Vicariam Loci de Jemeppe vacatam per obitum Henrici Maſſart ſequutum de menſe Novembris anni 1716. Abbas Ven. Monaſterii S. Jacobi Leodii Ordinis S. Benedicti, utpotè eidem Monaſterio unitam præſentavit Martinum Coppin; Decanus verò facultatis Artium Univerſitatis Lovanienſis, cui ex ſpeciali privilegio Apoſtolico jus competit conferendi Beneficia vacantia per obitum in menſe Novembris, & alternis annis illa quoque vacantia in menſe Januarii, eam contulit Gerardo Theodoro Bouſſart, qui coram Judice Conſervatore privilegiorum dictæ Univerſitatis in contumaciam Martini non comparentis, & de ſola juriſdictionis incompetentia excipientis ſententiam favorabilem obtinuit, ſed controverſia in noſtro auditorio poſtmodùm in gradu appellationis reaſſumptâ, reſolutio, quæ ob ſuffragiorum ſciſſuram in ancipiti ſtetit in audientia diei 13. Junii ſuperioris anni, hodie tandem prodiit favore dicti Martini, cui controverſam Vicariam adjudicandam eſſe reſponſum fuit in vim nominationis per ipſum, ut ſupra reportatæ ab Abbate jam dicti Monaſterii S. Jacobi, ad quem vigore
1 unionis prædictæ Eccleſiæ factæ proprio Monaſterio, illius Vicarii nominatio indubiè pertinere dignoſcitur, juxta præſcriptum notiſſimæ Pianæ Conſtitutionis, de qua ad hunc propoſitum *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ.* 5. §. 4. *n.* 59. *Garz. de Benef. par.* 4. *cap.* 2. *nu.* 308. *Barboſ. de Jur. Paroch. cap.* 1. *num.* 4. *Turricell. de union. cap.* 4. *num.* 55. *Rot. coram Buratt. deciſ.* 150. *num.* 6. *coram Duran. deciſ.* 2. *num.* 2. *in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Juſtificatio coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo, & in alia Compoſtellana Parochialis* 11. *Maji ejuſdem anni* §. *Earumdem enim coram R. P. D. meo Cerro, &* 26. *Februarii* 1717. §. *Ita enim coram R. P. D. meo de Gamaches.*

2 De unione autem controverſæ Vicariæ jam dicto Monaſterio conſtare viſum fuit non quidem ex conjecturis, ſive ſignis, aut argumentis, per quæ in defectum Inſtrumenti, ſive alterius irrefragabilis juſtificationis eam cæteroquin probari,

bari, paſſim notavit *Rota* in ſpecie *coram Priol. deciſ.*252. *nu.* 10. *coram Card. Cerro deciſ.* 886. *num.* 1. *coram Emerix jun. deciſ.* 1334. *num.*2. *in Mediolanen. Jurium Parochialium* 20. *Aprilis* 1708. §. *Ex quibus coram Eminentiſſimo D.Card. Scotto, & in dicta Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Ex his coram Reverendiſs. P. D. meo Decano*, ſed apparere enituit ex publicis documentis relatis *in Summario Martini num.* 2. Ex quibus cùm pateat per Epiſcopum Leodienſem uſque ab anno 1406. & iterùm de anno 1476. per ſan. mem. Sixtum IV. dicto Monaſterio S. Jacobi pleno jure unitam, & incorporatam fuiſſe Eccleſiam Parochialem de Seraneo, ſive de Seraing. *cum omnibus juribus, &*
3 *pertinentiis ſuis*; Inde ſequitur eidem Monaſterio incorporatam quoque dici debere Vicariam controverſam, utpotè quæ dictæ Parochiali Eccleſiæ de Seraingh unita, unus corpus cum illa conſtituit, & de ipſius juribus, ac pertinentiis nuncupatur, ex communiter notatis per *Doctores in cap. ſuper eo de præbend. in* 6. *& in cap. quia Monaſterium de Relig. domib. Franc. de Eccleſ. Cathedral. cap.* 8. *nu.*496. *Card. de Luc. de Regular. diſc.* 52. *num.* 8. *Rota coram Duran. deciſ.* 14. *num.* 13. *& deciſ.* 92. *num.* 11. *in rec. deciſ.* 49. *num.* 4. *par.* 15. *in Recanaten. Beneficii* 20. *Martii* 1702. §. *Quoniam, &* §. *Non obſtante coram clar. mem. Card. Caprara, & in Neapolitana Unionis* 23. *Junii* 1710. §. *Ratio ſic decidendi cum ſeqq. cor. bon. mem. Molines*.

Incorporationi huic non reſiſtente allegata ejuſdem Vicariæ diſmembratione à Parochiali Eccleſia de Seraingh, ſequutâ de anno 1315. & ſic ante jam dictæ Parochialis unionem factam primodicto Monaſterio S. Jacobi, quia dicta diſmembratio non fuit plenaria, & abſoluta, ac ad omnes, & quoſcumque effectus, ſed ſolummodo ad conſulendum neceſſitati Parochianorum, quibus ob diſtantiam loci ab Eccleſia Parochiali de Seraingh, & maximè ob impedimentum fluvii Moſæ tempore hyemali, plerumque ſuperfluentis, illius Rector juxta caſuum contingentias præſtò eſſe non poterat in adminiſtratione Sacramentorum, itaut non rarò propter acceſſus difficultatem Parochiani ſinè Sacramentis obirent; Cui neceſſitati quemadmodum ſatìs, ſuperque proviſum remanebat per diſmembrationem ſolius curæ actualis, ſalva, firmaque ſemper remanente cura habituali penès Matricem Eccleſiam de Seraingh, ita prædicta neceſſitate ex ſola diſmembratione curæ actualis ſublata, deventum fuiſſe non cenſetur ad totalem, plenariamque dictæ Vicariæ diſmembrationem, quæ re-
4 medium dicitur prorſus extraordinarium, & in ſubſidium unicè admittendum, ubi nempè Parochianorum neceſſitati alio modo, quàm per ſolam curæ actualis diſſecationem conſuli non valeat, juxta ponderata per *Tranched. in conſult.*104, *nu.*11. *& ſeq. Fraſſ. de reg. Patr. Ind. cap.* 68. *num.* 28. *tom.* 2. *Murg. de benef. quæſt.* 6. *ſub num.* 24. *Barb. de pot. Epiſc. alleg.* 78. *num.* 7. *Rot. coram Coccin. deciſ.* 1428. *num.* 4. *in recent. deciſ.* 578. *num.* 7. *& ſeq. par.* 19. *tom.* 2. *in Leodien. Diſmembrationis* 1. *Februarii* 1712. §. *Idcircò cor. R.P.D. meo Falconerio, &* 3. *Julii* 1713. §. *Minimè ſubſiſtente cor. R.P.D. meo Criſpo*. Et in ſpecie, quod ex tali diſmembratione ob ſimilem cauſam facta cura habitualis ab Eccleſia Matrice avulſa non cenſeatur, reſpondit *Rota in rec. deciſ.* 204. *num.* 1. *par.* 17. *ubi concordantes*.

5 Juridicam hanc dictæ diſmembrationis intelligentiam confirmantibus etiam pluribus, & potiſſimùm onere Eccleſiæ Matrici adjecto præſtandi Congruam Vicario de Jemeppe, qui de facto poſt unionem favore Monaſterii S. Jacobi expletam ejuſdem Congruæ ſupplementum contra Abbatem ipſius Monaſterii obtinuit per concordiam celebratam uſque de anno 1643. Ex hoc enim validiſſimum reſultat argumentum circa ſubjectionem dictæ Eccleſiæ de Jemeppe, & reſidentiam curæ habitualis penès Eccleſiam Matricem, cum ipſa nullo jure ad hujuſce Congruæ præſtationem, nec Monaſterium ad illius ſupplementum obligari valuiſſent, quoties Eccleſia controverſa per dictam diſmembrationem effecta fuiſſet Parochialis libera, & independens cum totali ſeparatione ab Eccleſia Matrice; per ea, quæ aliàs advertit *Rota in Compoſtellana Parochialis* 11. *Maji* 1716. §. *Plenaria cor. R.P.D. meo Cerro, &* 26. *Februarii* 1717. §. *Certius cor. R.P.D. meo de Gamaches, in*

alia

alia Compoſtellana Parochialium 13. *Martii* 1716. §. *De unione coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano*, & 5. *Maji* 1717. §. *Demum coram R.P.D. meo Criſpo.*

6 Inſuper idipſum convincebat nedùm reſervatio juris percipiendi decimas in circumdario Eccleſiæ de Jemeppe, aliaque ab iſtius Parochianis Eccleſiæ Matrici tradi ſolita pro luminari, ut ad arguendam reſidentiam curæ habitualis, ac populi ſubjectionem notavit *Rota in Tarraconen. Parochialis de Vimbodino* 15. *Januarii* 1706. §. *final. cor. Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano*, & *in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Augebatur cor. eodem*, & 15. *Martii* 1717. §. *Demum coram R. P. D. meo Criſpo*. Verùm etiam præſervatio juris Matricitatis, explicitè in eodem Inſtrumento diſmembrationis adjecta in his verbis = *Salvo tamen jure Matricis Eccleſiæ, quæ ſcilicet Mater Eccleſia in filiam habere conſuevit*. Ex hac enim præſervatione juncta cum qualitate diſmembrationis unicè expletæ ad occurrendum Parochianorum neceſſitati, & cum reſervatione juris percipiendi decimas, ac alia Eccleſiæ Matrici pro luminari offerri ſolita, necnon etiam juncto onere præſtandi congruam Vicario ejuſdem Eccleſiæ de Jemeppe rectè convincitur ſarcta, tectaque penès Eccleſiam de Seraingh remanſiſſe non ſola jura honorifica, & præeminentialia in peragendis functionibus Eccleſiaſticis, ut perperàm Scribentes pro Theodoro inſinuare ſatagebant, ſed quidem cætera omnia jura Eccleſiæ Matrici in filialem Eccleſiam competentia, & præcipuè jus nominandi in ea Sacerdotem, necnon totalem, plenariamque illius ſubjectionem, & conſequenter veram, propriamve Matricitatem cum plena curæ habitualis pertinentia, ad *Text. in cap. ad audientiam, ibique Gloſſ. verb. Rectoris de Eccleſ. ædif. Azzor. Inſtit. moral. par. 2. lib. 9. cap. 3. in fin. Rebuff. de Decim. quæſt. 6. num. 7. Card. de Luc. de Decim. diſc.* 12. *ſub num.* 13. *verſ. Tertia demum*, *Rot. deciſ.* 204. *num.* 1. *par* 17. & *deciſ.* 7. *num.* 7. *cum ſeqq. par.* 18. *tom.* 1. *recent.* Et benè diſtinguendo inter Matricitatem impropriam ſufficientem pro ſola præeminentiali honorificentia, & Matricitatem propriam, ſeu rigoroſam, omninò requiſitam pro decimarum perceptione, Vicarii præſentatione, ac aliis, de quibus ſupra, notavit *Rota in Biſinianen. præeminentiarum* 10. *Februarii* 1710. §. *Nec deerat cum* §. *penult.*, & 16. *Januarii* 1716. *à* §. *Quodque uſque in fin. coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano*.

7 Præmiſſis non reſiſtente ponderatione, quod in actu diſmembrationis duobus Parochis conſtitutis, certaque Territorii parte unicuique ipſorum deſtinata, dictum fuerit, eorum quemlibet de propria Parochia contentum eſſe debere = & *quod alter in alterius Eccleſia, vel Parochia nihil juris amplius ſibi poſſet vindicare*. Quoniam cùm id actum, dictumque videri poſſit ad eum præcipuum finem, & effectum, ut facilior redderetur cura Animarum, mediante libero, & abſoluto illius exercitio unicuique ex Parochis intra præſtitutos fines demandato, ideo optimè talis expreſſio intelligi; & verificari poteſt reſpectu Curæ actualis, nequaquam verò referri ad totalem ſeparationem Curæ etiam habitualis; maximè attenta ſubſequenti immediata præſervatione omnium jurium præſeferentium ſubjectionem Eccleſiæ filialis erga Matricem ſaltèm quoad Curam habitualem; Ex qua profectò explicita, & immediata præſervatione rectè convincitur, diſmembrationem præcedentem fuiſſe reſtrictam intrà ſolos limites Curæ actualis, ſalva manente habituali penès Eccleſiam Matricem de Seraingh ex notatis per *Azzor. Inſtit. Moral. par.* 2. *cap.* 12. *quæſt.* 13. *lib.* 3. *Pignattell. conſult. Can.* 109. *num.* 1. & *conſult.* 167. *num.* 2. *tom.* 9. *Card. de Luc. de Decim. diſc.* 12. *num.* 13. *Rot. in rec. dec.* 7. *num.* 7. *par.* 18. *tom.* 1.

8 Clarè id inſuper comprobante ſubſequuta obſervantia tum affirmativa, tum etiam negativa, optimè d. diſmembrationis quidditatem demonſtrante, ut dixit *Rota in recent. dec.* 720. *nu.* 13. *par.* 18. *dec.* 416. *num.* 4. *par.* 19. & *dec.* 87. *num.* 5. *coram Emerix jun.* Et quidem affirmativa ex eo coruſcabat, quia non ſolùm, ut jam prænotatum fuit, Monaſterium S. Jacobi percipit decimas, & tributum prò luminari intra fines Eccleſiæ de Jemeppe, Congruamque præſtat Presbytero in ea deputari aſſueto ſub perpetua denominatione Vicarii, ſub qua nonniſi Cura tantùm

tùm actuali pollentes indigitari ſolent, ut ait *Rota in Salisburgen. Vicariæ ſuper bono jure* 4. *Februarii* 1715. §. *His additur cor. R.P.D. meo Criſpo*. Verùm etiam, quia quoties eadem Vicaria dimitti contigit, ſemper dimiſſa, ſeu reſignata fuit in manibus Abbatis, ad cujus nominationem in illius vacationibus ſive per reſignationem, ſive per obitum contingentibus proviſa ſemper fuit ab Ordinario Collatore; Quod ſanè contingere non poterat niſi ſuppoſita ejuſdem Eccleſiæ unione, & incorporatione jam dicto Monaſterio S. Jacobi, ut ad rem notant *Turricell. de union. cap.*4. *num.*53. *Rot. coram Merlin. dec.* 95. *num.*4. 5. *& deciſ.*625. *num.*3. *coram Bich. deciſ.* 336. *num.*4. *& in Baſilien. Parochialis* 5. *Martii* 1700. §. *Exinde cor. bo.mem. Molines, &* 26. *Junii* 1702. §. *final. coram Reverendiſſimo P. D. meo Decano, in Leodien. Parochialis, ſeu Vicariæ* 1. *Julii* 1707. §. *Minuſque coram Reverendiſſimo Aldrovando, & in Compoſtellana Parochialis* 11. *Maji* 1716. §. *Secunda coram R. P. D. meo Cerro*.

9 Negativa verò ex eo profluebat, quia non ſolùm controverſa Vicaria ſpatio centum ſexaginta annorum poſt Concilii Tridentini publicationem numquam proviſa fuit per concurſum, quemadmodum ad præſcriptum ejuſdem Concilii *in cap.* 18. *ſeſſ.*24. *de reformat.* provideri omninò debuiſſet, ſi non fuiſſet unita, & ab Eccleſia Matrice ratione curæ habitualis dependens, ut ad iſtum effectum pluries notavit *Rota* in ſpecie in *Novarien. Parochialis, ſeù Vicariæ S. Martini* 22. *Junii* 1705. §. *Quod autem, &* §. *Nihilominus coram clar. mem. Card. Caprara, in Compoſtellana Parochialis* 11. *Maji* 1716. §. *Iſtaque unio coram R.P,D. meo Cerro, in alia Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Certoque certius coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano, &* 5. *Maji* 1717. §. *Et præmiſſis coram R. P. D. meo*
10 *Criſpo*. Verùm etiam nullus adducebatur actus, ex quo appareret, hanc Vicariam tanquam reſervatam à S. Sede, vel ab ipſa Univerſitate Lovanii vigore ejus Indulti proviſam fuiſſe, & tamen in adeò longævo trium ſæculorum decurſu, veriſimile non eſt, nullam contigiſſe vacationem in menſibus reſervatis, ut notatum fuit in *Parmen. Beneficii* 16. *Januar.* 1702. §. *fin. coram Reverendiſſimo P. D. meo Decano, in Tarraconen. Beneficii* 12. *Aprilis* 1712. §. *Abſque eo quod coram R. P. D. meo Lancetta, & in Auguſtana ſummæ Cuſtodiæ ſuper ſecundis literis* 21. *Junii* 1715. §. *Alterum cor. R.P.D. meo Falconerio, in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Indubitantiùs cor. Reverendiſſimo P. D. meo Decano, &* 5. *Maji* 1717. *cor. R.P.D. meo Criſpo*.

Obſervantiæ huic non reſiſtentibus iis, quæ pro parte Gerardi in contrarium deducebantur, potiſſimum circa nominationes Vicariorum ab Abbatibus pro tempore dicti Monaſterii S. Jacobi expletas cum qualitate præſentationis, quæ non convenit niſi juripatronatus cum unione penitùs repugnanti, *ut in Gerunden. Parochialium ſuper unione* 18. *Junii* 1714. §. *Nec minus cor. Reverendiſſimo Decano*,
11 quia ultra quod vocabula nominationis, & præſentationis inter ſe fraternizant, ut in ſimili notat *Rota in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. § *Conſtabilita cor. Reverendiſſimo P. D. meo Decano*;
12 accedit etiam quod cum illæ duplici ex titulo fieri potuerint juriſpatronatus nempè, vel unionis, ut ait *Rota in recent. deciſ.* 441. *num.* 7. *&* 8. *par.* 5. *deciſ.* 330. *num.* 24. *& ſeq. par.* 9. *& in Compoſtellana Parochialis* 11. *Maji* 1716. §. *Secunda ve-*
13 *rò coram R. P. D. meo Cerro*, ideo præſentationes prædictæ obſtarent quidem unioni, quatenus expletæ apparerent ratione juriſpatronatus illi omnino contrarii, ut ait *Rota in Bituntina, ſeu Baſilien. Parochialis* 5. *Martii* 1700. §. *Eſt certum, &* 27. *Junii* 1701. §. *Abſque eo quod coram bon. mem. Molines, & in Gerunden. Parochialium ſuper unione* 28. *Junii* 1704. §. *Nec minus coram Reverendiſſimo D. meo*
14 *Decano*; At eidem unioni haud quaquam officiunt ſi ratione illius, prout in præſenti ex ſupranotatis, factæ comperiantur, *Rot. in rec. deciſ.* 441. *num.*6. *& ſeqq. par.* 5. *deciſ.* 947. *num.* 4. *cor. Emerix jun. in Compoſtellana Parochialis* 11. *Maji* 1716. §. *Secunda, &* §. *Atque hinc coram R.P.D. meo Cerro; & in alia Compoſtellana Parochialium* 16. *Martii ejuſdem anni* §. *Conſtabilita cor. Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano*.

15 Inſtitutiones verò, & collationes in titulum ejuſdem Vicariæ utique illius unionem

nem

nem deſtruere, eique adverſari nullatenùs videbantur, quia in hujuſmodi Vicariis perpetuis, & collativis perpetuitas tituli adaptatur tantummodo, & cadit ſuper ſimplici exercitio curæ actualis, illiusque reſpectu verificatur vacatio, & collatio in titulum, ut tradunt *Turricell. de union. cap.* 11. *num.*77. *Card. de Luc. de benef. diſc.* 97. *num.*19. *Rot. in recent. deciſ.*37. *nu.*8. *par.*4. *tom.* 1. *deciſ.* 379. *nu.*4. *coram Emerix jun. in Compoſtellana Parochialis* 11. *Maji* 1716. §. *Prout nil detrabit*, & §. *Atque coram R. P. D. meo Cerro*, & *in Friſingen. Juris deputandi Curatos* 22. *Junii ejuſdem anni* §. *Verum cor. eodem.* Unde nec etiam urgere in contrarium poterat aliquando facta expreſſio vacationis reſpectu Vicariæ, & denominatio Rectoris reſpectu Vicarii, cum utraque licèt impropriè verificari poſſit circa exercitium Curæ actualis, ut promiſcuè de his, aliiſque exceptionibus agendo in propoſito advertit *Card. de Luc. de benef. diſc.* 97. *num.* 19. *Rota coram Emerix jun. deciſ.* 279. *num.*4. *in Burgen. Juriſdictionis ſuper actibus Parochialibus* 26. *Junii* 1715. §. *Neque ſubſiſtit coram R.P.D. meo Criſpo.*

Actus verò proviſionum hujus Vicariæ
16 noviſſimè exhibiti, unus nempè de anno 1530. vigore precum Imperialium, & alii duo à S. Sede expleti de annis 1634. & 1688. in nihilo penitùs officere viſi ſunt, quoniam reſpectu primi non reſultat, Preciſtam ad Vicariæ poſſeſſionem admiſſum fuiſſe, ultra quam quod hujuſmodi Vicariæ tunc temporis poterant ſub Imperialibus precibus comprehendi, prout comprehendebantur ſub aliis Apoſtolicis reſervationibus, ut latè probat *Gonzal. ad reg. Cancell. gloſſ.* 5. §. 3. *num.* 19. & *ſeqq.* quæ reſervationes cùm poſtea, de anno nimirum 1567. reſpectu iſtarum Vicariarum penitùs ceſſaverint ob tunc ſuperventam Conſtitutionem S. Pii V. inter ſuas in ordine *la* 47. mandantem, Vicarios perpetuos impoſterum ſemper deputari debere ad nominationem Abbatis, ſive alterius Superioris illius Monaſterii, vel Eccleſiæ cui reperiuntur unitæ, ſub examine tamen, & approbatione Ordinariorum, ceſſarunt quoque in eiſdem Vicariis primariæ preces, ut proſequitur idem *Gonzal. ad reg. Cancell. gloſſ.* 5. §. 3. *à num.* 59. *cum ſeqq.* & de facto à dicto tempore citra primariæ preces ad Vicariam controverſam nunquam conceſſæ apparent.

17 Ex reliquis verò duabus Apoſtolicis proviſionibus nihil penitùs deduci poſſe viſum pariter fuit; Quoniam illa anni 1634. remanebat prorſus æquivoca, dum non exhibebantur literæ Apoſtolicæ, ſed ſolùm ex Regeſtis Curiæ Archidiaconalis Brabantiæ eruebatur, quemdam Wilelmum conſtitutum fuiſſe Vicarium authoritate Apoſtolica, quod verificari poteſt de proviſione, quam ad terminos dictæ Pianæ Conſtitutionis reportare tenentur omnes de hujuſmodi Vicariis proviſi, ut advertit *Gonzal. ad reg. Cancell. gloſſ.* 7. §. 4. *num.* 63. Ultra quàm quod cum dicta proviſio facta non appareat tamquam de reſervato in vim regulæ octavæ, itaut ea alia de cauſa, ſive aliis modis ſequi potuerit, hoc eſt per reſignationem, ſive permutationem, veluti fuit alia proviſio anni 1688., ideo ex hujuſmodi proviſionibus diverſa beneficii na-
18 tura, ſeu qualitas argui non valet, cùm etiam Vicariæ perpetuæ, & unitæ permutari, & reſignari poſſunt in manibus Papæ, & ab eo provideantur abſque ullo præjudicio unionis, & habentium illius vigore jus nominandi, *Pariſ. de reſign. lib.*2. *quæſt.*4. *num.*3. *Rot. coram Bich. deciſ.*118. *num.*24. *cor. Card. Cerro dec.* 203. *num.* 5. *in Forolivien. Parochialis* 26. *Aprilis* 1706. §. *Prout neque urget cum ſeqq. cor. bon. mem. Omanna, in Auguſtana Summæ Cuſtodiæ ſuper ſecundis literis* 21. *Junii* 1715. §. *Minus relevat coram R.P.D. meo Falconerio*, & *in Gerunden. Eleemoſynæ panis ſuper reſervatis* 14. *Martii* 1718. §. *final. cor. R.P.D. meo Cerro.*

Evaneſcente ex his etiam ultimo ſtatu favore Gerardi deſumpto ex jam dicta poſtrema Apoſtolica proviſione anni 1688. cujus efficacia potius in contrarium retorqueri videbatur, dum ex depoſitione Mathiæ, ex cujus reſignatione Henricus noviſſimus controverſæ Vicariæ poſſeſſor illius proviſionem à S. Sede reportaverat, habetur, ipſum eamdem Vicariam de anno 1676. obtinuiſſe ad nominationem Abbatis ſæpedicti Monaſterii S. Jacobi, eamque ad diem uſque factæ jamdictæ reſignationis poſſediſſe, & propterea quemadmodum d. ultimus ſtatus Martino potiùs

tiùs favere dignoſcebatur ideo omni jure eidem controverſam Vicariam adjudicandam eſſe Domini exiſtimarunt, excluſo penitùs Gerardo, quamvis collationem habente à Decano Univerſitatis Lova-
19 nienſis, pollente privilegio conferendi beneficia vacantia in menſe Novembris, cùm ſub hujuſmodi Indulto non comprehendantur ſimiles Vicariæ, quæ ſemper ad nominationem Abbatis, ſive Superioris illius Monaſterii, vel Eccleſiæ, cui unitæ comperiuntur, conferendæ ſunt, ut generalibus omiſſis in ſpecie pro excluſione privilegiorum Univerſitatis Lovanii differit *Vameſ. conſ. Canon.* 240. *nu.fin. Nicolartſ. ad Concord.German. tit.* 1. *dub.* 7. §. 10. *Rota in Leodien. Parochialis, ſeu Vicariæ* 1. *Julii* 1707. §. *final. cor. Reverendiſſimo Aldrovando*.

Et ita poſt ſecundam Cauſæ propoſitionem reſponſum fuit, partibus utrinque dimicantibus &c.

R. P. D. LANCETTA

Pampilonen. Beneficii de Yrun.

Lunæ 23. *Januarii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Nonnullis Patronis nulliter præſentantibus, totum jus conſolidatum remanet in aliis Compatronis, qui ritè, & rectè præſentarunt*: & num. 10.

2 *Præſentatio, aut nominatio facta per ſortes, an ſit de jure canonico prohibita*: & num. 8.

3 *Officialis, ſeu Procurator Communitatis Patronæ, excedens in præſentatione fines mandati, & à præſcripta facultate aberrans, dicitur nulliter præſentare*.

4 *Officialis, ſeu Procurator Communitatis Patronæ excediſſe fines mandati in præſentando, ex quibus deſumatur*: & nu.5. & ſeq.

5 *Cæca ſors, & fallax in minus idoneos ſæpè tranſcurrit, & aliquando etiam indignos promovet*.

7 *Officialis, ſeu Procurator excedens formam mandati in præſentando, dicitur ſcienter illam excedere*. Amplia ut ibi.

9 *Officialis, ſeu Procurator Communitatis Patronæ, nulliter præſentans, ab utendo poteſtate ſibi tradita, quam ſervare juravit, amittit poteſtatem præſentandi*.

11 *Nulliter præſentans, ſi adſit alius, qui validè præſentavit, cum proteſtatione nullitatis præſentationis, an poſſit ad novam præſentationem devenire*.

12 *Vitium primæ electionis nullitatem influit in ejus ratificationem*.

13 *Diſpenſatus ſuper defectu natalium, nullum habet obſtaculum ex hoc capite, conſequendi beneficium patronale*.

14 *Qualitas approbati ad audiendas confeſſiones non requiritur actu in conſecutione beneficii, quando à Fundatore datur facultas habendi in hujuſmodi munere ſubſtitutum*.

15 *Qui non eſt legitimus contradictor excipere nequit adversùs præſentatum*.

DECISIO III.

JUs præſentandi, quod habet Communitas Oppidi de Yrun ad plura beneficia Eccleſiæ Parochialis dicti loci, exerceri conſuevit ex illius decreto anni 1556. à novem Officialibus ſingulis annis deputari ſolitis prævio juramento de eligendo perſonam habilem, juxta dictamen propriæ conſcientiæ, qui, occurrente aliquo vacationis caſu, vices Communitatis adimpleant, & coram Ordinario, prout de jure, ſuam expleant præſentationem.

Vacavit alterum ex his beneficiis de menſe Decembris anni 1715. & dicti Officiales paulò poſt ſeſe congregarunt ad faciendam nominationem, quia tamen concordes non erant circa perſonam nominandam, diverſimodè proceſſerunt: Quatuor enim ex eis præſentarunt Joſephum de Arbelaiz: alii verò quinque decreverunt eorum nomina, circa quos diù inter ſe diſſeruerant, in urna argentea deponere, exindeque per manum infantis ſchedulam extrahere, & eum, cujus nomen in ſchedula ſcriptum eſſet, habere pro præſentato.

Et quamvis alii quatuor Officiales, qui Joſephum concorditer, & legitimè jam nominaverant, proteſtati fuiſſent de nullitate præſentationis ita facienda per ſortes, adhuc commiſſa Notario fuit ſchedularum conſcriptio, deventumque extitit ad extractionem, ceciditque ſors ſuper

per

per Lazarum de Tompes, & cum dicti quinque Officiales haberi velle pro præſentato ſtatuerunt. Atque hunc agendi modum confirmarunt ſub die 6. Januarii ſubſequentis, quâ die rursùs congregati omnes fuerunt, decernendo, non obſtante novâ aliorum quatuor proteſtatione, *quod caſu quo eſſet valida præſentatio facta per ſortem ad favorem Lazari Tompes, illam ratificabant, & approbabant: Caſu verò, quo aliqua opponi poſſet exceptio adversùs dictam præſentationem tamquam factam per ſortem, iterùm præſentabant eumdem Lazarum.*

His peractis inſtructa fuit lis coram Ordinario inter Joſephum, & Lazarum prætenſores pro conſequenda ad Beneficium inſtitutione, ſed mediante ſententia definitum fuit, inſtitui debere Joſephum; nec diverſimodè hodie deciſum extitit in noſtro Tribunali; Propoſito namque dubio, in cujus reſolutione concordes Domini non fuerunt in Audientia diei 14. Martii elapſi anni, reſponſum fuit = *Inſtitutionem dandam eſſe Joſepho.*

1 Licèt enim primo aſpectu inſtitutionem ſibi promereri videretur Lazarus utì à majori Patronorum parte præſentatus, ad *Text. & gloſſ. in cap. quoniam de jurepatr.* adhuc tamen quia illius præſentatio nulla fuit, totum jus conſolidatum remanſit in aliis, qui ritè, & rectè Joſephum præſentarunt. *Rot. deciſ.* 82. *num.* 2. *par.* 7. *deciſ.* 352. *num.* 7. *par.* 16. *rec. in Leodien. Beneficii* 25. *Februarii* 1717. §. *Et nihilominus coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano, & in Rhegien. juriſpatr.* 16. *Januarii* 1708. §. *Tantùm autem coram bon. mem. Molines.*

2 Nullitas autem ejus præſentationis, quam pro ſe allegat Lazarus, non ex ea tantùm generali ratione deſumpta fuit, quod utpotè facta per ſortes eſſet in jure Canonico prohibita, ex *Text. in cap. fin. de ſortileg.* quem habere locum non in ſolis canonicis electionibus, ſed etiam in præſentationibus, ac nominationibus latè firmatum fuit *in Majoricen. Beneficii* 25. *Junii* 1699. §. *Arriſit coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano inter ejus impreſſas deciſ.* 95. *num.* 3. *&* 4. *confirmat.* 29. *Martii* 1700. §. *Ac propterea coram bon. mem. Muto*, in cujus deciſionis annotatione per eumdem Reverendiſſimum Decanum egregiè explicantur termini deciſionis *in Ariminen. Cappellaniæ coram bon. mem. Bourlemont impreſſ. deciſ.* 459. *par.* 19. *rec.* & pro parte Lazari allegatæ, verùm ex iis præcipuè hujus facti circumſtantiis, quæ rem in concreto perpenſam ponere videbantur extra difficultatem.

3 Ponderabant enim, quod novem Oppidi Officiales deputati ad faciendam præſentationem, hujuſmodi facultatem obtinuerant mediante mandato præſcribente certum modum faciendæ præſentationis, & hujuſmodi mandatum non ſolùm acceptarunt, ſed ad illius tenorem allata Cruce, eaque præ manibus habita in ſtrictioris quodammodo fidei expromiſſionem *jurarunt eligere Perſonas, quas in Domino, & juxta dictamen propriæ conſcientiæ habiles, & idoneas eſſe cenſerent* = Unde reſultat Officiales iſtos non eſſe directos Patronos, circa quos cadere poſſit quæſtio dictarum deciſionum, ſed Mandatarios Univerſitatis Patronæ, itaut ſi fines mandati exceſſerunt, aut à præſcripta facultate aberrarunt, actum omninò nullum expleverint ad *Text. in l. ſi Procurator C. de Procur. & l. ſi diligenter* 5. *ff. mandat. Bald. conſ.* 402. *num.* 3. *Rocc. diſput. Jur. cap.* 152. *nu.* 2. *Rot. cor. Coccin. dec.* 1849. *nu.* 3. *& dec.* 535. *nu.* 10. *&* 15. *par.* 19. *rec. tom.* 2.

4 Ad oſtendendum verò, quod mandati formam non ſervaverint ii quinque Officiales, quorum habet præſentationem Lazarus, ſatis eſſet ponderare mox relata juramenti verba, ex quibus in aperto eſt eorum unumquemque ſingulariter ſuſcepiſſe obligationem nominandi Perſonam idoneam, & habilem *juxta dictamen propriæ conſcientiæ*, id, quod committendo ſorti extractionem unius Perſonæ ex pluribus, inter quas magìs, & minùs habiles, & idoneæ eſſe poſſunt, non videtur fuiſſe ſervatum, quia cæca ſors, & fallax
5 in minus idoneos ſæpè tranſcurrit, & aliquando etiam indignos promovet: Argumento *Text. in cap. fin. de purgat. vulgar. Joannes Andreas in cap. fin. de ſortileg. n.* 6. *Gonzal. ibidem nu.* 8. *& Barboſ. nu.* 3. ibi = *qui ſorte eligitur humano judicio non comprehenditur, quia cæca ſors eſt, & fortuna, quæ ſæpè indignos promovet, & dignos premit &c.* cum aliis apud *Reverendiſſimum Decanum d. deciſ.* 97. *nu.* 14. *& ſeqq.*

Ac etiam quia committere judicio ſortis electionem, idem eſt, ac eligere alieno judicio, ut eſt illud fortunæ, non autem eligere juxta dictamen propriæ conſcientiæ, quod non aliter, quam per viam votorum adimpleri poteſt.

6 Confirmatur tamen ulterius mandati exceſſus ex eo, quia fuiſſe ex mente Communitatis clarè ex eodem mandato, & deputatione comprehenditur, quod nominatio, & electio alio modo fieri ab ejus Officialibus non poſſet, quam ſingulariter ſuffragia ferendo, & votando: pactum enim fuit, *quod iidem qui ſupra* (ſunt verba mandati) *votarent*, *& præſentarent*, *ſicut in Domino expediens ſibi videretur* = & rurſus = *facultatem impartiti fuerunt dictis novem Votantibus*, *ut modo præmiſſo procederent ad præſentationem &c.* Et demum volendo ibi = *quod Obtinentibus majorem partem dictorum novem votorum Beneficia præfata*, *& Rectoria conferrentur* = Unde tantò minus poterant omittendo ferre ſuffragia, & proprium pandere judicium fortuito ſortis caſu committere nominationem, in qua facienda eorum induſtriam, & conſcientiam Communitas elegerat, ad *Text. in cap. final. §. Is autem de off. delegat. Vant. de nullit. ex defectu juriſdict. deleg. nu.* 21. *verſ. ſeu dictum fuiſſet*, *Menoch. de arbitr. caſ.* 68. *num.* 18. & plenè *Rot. deciſ.* 208. *num* 36. *& ſeqq. & num.* 54. *cor. Dunoz. jun.* Itaut dubio procul quoties Deputatis commiſſa electio fuerat certa forma eis præſcriptâ, ſcilicet per viam votorum juxta dictamen propriæ conſcientiæ, & prout expediens in Domino eis viſum fuiſſet, hac forma ad unguem non ſervata, actus remaneat inevitabiliter nullus ex defectu mandati *Mantica de Tacit. lib.* 7. *tit.* 15. *nu.* 3. *&* 7. *Modernus Aſculan. deciſ. Florent.* 28. *nu.* 3. *& Rocc. diſput. jur. d. cap.* 152. *nu.* 2.

Ex his facti circumſtantiis inutilis redditur, & alia per Partes aſſumpta diſputatio; Utrum licuerit ex conſuetudine Hiſpaniæ, (quæ cæteroquin nequidem probabatur, prout neceſſe fuiſſet) devenire per ſortes ad præſentationem, vel ſaltem excuſarentur ratione ignorantiæ à
7 nullitate Officiales ita præſentantes: Quia ſi non uti Patroni, ſed Mandatarii præſentarunt, non ex generali conſuetudine, ſed ex mandato legem ſibi habere debebant, & ſi nullitas provenit, ex quo peccarunt contra formam mandati, & commiſſionis habitæ à Communitate Patrona, talis exceſſus ſcienter dicitur commiſſus contra legem, ex qua jus deſumebant, & quam ignorare non valuerunt, itaut nullam promereri valeant excuſationem: *Gloſſ. in cap. innotuit verb. ignorantiam de elect. Rocc. de Curt. de jurepat. in verb. honorificum nu.* 17. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 18. *num.* 6. *Rot. in Volaterrana Beneficii* 7. *Decembris* 1708. §. *Nulla coram R.P.D. meo Criſpo*, *& in Tarraconen. Beneficii* 19. *Januarii* 1712. §. *Prout etiam coram Me*. Quid autem dicendum erit, quando etiam Officiales ita nulliter procedentes moniti de tali nullitate fuerunt, & interpellati ab aliis forma debita præſentationem fieri debere contendentibus, & ſortis experimento contradicentibus in modum, ut ſtante hujuſmodi contradictione nequidem ſit allegabilis obſervantia pro parte Lazari ex ſtatu anni 1713. in quo per ſortes pariter proceſſum extitit; quia nemo tunc contradixit, & in præſentatione coram Ordinario facta ſortis experimentum expreſſum non fuit, & fortaſſe non fuiſſet ab illo admiſſum, ut in præſenti contigit, & ſic remanſit actus ſubreptione infectus, & non attendendus, quando adfuit contradictio ad *Regul. de qua deciſ.* 227. *num.* 9. *par.* 18. *recent.* & paſſim.

8 Abſque eo quod ſuſtineri ſaltem præſentatio ex eo promereatur, quod ad illam per ſortes deventum fuerit in concurſu tantùm duarum perſonarum, quæ æquè habiles, atque idoneæ fuerant jam antea ab Officialibus dijudicatæ: Quia præterquamquod eſt etiam in tali caſu inter Doctores controverſia utrum id liceat, ſicut refert *Reverendiſſimus Decanus in allegat. deciſ.* 95. *num.* 17. *circa finem*, non exinde evitatur exceſſus commiſſionis habitæ procedendi per vota, & ſuffragia, dum præſertim inter æquè dignos concurrentes ad Beneficium conſequendum connumerari debebat etiam Joſeph ab aliis Patronis nominatus, qui tamen ab aliis quinque Officialibus poſthabitus fuit, & erat Sacerdos antiquior, & diutius Eccleſiæ inſerviverat: Unde ceſſat quoque in facto ſuppoſita meritorum æqualitas, & advertit *Rota d. deciſ.* 95. *num.*

num. 18. *cor. Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano.*

Neque ſui juris præſidium deducere poteſt Lazarus ex ſecundo actu, ad quem devenerunt quinque Officiales ejus fautores ſub die 6. Januarii, exinde inferendo, quod non tantùm habet pro ſe dictam præſentationem, ſeu electionem factam per ſortes, ſed etiam aliam præſentationem extra quamcumque fortunæ aleam de ſe factam: Probè namque, & maturè inſpecta qualitate iſtius ſecundi actus cenſuerunt eodem modo Domini, quod remaneret inefficax. Tum ex quo, dum
9 nulliter elegerunt abutendo poteſtate ſibi tradita, quam ſciebant, & ſcire tenebantur, ac de facto ſervare juraverant, dicuntur in culpa, & mala fide, & pro ea vice eligendi poteſtatem amiſerunt, ut paſſim habetur de Patronis præſentantibus contra legem fundationis apud *Vivianum de jurepatronatus p.* 2. *lib.*6. *cap.*7. *nu.*69. *Maranta reſponſ.*28. *nu.*8. *& ſeqq. lib.*3. *Tondut. quæſt. Benef. par.* 1. *cap.* 118 *num.*32. *Lotterius de re benef. lib.*2. *qu.* 18. *num.* 6. & in puncto advertit *Reverendiſſimus Decanus in adnot. ad ſæpecitatam deciſ.* 95. *num.* 26. Tum ex quo facta legiti-
10 mè per alios Compræſentantes nominatione cum proteſtatione nullitatis adverſùs eos, qui præſentationem per ſortes facere intendebant, vox eorum qui nulliter, & culposè ad actum præſentationis devenerunt, cæteris accrevit vocalibus minorem partem conſtituentibus, fuitque jus quæſitum ab iſtis nominato, & præſentato, ut per *Text. in cap. gratum de poſtulat. Prælator. & gloſſ.* 161. *verb. pauciores* probant *Barboſ. de jure Eccleſ. lib.*1. *cap.*19. *num.*83. *& ſeqq. Lavor. de elect. cap.*21. *num.*47. *Paſſerin. eodem tract. cap.* 31. *num.* 3. 4. *&* 8. & cum aliis *Rota in allegata Rhegien. Juriſpatronatus* 16. *Januarii* 1708. §. *Tantum coram bon.*
11 *mem. Molines*, & non potuerunt propterea in præjudicium juris quæſiti alteri ab illis legitimè, & cum dicta nullitatis proteſtatione nominati, devenire alii ad novam præſentationem, ut docent *Hoſtien. in cap. quia propter de elect. num.*59. *citat. Paſſerin. de elect. cap.* 18. *num.* 39. *Sperell. deciſ.*180. *num.*21. *&* 22.

Tum demùm etiam ex quo, & iſta nova præſentatio fuit nulla, utpotè facta non ſervata forma mandati ſuis Officialibus à Communitate traditi, dum prætermiſerunt præſtare juramentum de idonea, & habili perſona juxta dictamen propriæ conſcientiæ eligenda, quod quidem juramentum præſtandum toties erat, quoties ad actum electionis Officiales devenire intelligebant, itaut rectè liceret arguere, quod aut iſte actus fuit nova præſentatio, & utì talis fieri non poterat, niſi nulliter, omittendo præſtare dictum juramentum in commiſſione Officialibus data præſcriptum juxta auctoritates ſuperiùs allegatas §. *Ponderabant*; Aut iſte actus fuit confirmatio primi (ſicut de facto erui videbatur ex ejus tenore ſupra relato) & pariter nullo modo ſuſtineri poteſt, quia
12 vitium primæ electionis nullitatem influit in ejus ratificationem ad *Text. in l. fin. C. de novat. Surd. conſ.* 385. *num.*19. *Cyriac. contr.*442. *num.*43. *Rota deciſ.*362. *num.*8. *coram Royas, & deciſ.*1284. *num.*1, *coram Emerix jun. & deciſ.* 61. *num.* 8. *coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano.*

Quibus ita firmatis, & omiſſo etiam examine neceſſitatis, quam habuiſſet Lazarus reportandi conſenſum à Magiſtratu Civitatis de Fuenterravia juxta concordiam in *Summario primæ propoſitionis nu.*1. *lit. F.* nullatenus immorandum Domini putarunt in aliis exceptionibus, quas idem Lazarus adversùs Joſephum proponebat quoad legitimitatem natalium, & defectum approbationis ad audiendas
13 confeſſionés: Et enim quoad primam habet idem Joſeph diſpenſationem Apoſtolicam, quæ proculdubio omne tollit juris obſtaculum; *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæſt.*40. *num.*167. *Rota deciſ.* 187. *nu.*11. *& ſeqq. coram ſan. mem. Alexandro VIII.*
14 *& deciſ.*353. *num.*3. *par.*19. *rec.* Quo verò ad ſecundam qualitas approbati ad confeſſiones audiendas actu non requiritur, dum præſertim datur facultas in hujuſmodi munere habendi Subſtitutum, ut in *Summario d. primæ propoſitionis num.* 5. *lit. K* ideoque ex hujuſmodi defectu nullum Præſentato jus tollitur juxta firmata in ſimilibus terminis *Sacerdotii. deciſ.*885. *per tot. coram Merlin. in Melevitana Beneficiorum* 16. *Junii* 1710. §. *Neque præmiſſis coram R.P.D. Falconerio almæ Urbis Gubernatore, & in Melphiten. Beneficii* 21. *Junii*

nii 1712. §. Quin potius, & 5. Decembris ejuſdem anni §. Sedulò cor. Me.

15 Ceſſantque totaliter omnes iſtæ, aliæque conſimiles exceptiones à Lazaro deductæ ea animadverſione, quod cum ipſius præſentatio fuerit nulla juxta ſuperiùs firmata, & ſic nullum habeat titulum vigore cujus concurrat cum Joſepho habente legitimam præſentationem, non licèt ei tales exceptiones allegare, quia non eſt adversùs illum legitimus Contradictor juxta *Bartoli doctrinam in l. fin. ſub nu.21. C. de edicto Divi Adriani tollendo*, & in his terminis deducta *dec. 187. num.10. coram ſan. mem. Alex. VIII. dec. 370. num.15. & dec.385. num.39. & 41. par. 19. rec.* Et ita utraque &c.

R. P. D. CERRO

Eſſendien. Præpoſituræ.

Lunæ 6. Februarii 1719.

SUMMARIUM.

1 *Ultimus ſtatus in judicio petitorio non eſt attendendus.*

2 *In qualibet domo Regulari de jure eligi debet in Superiorem aliquis de gremio, & familia.*

3 *Conſtitutio, ut Abbates eligantur ex propria Congregatione, eſt juris poſitivi.*

4 *Lex fundationis, ac conſuetudo jus poſitivum vincere poſſunt.*

5 *Præpoſita Collegii Rellhingauſen. præeligenda eſt ex gremio Collegii Eſſendien. tum ex lege fundationis, tum ex conſuetudine.*

6 *Scripturæ, licèt informi, & abſque die, conſule, & anno, an, & quando plena fides ſit adhibenda.*

7 *Hiſtoricis plenam notitiam habentibus rerum geſtarum eſt deferendum.*

8 *Legalitas inſtrumenti fundationis in Archivio reperti, ex quibus probata dicatur;* & num.9.

10 *Ad hoc, ut una Eccleſia teneatur eligere Prælatum de gremio, ſeu Collegio alterius ſufficit ſola conſuetudo quadragenaria.* Amplia, ut num. 11.

12 *Actus electionis Prælati extra gremium Eccleſiæ æquivocus, aut ſublatus à contraria conſuetudine, eſt inefficax.*

13 *Actus electionis Prælati extra gremium Eccleſiæ, impugnatus, & confirmatus cum præſervativa jurium nequit legitimè ultimum ſtatum efformare pro ſubſequentibus vacationibus.*

14 *Jus paſſivæ electionis Superioris favore unius Collegii lege fundationis conſtitutum, & obſervantiæ diuturnitate confirmatum tolli nequit à depoſitionibus contrariis particularium perſonarum alterius Collegii.*

DECISIO IV.

Capitulares utriuſque ſexus Collegii Rellhingauſani confiſæ privilegio illi, quod pro electione Præpoſitæ reſultare authumarunt ab ultimo ſtatu electionis ſecutæ in perſonam Annæ Iſabellæ Baroniſſæ de Welburgh., cùm nuper per illius obitum dictæ Præpoſituræ vacatio contigerit, ejus loco Mariam Geltrudam à Wenge de Stochum elegerunt: At actui iſti illico ſe oppoſuit Abbatiſſa Collegiatæ Eccleſiæ Eſſendien. validiori fulcita titulo, quem pro paſſiva electione alicujus ex proprii Collegii Canoniſſis tribuebat diuturnæ conſuetudinis auctoritas, ipſaque primævæ fundationis lex; Qua propterea delata controverſiæ diſcuſſione ad Tribunal Nunciaturæ Colonien. varium prodiit Judicium: Nam anno 1713: à tunc temporis Adminiſtratore dictæ Nunciaturæ nil aliud reſolutum fuit, niſi Capitulares Rellhingauſanas cogi non potuiſſe ad eligendam in Præpoſitam unam ex Capitularibus Eſſendien., niſi idem Capitulum meliùs, quam uſque tunc probaſſet ad hoc teneri ex lege fundationis; Modernus verò Reverendiſſimus Nuncius anno 1716. prævia infirmatione memoratæ ſententiæ pronunciavit illas teneri, & obligatas eſſe ad eligendam in Præpoſitam earum Collegii unam de gremio Eccleſiæ Eſſendien., juſtitiæque hujus poſtremæ ſententiæ adhæſit etiam hodie Sacri Auditorii determinatio, ad quod ope appellationis devoluta fuit; Nam cùm exquiſiverim, an electio ſuſtineatur, ſeu potiùs ſit eligenda perſona de gremio Capituli Eſſendien., negativè quoad primam partem, affirmativè verò quoad ſecundam reſponſum fuit.

1 Præmiſſo enim, qnod pro deciſione con-

concordati dubii reſpicientis jus eligendi nulla legitima regula deſumi poterat ab ultimo ſtatu, utpotè qui quomagis attendendus eſt in Judicio merè poſſeſſorio, eò minùs vires porrigere poteſt ad Judicium petitorium, quod ab examine tituli, & à boni Juris præponderantia in totum firmatur, & conſtabilitur, ut pluriès declaravit *Rota*, præſertim *in Firmana Juriſpatronatus* 21. *Aprilis* 1704. §. *finali coram bon. mem. Muto*, *& in Imolen. Juriſpatronatus* 27. *Januarii* 1710. §. *Abſque eo quod coram R.P.D. meo Lancetta*, *& in Bononien. Juriſpatronatus* 11. *Januarii* 1717. §. *Hæc autem cor. R.P.D. meo Criſpo*, *& in Colonien. Paſtoratus* 20. *Junii anni præteriti* §. *Quin in illarum in fine cor. Me*; Perſpicuum reddebatur, iſtud bonum jus pro electione paſſiva Præpoſitæ undique
2 Collegio Eſſendienſi patrocinari. Quippe tametſi de jure ſit, quod in qualibet domo Regulari in Superiorem eligi debeat aliquis de gremio, & familia, tanquam perſonarum morum magìs inſtructus, magìſque ideo aptus ad familiæ regimen, & gubernaculum, ut habetur ex *cap.* 1. *de elect.* & *in Canon. Quam ſit neceſſarium* 5. *cauſ.* 18. *quæſt.* 2. & *Canon.* 14. *diſtinct.* 61. & concordat *Text. Cæſareus in l.* 47. *verſ. Sacris noſtris legibus Cod. de Ep. & Cler.* & tradunt *Fagnan. in cap. cùm dilectus num.* 10. *de conſuetud. Vvan. Eſpen. in jus Eccleſ. univerſ. par.* 1. *de Monaſter. ſuper cap.* 8. *num.* 3. *tom.* 1. attamen cum di-
3 cta Conſtitutio, ut Abbates eligantur ex propria Congregatione ſit juris poſitivi, & æquè lex fundationis, ac conſuetudo jus poſitivum vincere poſſint, ut de prima propoſitione firmant *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 109. *Monet. de commut. ultim. volunt. cap.* 10. *num.* 258. *Pax Jordan. tom.* 2. *lucubrat. lib.* 10. *tit.* 26. *nu.* 1. & de ſecunda eſt *Text. in cap. final. de conſuet.* rectè tam ex iſta fundationis lege, quàm ſub hujus conſuetudinis auctoritate introduci potuit, ut Præpoſita Collegii Rellhingauſen præeligenda ſit ex gremio Collegii Eſſendien. cùm ad hunc effectum ſatis omnino ſit ita ſervatum fuiſſe per ſpacium 40. annorum, juxta ſolemne decretum Innocentii III. *in cap. cùm dilectus de conſuetud.* approbatum à Clemente III. *in cap. Abbate de verb. ſignific.* ac firmant *Panormitan. in d. cap. cùm dilectus num.* 1. *ibique Butr. & Barboſ. una cum Fagnano pariter num.* 1. *Gonzal. Tell. num.* 14. *Lavor. de elect. tit.* 4. *cap.* 16. *nu.* 1. *Paſſerin. de elect. cap.* 2. *num.* 45. *& ſeq. Caſtellin. eod. tit. cap.* 9. *num.* 36. *Donat. tom.* 2. *tract.* 1. *de elect. quæſt.* 10. *num.* 2.

Quod verò lex iſta præponendi Collegio Rellhingauſen aliquam ex gremio Collegii Eſſendien appoſita fuerit in ipſa fundatione Collegii expleta à Methilde Imperatoris Octonis II. filia, colligebatur ex quodam antiquiſſimo monumento ibi = *Eadem hæc Abbatiſſa Methildis Cœnobium Puellarum modò Collegium Nobilium Virginum in Rellhingauſen in honorem Sanctæ Crucis; & Lamberti Epiſcopi perpetuis temporibus fundavit, & magnis proventibus dotavit diſtrictus Eſſendien, cui unam ex Monaſterio Eſſendienſi Matricis Eccleſiæ tanquam Præpoſitam præeſſe ſemper voluit,*
6 *& ordinavit* = Nec ambigendum eſt, quod eidem ſcripturæ, licèt informi, & abſque die, conſule, & anno, plena fides eſſet adhibenda, dum in publico Eſſendienſi Archivio reperitur aſſervata, eique famulata deinde fuit uniformis, ac longæva obſervantia, licèt originale, vel temporis, vel ignis edacitate peperditum non exhibeatur, ut paſſim ſimiles ſcripturas admiſit *Rota* ſignanter *coram Pro-Patruo meo deciſ.* 744. *num.* 8. *& in Bononien. Juriſpatronatus de Ghisleriis* 31. *Januarii* 1695. §. *Vis verò coram bon. mem. Pio*, *& in Cremonen. Beneficii* 3. *Decemb.* 1706. §. *Et ſinè difficultate cor. R. P. D. meo Lancetta*, *& in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Abſque eo quod coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano.*
7 Et quantumvis in linea obſervantiæ plurimùm realitati dictæ fundationis favere poſſet teſtimonium Gabriel. Buccellin. Ordinis S. Benedicti *in tract. Germ. Topocronoſt. tom.* 2. *par.* 2. *fol.* 143. *&* 144. ubi recenſuit, enunciatam fundationem factam à Methilde ſub eiſdem verbis relatis in hoc vetuſtiſſimo exemplari, cùm novum non ſit, non parùm ſimilibus Hiſtoricis deferri plenam notitiam habentibus rerum geſtarum, quas in lucem mandarunt per ea, quæ dixit *Rot. coram Arguell. deciſ.* 20. *cum duobus ſequent. & in Placentina Cathedralitatis* 22. *Junii* 1703. §. *final. coram bon. mem. Molines*, *& in Nullius, ſeu Fulden. Juriſdictionis* 27. *Aprilis* 1705. §. *Deni-*

§. *Denique coram eodem*, & 1. *Junii* 1718.
8 §. 92. *cum ſeq. coram Reverendiſs. D. meo Anſaldo*, adhuc majus illi pondus ſuperaddebant geminæ judiciales confeſſiones emiſſæ à toto Collegio Rellhingauſano annis 1652. & 1653. in quarum utraque palàm omnes faſſæ fuerunt Præpoſitam eligendam eſſe de gremio Eccleſiæ Eſſendienſis *juxta fundationem*: Nemo namque non ſcit quantùm efficaciæ ſibi uſurpet geminata iſta, judicialiſque confeſſio, nè ampliùs, neque à ſucceſſoribus onus hoc famulativè ad fundationem ultrò, citròque agnitum valeat in controverſiam revocari, *Rot. in Eſſendien. Juriſdictionis ſuper bono jure* 28. *Junii* 1717. §. *Hæc igitur coram Me*.

9 Verùm enim verò omne excellit probationis genus longæva ea, uniformiſque obſervantia centenariæ metam ferè attingens, ac novem proviſiones hujus Præpoſituræ includens, juxta quam quantùm datum fuit remeare ſpatia præteriti temporis ab anno ſcilicet 1523. uſque ad annum 1639. ſemper in Præpoſitam hujus Collegii adſcita fuit aliqua de gremio alterius Collegii Eſſendien. Ex hac autem adeò conſtanti obſervantia adhæſivè ad enunciatam legem fundationis non ſolùm vindicata plenè videri poteſt omnimoda legalitas controverſi inſtrumenti fundationis in Archivio reperti, ut dixit *Rot. in Florentina Canonicatuum* 8. *Maji* 1705. §. *Etenim coram R.P.D. meo Lancetta*, & *in Theatina Juriſdictionis* 14. *Maji* 1708. §. *Et licèt coram Eminentiſs. Scotto*, cùm tanta actuum multiplicitas, tantique temporis decurſus nequaquam ſinant hujuſcemodi proviſiones referri ad titulum facultativum, ſed ſint præſumendæ in vim illius Juris coactivi, quod à præeſiſtente lege fundationis proficiſcebatur ex animadverſis per *Rot. in Mantuana bonorum* 14. *Januarii* 1707. §. *Nec porrò cor. bo.me. Molines*, & 7. *Maji* 1708. §. *Quandoquidem cor. Reverendiſſimo D. meo Aldrovando*, & 12. *Aprilis* 1709. §. *Et quamvis cor. bo.me. Kaunitz*, ſed etiam efficax ſubminiſtrat fulcimentum pro altera limitatione ſuperadditæ aſſertionis, ut videlicet ea attenta cenſeatur legitimè indu-
10 cta obligatio, ut una Eccleſia teneatur eligere Prælatum de gremio, ſeu collegio alterius; cùm ad iſtum effectum ſola conſuetudo quadragenaria ſatis ſit, ut ex *cap. cùm dilectus de conſuet.* & *cap. Abbate de verb. ſignific.* tradunt auctoritates ſupra relatæ *in* §. *Præmiſſo in fin.*

11 Cujus quidem obſervantiæ virtus non adeò ſiſtit in actuum multiplicitate, ut majorem efficaciam non acquiſiverit ab eorumdem qualitate, & pondere; Nam præ cæteris, ubi anno 1605. obtigit ſexta vacatio, in partes ſciſſa fuere Electricium Collegii Rellhingauſani ſuffragia, dum earum nonnullæ in Præpoſitam poſtulaverunt Agnetem de Lymburg, quæ non erat de gremio Eccleſiæ Eſſendien, aliæ verò elegerint Mariam Claram de Spaur Canoniſſam Eſſendien, exortiſque ideò ſuper hac electione diſſidiis ob oſtaculum illud, quod Agneti præſtabat defectus requiſitæ qualitatis, ut colligi poteſt ex epiſtolis Abbatiſſæ Eſſendien., & dictæ Agnetis exhibitis *in Summ. nu.* 10. *lit. A.* & *nu.* 11. *lit. C.* tametſi Abbatiſſa Eſſendien, ad quam electionis confirmatio pertinebat, omnem navaverit operam, ut electio ſequeretur de eadem de Lymburg ipſius Amita, vicit nihilominus ſententia pro memorata de Spaur, ipſaque utì de Capitulo Eſſendien præfatam Præpoſituram conſecuta fuit, quam ſubinde anno 1618. liberè reſignavit, ut latè recenſetur in Bulla, adeòut inſpecta iſtiuſmodi actus contradictione vix dubitandum remaneat controverſum Jus coactivum fuiſſe validius conſtitutum, ut in proximis terminis Juriſpatronatus paſſivi cenſuit *Rota in Tuden. Parochialis de Reverteme* 25. *Junii* 1708. §. 3. *cum ſeq. cor. Reverendiſs. D. meo Anſaldo Decano*, 7. *Decembris ejuſdem anni* §. *Tum quia coram R.P.D. meo Lancetta*, & conferunt etiam tradita *in Saltsburgen. Vicariæ* 31. *Januarii* 1714. §. *Nec ſiquidem cor. R. P. D. meo Falconerio Urbis Gubernatore*, & 4. *Februarii* 1715. §. *Ponderato coram R.P.D. meo Criſpo*, & 30. *Aprilis* 1717. §. *Quandoquidem cum ſeqq. coram R. P. D. meo Foſcaro*.

12 Citra quod ejuſdem obſervantiæ vis in aliquo elideretur ex gemino actu electionis in oppoſitum adducto de Præpoſita extra gremium Eccleſiæ Eſſendien, quoniam ille ſecutus anno 1345. præter illegalitatem documenti, à quo deſumebatur, detectus fuit undique inefficax, ſive quia

quia procedere potuerit ex diſpenſatione, & voluntaria permiſſione Capituli Eſſendien pro illo actu tantùm; vel quia omnimodè ſublatus fuerit à poſteriori conſuetudine in contrarium obſervata per annos ferè 100. adimente vi ſua quamcumque antecedentem interruptionem, ut reſpondit *Rot. in dicta Salisburgen. Vicariæ* 31. *Januarii* 1714. §. *Nec in aliqua cor. R.P.D. meo Falconerio, &* 4. *Februarii* 1715. §. *Abſque eo quod cor. R.P.D. meo Criſpo, &* 30. *Aprilis* 1717. §. *finali coram R.P.D. meo Foſcaro.* Alter verò anni 1648. electioni Eliſabethæ de Welt-
13 bruch; ſuper quo Scribentes pro Collegio Rellhingauſano conabantur ultimum ſtatum conſtituere nullius roboris comperiebatur, nedum quia ſeriò inpugnatus fuerat à Capitulo Eſſendien, ſed etiam quia in actu confirmationis præſervata noſcebantur Capituli Eſſendien jura, eademque præſervativa clariùs repetita fuit in ſucceſſiva concordia inita anno 1669. à dicto Collegio Eſſendien cum memorata Weltbruch, pro electionibus in futurum ſequendis; cujus præſervativæ natura ea eſt, ut Collegii jura ita immunia tueantur à quocumque præjudicio, ut ſimilis actus neque valuerit legitimè ultimum ſtatum efformare pro ſubſequentibus vacationibus, ad conſtantem propoſitionem, de qua *Corrad. in prax. Benefic. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 14. *Vivian. de jurepatr. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 12. *Rota in recent. deciſ.* 96. *nu.* 15. & 17. *par.* 13. *& dec.* 290. *nu.* 10. *par.* 18. *& in Aretina Jurium Parochialium ſuper manutentione* 1. *Julii* 1701. §. *Nec dictum coram Reverendiſſimo dell' Olmo.*

Minoriſque roboris erant pro dicto effectu duo illa teſtimonia, quorum primum exaratum fuerat ab Eliſabetha de Manderſcheid anno 1561., aliud verò à Margharita de Manderſcheid in Geroſtein, abſque tamen milleſimo, quarum utraque erant de Capitulo Eſſendien; Præterquamquod enim illorum primum factum dignoſcebatur in gratiam Collegii Rellhingauſani, ut in dictæ teſtis perſonam caderet Præpoſitæ electio, prout effectus triennio poſt ſecutus demonſtravit, & ſecundum nil concluderet ad intentum, cùm contineret tantummodo jus activum eligendi Præpoſitam ſpectans ad antedictum Collegium Rellhingauſanum, quod eſt omnino diverſum à jure paſſivo, ſuper quo præſens agitur controverſia;

14 Adhuc pro utroque penitùs eliminando ſatis erat ea generalis animadverſio, quod jus Capituli Eſſendien fundationis lege conſtitutum, & obſervantiæ diuturnitate confirmatum haud tolli valebat à ſimilibus depoſitionibus perſonarum particularium dicti Collegii, quæ ideo nullatenus debent attendi per ea, quæ advertit *Rot. in Caſtellana validitatis concordiæ, ſeu bipartitæ* 12. *Januarii* 1705. §. *Sicut etiam, & in Gerunden. Anniverſariorum de Guizzolis* 14. *Martii* 1710. §. *Reincidebat coram Reverendiſſ. D. meo Anſaldo Decano.*

Et ita utraque &c.

R. P. D. FOSCARO

Leodien. Cappellaniarum ſuper bono Jure.

Lunæ 27. *Februarii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Cappellaniæ merè laicales non erectæ auctoritate Ordinarii, de jure præſumuntur amovibiles.*

2 *Cappellani aſſumpti ad exercendam curam Animarum ſunt amovibiles.*

3 *Cappellaniæ merè laicales ex lege fundationis poſſunt eſſe perpetuæ.*

4 *Prætendens Cappellaniam merè laicalem eſſe perpetuam, tenetur id concludenter probare.*

5 *In conflictu probationum hinc inde, ſeu in dubio Judex inclinare debet pro amovibilitate Cappellaniæ merè laicalis.*

6 *Cappellaniam merè laicalem eſſe amovibilem, ex quibus probetur*; & num. 7. 8.

9 *Obſervantia eſt optima interpres legis fundationis.*

10 *Subreptio confirmationis Apoſtolicæ ſtatutorum Eccleſiæ, ex quibus excludatur.*

11 *Cappellaniæ etiam amovibiles poſſunt quandoque in perpetuum conferri.*

12 *Cappellaniam merè laicalem eſſe perpetuam deduci non poteſt ex reſolutionibus, ſeu regulamentis editis ab Univerſitate Patrona; quando iſta deteguntur ineffectuata.*

13 *Diſpoſitiones, ſeu regulamenta facta ab Adu-*

Adunantia minùs legitimè congregata, adversùs Eccleſiæ conſtitutiones, & conſuetudines, non ſunt attendenda.

14 *Laicis permiſſum non eſt Eccleſiæ, aut alterius loci pii leges, Apoſtolica, vel Ordinaria auctoritate confirmatas intervertere.*

15 *Quis eſt citandus quando agitur de ejus principali intereſſe, & præjudicio.*

16 *Actus unicus amotionis Cappellani, ceſſante cauſa ſpecialis remotionis, confirmat generalem facultatem removendi.*

17 *In facultativis per non uſum, nullum inducitur præjudicium, niſi ſimul concurreret impedimentum cum ſubſecuta acquieſcentia.*

18 *Clavium dimiſſio, & reconceſſio facta à Cappellano demonſtrat illius amovibilitatem*; Amplia ut ibi.

DECISIO V.

Moderni Cappellani Parochialis Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Leodii, poſthabita eorum deputatione à Curia Inſignis Hoſpitalis Sancti Abrahami ejuſdem Civitatis ad merum officium deſervitorium, & amovibile reportata, neglectaque etiam ejuſdem amovibilitatis recognitione quolibet die Cinerum exponi ſolita, mediante Clavium reſtitutione, ordinationibus ejuſdem Curiæ parere recuſantes geminas excitarunt prætenſiones; Alteram circa Cappellaniarum perpetuitatem, & alteram, quoad adminiſtrationem bonorum, & reddituum earumdem Cappellaniarum; Cùmque poſt varia decreta in partibus lata, cauſa tandem ex reſcripto Signaturæ Juſtitiæ integrè ad Sacram Rotam conſcenderit, tria ſubſcripſi dubia, primum ſuper bono jure = *An ſcilicet Cappellaniæ, de quibus agitur, eſſent perpetuæ, vel amovibiles* = ſecundum ſuper jure adminiſtrandi nempe = *An, & cui competeret Jus adminiſtrandi bona Cappellaniarum* = & tertium = *ſuper manutentione* à Cappellanis ipſis prætenſa in earumdem Cappellaniarum poſſeſſione, eorumque primis hodie propoſitis, Domini ſolidiora cenſentes Jura favore Curiæ deducta, quoad perpetuitatem, & amovibilitatem, reſponderunt = *Cappellanias eſſe amovibiles*.

1 Ea moti ratione, quia agitur de Cappellanis ſimpliciter ad celebrationem Miſſarum, & ad recitandas horas canonicas aſſumptis à Miniſtris Hoſpitalis, abſque ullo collationis, aut inſtitutionis titulo ab Ordinaria authoritate procedente; Unde, non conſtito de fundatione indicante perpetuitatem, de jure præſumendi erant amovibiles ad nutum eligentium, juxta doctrinam *Text. in cap. ad hoc in fine de offic. Archid.* & communiter tradunt *Gonzal. ad regul.8.Cancell. gloſſ.5. nu.11. alter Gonzales in cap. de nobis nu. 3. de Cleric. Garz. de Benef.lib.1. cap.1.n.61. Amoſtaz. de cauſ. piis lib. 3. cap. 1. num.8. Card. de Luc. de canon. diſc.18. nu. 13. Rot. coram Peutinger. deciſ. 15. num.46. & ſeq. in recent. deciſ.466. nu.19. & ſeq. par. 19. & in Auguſtana Summæ Cuſtodiæ ſuper ſecundis literis 22. Junii 1715. §. Deficere, & 15. Maji 1716. §. Non attenta coram R.P.D. meo Falconerio Almæ Urbis Guber-*

2 *natore*, & in fortioribus terminis, Cappellanorum ſcilicet adſcitorum ad exercendam Animarum curam, quæ in præſenti totaliter apud Parochum reſidebat, plenè firmavit *Rota in Bononien. Parochialis 6. Maji 1715. §. Expediti coram Eminentiſſimo Scotto confirmat. die 10. Februarii 1716. §. Valdè etiam coram R.P.D. meo Cerro, & die 21. Decembris ejuſdem anni §. Hæc autem cor. Me.*

3 Non attenta reſponſione, quod præciſivè etiam ab inſtitutione Ordinarii Cappellaniæ merè ſæculares, ad inſtar aliorum officiorum, & munerum, adhuc poſſint eſſe perpetuæ, ut teſtatur *Amoſtaz de cauſis piis lib. 3. cap.2. num. 1. Gonzales ad regul. 8. Cancell. gloſſ.5. nu.50. Leon. de offic. Cappell. quæſt. 3. ſect.3. nu.39. Garz. de benef. par.1. cap.2. num.102.* & firmavit *Rota in dicta Auguſtana Summæ Cuſtodiæ ſuper ſecundis literis 22. Junii 1715. §. Neque refert, & 15. Maji 1716. §. Neutiquam coram R.P.D. meo Falconerio.* Quoniam licèt Juris cenſuræ non repugnet ſimilium Cappellaniarum perpetuitas introducta ex fundatione, aliiſvè titulis à lege approbatis, eis tamen minimè exhibitis, & ſic Cappellaniarum ſtatu ad dubietatem redacto, præſumptio viget pro amovibi-

4 litate, adeòut vel qui de perpetuitate contendit, illam teneatur oſtendere per probationes concludentes, vel in pari cauſa, & in conflictu probationum pro amo-

amovibilitate inclinare debeat arbitrium Judicantis, ut, expendendo effectum præſumptionis Juris, explicant *Innocent. in cap. audiſtis nu. 3. de præſcript. Card. de Luc. de cred. diſc. 135. num. 15. Rota apud Poſth. de manutent. deciſ. 64. num. 1. coram Buratt. deciſ. 572. num. 14. & in recentior. deciſ. 429. num. 5. par. 19.* & in terminis monent *Lap. allegat. 67. num. 6. Lotter. de re benef. lib. 1. quæſt. 5. num. 58. Corrad. in prax. benef. lib. 9. cap. 6. num. 261.* & egregiè *Rct. ad ornatum Card. de Luc. de benef. lib. 12. deciſ. 11. num. 7.*

6 In præſenti autem controverſia hanc probationis ſpeciem Cappellani non exhibebant, quinimo invicem collatis documentis hinc inde deductis, adeò efficacia comperta fuere ea, Curiæ nomine exhibita, ut, ut citrà opem juridicæ præſumptionis, concludenter detecta videretur amovibilitas; Pro ea enim urgebant primò antiquiſſima Eccleſiæ ſtatuta, ultra explicationem Cappellanorum annalium, & mercenariorum, ac determinationem juramenti anno quolibet per ipſos præſtandi, præcisè, & explicitè omnimodam Paſtori, & Magiſtris facultatem tribuentia diſponendi circa Cappellanorum receptionem, correctionem, & expulſionem cum interdictione, cujuſcumque contradictionis; Cumque illa confirmata appareant ſub anno 1618. à S. Sedis Legato, conſtabilita inde remanet amovibilitatis probatio, nam, ſuperventa confirmatione Apoſtolica, occluſus remanet aditus impugnandi amplius dicta ſtatuta, dato etiam, quod ſecundùm eorum primævam originem, totalem non promererentur executionem, ut dixit *Rota coram Coccin. deciſ. 1951. num. 29. in Friſingen. Juris deputandi Curatos 22. Junii 1716. §. Et hinc omiſſo coram R. P. D. meo Cerro, & in Salisburgen. Vicariæ 31. Januarii 1714. §. Quamobrem coram R.P.D. meo Falconerio confirmata 30. Aprilis 1717. §. Verumtamen coram Me.*

7 Rurſus concludebatur amovibilitas ex diplomate Epiſcopi Adulphi, & Valeriani Præpoſiti Leodien. *anno* 1331. evulgato, & ſub citata Apoſtolica confirmatione comprehenſo, in quo ſub eadem præſuppoſitione qualitatis deſervitoriæ, poſtque nonnullas ordinationes Divini cultus incrementum reſpicientes, relativè ad fundationes, decernitur, & declaratur, Cappellanos in futurum annales eſſe debere. Quo ſtante, eo magis excluſa remanet pretenſa perpetuitas, cui citra dubietatem, reſiſtere antiquiſſima ſanctio emiſſa, causa cognita, & ad rectum Eccleſiæ gubernium, nec non ad fundationum adimplementum præordinata, quæ nedum in figura diſpoſitionis novæ ſufficiens reputari poterat ad inducendam amovibilitatem, per ea quæ tradunt *Azor. inſtit. moral. par. 2. lib. 3. cap. 47. quæſt. 9. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. par. 3. allegat. 93. num. 23.* & dixit *Rota in Rerunden. Benef. 28. Junii 1697. §. Validitas in fine coram bon. mem. Molines*, præſertim poſtquam ſupervenerat confirmatio Apoſtolica, juxta authoritates ſuperiùs citatas, ſed inſuper in linea ſaltèm declarativa concludentem præſefert amovibilitatis probationem, cum credendum non ſit, Epiſcopum, & Præpoſitum in actu adeò ſolemni, & relevanti erroneè præſuppoſuiſſe, ac decreviſſe amovibilitatem, abſque eo quod, contra propriam confeſſionem, de illo priùs ſufficientem exceperint probationem, iuxta firmata per *Felin. in cap. ad aures nu. 15. de reſcript. Adden. ad Buratt. deciſ. 111. num. 15. Rota coram Pœn. deciſ. 960. num. 7. coram Celſo deciſ. 215. num. 8. in recent. deciſ. 284. nu. 4. par. 14. deciſ. 523. num. 18. par. 19.* & benè in *Auguſtana Canonicatus Provinciæ Moguntinæ 26. Januarii 1711. §. Aſſumptum comprobant coram R.P.D. Falconerio Almæ Urbis Gubernatore.*

8 Et denique in eumdem ſenſum collimabat multiplex, & plurium ſæculorum obſervantia reſultans tam ex actibus affirmativis, quàm negativis. Cappellani enim ſemper deputari conſueverunt ad annum, & hanc limitatam deputationem ipſi quoque acceptarunt, proprioque juramento, ad formam ſtatutorum, preſtito, confirmarunt, qualibet die Cinerum claves, in ſignum dimittendi, & obtinendi de novo officium, conſignarunt, & reacceptarunt, Curia Hoſpitalis Cappellaniarum bona, & redditus adminiſtravit, eoſque inter Cappellanos diſtribuit, illarum permutationes, abſque alicujus Superioris approbatione, admiſit; nec unquam conſtituit, quemquam ad ſacros Ordines fuiſſe promotum ad titulum harum Cappella-

pellaniarum, quinimo obtenta per quemdam *Lurckin* à Parochianis deputatione, ſub conditione, quod fieret Sacerdos ad titulum Cappellaniæ, deputatio hujuſmodi effectu vacua remanſit, & Cappellaniam obtinuit quidam *Lombart* de more ad annum deputatus; Quare cùm deputationes, cæterique actus conſecutivi ſint omnes cum perpetuitate incompatibiles, ſuperlativè exinde probata dicebatur amovibilitas, quàm, ultra titulos ſuperiùs relatos, in omnem caſum conclu-
9 deret ſola obſervantia, quæ paſſim in rebus ſub antiquitatis obſcuritate latentibus, explicare ſolet quidnam fundationes in origine præſetuliſſent, ut in ſpecie firmant *Gonzal. dicta gloſſ.* 5. §. *6. num.* 2. *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.*3. *cap.*1. *ſub nu.*8. latè *Rota coram Merlin. deciſ.* 61. *nu.*1. *& ſeq. cor. Pautinger. deciſ.*15. *nu.*19. *& ſeq. & in dicta Bononien. Parochialis 6. Maji* 1715. §. *Obſervantia coram Eminentiſſimo Scotto, &* 11. *Decembris* 1716. §. *Et quartum denique coram Me.*

10 Et hâc adeò inveteratâ, & uniformi concurrente obſervantia, quæcumque itidem removebatur ſuſpicio ſubreptionis, aut clandeſtinitatis contra Apoſtolicam confirmationem ſtatutorum oppoſitæ; Nam dum tractu temporis deputationes, juramenta, confirmationes, aliique omnes actus expleti fuere conſentaneè ad ea, quæ leguntur in eiſdem ſtatutis diſpoſita, exinde ſublatus remanet omnis timor, quod Curiæ Miniſtri ſtatutorum confirmationem clandeſtinè, aut ſubreptitiè impetraverint, juxta obſervata per *Decium conſ.*48. *nu.*12. *Rota deciſ.*75. *nu.*7. *par.*18. *in Majoricen. Parochialis* 12. *Februarii* 1709. §. *Idipſum coram R. P. D. Aldrovando, & in Avenionen. Collegii* 12. *Maji* 1713. §. *Cæterum, &* §. *Quod apertiùs coram Eminentiſſimo Scotto.*

Pariterque evertebatur objectum contra Epiſcopale Diploma excitatum, quod Epiſcopus, & Præpoſitus eo ipſo, ac ſemel in eodem actu approbaverant perpetuitatem Cappellanorum illius temporis, non valuerint in futurum annualitatem, & amovibilitatem præſcribere; etenim non omiſſo, quod præfati Cappellani effici potuiſſent perpetui ex jure ſpeciali, ſcilicet ex ſpeciali deputatione ad vitam obtenta, quod incompatibile non eſt cum naturali Cappellaniarum amovibilitate, cùm Cappellaniæ etiam amovibiles poſſint quandoque in
11 perpetuum conferri, ut firmatum fuit *in dicta Bononien. Parochialis 6. Maji* 1715. *cor. Eminentiſſimo Scotto* §. *Abſque eo cum ſeq. &* 11. *Decembris* 1716. §. *Atque hinc coram Me*, attenta præſertim relatione in eo habita *ad voluntates, & deſideria Fundatorum*; Unde evidentius colligebatur, perpetuam retentionem Cappellaniarum tunc temporis permiſſam fuiſſe ex aliqua peculiari cauſa ad illoſmet Cappellanos reſtricta, non verò ex propria, & eſſentiali Cappellaniarum perpetuitate extra fundationem non deſumenda, *Garz. de benefic. par.*1. *cap.*8. *num.*85. *& ſeq. Thierrius eodem tract. ſect.* 4. *verſ. Sed. quid dicendum*; *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.*3. *cap.*1. *nu.*59. *Rota cor. Peutinger deciſ.* 15. *nu.*24. *&* 25. *& in ſæpecitata Bononien. Parochialis*, inſuper quælibet ceſſabat amaritudo, ex ſæpedicta ſubſequuta obſervantia, quæ juxta ejus juridicam operationem, optimè declaravit, quod de illo tempore Cappellaniæ in perpetuum retinerentur permiſſivè; ac accidentaliter, *Card. de Luc. de benef. diſc.* 73. *num.* 380. *Rota poſt eum lib.* 2. *dec.*11. *num.*7. *in Senen. Jurium Parochialium* 3. *Februarii* 1708. §. *fin. coram R.P.D. meo Lancetta*, & latè *in dicta Bononien Parochialis* 10. *Februarii* 1716. §. *Minuſque cum ſeq. cor. R.P.D. meo Cerro.*

12 Probata autem exinde amovibilitate, parùm ad adſtruendam perpetuitatem obeſſe poterant quædam reſolutiones, regulamenta nuncupatæ, editæ ab Univerſitate Parochianorum, ad quos primariò Juſpatronatus ſpectare dicitur. Etenim quidquid dicendum ſit de hac Patronatus pertinentia, an ſcilicet ea penès Parochiæ Populum adhuc reſideat, an verò integrè tranſlata fuerit ad Curiam Hoſpitalis, quo circa Domini nihil ſtatuere velle decreverunt, perluſtratis dictis regulamentis nullatenus ex eis immutata dici poterat Cappellaniarum amovibilitas; Illa namque annorum 1556. *&* 1610. nullum habuerunt effectum, nam licèt in earum primo dictum fuerit, quod Cappellani impoſterum non deſtituerentur à Directoribus, & in altero, quod, ad effectum remotionis, legitima cauſa requireretur, abinde tamen, eis non obſtantibus, Cappellani

pellani claves de more repoſuerunt, & officia dimiſerunt in manibus Parochi, & Magiſtrorum, à quibus novam deputationem obtinuerunt, quinimò de anno 1613. ad eorumdem ſimplicem nutum excluſus remanſerat quidam *de Ladin*, abſque ulteriori contradictione: Unde ſuper eiſdem regulamentis, utpotè ineffectuatis, nullum adſtrui poterat fundamentum perpetuitatis, ut notat *Barboſ. in collect. par.*1. *decret. diſtinct.*4. *cap. in iſtis nu.* 15. *Turricell. de union cap.* 11. *num.* 23. *&* 25. *Card. Albit. diſcept.*2. *quæſt.*1. *num.*19. *impreſſ. poſt Card. de Luc. de Juriſd. Rot. cor. Merlin. dec.* 161. *in fine*, *& in Tarraconen. Juris punctandi ſuper negocio principali* 26. *Februarii* 1703. §. *Minuſque cor. bon. mem. Omanna*.

13 Aliud verò regulamentum anni 1682. per quod Cappellaniæ declarantur perpetuæ, & confutantur Eccleſiæ ſtatuta, & ordinationes, pejori vitiò laborat, nam proceſſit ab adunantia minùs legitimè, & tumultuariè congregata, & ſpecificè per Curiæ Miniſtros contradicta; Unde quid quid in ea fuerat præſcriptum adversùs Eccleſiæ Conſtitutionem, & Conſuetudines, nec Regulamenti nomen promereretur, ut tradit *Gloſſ. in cap.*2. *verbo Statutum de verbor. ſignific.* quam ſequuntur *Valenzuel. conſ.*122. *nu.* 25. *& ſeq. Tondut. quæſt. benefic. cap.* 115. *num.* 8. *&* 9. *Rota ad ornatum Card. de Luc. lib.* 14. *deciſ.* 14. *num.* 2. *& ſeq. & in Amalphitana Statutorum* 13. *Maji* 1715. §. *primò coram Me.* Ut etiam exitus comprobavit, nam licèt in eo quidam Lurchin perpetuam reportaverit nominationem cum conditione aſcendendi ad ſacros Ordines ad titulum Cappellaniæ, his tamen effectibus fruſtratus remanſit, cùm nec potuerit ad ſacros Ordines promoveri, niſi ad titulum Patrimonii, & Cappellaniam alius obtinuerit ex deputatione Curiæ, ſecundùm anteriorem ſtatum expleta; Et inſuper in ſucceſſivis ſolemnibus regulamentis annorum 1688. *&* 1691. præſcripta, & reſpectivè confirmata extitit forma, juxta quam in futurum gubernari deberet Hoſpitale, poſthabito, & ſub ſilentio prætermiſſo dicto regulamento anni 1682. quod præterea nec poterat inter Eccleſiæ Sanctiones connumerari, dum, præter ejus intrinſecas nullitates, nullam obtinuit executionem, quoad electionem Cappellani, neglectumque fuit in aliis poſterioribus regulamentis, in quibus ad ſedanda diſſidia inter Curiam, & Parochianos exorta, hoc unico excepto, antiquiora etiam regulamenta fuerunt ad trutinam revocata *Carpan. ad Statut. Mediolanen. cap.*341. *nu.*11. *par.* 1. *Cavalcan. deciſ.* 27. *num.* 57. *Rot. in Illerden. Statuti* 16. *Martii* 1705. §. *Motivum. cor. bo. me. Muto*, & latè *in Avenionen. Collegii* 12. *Martii* 1713. *à* §. *Quandoquidem cor. Eminentiſſimo Card. Scotto*.

14 Et his everſis regulamentis, quæ præterea nullius eſſent relevantiæ, utpotè celebrata à laicali Cœtu Parochianorum, quibus permiſſum non erat ex proprio libito, Curia contradicente, vel inaudita, & ſinè juſta, & legitima cauſa, intervertere antiquiſſimas Eccleſiæ, ſive Hoſpitalis leges Apoſtolica, & Ordinaria authoritate confirmatas, & per plurium ſæculorum obſervantiam approbatas juxta firmata per *Fagnan. in cap. Delicto num.* 22. *de Præbend. Lotter. de re benefic. lib. primo quæſt.* 33. *num.* 11. *Franceſ. de Eccleſ. Cathedr. cap.* 14. *num.* 172. *Barboſ. de Jure Eccleſiaſt. lib.*1. *cap.*32. *num.*17. *&* 18. *Pignattell. conſult. Canon.* 14. *num.*2. *tom.*10. & in fortiori dixit *Rota in dicta Amalphitana Statutorum* 13. *Maji* 1715. §. *primo*, *&* §. *Rurſus coram Me*; Prætenſa Cappellaniarum perpetuitas fruſtra elici poſſe contendebatur à mox enunciatis regulamentis ſolemniter celebratis anno 1688. & 1697. In primo etenim Hoſpitalis Miniſtri eam tantùm expoſuerunt declarationem *di voler mantenere, e conſervare tutti li Cappellani con onore, benevolenze &c. aſſicurando di più di perpetuarli, quantum in eis erit* = quæ quidem verba ad urbanitatem, & officioſitatem directa, nullatenus decernunt, ſeu præſupponunt, ſed potiùs excludunt Cappellaniarum perpetuitatem, quia ea ſemel impreſſa, ſuperfluus de cætero remaneret quicumque Miniſtrorum favor oblatus ad eumdem effectum perpetuitatis, juxta in ſpecie animadverſa per *Rotam in ſæpecitata deciſ.*15. *coram Peutinger. num.* 19. *& ſeq. & deciſ.* 11. *ad ornatum. Card. de Luc. de Benefic. lib.*12. *ſub num.*7. In poſtremo verò anni 1691. Et ſi renovata in genere, & approbata fuerint regulamenta præterita anno-

annorum 1556. & 1610. nedum tamen nihil concluſum apparet de prætenſa perpetuitate, ſed inſuper Curiæ explicitè reſervatur omnimoda juriſdictio, quoad perſonas, & bona Hoſpitalis nec non facultas declarandi amovibilitatem officiorum omnium, & commiſſionum ejuſdem Hoſpitalis; Quare, juxta ejuſdem regulamenti tenorem in nihilum immutata prætendi valet qualitas manualitatis Cappellaniarum, cum ſtante generica præſervativa omnimodæ juriſdictionis, relativè ad illam, quam per decurſum plurium ſæculorum, Curia exercuerat, evidens fit Cappellanias relictas fuiſſe in ſuo primævo ſtatu amovibiles, ſub quo ſæculis præteritis, Curia ipſa explere conſueverat deputationes, juxta regulam generaliter firmatam *in Burgen. Decimarum de Belloardo* 12. *Junii* 1716. §. *finali cor. Me*.

Multoque minùs vis fieri poterat in aſſerta re judicata anni 1702., per quam prætendebatur canonizatam fuiſſe perpetuitatem Cappellaniarum; quoniam, prætermiſſo, quod ſententia, unde exorta dicebatur res judicata, non immeritò reputari poſſet erronea tamquam lata ſub falſa credulitate, quod manualitas fuerit correcta, & immutata per regulamentum anni 1688. de qua tamen correctione, & immutatione non liquet, juxta tenorem ejuſdem regulamenti, & multo minùs juxta continentiam regulamenti anni 1691. ad cujus limites ferenda erat ſententia, ut dixit *Rota in Termulen. manutentionis* 3. *Julii* 1702. §. *Addito coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano, & in Peruſina Fideicommiſſi* 28. *Martii* 1715. §. *Atque hinc coram R.P.D. meo Lancetta*; Ea in omnem cauſam afficere non valuit
15 Curiam in illo Judicio minimè auditam, quæ tamen citanda erat, cùm ageretur de ejus principali intereſſe, & præjudicio, ex regula *Text. in l. Sæpè ff. de re judic. de Franch. deciſ.* 523. *num.* 17. *&* 18. *Rota coram Bichio deciſ.* 560. *num.* 4. *in rec. deciſ.* 466. *num.* 47. *par.* 19. *& in Firmana Primogenituræ ſuper Immiſſione* 19. *Februarii* 1712. §. *Multoque minùs coram R.P.D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*.

16 Et tandem nec relevabat, quod non doceretur ex parte Curiæ de amotionibus Cappellanorum; Tum quia contrarium emerſit ex ſuperius enunciato actu excluſionis ſequuto anno 1613. qui licèt unicus, ceſſante tamen cauſa ſpecialis remotionis, confirmat generalem facultatem removendi; Ut in ſimili dixit *Rota coram Bichio deciſ.* 290. *num.* 31. *cor. Emerix jun. deciſ.* 395. *num.* 17. *in recent. deciſ.* 304. *nu.* 12. *cum ſeq. par.* 11. *deciſ.* 340. *num.* 21. *&* 22. *par.* 15. *in Burgen. Juris viſitandi de Bribieſca* 11. *Januarii* 1715. §. *Sic itaque coram R.P.D. meo Cerro, & in Militen. Juriſdictionis prima Aprilis ejuſdem anni* §. *Facillima coram R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*; Tum
17 etiam quia in facultativis planè recepta eſt propoſitio, quod per non uſum nullum inducitur præjudicium, niſi inſimul concurreret impedimentum cum ſubſecuta acquieſcentia, ut in puncto *Pignattell. conſult. Canon.* 143. *num.* 31. *in fin. tom.* 9. *Card. de Luc. de Benef. diſc.* 97. *nu.* 13. *Rot. cor. Priolo deciſ.* 104. *num.* 33. *& ſeqq. cor. Reverendiſſimo Anſaldo deciſ.* 12. *num.* 23. *in recent. deciſ.* 469. *num.* 2. *par.* 19. *& in Bononien. Parochialis* 11. *Decembris* §. *fin.* 1716. *cor. Me*.

Exindeque evanidæ, & minùs in Jure fundatæ compertæ fuerunt Cappellanorum conquæſtiones ſuper eo, quod Curiæ Miniſtri actum illum reportationis clavium die Cinerum expleri ſolitum ad quamdam obſequii recognitionem, nimis aſperè detorſerint ad ſenſum, quod Cappellaniæ annales eſſent, & amovibiles, ut ita in omnimoda illarum diſpoſitione ſe ſe confoverent nedum in præjudicium Cappellanorum, ſed quoque in ſupplicationem Univerſitatis Parochia-
18 norum; Siquidem clavium dimiſſio, & reconceſſio, juncta præſertim primordiali deputatione ad annum reſtricta, & ad cauſam manualem, & mercenariam directa ſatìs ſuperque ex ſe ipſa, abſque ulteriori indagine, oſtendit reſpectum habere non poſſe, niſi ad amovibilitatem ad regulam *Text. in leg. Clavibus ff. de contrahend. Emptione*, *Andreol. contr.* 381. *nu.* 3. cum aliis penès *Rotam coram Emerix jun. deciſ.* 859. *num.* 6. *&* 7. De reliquis autem ſolliciti eſſe non debent Cappellani, qui utpotè ad merum ſervitium conducti, quocumque ſe vertant, nunquam evadere poterunt amovibilitatem ab ipſis in actu deputationis recognitam, proprioque

que juramento confirmatam, de qua unicè in præſenti controverſia agebatur.

Et ita utraque &c.

R. P. D. CRISPO

Colonien. Vicariæ.

Lunæ 6. Martii 1719.

SUMMARIUM.

1 *Ordinarius nequit beneficium patronale conferre liberè, & abſque præſentatione Patroni.*

2 *Pertinentia juriſpatronatus ex quibus probetur*; & num. 3.

4 *Præſentatus à Patrono eſt inſtituendus, neglecta quacumque collatione de libero facta.*

5 *Concurrente clara lege contrariæ fundationis, ultimus, ſeu penultimus ſtatus in nulla habetur conſideratione.*

6 *Proviſio Præſentati facta ab Ordinario abſque ulla mentione præcedentis præſentationis, nullum valet irrogare præjudicium Patronis.*

7 *Actus commiſſus à Preſentato in fraudem Patronorum non eſt attendendus.*

8 *Quando ultimus ſtatus eſt dubius, recurrendum eſt ad penultimum.*

9 *Ubi agitur inter perſonas potentes Juſpatronatus probari debet ad formam Concilii*. Limita, ut num. 10. & 11.

10 *Concurrente una cum Univerſitate, ſeu perſona potenti, etiam perſona privata non habet locum forma Concilii.*

DECISIO VI.

Beneficium Vicaria nuncupatum ſub invocatione Sanctæ Crucis erectum in Eccleſia Parochiali Sancti Laurentii Oppidi de Arvveiler in Diœceſi Colonienſi, quod de anno 1713. vacaverat per obitum Leonardi Ulrichs, tanquam de libero obtinuit Martinus Floiſtorff ex proviſione ſibi de eo facta à Sereniſſimo Electore Archiepiſcopo Trevirenſi, & actualem inſuper illius poſſeſſionem nactus fuit. Verùm Communitas, ſeu Magiſtratus ejuſdem Oppidi de Arvveiler ægreferens collationem hujuſmodi, juſtèque putans ſibi titulo Juriſpatronatus ex antiquiſſima fundationis lege pertinere jus præſentandi, ad effectivam illicò præſentationem devenit in perſonam Sacerdotis Henrici Remagen, qui rejectus ab eodem Ordinario, propter jam ſequutam beneficii collationem, neceſſe habuit in judicium vocare ſupraenunciatum Martinum proviſum, conteſtataque lite inter duos competitores ad controverſum beneficium coram Officiali Curiæ Archiepiſcopalis Colonienſi, iſte aliqualiter prænoſcens jus Henrici, demandavit ſequeſtrum ſuper fructibus beneficii: Aſt interjecta per poſſeſſorem appellatione, cauſaque diſcuſſa in ſecunda inſtantia coram duobus Canonicis à Reverendiſs. Nuncio deputatis, iſti concedere manutentionem eidem Martino poſſidenti liberè autumarunt, quod judicatum confirmationem obtinuit in ulteriori inſtantia ab eodem Reverendiſſimo Nuncio. Modo verò ad Sacrum noſtrum Auditorium devoluta tali controverſia cum commiſſione Mihi directa, diſputandum propoſui Dominis meis in hodierna audientia dubium = *An ſit adjudicanda Vicaria Martino, ſeu potiùs danda inſtitutio Henrico* = & Domini optimè prælibantes merita cauſæ, juribus utriuſque collitigantis ad æquam juſtitiæ lancem appenſis inhærentes priori ſententiæ Officialis Colonienſis, reſponſum dederunt = *Negativè quoad primam partem, affirmativè verò, quoad ſecundam.*

Et jure quidem, meritoque concedenda videtur Inſtitutio Henrico, poſthabita proviſione Martini ab Ordinario expleta; Cùm enim ille exhibeat præſentationem, ſeu nominationem Magiſtratus, cujus favore ex fundationis, & dotationis præſcripto irrefragabiliter promanat Juſpatronatus controverſi beneficii; Ritè id-
1 circò non valuerat Ordinarius ad liberam collationem devenire in præjudicium veri Patroni, ipſiuſque collatio omni jure nulla reputatur, proindeque retardari non debet Inſtitutio præſentato à verò, & legitimo Patrono ad *Text. in can. decernimus* 16. *quæſt.* 7. ibique tradunt communitèr *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancellariæ gloſſ.* 56. *num.* 78. *Vivian de jurepatr. lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 8. *& lib.* 12. *cap.* 5. *nu.* 1. *& ſeq. Lother. de re beneficiar. lib.* 2. *quæſt.* 14. *num.* 49. *Barboſ. de jur. Eccleſ. lib.*

lib.3. cap.12. num.163. Antonell. de regim. Eccleſ. lib. 3. cap. 6. nu.66. Garz. de Benef. par. 5. cap. 9. num.231. & ſeq. Rot. coram Emerix jun. deciſ. 34. num. 2. & in Lucen. Sarzanen. juriſpatronatus prima Februarii 1715. *coram Eminentiſſimo Scotto, & in Aſtoricen. Parochialis* 28. *Martii* 1718. §. *Perurgente coram Me.*

2 Conſpicuum autem pro Communitate, & Magiſtratu præfati Oppidi Arvveilerenſis undique profluebat Juriſpatronatus documentum ex triplici fundationis actu controverſæ Cappellaniæ: Conſtat ſiquidem de illius origine ſequuta de anno 1328. ubi ſpecialiter in primæva erectione reſervatum legitur Juſpatronatus favore Vice-Paſtoris, ſive Parochi Eccleſiæ Sancti Laurentii, eodemque negligente in præſentando, expreſsè committitur jus præſentandi Magiſtratui ejuſdem Oppidi: Itidemque probatur ex ſubſequuto actu dotationis, ſive augmenti dotis per Cives, & Oppidanos confecto de anno 1482. propter notabilem diminutionem ipſius Cappellaniæ redditum, ubi explicitè fit mentio de dicto Iurepatronatus,& particulariter quoque ipſi Magiſtratui reſervatur jus præſentandi. Atque inſuper Juſpatronatus Communitatis ſuperlativè evincitur ex Inſtrumento unionis ſubſequutæ de anno 1613. ex quo apertiſſimè reſultat, quod ad nihilum redactis Cappellaniæ proventibus in ejus dotem unitis beneficiis quibuſdam de Jurepatronatus Magiſtratus ipſius favore in totum conceſſum, ſeu conſolidatum extitit Juſpatronatus Cappellaniæ; quibus emergentibus documentis, non comparente Vice-Paſtore, utique Magiſtratus benè fundatam habet intentionem ſuam in jure præſentandi juxta firmata per *Lambertinum de jurepatr. lib. 1. par. 2. quæſt. 4. artic. 4. num. 2. & per Rot. cor. Bich. dec. 106. num. 6. & ſeq. & in Lucana Beneficii 22. Februarii* 1709. §. *Eoque minus coram Illuſtriſſimo Domino Falconerio Urbis Gubernatore, & in Bononien. Beneficiorum de Caſtello* 13. *Decembris* 1712. §. *Quam primitivarum coram Me, & in Cremonen. Beneficii* 2. *Maji* 1718. §. *Neutiquam tamen coram R.P.D. meo Lancetta.*

3 Hujuſmodi præſtantiſſimis Juriſpatronatus probationibus, ad convincendam magis magiſque Patronalem pertinentiam in Magiſtratu, adſtipulantur quoque ſtatus uniformes concludentes poſitivam obſervantiam, & quaſi poſſeſſionem præſentandi, inter quos quinque præ cæteris dinumerantur, nempè vacationes, & proviſiones ſubſequutæ de annis 1616. 1668. 1685. 1692. & 1699. in quibus omnibus dilucidè patet ſæpedictum Magiſtratum continuò præſentaſſe, ipſiuſque nominationes plenarium inſuper effectum ſortitas fuiſſe, cum ſpecifica relatione in aliquibus ex prædictis ſtatibus per Ordinarium habita ad fundationem anni 1613. cumque proinde ultra legem fundationis concurrat quoque obſervantia, & quaſi poſſeſſio præſentandi, clarum propterea
4 emergit jus Magiſtratus, & præſentatus ab eo venit pleno jure inſtituendus, neglecta quacumque collatione de libero facta, veluti erronea, & inefficaci juxta firmata per *Rot. dicta deciſ.* 34. *num.* 2. *coram Emerix. jun. & in Cremonen. Beneficii* 3. *Decembris* 1706. *per tot. coram R.P.D. meo Lancetta, & in Majoricen. Beneficii* 9. *Maji* 1711. §. *Certo certius cor. bo. me. Caffarello.*

His omnibus minimè adverſantur pro deſtruenda qualitate Patronali duo infrà citati ſtatus in contrarium deducti; Alterum nempè de anno 1692. & alterum de anno 1702. qui fuit ultimus, ex quibus concludi præſumitur libertas conferendi in Ordinario, exindeque etiam contenditur habere locum in caſu regulam *Text. in cap. Querelam de elect. & cap. Conſultationibus de Jurepatr.* quam Juris diſpoſitionem communiter recipiunt *Doctores*, & paſſim *Rot. coram Emerix jun. deciſ.* 67. *num.* 2. & 3. *& in Caſertana Beneficii* 15. *Junii* 1716. *cor. R.P.D. Althann.*
5 *ferè per tot.* Ultra quod enim concurrente lege fundationis clariſſimè reſultante à publicis inſtrumentis, ultimus, ſeu penultimus ſtatus in nulla penitùs habetur conſideratione, quia proprietas abſorbet Poſſeſſorium, ex latè collectis in *Mediolanen. Beneficii prima Aprilis* 1707. §. *Quinimmò, & ſeqq. coram Reverendiſſimo Domino meo Decano, & in Peruſina Canonicatus* 27. *Junii* 1714. §. *Conſequens coram Eminentiſſimo Scotto*; Perluſtratis inſuper, libratiſque ſingillatim, ut par erat, præfatis duobus ſtatibus, ſatis compertum eſt, eoſdem neutiquam ſuffragari

fragari poſſe ad elidendum jus præſentandi in Magiſtratu perpetuatum ex triplici fundationis lege, & ex præſcripta obſervantia elicita ab actibus præcedentibus, inter quos recenſetur etiam ſtatus anni *1699.* qui eſt intermedius inter duos in oppoſitum adducto.

6 Quo enim attinet ad primum anni *1692.* cùm antecedenter ad collationem Ordinarii Maurus de Haen ſub die 17. Januarii obtinuerit præſentationem à Magiſtratu Patrono, ſubſequens reportata proviſio ab Ordinario, abſque ulla mentione dictæ præſentationis, nullum valuit irrogare præjudicium Patronis, qui debuerunt credere, præſentatum ab ipſis obtinuiſſe Vicariam vigore ejuſdem præſentationis, ut in puncto dixit *Rot. deciſ.* 136. *num.38. par.19. recent. & coram Otthobon. deciſ.3. num.16. & ſeqq. & in Compoſtellana Parochialis* 11. *Maji* 1716. §. *finali coram R.P.D. meo Cerro*; Stante præſertim immediatè ſubſequuto ſtatu anni *1699.* in quo Ordinarius ratam habens præſentationem Magiſtratus, relativè ad legem fundationis præſentatum inſtituit; Unde propterea ex iſto ſubſequenti ſtatu declaratus, ſeu correctus remanſit ſtatus contrarius præcedens, in modum, ut de

7 prædicto actu antecedenti, veluti in fraudem Patronorum per dictum præſentatum commiſſo, nulla prorſus in præſenti ſit habenda ratio, ad tradita per *Rot. deciſ.17. num.8. & deciſ.290. num.8. par.18. recent. & in Majoricen. Beneficii* 11. *Maji* 1705. §. *Etenim in fine, & in Romana Cappellaniæ S. Nicolai* 28. *Junii* 1709. §. *Diximus coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano*; Et licèt contenderetur circa tempus præciſum præſentationis expletæ de anno 1691. dum è converſo docetur ex Proceſſu originali in actis producto, quod revera ſequuta fuit præſentatio die 17. Januarii, non verò, ut præferebatur, die 17. Junii, nihilominus quidquid ſit de hoc ſtatu anni *1692.* ſemper urget antedictus actus immediatè ſubſequens anni *1699.* qui eſt declarativus præcedentis, & eſt undequaque limpidus pro Magiſtratu.

Quò verò ad ultimum ſtatum anni 1702. Iſte profectò non modicas involvit difficultates, & non ſolùm eſt æquivocus, dum continet in ventre relationem ad Inſtrumentum fundationis ibi = *Ita tamen ut juxta fundationem, & unionem Altarium anni 1613. factam*; Sed etiam ex eo juſtè, & rationabiliter conjici valet, quod facta fuerit collatio ab Ordinario jure devoluto ob deſertionem, ſeu non reſidentiam perſonalem Cappellani, prout declaravit ipſe Ordinarius, mediantibus literis, quas *Reverſales* appellant; Et ulterius fuit contradicta, atque impugnata à Magiſtratu declarante acquieſcere velle proviſioni, eo tantummodo caſu, quo Ordinarius dictum Reverſale tranſmitteret, & non aliter admiſit proviſum, quàm cum clauſula = *Qua ex parte noſtra præſentatum*, ex præſuppoſito dicti Reverſalis facti ab Ordinario, ad quod expreſſam habuit relationem, ut in *Summario Henrici num. 3.*

8 Et quamvis exiſtentia Matricis originalis dicti Reverſalis impugnetur; In conflictu tamen probationum hinc inde deductarum, ſaltem dictus ultimus ſtatus dubius remanet, & proinde recurrendum eſt ad penultimum anni *1699.* indubitanter faventem Patronis, ut paſſim reſpondit *Rot. & ſignanter in Caſertana Beneficii* 13. *Maji* 1718. *Aſt quando coram R.P.D. meo Herrera*; Accedente præſertim claro titulo fundationis, ad quem ultimus ſtatus habet relationem, & proinde ad formam anteriorum Statuum, & legis fundationis regulanda venit hodierna contentio, ad tradita per *Rot. in Reatina Beneficii* 20. *Januarii* 1701. §. *Utique* 23. *Aprilis* 1703. §. *Minimè cor. Reverendiſſimo D. meo Anſaldo, & in Spoletana Juriſpatronatus* 29. *Junii* 1705. §. *Hæc coram bon. mem. Omanna, & in Caſſanen Beneficii* 27. *Martii* 1713. §. *Parum relevante coram Me*.

9 Nec ad propoſitum relevare poſſe viſa fuit objectio fundata in diſpoſitione *Concilii Tridentini de reformat. cap. 9.* in qua ſancitum fuit, quod ubi agatur inter Perſonas potentes, pertinentia Juriſpatronatus, vel ex fundatione, ſive ab immemorabili unà cum præſentationibus per authenticas ſcripturas ſpatio annorum 50. continuatis, ac effectum ſortitis pleniſſimè juſtificari debet, & longæva poſſeſſio veluti ſuſpecta de uſurpatione, & violenta authoritate, pro irrita, & infecta declaratur, ut conſentaneè ad dictam Conciliarem diſpoſitionem communiter docuerunt

cuerunt *Franciſ. Salern. conſil.* 49. *lib.* 1. *cap.*7. *Zipeus reſponſ. Canon. lib.* 3. *de jurepatron. conſult.*3. *per tot. Gonzal. ad regul. Cancell. gloſſ.*18. *num.*70. *Rot. in Bononien. Archipresbyteratus* 10. *Martii* 1710. §. *Addito coram Reverendiſſimo Aldrovando*, *&* *in illius confirmatoria* 27. *Februarii* 1711. §. *Atque hinc coram bon. mem. Molines.*

10 Quandoquidem tam prima, quàm ſecunda lex fundationis tribuit Juſpatronatus Magiſtratui inſimul, & Vice-Paſtori, & idcircò concurrente unà cum Univerſitate, ſeu perſona potenti etiam perſona privata, non habet locum forma Concilii, ut limitant *Barboſ. ad Concil. ſeſſ.*25. *cap.*9. *num.*53. *Rot. deciſ.* 154. *ſub num.*7. *par.* 2. *Adden. ad Gregor. deciſ.* 222. *num.* 11. *Panimoll. annot.*10. *num.*22. Animadverten-

11 do inſuper, quod eadem Conciliaris diſpoſitio locum præciſè ſibi vindicat in caſu, quo Juſpatronatus deduci prætendatur ex ſola obſervantia. Quando autem iſtud fundatur in documento claro fundationis, prout in themate, ubi triplex concurrit, inefficax ſanè cenſeri debet diſpoſitio Concilii, ut in puncto *Card. de Luc. de jurepatron. diſc.*3. *n.*27. *& diſc.*58. *num.* 15. *Ventril. in prax. par.* 2. *annot.* 1. §. 2. *nu.* 28. *R.P.D. meus Petra ad Conſtit. Apoſtolic. tom.*3. *ad Conſtit.*7. *Innocentii IV. ſect.*2. *num.*29. *Rot. deciſ.*800. *nu.*5. *par.*4. *diverſ. & deciſ.* 168. *nu.*33. *par.*10. *& deciſ.* 178. *num.*6. *par.*12. *recent.*

Minuſque ad intentum obeſſe valuit ponderatio inſinuata à Defenſoribus Martini, quod nimirum Ordinarius non jure devoluto contulerit Vicariam, ſed tanquam Adminiſtrator Prumienſis, & veluti ſubrogatus in locum Vice-Paſtoris ejuſdem Eccleſiæ Sancti Laurentii, cui alternativè cum Magiſtratu ex fundatione anni 1328. pertinebat jus præſentandi, proviſionem expleverit; etenim ex documentis datis ab utraque parte manifeſtè contrarium reſultare videtur tam ex collationibus anni 1668. & 1699. quàm etiam ex ultima anni 1702. ubi idem Ordinarius proceſſit ad privationem beneficii, & contulit jure devoluto tanquam Ordinarius, & in id ipſum collimant omnes actus ab eodem Sereniſſimo Electore facti circa iſtam Vicariam, ſemper relativè ad jus Ordinarii, quod habet in dicta Eccleſia, tanquam Adminiſtrator Prumienſis, nunquam verò tanquam Patronus, ut legitur *Summario Henrici num.*5. *&* 9. & etiam in *Summario Martini num.* 2. 3. *&* 4.

Et ita utraque parte in valido contradictorio audita, & jura ſua feliciter deducente, reſolutum fuit.

R. P. D. CERRO

Romana Cappellaniæ.

Lunæ 20. *Martii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Exiſtens in poſſeſſione Cappellaniæ eſt in ea manutenendus.*

2 *Patronus habens à Fundatore facultatem diſponendi de Cappellania, vita ſua durante*, tanto con titolo perpetuo, quanto ad nutum amovibile; *ſi præſentet in Teſtamento*, *an præſentatio cenſeatur facta ſub titulo perpetuo*, *adeòut ſucceſſor*, *ſive ſubſtitutus*, *nequeat Cappellanum removere.*

3 *Clauſula* omni meliori modo *importat actus ſubſiſtentiam eo utiliori modo*, *quo valeat ſuſtineri.*

4 *Nominatio pro ſui executione non expectat obitum Teſtatoris.*

5 *Nominatio*, *ſive præſentatio non prohibetur fieri in teſtamento.*

6 *Nominatio*, *ſive præſentatio*, *licèt emiſſa in teſtamento*, *rectè dicitur facta in vita Teſtatoris.*

DECISIO VII.

REdigendo ad exercitium Abbas Hieronymus Roſa eam abſolutam facultatem diſponendi de Cappellania erecta in Eccleſia Monialium S. Urbani, quam Philippus Spanò in Teſtamentariis tabulis ei reliquerat, plures nominavit Cappellanos ad nutum amovibiles, donec ejus vota ſteterunt in Dominico Laymo; Non enim contentus conſueta præſentatione, quam de illo fecerat in vita, uſque de anno 1703. ut in illius commodum indulto ſibi jure pinguius etiam uteretur in morte ita anno 1716. in ejus teſtamento diſpoſuit = *Volendoſi ora ſervire delle facoltà conceſſegli di ſua ſpontanea volontà*, *ed in ogni miglior modo nomina per Cappellano*

lano in detta Venerabil Cappellania, e Chieſa di S. Urbano, come ſopra, il Rev. Signor D. Domenico Laymo moderno poſſeſſore della medeſima, volendo, che il medeſimo la poſſieda, e faccia tutto quello, che ad un buon Cappellano ſi conviene, e queſto in vigore delle facoltà, che eſſo Signor Teſtatore dice, ed aſſeriſce avere non ſolo in queſto, ma in ogni miglior modo &c. Verùm exiſtente adhuc dicto Laymo in quaſi poſſeſſione Cappellaniæ Deputati ejuſdem Monaſterii, ad quod poſt obitum memorati Hieronymi devolvi debebat jus præſentandi, nominarunt ad iſtum effectum Antonium Carluccium, atque ideo inſtructa in Tribunali A. C. inter utrumque judiciali diſputatione ſuper manutentione in quaſi poſſeſſione prænarratæ Cappellaniæ, placuit Judici annuere inſtantiæ d. Carluccii; quod tamen Judicium fuit in hodierna audientia retractatum à noſtro Auditorio: Nam requiſito Dominorum ſenſu = *An, & cui danda eſſet manutentio*, reſponderunt = *dandam eſſe manutentionem Laymo* =

1 De illius enim quaſi poſſeſſione non remanebat in aliquo dubitandum, dum non revocabatur in dubium, ipſum Sacra celebraſſe in hac Cappellania uſque ad diem motæ litis in vim geminæ nominationis à Hieronymo Roſa reportatæ, quarum altera facta dignoſcitur anno 1703. altera verò in ſupremo illius elogio, de quo ſupra relata fuit diſpoſitio, ac propterea omni jure debita erat ei manutentio, quæ tamquam fructus quaſi poſſeſſionis ſemper concedi debet ad ſtatum, in quo poſſeſſor reperitur conſtitutus de tempore motæ litis, ut teſtatur *Rot. apud Poſth. de manut. deciſ.* 51. *num.* 8. *& coram Bichio deciſ.* 59. *nu.* 1. *& in recent. dec.* 661. *num.* 4. *par.* 18. Et quidem in excluſionem Carluccii contradictoris, qui utpotè præſentatus à Deputatis, quando jam Cappellaniæ quaſi poſſeſſio erat apud Laymum ab iſto vincitur temporis prærogativa, & poſſeſſionis anterioris privilegio, ad hoc, ut in illius concurſu nullam ſperare debeat manutentionem ad notata per *Poſth. d. tract. obſerv.* 17. *num.* 44. *& ſeqq. Rota coram Gregor. deciſ.* 4. *num.* 2. *& cor. Pro-Patruo meo deciſ.* 78. *nu.* 1. *& ſeqq. & in rec. dec.* 254. *n.* 1. *par.* 19.

2 In oppoſitum non urgente, quod quodcumque jus, ſeu quaſi poſſeſſio Laymi expiraverit cum morte Hieronymi Roſæ, eo quia jus diſponendi de controverſa Cappellania, tanquam reſtrictum, *vita ſua durante*, prætergredi non valuerit ultra ejus vitam, ſed eo defuncto jus Cappellanum præſentandi pertinere deberet ad Deputatos ejuſdem Monaſterii; Etenim juxta verba Teſtamenti pii Fundatoris collata fuit eidem Hieronymo facultas diſponendi de præfata Cappellania vita ſua durante = *tanto con titolo perpetuo, quanto ad nutum amovibile, e conforme a lui parerà, e piacerà* = quo circa, cum prædictus Hieronymus ultra conſuetam nominationem, quam fecerat anno 1703. de d. Laymo tamquam de Cappellano amovibili, utiliùs duxerit eumdem de novo præſentare in actu confectionis Teſtamenti, nè actus iſte recipiat fruſtraneam, inutilemque interpretationem, non in alium ſenſum trahi juridicè poteſt, niſi in præſentationem ſub titulo perpetuo, quantumvis hoc non expreſſerit in litera, evitando ſic quamcumque illius ſuperfluitatem, ut faciendum eſſe monuit *Rota coram Merlino deciſ.* 889. *num.* 3. *& coram Priolo deciſ.* 303. *num.* 8. *& adornat. Card. de Luc. lib.* 9. *deciſ.* 28. *num.* 17. *& in recent. deciſ.* 114. *num.* 2. *&* 23. *par.* 17. id ulterius comprobante enixa nominantis voluntate explicata verbis illis = *volendo, che il medeſimo la poſſieda* = necnon
3 clauſula = *omni meliori modo* non ſemel, ſed bis in eadem nominatione repetita, quæ ſuaptè natura importat actus ſubſiſtentiam, eo utiliori, ac magìs proficuo modo, quo valeat ſuſtineri, ut advertunt *Barboſ. de clauſul. clauſ.* 95. *num.* 7. *Palm. nep. alleg.* 131. *num.* 2. *Altograd. contr.* 11. *num.* 23. *Rot. cor. Buratt. dec.* 12. *nu.* 13. *& dec.* 336. *n.* 7.

Quemadmodum verò conſtitit ex iis Hieronymum Roſam voluiſſe revera utiliori titulo Cappellaniæ commodum præbere Laymo, qui alius eſſe non poterat, quam titulus perpetuus, ita in nihilum obſiſtebat ejuſdem actus validitari, quod exercitus fuerit in Teſtamento quaſi verba illa = *ſua vita durante* = coerceant jus præſentandi ad actum inter vivos, nec illud extendant ad ultimam voluntatem, quæ ſortiri non valebat effectum ſuum,
4 niſi poſt mortem. Quoniam cùm nomina-

tio non expectet pro ſui executione Teſtatoris obitum, ſed jus transferat in præſentatum ſtatim, ac ſecuta fuerit, ut advertunt *Tiraquell. in l. boves §. Hoc ſermone fallen. 23. ff. de verbor. ſignific. Cald. de nominat. emphyt. lib. 2. quæſt. 10. nu. 83. verſ. vel etiam, & nu. 84. verſ. ea itaque*, in modum, ut ea ſemel facta nulli revocabilitati maneat expoſita *Lambertin. de jurepatr. par. 2. lib. 2. quæſt. principali 17. art. 8. num. 3. Cald. d. tract. lib. 3. cap. 4.*
5 *num. 39.* nullo jure prohibetur fieri in Teſtamento, neque ideo deſinit recenſeri inter actus factos inter vivos, ut in ſpecie notat *Pariſ. conſ. 46. num. 36. & ſeq. lib. 4,*
6 cùm licèt emiſſa in Teſtamento, rectè eveniſſe dicatur in vita Teſtatoris juxta doctrinam *Alciat. in l. ultima num. 44. Cod. de pact. Covarr. variar. reſol. lib. 3. cap. 12. §. Quibus accedit verſ. hinc. etiam Mantic. de tacit. & ambig. lib. 13. tit. 3. nu. 7.* Præſertim inſpecto abſoluto arbitrio, effrenataque facultate, qua dictum jus præſentandi conceſſum fuit, quæ efficiunt, ut præſentantis poteſtas nullis limitibus cenſeatur circumſcripta, nulliſque Juris ſubtilitatibus limitata, ut ad rem ponderant *Ruin. conſ. 27. n. 1. lib. 1. Surd. conſ. 357. n. 10. Gabriel. conſ. 143. n. 10. lib. 1. Menoch. de arbitrar. qu. 7. n. 32.*

Et ita utraque &c.

R. P. D. CERRO

Colonien. Paſtoratus.

Veneris 24. Martii 1719.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſiæ de jure præſumuntur liberæ, & non patronales.*

2 *Confirmatio donationis Juriſpatronatus, non referens totam ſubſtantiam, & integrum donationis tenorem non poteſt admitti ad probandum Juſpatronatus.*

3 *Non docto de pertinentia Juriſpatronatus apud Patronum ſola aſſertiva ejuſdem Patroni donantis non ſufficit pro transferendo jure in Donatarium.*

4 *Unio eſt incompatibilis cum Jurepatronatus Eccleſiæ unitæ.*

5 *Ex unione Eccleſiæ patronalis facta in augmentum Præbendæ de conſenſo Patronorum, cenſetur amiſſum eorumdem Juſpatronatus.*

6 *Ex inveſtituris, & inſtitutionibus conceſſis in beneficiis an inferri poſſit ad Juſpatronatus.*

7 *Enunciativa quod Eccleſia ſpectat ad aliam Eccleſiam, an referri debet ad titulum Juriſpatronatus.*

8 *Sub nomine* Villæ, *non includitur Eccleſia.*

9 *Non conſtito de pertinentia Juriſpatronatus collationes beneficii liberè factæ ab Ordinario dici nequeunt actus ſpoliativi, aut turbativi.*

10 *Præſentationes intermediæ eliſæ, & abſortæ remanent ab antecedentibus, & ſubſequentibus liberis proviſionibus Ordinarii.*

DECISIO VIII.

In contumaciam Promotoris Fiſcalis Curiæ Archiepiſcopalis Colonien. deciſum fuit die 20. Junii anni præteriti = *Conſtare de Jurepatronatus Præpoſiti, & Archidiaconi Collegiatæ Xantenſis ſuper Paſtoratu Eccleſiæ Parochialis Oppidi Durſtenſis* = At comparente poſtmodum eodem Promotore facile fuit obtinere, ut adversùs editam Deciſionem audiretur, donec hodie detecta fuit inſubſiſtentia, cui præterita reſolutio innixa fuerat, Domini *receſſerunt à deciſis.*

1 Cùm enim in hac Juriſpatronatus materia diſpoſitio Juris ita faveat Eccleſiarum libertati, earumque ſervituti reſiſtat, ut non aliàs ſtatui legitimè valeat, niſi ubi concludatur, vel mediante Inſtrumento fundationis, vel in iſtius defectum, per rem judicatam, ſive per obſervantiam centenariæ metam attingentem, inefficacibus de cætero remanentibus in petitorio ſimplicibus præſumptionibus, levibuſque indiciis, & conjecturis, quæ ob dictum juris obſtaculum illicò collabeſcunt, juxta *theoricam Innocentii in cap. Cùm Venerabilis num. 9. de except.* de qua *Rota coram Cavaler. deciſ. 159. num. 1. & in rec. dec. 395. num. 4. par. 19. & in Urbanien. Canonicatus 29. Maji 1693. §. Hæc enim coram bon. mem. Muto, & in Cremonen. Beneficii 11. Maji 1705. §. Non ſolùm*
2 *coram bon. mem. Kaunitz*; Ruebat illicò præcipuum fundamentum, quod pro ſtabiliendo iſto Jurepatronatus amplexa fuit

fuit antecedens Deciſio, donationis ſcilicet emiſſæ à Patronis Eccleſiæ Durſtenſis, cùm ea nequaquam valeret aſſumere vices Inſtrumenti donationis, eò quia nullum de illa afferebatur documentum, ſed quædam tantummodo ejus confirmationes exhibebantur referentes ſimplicem enunciativam donationis factæ à Patronis = *ſicuti in eiſdem literis plenius contineri refertur* = atque ideo cùm non referant totam ſubſtantiam, integrumque donationis tenorem, ſed circa illum ſe habeant relativè ad Inſtrumentum donationis, admitti nullo pacto valent ad probandum Juſpatronatus, tanquam referens ſinè relato, ex regula *Text. in Auth. ſi quis in aliquo Cod. de eden. Rocc. diſput. Jur. cap.* 20. *num.* 31. *Rot. coram Bich. deciſ.*208. *nu.*4. *& in recent. deciſ.*569. *n.*14. *par.*19. & in ſpecie ſcripturæ confirmantis *Rot. cor. Duran. dec.*285. *n.*118.

3 Quod ſi ſolo inſpecto defectu donationis Inſtrumenti nulla reſultare poteſt Juriſpatronatus probatio, magìs incaleſcit vis argumenti, ſive quia nec à parte ante docebatur de pertinentia iſtius Juriſpatronatus apud Patronos, qui enunciantur in dictis confirmationibus, *utì illius Donantes*, quaque probatione ſecluſa, nullius remanet momenti ſola aſſertiva Donantis, pro transferendo jure in Donatarium, ut monuerunt *Natt. conſ.* 10. *num.* 7. *Decian. conſ.* 33. *num.*52. *lib.*1. *coram Priolo deciſ.* 318. *nu.* 24. *& in recent. dec.*197. *num.*81. *& ſeq. par.*5. *& dec.*247. *num.*3. *par.*7. ſive quia præfatæ confirmationes nil aliud præſeferunt, quàm *unionem Eccleſiarum factam pro augenda maſſa Canonicorum Collegiatæ*, ut videre erat ex
4 illa anni 1233. & 1308. Ac proinde ſicuti unio incompatibilis eſt cum Jurepatronatus Eccleſiæ unitæ; quia ſervitus in re propria dari non poteſt, *Card. de Luca de Paroch. diſc.* 10. *nu.*8. *Rota. in Conſtantien. unionis ſuper bono Jure* 21. *Junii* 1710. §. *Præſertim coram R.P.D. meo Criſpo*, *& in Salisburgen. Vicariæ* 31. *Januarii* 1714. §. *Aſt Domini coram R.P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore*, *&* 4. *Februarii* 1715. §. *Unionem coram eodem R.P.D. meo Criſpo*, *& in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Minuſque coram Reverendiſſi-*
5 *mo D. meo Anſaldo Decano*; Ita ab unione prædicta plurium Eccleſiarum, inter quæ accenſetur Xantenſis, facta in augmentum Præbendæ, & cum conſenſu Patronorum, potiùs amiſſum, & extractum cenſetur quodcumque eorumdem Juſpatronatus per ea, quæ adnotant *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *qu.* 7. *art.*10. *nu.*1. *Vivian. eodem tract. lib.*5. *cap.*1. *n.*13.

Quia potiori lege ſic diruta, inutiliter recurrebatur ad patrocinium obſervantiæ. Quippè quæ vel colligebatur *ex adnotationibus in quibus Præpoſitus Xantenſis deſcriptus reperitur tanquam Collator*, & iſtæ ſunt extra ſphæram præſentis dubii unicè cadentis ſuper pertinentia juriſpatronatus, non verò ſuper jure conferendi, cujus examen eſſet in particulari judicio aſſumendum; Vel *ex deſcriptionibus quarumdam ſimplicium Inveſtiturarum, & Inſtitutionum per Præpoſitum conceſſarum in Beneficiis inferioribus ſitis in Eccleſia*
6 *Durſten*, & tamen ex enunciatis Inveſtituris nil inferri poteſt ad juſpatronatus, juxta doctrinam *Abb. in ca. auctoritate nun.*9. *de Inſtit.* quam ſequitur *Lotter. de re benef. lib.* 2. *qu.* 1. *n.* 24. *Vivian. de Jurepatr. lib.* 5. *cap.*1. *n.*103. Vel demùm ex enunciativa, quod *Eccleſia de Dorſten ſpe-*
7 *ctaret ad Eccleſiam Xantenſem*, & ea cum emiſſa fuerit uſque de anno 1292. recipit eam congruam interpretationem, ut referri debeat ad pertinentiam, quæ reſultabat ab enunciativa unionis, juxta præambulam confirmationem anni 1293. citra quod opus ſit eam referre ad titulum juriſpatronatus per ea, quæ adnotavit *Rot. coram Emerix jun. deciſ.* 947. *num.* 4. *& in rec. deciſ.* 330. *num.* 25. *par.* 9. *& in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1714. §. *Conſtabilita coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano*.

Sub eademque claſſe annumerari promerebantur aliæ enunciativæ quod videlicet *Villa Durſten eſſet Allodium Eccleſiæ Xantenſis*, *quodque iſtius Præpoſitus utì Archidiaconus in Eccleſia Colonien. eſſet Collator Eccleſiæ Parochialis in Dorſten* = ut ex *Summario Præpoſiti num.* 10. *&* 11. cui cohæret alia enunciativa relata *in eodem Summario num.* 12. per quam præmiſſa eadem enunciativa unionis hujus Parochialis Eccleſiæ Dorſtenſis eidem Archidiaconali Xantenſi refertur = *Juriſdictionem*, *ſive novam proviſionem vacantis Paſtoratus competiiſſe*, *& competere antedicto Præ-*

Præpoſito; Etenim, ut mox fuit prænotatum, *Jus conferendi*, ſeu *providendi*, nil commune habet cum pertinentia juriſpatronatus; *Allodium* verò præterquamquod & ipſum à jurepatronatus diverſum eſt, adhuc enunciatum reperitur tantùm
8 *de Villa Durſten*; Quapropter extendi non poteſt ad Eccleſiam, cùm aliud ſit *Villa*, aliud verò *Eccleſia*, nec una includi poteſt ſub denominatione alterius, ut in ſpecie advertit *Rot. in Cracovien. Plebaniæ* 22. *Januarii* 1717. §. *Atque hinc*, & 11. *Junii ejuſdem anni* §. *Quod ſi coram me*.

Verùm quodcumque legitimæ obſervantiæ initium everti penitùs viſum fuerat ex contraria, longævaque quaſi poſſeſſione liberè conferendi Paſtoratum, de quo agitur, in qua ultra centenariæ ſpatium reperitur Sereniſſimus Ordinarius; Iſta enim magis, magìſque confovet eam Juris aſſiſtentiam apud ipſum inhærentem pro libero exercitio collationis Beneficiorum ſuæ juriſdictionis, ut teſtatur *Rot. coram Bich. deciſ.* 146. *num.* 10. & *in rec. deciſ.* 406. *num.* 5. *par.* 16. & *in Novarien. Parochialis* 23. *Martii* 1696. §. *Nec ſufficienter cum ſeqq. coram clar. mem. Card. Caprara*; Abſque eo quod hujuſmodi collationum ſeries tribuenda ſint actibus ſpoliativis, & turbativis, non aptis præjudicium inferre intermediis præſentationibus factis ab Archidiacono, utì Patrono,
9 *ſicuti inquit præcedens Deciſio Cauſæ*; Quoniam cùm ex ſupra deductis nec à longè conſtet de pertinentia juriſpatronatus apud Præpoſitum, nullimodè congruere poteſt qualitas ſpolii, & actus turbativi reſpectu Ordinarii fulciti Juris aſſiſtentia, ut reſpondit *Rot. in Caputaquen. Juriſdictionis* 4. *Maji* 1708. §. *Siquidem coram*
10 *bon. mem. Caffarello*, itaut potiùs in oppoſitum actus intermedii aſſertarum præſentationum factarum à Præpoſito, ſi quæ adfuiſſent, remanerent eliſi, & prorſus abſorti ab antecedentibus, & ſubſequentibus liberis proviſionibus Ordinarii Collatoris, nè alicujus numeri eſſent habendi, ut conſentaneè firmavit *Rot. in Placentina Juriſpatronatus* 10. *Martii* 1704. §. *Cùmque coram bo. me. Molines*, & *in Romana Cappellaniæ S. Nicolai* 28. *Junii* 1709. §. *Diximus cor. Reverendiſs. D. meo Anſaldo Decano*.

Et ita utraque &c.

R. P. D. CERRO

Placentina Beneficii.

Lunæ 27. *Martii* 1719.

SUMMARIUM.

1 *Appellatio non cauſam, ſed inſtantiam tantummodo diverſificat.*

2 *Vocatis ad Juſpatronatus ſolis maſculis, hæres qualitate maſculina non pollens, quaſi poſſeſſione defuncti juvari non valet.*

3 *Vocatis ad Juſpatronatus ſolis Maſculis, Fœmina in eo ſuccedere non poteſt.*

4 *Per Codicillos non cenſetur receſſum à diſpoſitis in Teſtamento.* Limita, ut ibi.

5 *Vocatis in Teſtamento ad Juſpatronatus ſolis Maſculis, & in Codicillo vocatis abſolutè, & ſimpliciter hæredibus, & deſcendentibus, nomine hæredum, & deſcendentium, veniunt ſoli hæredes, & deſcendentes maſculi.* Amplia, ut num. 6.

7 *Reſervato Jurepatronatus ab Ordinario in limine fundationis favore omnium deſcendentium ſinè ulla qualitate maſculinitatis, habita relatione ad Teſtamentum, & Codicillos; pro ſtatuendo qui veniant nomine deſcendentium, recurrendum eſt ad diſpoſitionem factam in Teſtamento, ac in Codicillis.*

8 *Dicti* quodlibet *tribuens unicuique jus in ſolidum, & cumulativum, importat jus non decreſcendi, vel jus accreſcendi reſultans à conjunctione ſaltem verbali.*

9 *Vocatus ad quotam hæreditatis, ſuccedere poteſt in toto Jurepatronatus.*

10 *Donatio Juriſpatronatus facta Beneficio pleno, & pro prima vice, qua vacare contigiſſet, an ſuſtineatur abſque confirmatione Apoſtolica.*

11 *Ad validitatem donationis Juriſpatronatus non ſufficit conſenſus Vicarii, aut Pro-Vicarii.*

DECISIO IX.

DEcertantibus inter ſe Franciſco Carraria à D. Marchione Laurentio Verzuſio Biretta Lando præſentato, ac Joſepho de Sylveſtris nominato à D. Comitiſſa Hippolyta Landa, ſeu Joanne Baptiſta

ptiſta Jacometto illius Donatario ſuper adjudicatione Beneficii S. Margaritæ erecti in executionem piæ diſpoſitionis Margaritæ Landæ arriſit Joſepho de Sylveſtris Judicium Sacri Auditorii uſque ad promulgationem ſententiæ coram R.P.D. meo Foſcaro præviis Deciſionibus editis ſub diebus 3. Julii 1717. & 11. Martii anni præteriti, ad hoc impellente ea potiſſima ratione, quod Fundatricis voluntas, licèt juxta Teſtamenti tenorem apertiſſima pro reſtrictione Juris præſentandi ad ſolos filios, & deſcendentes maſculos ſuorum hæredum, vel correcta fuerit in Codicillis poſtea conditis, ac in erectione juriſpatronatus facta auctoritate Ordinarii, vel ſaltem non leves involveret difficultates prælario maſculi in excluſionem fœminæ alterius lineæ, quodque præſens controverſia ageretur inter præſentatos in ſimplici poſſeſſorio, atque ideo non aliàs dirimenda eſſet, quàm ad formam ultimi ſtatus ex perſona Franciſci Patris aſſiſtentis Hippolytæ. Verùm in hac nova inſtantia ad me devoluta, expoſito negocio diligentiori trutinæ, cùm ex documentis nunc ſuperadditis, detecta fuerit earundem rationum inſubſiſtentia, Domini convenerunt in reſponſo pro informatione ſententiæ.

Quod enim præſens litigium non verſetur in mero poſſeſſorio, ſive inter duos præſentatos inſtitutionem petentes, facilè pandebat illius inſtructio ſecuta coram Vicario Generali Placentiæ poſt expletam unam, atque alteram præſentationem ab unoquoque Patrono: Iſti quippè primariò, & principaliter egerunt ſuper juriſpatronatus pertinentia, exhibendo in actis jura, quæ illam concluderent, ac ſuper eadem pertinentia juriſpatronatus interlocutus fuit Vicarius Generalis ejus ſententia, qua pronunciavit præſentationem Marchionis Verzuſii Birettæ Landi, tamquam factam à vero, & unico legitimo Patrono dicti Beneficii, validam fuiſſe, & eſſe, valere, & tenere debere &c. non obſtantibus deductis pro parte Joſephi de Sylveſtris nominati, & præſentati ad idem Beneficium per Jacomettum aſſertum ceſſionarium Comitiſſæ Hippolytæ Landæ, cujus nominationem, & præſentationem, utpotè procedentem à perſonis nullum jus nominandi, & præſentandi habentibus, rejecit ideo, ac omninò invalidam, & inſubſiſtentem declaravit; in quibus profectò terminis neutiquam ſuſtineri poteſt, Patronos adhæſiſſe dumtaxat inſtitutioni petitæ ab eorum præſentatis, ut indè immutari non potuerit natura Judicii poſſeſſorii, ſed comparuiſſe dicendum eſt pro tuitione principali eorum juriſpatronatus, nullumque iſti actioni ita introductæ ſuper petitorio potuit præjudicium inferri à dubio in Rota diſputato ſuper adjudicatione Beneficii, utpotè quod reſpicit etiam petitorium, ubi Patroni jam erant in cauſa, & adjudicatio diſputabatur in gradu appellationis à ſententia lata in petitorio, cùm
1 appellatio non cauſam, ſed inſtantiam tantummodo diverſificet, *Rot. cor. Coccin. deciſ.42. num.6. & deciſ.78. num.10. & deciſ. 123. num. 9.* Licèt de cætero tametſi ſtandum eſſet quaſi poſſeſſioni præſentandi dicti Franciſci, attamen cum illa inhæ-
2 ſerit qualitati maſculinitatis, dum vocatio ex infrà dicendis reſtricta fuit ad ſolos maſculos in hoc jurepatronatus, utique hæres, quæ dicta qualitate maſculina non pollet, nec quaſi poſſeſſione iſta defuncti juvari valeret, ad notata per *Rotam in Caſertana Beneficii* 27. *Martii* 1715. §. *Ratio, cor. Eminentiſſimo Scotto, & in Salernitana Juriſpatronatus* 13. *Januarii* 1716. §. *Certa coram R. P. D. meo Criſpo.*

Re itaque perducta ad examen pertinentiæ juriſpatronatus, videbatur illicò omnis quæſtio deciſa ex ipſa diſpoſitione Margaritæ Fundatricis: Illa enim ſcriptis ſibi in hæredes pro æquali Verzuſio Lando ejus fratre, & Franciſco ex Aſcanio altero fratre præmortuo nepote, illos erigere gravavit duo beneficia juriſpatronatus Laicalis, ita *quod nominatio, & præſentatio Clericorum &c. ad dicta beneficia, & ad quodlibet eorum ſpectet, & pertineat ad dictos ſuos hæredes donec vixerint, ſeu vixerit, & poſt eos ad filios, & deſcendentes dictorum hæredum ſuorum uſque in infinitum, maſculos tamen, & legitimos &c.*
3 Quorum deſcendentium maſculorum appellatione, quo magìs includitur Marchio Laurentius, quantumvis de linea dicti Verzuſii per medium fœmininum deſcendat, juxta receptum *conſil. Fulgoſ.* 85., quod communiter ſequuntur *Card. de Luca*

ca de Jurepatr. diſc. 28. *num.*3. *& diſc.*29. *num.* 8. *Rota in recent. deciſ.* 132. *num.* 14. *& ſeqq. par.*16. *& deciſ.*27. *nu.*1. *par.* 18. *& in Faventina Jurispatronatus* 12. *Maji* 1710. §. *Quin prædictis, coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano*, cò magìs repellitur Hippolyta, quæ tamquam fœmina ad illud aſpirare non poteſt, ad tradita per *Peregrin. conſil.* 23. *num.*3. *Fuſar. de ſubſtit quæſt.* 311. *num.* 10. *Rodulphin. alleg.* 179. *num.* 5. *Rot. coram Buratto deciſ.* 272. *nu.*3. *&* 16. *& cor. Dunozz. jun. deciſ.*651. *num.*32.

4 Quin adeò manifeſta vocatio taxativè ad ſolos maſculos alterata, vel in minimo fuerit in poſterioribus codicillis, in quibus vocati reperiuntur indiſtinctè hæredes; & deſcendentes; Nam præmiſſa ea juridica regula, qua traditur codicillos ita eſſe teſtamenti partes, ac viciſſim ſupplere Teſtantis voluntatem, ut per eos receſſum non cenſeatur à diſpoſitis in teſtamento, niſi vel fuerit expreſſum, vel cum eis conciliari non valeat, ad *Text. in leg. Alumnæ* 30. §. *Qui filiam ff. de aliment. legat. & leg. Sancimus Cod. de Teſtam. Peregr. de fideicommiſ. artic.* 18. *num.* 33. *Palma Nep. alleg.*389. *num.*23. *Rot. coram Emerix jun. deciſ.*373. *num.*6. *& in recent. deciſ.*347. *nu.*9. *par.*14. *& deciſ.*232. *nu.*4. *& ſeqq. par.*18. *& in Romana fideicommiſſi de Alberinis* 10. *Martii* 1698. §. *Geminæ*

5 *cor. R.P.D. meo Lancetta*; Non erat porrò unde iſta correctio deſumi valeret ex ſola diſtincta vocatione hæredum, ſeu deſcendentium, cùm iſtorum nuncupatio non ſolùm non ſit incompatibilis cum antecedenti expreſſione deſcendentium maſculorum emiſſa in teſtamento, ut neceſſe eſſet pro illa abroganda, ſed congruè conciliari poteſt, ut reſtringatur ad ſolos maſculos; Hoc autem non fieri permittitur ex tacita, & præſumpta mente Teſtatricis, ad notata per *Peregrin. de fideicommiſ. artic.*25. *ſub num.*49. *Fuſar. de ſubſtit. quæſt.* 325. *nu.*8. *& ſeqq. Rot. poſt Vivian. de Jurepatr. deciſ.*139. *num.*9. nullo tutiori medio fieri poteſt, quàm illo ſubminiſtrato ab ipſa Teſtatrice in præcedenti elogio, quod ſupplet, declaratque ſui natura codicillos tanquam ejuſdem Teſtamenti partes, per ea, quæ advertit *Rota in rec. deciſ.* 160. *num.*11. *&* 12. *par.*13.

6 Quod ſi ſola iſta actuum conſonantia, & connexitas apta eſt ſuadere de per ſe hanc tacitam repetitionem qualitatis maſculinæ in deſcendentibus vocatis in codicillis, efficitur ea quodammodo neceſſaria ex ipſa voluntate Fundatricis: Etenim iſtos hæredes, ſeu deſcendentes non invitavit indefinitè in codicillis per orationem complectentem perſonas diverſi generis ab eis, quas explicaverat in teſtamento, ſed uſa fuit dictionibus repetitivis ibi = *dictorum ſuorum hæredum, ſeu eorum deſcendentium* = & rurſus ibi = *Per dictos hæredes ſuos, vel deſcendentes ut ſupra* = quæ continuativæ, & præſuppoſitivæ ſunt illorum met hæredum, & deſcendentium, quos nuncupaverat in priori teſtamento. Qua propterea ſi in teſtamento iſti hæredes, & deſcendentes appellati noſcuntur ſub qualitate maſculina, non diverſimodè intelligi poſſunt vocati etiam in codicillis, ita exigente efficacia dictionis relativæ, quæ non poteſt repetere eas qualitates, quæ aderant in ſuo relato, ut teſtatur *Rodulphin. alleg.* 14[?]. *nu.*6. *Adden. ad Buratt. dec.*272. *ſub n.*19. *&* 20. *Rota in Mediolanen. Cappellaniæ* 23. *Martii* 1703. §. *Fortiùs cor. bon. mem. Molines*; Quando alioquin ubi verba hæredum, & deſcendentium accipiantur in tota eorum latitudine, & ſic indefinitè, prout ſonant in codicillis, abſque eo quod ſuppleantur à qualitatibus, quibus circumſcripta legebantur in teſtamento, apta profectò eſſent nedum ſubincludere fœminas; ſed etiam illegitimos, ac ſpurios quoſcumque, à quibus adeò enixè in teſtamento Fundatrix abhorruerat, cùm iſti non minùs, quam legitimi veniant appellatione deſcendentium, juxta animadverſa per *Rotam in rec. deciſ.* 272. *num.*6. *& ſeq. par.*8. *& deciſ.*241. *num.*10. *par.*16. *& in Mediolanen. Archipresbyteratus* 27. *Januarii* 1710. §. *Non adverſante, cor. R. P. D. Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*.

7 Minùs verò iſtiuſmodi mentis correctio reſultare potuit à facto Ordinarii, qui erigendo juſpatronatus illud reſervaverit favore omnium deſcendentium ſinè ulla qualitate maſculinitatis: Objectum enim ſtatim diſſolvebatur ob eam præciſam, individuamque relationem, quam habuit ad diſpoſita ab eadem Teſtatrice ibi = *Ipſi D. Franciſco, & poſt eum ejus filiis, & deſcen-*

deſcendentibus legitimis, *& naturalibus*, *& alias ad formam ordinatorum per dictam Teſtatricem* = Ac propterea relatio tam generalis, & indefinita non patitur, quod reſtringatur ad dotis quantitatem, & onera injuncta Cappellano, ſed retinere debet ſuam naturalem amplitudinem, itaut pro dignoſcendo de quibus filiis, & deſcendentibus intellexerit in reſervatione juriſpatronatus recurrendum ſit æquè ad diſpoſitionem factam in teſtamento, ac in codicillis tanquam ad ſuum relatum, ab eaque capienda interpretatio, qualis revera fuerit illius voluntas, *Rota in recent. deciſ.* 87. *nu.* 4. *par.* 15. *& deciſ.* 207. *nu.* 23. *par.* 19. *& in Reatina fideicommiſſi de Vincentinis* 14. *Martii* 1701. §. *Neque coram Eminentiſſimo Scotto*. Præſertim quia omnium clarius hoc ipſum declaravit idem Franciſcus Landus Pater Comitiſſæ Hippolytæ, qui in controverſia acta contra tertios poſſeſſores pro recuperatione bonorum Margaritæ Fundatricis anno 1682. faſſus fuit ad hoc juſpatronatus eſſe vocatos deſcendentes maſculos tantùm, & legitimos ad formam teſtamenti dictæ Margaritæ, quàm ſanè confeſſionem impugnari non poſſe ab hærede, tradidit in ſpecie *Vivian. de Jurepatr. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 47. *Rot. in Caſertana beneficii* 27. *Martii* 1715. §. *Superaccedente coram Eminentiſſimo Scotto*.

Atque à ſtatuta ſic vocatione ad ſolos deſcendentes maſculos inefficax comperiebatur alia exceptio ducta in antecedentibus contrariis Deciſionibus à privilegio lineæ, in quam juſpatronatus ingreſſum fuit, ac ſi vocatio maſculorum facta fuerit diſtributivè in qualibet linea pro unoquoque Beneficio, non verò de una ad aliam; Quandoquidem hæc diſcreta diſtributio unius, & alterius lineæ ſubmovebatur, ſive à teſtamenti verbis ibi = *Quæ Beneficia voluit*, *& vult eſſe Juriſpatronatus dictorum ſuorum hæredum &c.* = & rurſus = *Quod nominatio*, *& præſentatio ad dicta Beneficia*, *& ad quodlibet eorum ſpectet*, *& pertineat ad dictos ſuos hæredes*, *donec vixerint*, *ſeu vixerit*, *& poſt eos ad filios*, *& deſcendentes dictorum hæredum ſuorum uſque in infinitum maſculos*
8 *tamen &c.* = Quæ dictio = *quodlibet* = tribuens unicuique jus in ſolidum, & cumulativum importat jus non decreſcendi, vel jus accreſcendi reſultans à conjunctione ſaltem verbali, ut adnotavit *Rota in recent. deciſ.* 374. *num.* 4. *&* 5. *par.* 11. Sive, & manifeſtiùs ex providò ejuſdem Fundatricis conſilio, quo in codicillis in caſu diſcordiæ ſuorum hæredum, ſeu eorum deſcendentium juſſit, nomina Sacerdotum extrahi per ſortes; hæc inquam diſcordia, quæ non minus oriri poterat in primis hæredibus, quàm in eorum deſcendentibus evidenter patefacit jus cumulativum eorundem ad utrumque beneficium, in quo tantùm, non autem in diſcretiva vocatione iſta præviſa diſcordia eſſet verificabilis, ad *Text. in Clementina Plures de Jurepatr. Gonzal. ad reg.* 8. *Gloſſ.* 45. *num.* 58. *&* 64. *Rota in Hiſpalen. diviſionis ſimultaneæ* 4. *Junii* 1700. §. *Fatentur coram Eminentiſſimo Priolo*. Citrà quod juri iſti cumulativo aliquo modo adverſaretur inſtitutio hæredum facta pro medietate proportionabiliter, & æquis proportionibus, cùm ea reſpiciat dividuam diſtributionem hæreditatis, non autem vocationem ad juſpatronatus, quod reſervatum fuit jure ſanguinis, & pro hæredibus, iſtorumque deſcendentibus, nullamque involvit legalem repugnantiam,
9 quod quis vocetur ad quotam hæreditatis, & ſuccedat nihilominus in toto jurepatronatus, ut admiſit *Rota apud Modernum Roman. diſcept. Eccleſ.* 14. *n.* 31. *&* 32. *& in Sulmonen. Juriſpatronatus* 3. *Junii* 1715. §. *finali cor. R. P. D. meo Falconerio*, *&* 4. *Maji* 1716. §. *Quandoquidem coram Reverendiſſimo Althann.* Præterquamquod pro tollenda quacumque ambage ſatìs erat teſtamentum nuper exaratum à dicto Comite Franciſco Lando, in quo jure legati, omnique alio meliori modo reliquit Marchioni Laurentio omnia jura, & pertinentias quaſcumque, & hæreditatem ſibi perventam, & olim ſpectantem ad Joannem Paulum Landum, ejuſque Majores, & Anteceſſores, ut *in Summario Additionali Marchionis num.* 3. Vix autem erat dubitabile tantam verborum amplitudinem transtuliſſe etiam juſpatronatus, ex adductis per *Rot. in recent. deciſ.* 64. *num.* 7. *&* 11. *par.* 13.

Nec majoris ponderis detecta fuit alia animadverſio, quod Verzuſius primus hæres Margaritæ Fundatricis non curaverit erigi alterum Beneficium, ut tenebatur;

Unde irrationabile videatur illius deſcendentes frui commodo juris accreſcendi in jurepatronatus alterius beneficii erecti à Comite Franciſco. Evictio enim, & ſubhaſtatio bonorum obventorum Verzuſio ex cauſa cenſus ab ipſa Fundatrice impoſiti, vel removebat omnem illius culpam, & negligentiam, ſi commiſſam beneficii erectionem non implevit, *Manſ. conſult. 796. num. 17. Palma Nep. alleg. 366. num. 22. Rota in Romana caducitatis 3. Junii 1702. §. Subnixa, & §. Ejuſdem coram bon. mem. Molines*, vel ſaltem indiſpenſabilem reddebat neceſſitatem præcedentis monitionis, unà cum Judicis ſententia, ut incurri valeret pœna privationis, ad cenſuram *Text. in authent. hoc amptius Cod. de fideicomm.* cum aliis per *Rot. in dicta Romana caducitatis §. In præſenti, & in Romana fideicommiſſi de Aluoris 27. Martii 1716. §. Quin juvaret cum ſeqq. coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo*. Quæ faciliùs admittenda videbantur in excuſationem Marchionis nullius culpæ participis, ſi quæ adeſſet, quique jure proprio, & ſolo ſanguinis vinculo in hoc jurepatronatus ſuccedit, cùm pœna privationis trahenda non ſit de perſona ad perſonam, ut cenſuit *Rota in recent. deciſ. 136. num. 8. par. 13. & in Aſten. Prioratus ſuper Inſtitutione 11. Junii 1708. §. finali coram R.P.D. meo Lancetta, & in Lucana Beneficii 26. Junii 1709. pariter §. finali coram R.P.D. meo Falconerio*.

Quamquam verò ex ſupra deductis fuerit plenè vindicatum bonum jus Marchionis in excluſionem Comitiſſæ Hippolytæ, maſculina qualitate deſtitutæ, attamen nè adjudicatio controverſi beneficii in præcedenti inſtantia decreta favore Joſephi præſentati à Joanne Baptiſta Jacometto ullo jure ſubſiſteret, urgebat ſpecialiter motivum nullitatis donationis emiſſæ à præfata Comitiſſa Hippolyta erga antedictum Jacomettum, nedum quia
10 ea facta fuerat beneficio adhuc pleno, & pro prima vice, qua vocare contigiſſet, & proinde nullo pacto poterat ſuſtineri abſque confirmatione Apoſtolica, ut per *Text. in cap. ultimo de conceſ. Præben.* benè advertunt *Roland. à Vall. conſil. 27. nu. 53. lib. 1. Vivian. de Jurepatron. par. 2. lib. 5. cap. 2. num. 5. Rota coram Comitulo deciſ. 8. num. 8.* Verùm etiam quia nec adhibitus fuit aſſenſus Epiſcopi, ſed ſola intervenit approbatio Pro-Vicarii, qui licèt aſſeruerit in ejus decreto participaſſe negocium cum Epiſcopo, & de ejus conſenſu &c. nihilominus non docto de ſpe-
11 ciali Epiſcopi delegatione, talis aſſertio parùm attenditur, nec Pro-Vicarii conſenſus ſatìs eſt pro convalidanda donatione juriſpatronatus, ut pluriès reſpondit *Rota ſignanter coram Royas deciſ. 99. num. 3. & ſeqq. & in Melevitana Juriſpatronatus 4. Julii 1696. §. Conſtito, coram bon. mem. Molines, & in Majoricen. Juriſpatronatus 16. Maji 1704. §. Haud. ſubſiſtente cor. bo. me. Muto*.

Et ita utraque &c.

R. P. D. FALCONERIO

Faventina Beneficii.

Veneris 23. Junii 1719.

SUMMARIUM.

1 *Juſpatronatus relictum, ſeu legatum in teſtamento, ad hoc ut tranſeat in Legatarium, an requiratur conſenſus Ordinarii.*

2 *Vacante Eccleſia Patronali, antequam Legatum Juriſpatronatus fuerit approbatum ab Epiſcopo, an præſentatio ſpectet ad Legatarium, vel potiùs ad hæredem*: & num. 16.

3 *Præſentatus ab hæredibus Legatarii Juriſpatronatus eſt inſtituendus.*

4 *Legatum Juriſpatronatus abſque conſenſu, & confirmatione Epiſcopi, an ſit inutile, & inefficax*: & num. 8.

5 *Legatarium Juriſpatronatus habuiſſe ſcientiam hujus legati, ex quibus præſumatur.*

6 *Legatum Juriſpatronatus quamvis penitùs ignoratum à Legatario tranſmittitur tamen ad hujus hæredes.*

7 *De ratione differentiæ cur hæreditas purè delata, non tranſmittatur, niſi fuerit agnita, ſecus verò legatum, vel fideicommiſſum quod non agnitum, nec verbo reſtitutum ad hæredes tranſmittitur.*

8 *Legatum Juriſpatronatus abſque conſenſu Epiſcopi eſt quidem inefficax ad transferendum dominium, ſed non eſt omnino inutile, tanquam ſi Teſtator nihil egiſſet, aut*

aut ejuſmodi legato lex reſiſteret.

9 *Ad effectum tranſmiſſionis legati Juriſpatronatus ad hæredes Legatarii non requiritur dominii acquiſitio, ſed ſufficit, quod dies legati ceſſerit.*

10 *Tranſmiſſio legati Juriſpatronatus ad hæredes, tunc ſolùm impeditur, quando Legatarius præmoritur Teſtatori, aut legatum eſt conditionale, & conditio, vivente Legatario, non adimpletur.*

11 *Legatum conditionale, non adimpleta conditione per negligentiam Legatarii evadit caducum, & non tranſmiſſibile.*

12 *Obligatio petendi conſenſum Ordinarii non reddit legatum Juriſpatronatus conditionale.* Et quare? Vide ibi.

13 *Ceſſio, ſive donatio Juriſpræſentandi pro unica vice non tranſit ad hæredes ceſſionarii, ſive donatarii.*

14 *Mortuo donatario, ejus hæredes poſſunt petere confirmationem donationis Juriſpatronatus ab Ordinario.*

15 *Conſenſus Ordinarii retrotrahi non poteſt ad diem donationis Juriſpatronatus, ſi medio tempore fuerit alteri juſquæſitum; ſecus ſi agatur de legato Juriſpatronatus, tunc enim conſenſus retrotrahitur ad diem mortis Teſtatoris, à qua cedit legatum*: & num.16.

17 *Quæ ſit differentia inter legatum, & donationem.*

18 *Compatroni ante confirmationem legati portionis Juriſpatronatus facti ab altero Compatrono poſſunt præſentare, & non tenentur expectare dictam confirmationem.*

19 *Generalis expreſſio, quæ ad unum tantùm referri valet, habetur pro expreſſione individuali.*

20 *Ordinarius qualitercumque in actibus proportionatis agnoſcat Legatarium Juriſpatronatus in verum Patronum, tacitè legatum confirmat.*

21 *Sola petitio confirmationis præſervat jus Legatario, aut Donatario, adeòut ſequens confirmatio retrotrahatur, non obſtante præſentatione medio tempore facta per hæredem.*

22 *Epiſcopus committendo Vicario, quod præſentato per Legatarium inſtitutionem concedat, dicitur implicitè Legatum approbare.*

DECISIO X.

1 JUſpatronatus Eccleſiaſticum licèt in laicum particulari titulo transferri nequeat ſinè aſſenſu Epiſcopi: Si tamen in teſtamento legatum fuerit, aſſenſum prædictum non requiri quia tunc acquiritur per ſucceſſionem, ſuſtinuit *Federic. de Sen. in conſ.225. per totum*; Cujus tamen opinionem communiter moderniores reprobarunt, ut notant *Butr. Abb. & Petr. Ancheran. in cap. Cùm jaculum 13. de Jurepatronatus*: Illud verò ſub dubio remanſit = *An, vacante Eccleſia priuſquam aſſenſus fuerit impetratus, præſentatio ſpectet ad Legatarium, an potiùs ad hæredem?* Id quod in præſenti cauſa diſceptandum venit: Nam Octavius Baroncellus, erecto beneficio in Parochiali Eccleſia S.Appollinaris Caſtri Ruſſi Faventin. Diœceſis, in ſuo teſtamento, cum quo deceſſit de anno 1693. inſtituit ſibi hæredem Venerabilem Societatem S. Mariæ in Albis ejuſdem Loci, & juſpatronatus legavit Petro Hieronymo Baroncello ſuo conſanguineo: Cùmque vacatio non eveniſſet, niſi de anno 1713. mortuo jam Legatario, hæredes illius, tranſmiſſis ad Ordinarium longè abſentem, precibus pro confirmatione legati, præſentarunt interim coram ejus Vicario Natalem Antonium David ſub die 19. Maji 1713. poſtera verò die comparuit hæres Teſtatoris, & prætendens jus præſentandi ad ſe pertinere, præſentavit Pellegrinum Bendolum: Quo renunciante huic præſentationi ſub die 30. dicti menſis, aliam hæres fecit præſentationem in perſonam Gentilis Lega ſub die prima Auguſti proximè ſequentis: Et ſub die quinta menſis ejuſdem exhibitum fuit coram Vicario reſcriptum Epiſcopi Viennæ degentis, concedens ipſi Vicario facultatem approbandi legatum, veris exiſtentibus narratis: Prout cum effectu viſis videndis illud approbavit.

In hoc ſtatu rerum formato judicio inter dictum Natalem David præſentatum ab hæredibus Legatarii, & dictum Gentilem Legam præſentatum ab hærede Teſtatoris, prodiit ſententia Vicarii favore David, quam poſtea confirmavit Eminentiſſimus Legatus Romandiolæ Judex delegatus per Breve Apoſtolicum: Sed re-

clamante Lega, commiſſaque cauſa Prælato in Curia, hic utramque ſententiam revocavit, atque ipſum Legam inſtituendum decrevit, emanato ſuper motivis reſolutionis diſertiſſimo voto. Quapropter Alexander David in locum d. Natalis germani fratris Apoſtolica authoritate ſubrogatus, experiendo ſua jura in hoc Sacro Auditorio, prævia commiſſione Signaturæ mihi directa, propitium habuit judicium Dominorum, qui hodie, me interrogante, reſponderunt, inſtitutionem eſſe dandam ipſi Alexandro.

Si enim obſequendum eſt voluntati Fundatoris, ubi jus non reſiſtit. Fundator certè voluit inſtituendos eſſe præſentatos à Legatario, non autem ab hærede, quia juſpatronatus ad Legatarium potiùs quàm ad hæredem tranſmiſit; Nec ejuſmodi legato jus reſiſtit, accedente, prout acceſſit, Epiſcopi confirmatione: *Ut in dicto cap. Cùm ſæculum de Jurepatronatus*, tradunt *Jo Andr. Butr. Abb.* & alii com-
3 muniter; Propterea cùm dictus Alexander utì ſubrogatus in locum Natalis Antonii David ſui fratris, habeat præſentationem Legatarii, ſive ejus hæredum, penès quos ex voluntate Fundatoris reſidet juſpatronatus, tamquam præſentatus à veris Patronis ex debito juſtitiæ venit inſtituendus *Can. Decernimus*, *& Can. Monaſterium* 16. *quæſt.* 7. *Rot. par.* 2. *recent. deciſ.* 337. *num.* 1. *coram Pœn. deciſ.* 1674. *num.* 1. *coram Priolo deciſ.* 136. *num.* 24. *coram Alex. VIII. deciſ.* 236. *num.* 1.

4 Non obſtante duplici principali fundamento, cum quo proceſſit contraria relata reſolutio: Primò ſcilicet, quod Legatarius, qui Teſtatori ſupervixit decem, & octo annos, numquam legatum agnovit, nec ab Ordinario confirmationem petere curavit, ſinè qua legatum remanſit inutile, & nullius momenti *cap. Quod autem, & cap. Illud* 8. *de Jurepatronatus*, ac proinde cùm nullum jus ipſe acquiſiviſſet, nullum pariter jus ad hæredes tranſmittere potuit, ex regula ≔ *Nemo plus juris ff. de rug. Jur.* Altero, quod tametſi ad hæredes Legatarii tranſiiſſet jus petendi dictam confirmationem ab Ordinario, quia tamen præventi fuerunt à Teſtatoris hærede, qui Rectorem præſentavit antequam legatum fuiſſet ab Ordinario confirmatum, ideo prævalere debeat ipſa hæredis præſentatio; Nam quouſque non intervenerat aſſenſus Ordinarii legatum erat inutile, & juſpatronatus ab hæreditate non diſceſſerat; Et conſequenter ſolus hæres præſentare potuit, non autem Legatarius, cui nondum erat juſpatronatus quæſitum; Nec ſupervenientem Ordinarii conſenſum nocere præſentationi jam factæ per hæredem, quia illius retrotractio fieri non debet in præjudicium juris tertio quæſiti, ex auctoritatibus infra recenſendis.

Etenim primum fundamentum fragile
5 nimis viſum fuit: Quia cùm in facto dubitari non poſſet, Legatarium habuiſſe ſcientiam hujus legati, ut ex eo ſatìs colligebatur, quod Domum ſibi pariter in eadem parte teſtamenti, & eodem orationis contextu relictam poſſederat; Ac de hoc ipſo legato juriſpatronatus notationem fecerat in ſuis privatis ſcripturis; Hæc ſola ſcientia in legato merè lucrativo, & nullum onus habente, inducit validam præſumptionem acceptationis: Imò ſcientia ipſa pro acceptatione habetur; Quia ferè nemo reſpuit oblatum beneficium *Bartol. in l. Quo enim* §. 1. *ff. rem rat. haber. Dec. in l. In traditionibus n.* 15. *Cod. de pact. & conſ.* 558. *num.* 2. *Cravett. conſ.* 261. *num.* 5. *Roland. conſ.* 19. *num.* 34. *lib.* 1. *& conſ.* 4. *lib.* 2. ubi hoc ampliat etiam in ſcientia præſumpta ex conſanguinitate, vel temporis, aut loci congruitate, *Burſat. conſ.* 33. *num.* 5. *Card. de Luc. de legat. diſc.* 28. *nu.* 3. *Surd. dec.* 111. *nu.* 13. *& dec.* 206. *nu.* 11. *Theſaur. dec.* 70. *nu.* 12. *Joſeph. Ludovic. dec.* 29. *n.* 8. *Adden. ad Gregor. XV. deciſ.* 97. *num.* 8. *in fin. Rot. par.* 1. *recent. dec.* 262. *n.* 2. *par.* 4. *dec.* 142. *n.* 7. *par.* 9. *dec.* 40. *n.* 23. *&* 29. *& dec.* 217. *n.* 12. *& dec.* 356. *n.* 8. *cor. Ubald. dec.* 191. *n.* 8. *poſt Salgad. dec.* 39. *n.* 25.

Præterea verò etſi legatum non fuiſſet ullo modo agnitum, ad hæredes tamen Legatarii tranſmitti potuit: Quia jus quidem univerſale ſucceſſionis hæreditariæ non agnitum non tranſmittitur, & requi-
6 rit animi declarationem; Legata verò, vel fideicommiſſa, & cætera jura diſpoſitione juris, vel hominis delata, quamvis penitùs ignorata, nihilominus ad hæredes tranſmittuntur, ut apertè probatur *ex l. fin. Cod. quando dies legat. vel fideicomm. ced.* cujus verba ſunt ≔ *Si fideicommiſſum*

ab

ab inteſtato fuerit ſorori tuæ relictum in Codicillis, & poſteaquam dies fideicommiſſi ceſſit, rebus humanis, licèt ignorans fideicommiſſum, exceſſerit, actionem hujuſmodi acquiri potuiſſe diſſimulare non poteris &c. ⩵ & hanc differentiam notant *Gloſſ. in l. fin. ad fin. Cod. de Curat. furioſ. Bart. & Jaſ. in l. Si adrogator. 22. ff. de adoption. Pinel. in l. 1. par. 1. num. 36. Cod. de Bon. matern. Claud. Chiflet. in tract. de fideicomm. cap. 9. Soccin. jun. cap. 150. n. 4. lib. 2. Giovagnon. reſponſ. 78. nu. 22. Surd. conſ. 341. nu. 5. Cujac. in paratiol. Cod. tit. quando dies legat. vel fideicomm. ced.* ibi ⩵ *Nec exigi ſcientiam, nec agnitionem Legatarii, nec traditionem rei legatæ &c.* ⩵ *Gomez in l. Tauri 53. num. 79. Menoch. lib. 4. præſumpt. 291. nu. 12. Cancer. par. 3. tit. de tranſmiſſion. nu. 112. Peregrin. de fideicom.*
7 *art. 31. ſub n. 2. in fin. & n. ſeq.* ubi quod hoc procedit in fideicommiſſis tam particularibus, quàm univerſalibus, & rectè quidem explicat rationem differentiæ, cur hæreditas purè delata non tranſmittatur, niſi fuerit agnita: Secùs verò fideicommiſſum, quod non agnitum, nec verbo reſtitutum, ad hæredes tranſmittitur: Quia nimirum hæres antequam hæreditatem adeat, nullum jus acquirit, nullamque habet actionem, ideo nihil eſt, quod tranſmittere poſſit: Fideicommiſſarius verò ſtatim, ac dies fidei commiſſi cedit, acquirit actionem, ſive Judicis officium, quo, ſi velit, poteſt hæredem cogere ad ſibi reddendam hæreditatem *l. Cogi poterit ff. ad S.C. Trebell.* & hanc actionem ad hæredes tranſmittit *dicta l. Cogi §. Idem Macianus, & l. Quidem 25. ubi DD. ff. ad S.C. Trebell. l. 3. & l. Si in perſonam Cod. de fideicomm.* Actiones enim de ſui natura tranſeunt ad hæredes, prout etiam Judicis officium *l. Veteres Cod. de contrah. ſtipulat. l. 1. & tot. tit. Cod. de action. hæreditar. l. Non ſolùm ff. de integr. reſtitut. l. Hæredem 59. & l. Hæreditas 62. ff. de reg. Jur. l. Nihil aliud. 24. ff. de verb. ſignificat. l. Hæres 37. ff. de acquir. hæredit. Peregrin. loc. cit. n. 4*

8 Qua ratione confutatur ultima pars objecti, quod nempè Legatarius, dum non curavit obtinere neceſſariam confirmationem legati ab Ordinario legatum remanſit inutile, & nullum jus in eo quæſivit, ideoque nullum etiam jus ad hæredes tranſmiſit. Siquidem ſinè aſſenſu Epiſcopi legatum fuit quidem inefficax ad transferendum dominium, quod alias recta via tranſiiſſet in Legatarium *l. Legatum ff. de legat. 2. l. à Titio ff. de furt.* ſed non remanſit omnino inutile tamquam ſi Teſtator nihil egiſſet, aut ejuſmodi legato lex reſiſteret: Quia lex non irritat abſolutè juriſpatronatus legatum, ſed tantùm impedit dominii translationem, donec Epiſcopus aſſentiatur, ne quid ſimoniacum intercedat, nevè deterior Eccleſiæ conditio fiat, ut innuit *Rota deciſ. 17. num. 5. de Jurepatronatus in antiq. & cor. Coccin. deciſ. 457. num. 6.* Inde verò non benè infertur, quod Legatarius nequiverit le-
9 gatum ad hæredes tranſmittere: Nam ad effectum tranſmiſſionis minimè requiritur dominii acquiſito, quæ pluribus ex cauſis impediri poteſt; Sed hoc ſolum requiritur, quod dies legati, vel fideicommiſſi ceſſerit: Quæ dies in puris diſpoſitionibus cedit à morte Teſtatoris *l. Si poſt diem 5. §. Itaque ſi purum legatum l. Nec ſemel §. Item Celſus ff. quando dies legator. vel fideicommiſſ. ced. l. 1. §. In noviſſimo Cod. de caduc. tollen.* & ex tunc ſi Legatarius, vel Fideicommiſſarius decedat, jus petendi legatum, vel fideicommiſſum ad hæredes tranſmiſit *dicta l. Si poſt diem legati cedentem ff. quando dies legat. vel fideicomm. ced. l. Si Pontionilla 3. Cod. eodem l. Quidam ff. ad S.C. Trebell.* quamvis ipſe non agnoverit, nec dominium quæſierit, imò etiamſi in rerum natura, nondum eſſet res legata; vel nondum hæres hæreditatem adjerit, itaut nec petitionem Legatarius exercere potuiſſet, vel ex defectu rei, vel perſonæ, vel ex alio impedimento conditionem non faciente *dicta l. Nec ſemel §. Si cui homo generaliter l. Si uſusfructus §. Inde quærit l. Si dies adpoſita 21. l. Cùm illud., aut illud 25. §. Hæres meus ff. quando dies legat. ced. l. Hæredis aditio, & l. Si Titio §. Quædam autem ff. eod. Gloſſa in l. unica verb. Cedere Cod. de caduc. tollen. Bart. ibidem, & in l. Firmio Haliodoro 26. ff. quando dies legat. ced. Giovagnon. conſ. 78. nu. 21. Menoch. lib. 4. præſumpt. 201. nu. 39.* Sic igitur in præſenti licèt Legatarius dominium acquirere non potuerit abſque aſſenſu Ordinarii, tamen jus illud petendi aſſenſum, quem Ordinarius denegare ſinè juſta cauſa non poterat.

rat , ad tradit. *in cap. Nullus de Jurepatronatus* , & ſucceſſivè jus cogendi hæredem ad præſtandum legatum , utique tranſmiſit ad hæredes ; Nulla enim ratio ſubeſt cur jus illud peremptum , & extinctum dicatur , atque legatum intercidiſſe, & factum fuiſſe caducum , itaut non po-
10 tuiſſet ad hæredes tranſmitti ; Quia tunc ſolùm impeditur tranſmiſſio quando Legatarius præmoritur Teſtatori , aut legatum eſt conditionale , & conditio vivente Legatario non adimpletur, tunc enim dies legati non cedit , niſi à die qua fuerit impleta conditio *dicta l.* 5. §. *Sed ſi ſub conditione ff. quando dies legat. ced. l. unica* §. *Sin autem aliquid ſub condit. Cod. de caduc. tollen. l. Intercidit* 59. *ff. de condit. & demonſtr. l. Si cui legetur* 49. §.2. *ff. de leg.*

11 Minuſque juri conſentaneum viſum fuit aſſumptum, quod ipſa impetratio aſſenſus Epiſcopi eſſet velut conditio per Legatarium adimplenda ; Ideoque ſive dicatur conditio merè poteſtativa, ſeu mixta, cùm, vivo Legatario, non fuerit adimpleta per ejus negligentiam , legatum, juxta prædicta, factum fuerit caducum, & non tranſmiſſibile *l. In teſtamento* 31. *& l. penult.* §. 1. *ff. de condit. & demonſtr. l. Si ita hæres* 3. *& l. Uter ex fratribus* 23. *ff. de condit. inſtit. l. Si ea conditione* 3. *Cod. de condition. inſert.* & conſequenter inutiliter eam conditionem hæres , deinde adimpleverit , quia jus implendæ conditionis ad hæredes non tranſit *l. à Teſtatore* 109. *ff. de condit. & demonſtr. Bald. in l. Si plures* 3. *Cod. de condit. inſert. Peregrin. de fideicomm. art.* 16. *num.* 125. *Gail. lib.* 2. *obſervat.* 2. *Olea de ceſſ. Jur. tit.* 3. *quæſt.*10. *ſub num.* 8. Quidquid ſit in contractibus conditionalibus , de qua re videndi ſunt *Covar. practic. cap.* 39. *Salgad. in labyrint. par.*1. *cap.*33. *nu.*14. *Tiraquel. de retract. convent.* §. 1. *gloſſ.* 6. *num.* 15. *Vivian. in* §. *Sub conditione nu.*7. *inſtitut. de verb. oblig.*

Etenim in ultimis voluntatibus illa ſola conditio facit diſpoſitionem conditionalem , ac tranſmiſſionem impedit ſi vivo Legatario non fuerit impleta , quæ appoſita eſt per Teſtatorem , qui ſuam diſpoſitionem in aliquem eventum contulit : In caſu autem Teſtator nullam conditionem legato adjecit , & propterea ſuperflua eſt omnis diſſertio de conditione poteſtativa , vel mixta ; Quia legatum conditionale non eſt , ſed purum : Obligatio verò petendi aſſenſum non facit actum conditionalem , quia hæc à Teſtatoris volunta-
12 te non provenit , ſed à jure ; Omnis autem obligatio , ſive conditio , quæ extra teſtamentum advenit , vel ex juris diſpoſitione, vel ex natura rei , petitionem differt , ſed non impedit tranſmiſſionem, quia legatum conditionale non facit , ut reſpondit *Papin. in l. Conditiones* 99. *ff. de condit. & demonſtrat. l. Hæredis aditio* 7. *ff. quando dies legat. ced. l. Quod purè* §. 1. ibi = *At ſi extrinſecus ſuſpendatur legatum , non ex ipſo teſtamento , licèt ante decedat Legatarius , ad hæredem tranſmiſiſſe legatum dicimus* , *& l. Cùm illud* 25. *in fin.* ibi = *Namque dies legati , cui conditio non adſcribitur, quamvis extrinſecus expectanda ſit, cedit* = *ff. eodem tit.* ubi notandum, quod Textus loquitur de vera conditione ſuſpenſiva , ſed quia non eſt adſcripta per Teſtatorem, non impedit tranſmiſſionem, & rationem reddit *Craſſ.* §. *Legatum quæſt.*47. *nu.*2. = *Quia , inquit , impedire tranſmiſſionem eſt impedire judicium defuncti , quod lex ſua conditione non facit , niſi de aperta Teſtantis voluntate appareat &c. Sadolet. in l. Hæc verba n.*12. *ff. de legat.*1. licèt impediat nativitatem actionis , & obligationis *Craſſ. loc. citat. Gomez var. lib.* 2. *cap.* 11. *nu.*28. *Vaſquez de ſucceſſion. progreſſ. lib.*3. §. 17. *nu.*11. §. *De fideicom. art.*31. *num.*23. ubi quod tales conditiones neceſſariæ ex legis diſpoſitione ad validitatem legati , ſuſpendunt quidem actionem , ſed non impediunt tranſmiſſionem *Mantic. de conject. lib.*10. *tit.*5. *n.*10. *Altograd. conſ.* 107. *nu.*94. *lib.* 2. *Gi-vagn. conſ.*78. *nu.*1. *Cancer. de tranſmiſſ. nu.*116. *Rot. par.*1. *diverſ. deciſ.*782. *nu.*24. *&* 25. *cor. Duran. deciſ.*339. *nu.*44. *& ſeqq.*

Quibus non refragatur Deciſio Rotæ *in Piſana Cappellaniæ coram Bubalo impreſſa apud Vivian. lib.*4. *cap.*4. *poſt nu.*74. ubi fuit dictum , quod jus petendi aſſenſum ſuper donatione juriſpatronatus non tranſierat ad hæredes Donatarii , & conſequenter minùs competere poſſit hæredibus Legatarii : Ut ſubtiliter diſſerit votum ſupradictum : Cùm tranſmiſſio difficiliùs detur in ultimis voluntatibus , quàm in contractibus §. *Ex conditionali inſtitut. de verb. oblig. l. Si quis* 57. *ff. eodem l. Quoties*

*ties in fin. Cod. de donation. quæ ſub mod. Gomez var. cap.*11. *n.*36. *Olea de ceſſ. Jur.*
13 *tit.*3. *quæſt.*10. *num.*8. Siquidem in dicta Deciſione agebatur de ceſſione juris præſentandi pro unica vice, quæ meritò non tranſit ad hæredes, quia eſt veluti mandatum ad præſentandum, quod morte mandatarii, vel Mandantis extinguitur *l. Mandatum* 15. *Cod. mandati*, ut pleniùs Rota in ejuſdem terminis firmat *coram Emerix jun. deciſ.* 537. *& deciſ.* 583. Cæ-
14 terùm quod mortuo Donatario poſſint ejus hæredes petere confirmationem donationis ab Ordinario, deciſum refert *Ricc. par.*1. *dec.*224. *per tot.*

Unicam ergo dubitandi rationem Domini cognoverunt in ſecundo contrariæ
15 reſolutionis fundamento: Nempè quod præſentatio facta per hæredem antequam legatum fuiſſet ab Ordinario confirmatum, & conſequenter antequam juſpatronatus fuiſſet ab hæreditate ſejunctum, ac translatum ad Legatarium, ſuſtineri debeat, non obſtante aſſenſu ſuperveniente, qui non retrotrahitur in præjudicium terti, ſed actum confirmat ex nunc, non ex tunc, ut in præciſis terminis legati tradit *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 1. *par.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 16. *nu.*13. *art.* 17. *per tot. & art.* 22. *num.*5. ubi refert *Calderin.* ſic tenentem *Ferret. conſ.* 133. *lib.* 1. *Sanchez conſil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.*78. *nu.*3. *& ſeqq. Rot. par.*6. *recent. deciſ.* 356. *nu.* 18. *& ſeqq.* & in terminis donationis juriſpatronatus communiter tradunt *Actolin. reſ.* 9. *num.* 12. *& ſeqq. Corrad. in prax. benefic. lib.*4. *cap.*5. *nu.*4. *& ſeqq. Torr. de pact. futur. ſucceſſ. lib.* 2. *cap.* 40. *num.*54. *Vivian. de Jurepatr. lib.* 4. *cap.*1. *num.*39. *& ſeqq.* aliiſque omiſſis *Adden. ad Burat. deciſ.*702. *nu.* 13. *Rot. coram Put. deciſ.*18. *lib.*2. *coram Duran. deciſ.* 463. *nu.*7. *coram Dunozett. jun. deciſ.*76. *nu.*10. *coram Cerr. deciſ.*255. *nu.*7. *cor. Bich. deciſ.* 277. *n.*14. *& cor. Emerix jun. dec.*620. *n.*1. *& ſeqq.*

Nihilo tamen minùs in terminis legati, de quo agitur (quidquid ſit in donatione) viſa fuit æquior ſententia *Cardin. Zabarell. in cap. Cùm ſæculum nu.* 8. *de Jurepat.* ubi quæſtionem his verbis reſolvit ≍ *Sextò quæro ſi antequam Epiſcopus approbat legatum Juriſpatronatus Eccleſia vacabit, an Legatarius habeat præſentare, an hæres univerſalis, vel Epiſcopus per ſe ordinabit? Jo: Calderin. format, & non ſolvit. Gaſpar dicit, quod hæres præſentabit, quia legatum non eſt transfuſum: Dic veriùs, quod expectabitur approbatio, quæ retrotrabitur ad diem mortis, à qua cedit legatum l. à Titio ff. de furt. Unde etiam Legatarius poteſt præſentare ſub ſpe approbationis &c.* ≍ Quæ opinio licèt non placuerit *Lambertino*, ejuſque ſequacibus, & ſignanter *Ferretto dicto conſ.* 133. ubi ſcribit ad ſuæ cauſæ opportunitatem: Eam tamen probarunt *Steph. Cajetan. in cap. fin. de elect. in* 6. *Rocch. de Curt. de Jurepatr. verb. Ipſe, vel is, à quo num.*16. immeritò pro contraria parte allegatus *Campanell. in diverſor. jur. Canon. rubr.* 11. *cap.* 13. *num.* 172. *in fin. Fontanell. de Jurepatr. lib.*3. *quæſt.*6. *n.*11. *Capon. diſcept.* 269. *num.* 10. & non ſemel Rota ſecuta eſt, diſtinguendo inter legatum, & donationem, *ut coram Duran. dicta deciſ.* 463. *nu.* 10. *coram Peutinger. deciſ.*266. *nu.*2. *& ſeqq. coram Celſ. deciſ.*85. *num.* 4. *in Mantiſſ. ad Card. de Luc. lib.* 4. *dec. Senen.* 25. *n.* 12. *& in Aſculana Subhaſtationis Hæreditatis 6. Junii* 1704. §. *Præterea*, *&* §. *Etenim coram bon. mem. Muto*, impreſſa apud *Jacobum de Comitibus deciſ.*15. *num.*21. & 24. ut propterea remaneant extraneæ quotquot authoritates allegari poſſunt in terminis donationis, quando Rota diſtinguit inter legatum, ac donationem, atque reſolutio fundatur in ſpeciali favore ultimæ voluntatis.

17 Nec ſanè probabile viſum fuit argumentum, quod etiam legatum eſt donatio quædam *l. Legatum* 36. *ff. de legat.* 2. & ideo quæ dicuntur in donatione, procedere debeant in legato. Conveniunt namque legatum, ac donatio in genere donationis: At in eo differunt, quod ≍ *Legatum eſt donatio in teſtamento relicta*, ut definit *Modeſtin. in d. l. Legatum ff. de legat.*2. & ſic facta eſt per ultimam voluntatem, & juxtà Florentini deſcriptionem ≍ *Eſt deliberatio hæreditatis, qua Teſtator ex eo, quod univerſum hæredis foret, alicui quid collatum velit l. Legatum* 116. *ff. de leg.* 1. Diſtant ergo inter ſe quantum contractus, & ultimæ voluntates, licèt in genere conveniant: Argumentum autem à convenientia generis affirmativè non procedit, & nihil concludit, ut notat *Everard. in loco à genere cum ſequenti.* Multa enim in jure admittuntur favore ulti-

ultimarum voluntatum, quæ ceſſant in contractibus, quia voluntates defunctorum jura modis omnibus adjuvant *Can. Ultima voluntas* 13. *quæſt*. 2. *l*. 1. *Cod. de Sacroſ. Eccleſiis.*, *ubi DD. l*. 2. *Cod. commun. de legat*. & ut ait *Imperator in authentica de hæred. & falcid. in præfat.* = *Una eſt intentio legis*, *ut quæ diſpoſita ſunt à morientibus, impleantur &c*. cum aliis collect. per *Didac. Spin. in Specul. Teſtam. gloſſ*. 28. *num*. 5. *Simon. de Pretis de interpret. ultim. volunt. lib*. 5. *interpret*. 1. *dub*. 2. *num*. 20. Quapropter juremeritò in præſenti recepta fuit ea ſententia, quæ magìs tendit ad conſervationem voluntatis defuncti, argumento *l*. 4. §. *In præſenti Cod. de neceſſar. ſerv. hæred. inſtit.* & *l*. 2. *Cod. de his*, *quæ ſub mod. legat. vel fideicom.* cum concordan. alioquin potuiſſe hæres faciliter illam eludere, præveniendo Legatarium in præſentando, & conſiderat *Rota coram Duran. dicta deciſ*. 463. *num*. 10. & hunc favorem ultimæ voluntatis in legato jurispatronatus, ad differentiam donationis, licèt ad alium propoſitum, agnoſcit ipſe etiam *Lambertin. lib*. 1. *par*. 2. *quæſt*. 16. *in fin. & art*. 17. *num*. 16. *poſt Jo. And. in cap. Cùm ſæculum de Jurepat.* & ibi *Abb. ſub num*. 6. *lit. B.*

18 Deciſio verò, quæ in terminis legati allegabatur in contrarium *par*. 6. *rec. deciſ*. 356. *n*. 19. *& ſeqq.* ſi benè perpendatur eſt in caſu diverſo, nam ibi tres erant Compatroni, quorum unus portionem ſuam jurispatronatus tertio legaverat, & antequam legatum confirmaretur, cæteri duo Compatroni jure ſuo præſentaverant, & ſic res non erat inter Legatarium, & hæredem, cui licitum eſſe non debet contra judicium Teſtatoris feſtinando Legatarium prævenire, ſed agebatur inter Legatarium, & Compatronos, cauſam à Teſtatore non habentes, atque ideo nulla erat eis obligatio expectandi confirmationem legati, ut voluntas defuncti ſervaretur, quam etiam ignorare poterant. Præterea Rota ibi fundatur principaliter ſuper teſtamenti nullitate, quia Teſtes neceſſarii non adfuerant, & Legatarius ipſe legatum ſibi ſcripſerat contra *S. C. Libonianum*, *ut à nu*. 3. *ad* 15. Articulum verò, de quo nunc agitur, inter hæredem, & Legatarium, funditus non examinavit, quia oportebat, ſed nulla facta mentione *Card. Zabarellæ*, *ſeu Lambertin. in hac re diſſidentium*, ſimpliciter pertranſiit cum regula, quod confirmatio ſemper facta intelligitur ſinè alterius præjudicio, *ut num*. 19. In poſterioribus autem Deciſionibus *cor. Duran. Peutinger*, aliiſque ſupra allegatis opinionem *Card. Zabarellæ* ſemper admiſit, & numquam reprobavit.

Quam quidem Zabarellæ ſententiam in hypotheſi amplectendam ſuadebant impenſius particulares facti circumſtantiæ, quia ſcilicet in hæredibus Legatarii nulla poterat conſiderari negligentia, qui ſuccedentes in jus alterius juſtam ignorantiæ cauſam habebant *l. Qui in alterius jus ff. de reg. jur.* imò potiùs juſtam credulitatem, quod legatum fuiſſet confirmatum in perſona ſui Authoris, dum Epiſcopus in Eccleſiæ viſitatione de anno 1699. mortuo jam Teſtatore, juſpatronatus approbavit pro Familia de Baroncellis: Quod quia verificari non poterat, niſi de Petro Hieronymo Baroncello Legatario, proinde eſt, ac ſi pro illo nominatim Epi-
19 ſcopus juſpatronatus approbaſſet: Nam generalis expreſſio, quæ ad unum tantùm referri valet, habetur pro expreſſione individuali *l. Nominatim* 2. *ff. de liber. & Poſth. l. Nominatim ff. de legat*. 3. *l. Fundus*, *qui locatus ff. de fund. inſtruct. Bald. conſ*. 126. *Cravett. conſ*. 162. *num*. 4. *Surd. conſ*. 562. *num*. 6. *Mantic. de conject. lib*. 7. *tit*. 8. *num*. 11. *Conciol. allegat*. 31. *num*. 16.
20 & qualitercumque in actibus proportionatis Ordinarius agnoſcat Legatarium jurispatronatus in verum Patronum, tacitè legatum confirmat, ac tacita confirmatio ſufficit *Adden. ad Gregor. XV. dec*. 420. *n*. 7. *Vivian. de Jurepatr. lib*. 4. *cap*. 1. *num*. 29. *Rot. cor. Lancellot. apud Marcheſan. tom*. 1. *fol*. 454. *par*. 1. *Rec. dec*. 707. *nu*. 5. *coram Bich. dec*. 264. *nu*. 4. *coram Duran. dec*. 407. *num*. 10. Et nihilominus ubi primùm Eccleſia vacavit, hæredes prædicti de confirmatione obtinenda ſatagerunt; Et quia non erat præſens Epiſcopus, nec Vicarius hanc facultatem habebat, preces ad abſentem Epiſcopum tranſmiſerunt, & interim quia periculum erat ne ab hærede prævenirentur in præſentando, & inſtitutio ſequeretur, ſuam ipſi fecerunt præſentationem coram Vicario ſub ſpe futuræ confirmationis, antequam hæres aliquem præſentaſſet. Unde

21 Unde duplex naſcitur juris concluſio: Prima quod ſola petitio confirmationis præſervat jus Legatario, vel etiam Donatario, taliter quod ſequens confirmatio retrotrahatur, non obſtante præſentatione medio tempore facta per hæredem *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 2. quæſt. 1. art. 21. num. 3. Adden. ad Buratt. dec. 702. nu. 12. Rub. ad dec. 46. par. 9. Rec. nu. 70. Rot. cor. Mantic. dec. 86. nu. 8. cor. Bich. dec. 277. nu. 15. par. 11. Rec. dec. 306. nu. 9. par. 17. dec. 80. nu. 9.* Altera, quod hæredes Legatarii propter Epiſcopi abſentiam, & periculum nè interim ad alterius præſentationem ſequeretur inſtitutio, potuerunt præſentare ſub ſpe futuræ confirmationis; Æquitas enim non patitur, quod impedimentum ex alterius perſona proveniens ipſis nocere debeat, ut limitando ſuam opinionem firmat idem *Lambertin. lib. 1. par. 2. quæſt. 1. d. art. 22. nu. 5. in fin.* ubi quod eo caſu aſſenſus ſuperveniens validat, prout ex tunc favore neceſſitatis, & periculi, & remittit ſe ad præcedentem *art. 20. declar. 3.* ubi ſic loquitur = *Tertio declara ſupradicta, quod ſi ille, qui debet præſtare conſenſum non eſt præſens, vel alter ejus loco, vel ſuperior, qui cogere debet, non ita citò cogit, quod ſi interveniat neceſſitas actus propter aliquod periculum, fieri poterit actus ſinè illius conſenſu, ita formaliter Abb. &c.* = Nec redargui poſſunt hæredes, cur non priùs confirmationem petiiſſent, quando ut ſupra dictum eſt, vel juſtam ignorantiæ cauſam habuerunt, vel probabilem credulitatem, quod legatum fuiſſet confirmatum.

Denique acceſſit ex abundanti animadverſio, quod licèt hæres Teſtatoris præſentaſſet ſub die 20 Maji 1713. Pellegrinum Bendolum, hic tamen ſe de medio ſuſtulit, renunciando præſentationi ſub die 30. ejuſdem menſis, quando verò hæres prædictus præſentavit ſub die prima Auguſti Gentilem Legam, cum quo res agitur, jam Eminentiſſimus Piazza Epiſcopus Faventinus, qui Viennæ apud Cæſarem Legati Apoſtolici munere fungebatur, petitæ confirmationi annuerat, reſcribendo, quod ſuus Vicarius, veris exiſtentibus narratis, præſentatum à Legatario inſtitueret; Quod reſcriptum exhibitum Faventiæ coram Vicario die quinta menſis ejuſdem, conſiderata diſtantia locorum, neceſsè eſt dicere, quod fuiſſet Viennæ ſignatum ſaltem per viginti dies antea, prout confirmat fides producta Notarii, & ſic longè priùs quàm hæres d. Legam præſentaſſet: Unde ſi confirmatio præceſſit omnis quæſtio ceſſat.

Neque hæc evitari poſſunt ſub prætextu, quod jus hæredi fuerit quæſitum ex prima præſentatione facta ſub die 20. Maji licèt effectum non ſortita: Vel quod reſcriptum Eminentiſſimi Piazzæ non contineat formaliter aſſenſum, ſed facultatem aſſentiendi tribuat Vicario, qui reſcriptum executus fuit ſub die 5. Auguſti, & ſic poſt ſecundam præſentationem factam ab hærede. Nam quod attinet ad primum, Doctores non conſiderant præjudicium hæredis, quando confirmatio legati, vel donationis ſupervenit præſentationi ab eo factæ, ſed præjudicium præſentati, cui per ipſam præſentationem fuit jus quæſitum: Quo ceſſante, prout in caſu, retrotractio ſemper fit in præjudicium hæredis, cui non licet impugnare voluntatem defuncti, *Rot. dicta deciſ. 356. par. 6. in fin. par. 7. deciſ. 101. nu. 7.* & meliùs *coram Emerix jun. deciſ. 620. num. 2.*
22 ubi concordan. Ad ſecundum placuit prompta reſponſio, quod dum Epiſcopus Vicario commiſit, quod præſentato per Legatarium inſtitutionem concederet, cum clauſula = *Veris exiſtentibus narratis*, quæ de jure ineſt, implicitè legatum approbavit: Nam, & tam gratia tali modo conceſſa cenſetur ab initio pura, ſuſpenſa tantùm executione, ad tradit. per *Gloſſ. in Clem. unica verb. Repererint de offic. Deleg. Felin. in cap. ultimo n. 18. de præſumpt. Lotter. de re Benefic. lib. 3. quæſt. 14. n. 67. & ſeq. Tondut. quæſt. Benefic. lib. 1. cap. 4. §. 2. num. 8. Roſ. de execut. liter. Apoſtol. cap. 2. num. 83. Rot. cor. Buratt. deciſ. 867. nu. 6. cor. Caril. deciſ. 283. nu. 4. cor. Royas deciſ. 89. n. 11.*

Et ita utraque &c.

R.P.D.

R. P. D. ROVAULT DE GAMACHES

Firmana Beneficii.

Lunæ 26. Junii 1719.

SUMMARIUM.

1 *Præſentatus ab habente majorem partem Juriſpatronatus eſt inſtituendus.*

2 *Juſpatronatus gentilitium in ultimo de familia Donataria efficitur hæreditarium.*

3 *Donatio Juriſpatronatus, ex quibus arguatur comprehendere dumtaxat familiam effectivam Donatarii, non autem contentivam*: & num. 4. & 5.

6 *Habens majorem partem medietatis vocum, dicitur habere totam medietatem.*

7 *Teſtes ab aliquo inducti probant contra inducentem.*

DECISIO XI.

A Sententia lata à Vicario Generali Firmi favore Dominici Caroſini pro inſtitutione ad Beneficium SS. Jacobi, & Joannis de jurepatronatus Laicorum, utpotè præſentati ad illud à Nicolao Diſcreto Patrono, provocavit Gaſpar Simonettus nominatus à Nicolao, & Raymundo fratribus, necnon à Maria Antonia, & Sebaſtiano Antonio de Simonettis aliis aſſertis Patronis: Reque ad Sacram Rotam delata vigore commiſſionis mihi directæ, propoſui hodie Dubium, *An, & cui ſit danda Inſtitutio*, & reſponſum accepi = *Illam eſſe dandam Dominico Caroſino.*

Juſpatronatus namque dicti Beneficii ex lege fundationis olim diviſum in duas voces æquales, quarum altera ſpectabat ad familiam de Plateis, & altera ad lineas Laurentii Chriſtophori, & Joannis Dominici familiæ de Simonettis, hodie pro majori parte conſolidatum fuit in Nicolao Diſcreto, is quippe tamquam Donatarius Capitanei Joſephi de Simonettis, habet, tum integram vocem familiæ de Platea eidem Cap. Joſepho obventam ex donatione facta Caroliano ejus Patri ab Antonio ultimo ex dicta familia de Plateis. Tum etiam ad eumdem pertinet medietas alterius vocis familiæ de Simonettis; Hæc enim poſt mortem Bradamantis de linea Jo. Dominici, reſtricta fuit ad alias ſuperſtites lineas Chriſtophori, ſcilicet, & Laurentii, ex qua poſtremus fuit dictus Cap. Joſeph Auctor Nicolai Diſcreti; 1 Ideoque cùm Caroſinus oſtendat ſe præſentatum fuiſſe ad d. Beneficium à præfato Nicolao habente majorem partem juriſpatronatus, omni dubio procul inſtituendus eſt juxta claram diſpoſitionem *Text. in cap. quoniam de Jurepat. Rot. cor. Bich. dec. 274. nu. 13. in rec. deciſ. 129. nu. 7. par. 19. in Piſana Prioratus 15. Junii 1711. §. Pro informante cor. Reverendiſs. D. meo Anſaldo Decano, & in Comen. Archipresbyteratus 17. Junii 1715. §. Motiquè cor. R.P.D. meo Falconerio Almæ Urbis Gub.*

2 Nec eſt cur objiciatur, quod vox familiæ de Platea tranſire non potuerit in Nicolaum Diſcretum, ex quo juſpatronatus pro hac voce in donatione facta per Antonium ultimum de familia de Plateis favore Caroliani de Simonettis, evaſerit gentilitium. Nam tam etſi admittenda eſſet dicta qualitas gentilitia, adhuc juſpatronatus in Cap. Joſepho de Simonettis ultimo de familia Caroliani Donatarii, utpote effectum hæreditarium, per conſequens ab eo transferri potuit in Nicolaum Diſcretum juxta famigeratum Conſilium Ancarani 81. communiter receptum, ut in *deciſ. 667. nu. 11. par. 18. in Granaten. Cappellaniæ 27. Novemb. 1713. §. Regulare namque cor. R.P.D. meo Falconerio Almæ Urbis Gub.* 3 Nilque turbat reſponſio, quod in d. donatione vocata non fuerit dumtaxat familia effectiva Coriolani, ſed tota familia contentiva de Simonettis, ut aliàs reſolutum fuit à Rota Maceratæ in quadam Deciſione edita anno 1694. & reſultare dicebatur ex ipſa donatione d. juriſpatronatus Coriolano de Simonettis facta, ſunt præciſa verba = *Ut ſemper, & perpetuò remaneat in ejus domo, & familia, & nè contingat illud ad alios extraneos devenire* = Et idcircò hæc vox tamquam delata ad Nicolaum, & Raymundum de Simonettis ſuperſtites, computari potiùs debeat pro Gaſpare ab eis præſentato; Siquidem omiſſis iis, quæ hac in re perfunctoriè, & extra cauſæ opportunitatem dixit *Rota* Maceratenſis in d. Deciſione occaſione litis prorſus diverſæ, & à qua partes per tranſactionem receſ-

receſſerunt, quod attinet ad mox relata verba donationis juriſpatronatus; illa nequaquam præſeferunt contemplationem familiæ de Simonettis in tota ſua latitudine, itaut comprehendant etiam familiam contentivam, cùm dictio illa relativa *ejus* ſinè adjectivo cognominis familiæ de Simonettis, reſtringat diſpoſitionem ad effectivam deſcendentiam ipſius Donatarii, in qua verificatur votum perpetuæ conſervationis dicti juriſpatronatus, ut docent à *Ponte conſ.*154. *nu.*45. *& ſeqq. Card. de Luc. de Jurepat. diſc.*24.*n.*2. *Vivian. eod. tract. lib.*4. *cap.*9. *nu.*10. *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*645. *nu.*5. *Rot. cor. Merlin. deciſ.*450. *nu.*6. *& ſeqq. cor. Emerix jun. dec.*1156. *nu.*2. *in Mediolanen. Beneficii* 3. *Januar.* 1711. §. *quid plus coram Reverendiſſimo. D. meo Anſaldo Decano*, *in Sulmonen. Juriſpatronatus* 11. *Januarii* 1715. §. *Quoniam coram R.P.D. meo Falconerio Almæ Urbis Gub. & in Romana Primogenituræ* 10. *Februarii currentis anni* §. *In hanc coram eodem*.

4 Hæcque interpretatio, conformis ètiam Juris diſpoſitioni, juxta quam vocata familia alicujus, quem Teſtator pro ſtipite conſtituerit, intelligitur ſemper facta vocatio de familia effectiva, non autem contentiva, ut tradit *Bartol. in leg. peto* §. *Fratres nu.*1. *ff. de Legat.*2. *Menoch. conſ.*133. *num.*19. *Rota cor. Royas deciſ.*361. *per tot.* prætereа confirmatur, tum ex acceptatione donationis *pro ſe*, *ſuiſque*, & ſic pro ſolis hæredibus ſanguinis, ſcilicet deſcendentibus tantùm Donatarii, *Cravett. conſ.*929.*n.*11. *Rot. cor. Seraphin. dec.*1337. *nu.*4. *in rec. dec.* 254. *nu.* 9. *par.* 11. Tum

5 etiam ex eo, quod Donator profeſſus fuit donationem juriſpatronatus facere intuitu ſervitiorum receptorum à Coriolano Donatario, & propter dilectionem, qua illum proſequebatur, quæ porrò rationes ſuadent donationem non debere extendi ad familiam contentivam Donatarii, ad quam merita ejuſdem Donatarii, & Donantis affectio non protendebatur, *Palm. Nep. alleg.*101. *n.*8. *&* 9. *Rot. cor. Merlin. deciſ.*450. *n.*8. *verſ. quibus*, *& n.*11. *in rec. dec.* 15. *n.* 28. *par.*7. *& in Melevitana Juriſpatronatus* 31. *Martii* 1702. §. *Quod potiori cor. Eminentiſſimo D. Card. Scotto*. Ex his verò ſequitur minimè obeſſe, quod Donator donationem fecerit, nè juſpatronatus tranſiſſet ad extraneos, quia coarctatio juriſpatronatus ad familiam effectivam Coriolani, operatur, quod Donator habuerit cæteros omnes, & etiam tranſverſales ipſos tamquam extraneos, *Tondut. reſol. Civil. cap.*140. *nu.*10. *Rot. cor. Merlin. deciſ.* 15. *n.*22. taliter ut, neque in defectum lineæ effectivæ iidem tranſverſales, vocati dici poſſint, *Rota in Montis Regalis Juriſpatronatus* 7. *Maji* 1708. §. *Quandoquidem cor. Reverendiſſ. D. meo Anſaldo Decano*, *& in ejus Confirmatoria* 7. *Decembris ejuſdem anni* §. *Addito coram eodem*.

6 Ut etiam fruſtra contendebatur, quod attenta diviſione alterius vocis juriſpatronatus competentis dd. tribus lineis diſtinctis Laurentii, Chriſtophori, & Jo: Dominici de Simonettis. Caroſinus numerare non poſſit medietatem hujus vocis, eo ſub obtentu, quo linea Jo: Dominici, re vera non ſit extincta, ſed illa duret in Sebaſtiano Antonio, & Maria Antonia, à quibus Gaſpar præſentari obtinuit, æquè, ac à deſcendentibus ex linea Chriſtophori; Proindeque habere dicatur medietatem vocum, quæ reſidet in omnibus præfatis tribus lineis, cùm habeat majorem illam partem trahentem ad ſe minorem, nempè vocem ſtirpis provenientis ex Laurentio, *cap. in Clement. plures de Jurepat. Rota cor. Coccin. deciſ.* 519. *nu.*2. *in rec. deciſ.* 272. *nu.*6. *par.* 13. *& in Firmana Beneficiorum* 19. *Januarii* 1711. §. *finali cor. R.P.D. meo Lancetta*.

Objectio enim iſta, ſublata remanet ex facto, quia Sebaſtianus Antonius non eſt filius, ut ſupponebatur Bradamantis deſcendentis à linea dicti Jo: Dominici, & primæ Uxoris reſpectivè Camilli de Marinis, ſed Reſtoriæ ſecundæ Uxoris dicti Camilli, & de diverſa familia nullam habente partem in Patronatu, de quo agitur: Maria verò Antonia licèt ſit filia Jacobæ, & iſta ſit filia d. Bradamantis, tamen non docebatur, quod fuerit quoque illius hæres, prout opus fuiſſet probare, cum reſpectu hæreditatis Maternæ locum non ſit illi juris axiomati; *Filius ergo Hæres*, quippe illud procedit in hæreditate dumtaxat Paterna, *Rota in rec. deciſ.*423. *nu.*10. *par.*13. *& deciſ.*84. *num.*4. *par.* 18. Certiùs quia Bradamantes ultra Jacobam reliquit duos Maſculos, qui eam à Matris ſucceſ-

ſucceſſione excludebant vigore Statuti
rubric.49. lib.3. Imò neque in illorum de-
fectum ſuccedere potuit, cùm eorum ul-
7 timus, nempe Dominicus, eidem Jacobæ
ſupervixerit, ut deponunt Teſtes à Gaſpa-
re inducti, contra quem plenè probant
Rota cor. Celſ. deciſ. 150. *nu.6. cor. Dunoz.
jun. dec.*812. *n.*12. *& in rec. dec.* 35. *nu.*4.
par. 19. Non omittendo denique, quod
his omnibus conformes ſunt ultimi ſtatus
Beneficii annorum 1689. & 1701. qui in
hoc poſſeſſorio Judicio vertente inter
præſentatos, attendendi planè ſunt, *Rota
in Sorana Juriſpatronatus ſuper Inſtitutio-
ne* 27. *Januarii* 1710. §. *non attento*, *&*
10. *Decembris ejuſdem anni* §. *Abſque eo
quod cor. Eminentiſſimo D. Card. Scotto*, *&
in Compoſtellana Parochialium* 10. *Junii*
1718. §. *Quamobrem*, *&* 10. *Martii pro-
ximè elapſi* §. *Iterum namque cor. Me*.

Et ita utraque &c.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
Quæ in toto Corpore hujus Operis continentur.

Numerus marginalis indicat unam, vel alteram Partem.

Alter paginam, & tertius numerum demonſtrat.

A

ABBAS.

I. Abbas, aut Prior Monaſterii, qui ſit Patronus, an poſſit ſe ſolo præſentare. Pag.155. Num. 52. & ſeq.

II. Abbas viſitare poteſt Eccleſias, & Monaſteria exempta, & ſibi ſubjecta. 249. 9.

II. Abbas adminiſtrare valet oblationes, & Eleemoſynas factas Eccleſiæ, Cappellæ, aut ſacræ Imagini pleno Jure unitæ Monaſterio, nec non deputare illarum Collectores,& Perquiſitores 264.6.& pag.265.9.

II. Secus ſi Eccleſia, aut Cappella non ſit pleno Jure unita Monaſterio. 265. 10. & ſeq.

II. Abbas ſubminiſtrare tenetur hoſtias, & Vinum pro Sacrificio Miſſæ, conceſſis à Patrono Decimis, & primitiis Eccleſiæ Patronalis Monaſterio. 290. 17. Et quare, vide ibi.

VI. Abbas an in nominationibus Vicariorum ad Parochiales unitas uti poſſit verbo *deputamus*. 294. 8.

VI. Abbas, aut ſuperior Monaſterii ex petitione licentiæ deputandi Vicarium Regularem in Eccleſia unita arguitur ſibi non competere talem facultatem Jure proprio. 428. 14.

VI. Abbates eligi debent ex propria Congregatione. 439. 3.

VI. Admiſſa per Summum Pontificem reſignatione Parochialis, ſeu Vicariæ unitæ Monaſterio, cum prohibitione, nè alius pro ea vice diſponat, non poteſt Abbas ad illam nominare, etiam ſi Bullæ Pianæ non fuerit ſpecialiter derogatum. 295. 9. & pag.298. 21. & ſeq.

IV. Abbas ſi ſtipulaverit tranſactionem, & concordiam alternis vicibus præſentandi abſque conſenſu Monachorum, iſti contempti excipere poſſunt de nullitate. 52. 7.

II. Abbas, aut alius ſuperior, an poſſit removere Regulares à Beneficiis Manualibus ſinè Cauſa. 335. 15., & pag. 336. 19.

II. Abbas pro duabus Eccleſiis Parochialibus pleno Jure unitis Monaſterio tenetur deputare duos Vicarios, eiſque congruam ex uniuscujuſque redditibus, Decimis, & Primitiis aſſignare. 347. 13. & 15.

I. Abbas, aut ſuperior Monaſterii, an poſſit præſentare abſque conſenſu Capituli, ſeu Religioſorum, 147. 25. & ſeq.

II. In Eccleſiis pleno Jure unitis Monaſterio Abbas habet Jus exercendi omnia ea, quæ reſpiciunt Spiritualia, vel temporalia. 266. 15.

Vide in Verb. *Oblationes*.

ABBATIA.

V. Erecta Abbatia cum præſervativa Jurium Abbatiæ; non diminuuntur in aliquo illius Jura, nec Abbatum pro tempore Juriſdictio 128. 37.

VI. Abbatiæ in Italia ſunt Triennales, & manuales. 311. 28.

VI. Abbatiæ electivæ comprehenduntur ſub Regula ſecunda Cancellariæ in Lotaringia, cum hæc careat concordatis, Privilegio, & conſuetudine 312. 30.

VI. Abbatia regulæ ſecundæ ſubjecta providetur eodem modo, & formula, quibus providentur Epiſcopatus. 311. 25.

VI. Abbatia quantumvis electiva cadit ſub regula ſecunda Cancellariæ. 304. 5. & pag.310. 24. Amplia 312. 31.

VI. Abbatiæ in Germania ex vi concordatorum ſunt Beneficia electiva. 309. 20.

VI. Abbatias electivas comprehendi ſub regula ſecunda Cancellariæ probatur ex obſervantia. 311. 26. & ſeq.

ABSENS.

I. Abſens, & impeditus ex juſta Cauſa præcognita, & approbata per ſuperiorem habetur; ac ſi præſens actualiter foret. 235. 15.

ABSENTIA.

II. Abſentia Epiſcopi non dilatat facultatem Vicarii, niſi in caſibus à Jure expreſſis. 304. 16.

ABSOLUTIO.

II. Non eſt Locus Abſolutioni à Juramento non variandi nec privativè, nec accumulativè, quando non con-

conſtat juramentum fuiſſe extortum, Vi, dolo, metu, aut continere læſionem, aut turpitudinem, multò minus, quando conſtat, Patronos poſt hoc juramentum variaſſe 168. 12. & pag. 169. 15.

II. Ad effectum obtinendi abſolutionem à juramento: quid requiritur 168. 12.

Vide in Verbo *Donans*.

ACCESSORIUM.

II. Acceſſorium ſequitur naturam Principalis, & diſpoſitionem ipſius 258. 1. & I. 237. 2.

ACCESSUS.

II. Acceſſus Epiſcopi ad Eccleſiam Regularium tripliciter conſiderari poteſt, Et quænam ſit differentia inter unum, & alterum acceſſum. 256. 1.

ACCEPTIO.

II. Acceptio, atque diſtinctio Perſonarum An, & quando in Beneficiis ſit prohibita 181. 3. & pag. 184. 13.

ACCUSATIO.

I. Accuſatio calumnioſa impedire non valet Epiſcopum inſtituere, & conferre Beneficium taliter Accuſato 220. 6.

II. Accuſatio de Simonia non privat aliquem Beneficio jam conſecuto, ſed eum arcet à conſequendo 220. 2. Intellige ut ibi.

II. Accuſatio Simoniæ, aut alterius delicti quotuplex ſit. 220. 5.

ACCUSATUS.

II. Canonicus Regularis, aut alius Religioſus effectus Parochus peculium intuitu Parochiæ acquiſitum ad hæredes tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato tranſmittere non poteſt. 433. 6. Amplia. 434. 7.
VI. In jure non repugnat, quod Canonicus Cathedralis retineat etiam primam Dignitatem in Collegiata. 256. 19.
VI. Canonici Eccleſiæ Collegiatæ nominati, & nominandi à Patronis, an, & quando non habeant onus formalis reſidentiæ perſonalis præciſæ. 402. 1.
II. Canonicus Coadjutus poteſt per ſe ipſum explere functiones Eccleſiaſticas, & eo impedito, aut nolente jus eas explendi non devolvitur ad Canonicum in Turno ſuccedentem, ſed ſpectat ad Coadjutorem. 610. 7.
V. Canonicis Cathedralis Eccleſiæ tempore Quadrageſimæ non licet decantato Veſpere ab Eccleſia diſcedere, & concioni non aſſiſtere. 187. 16. Limita ut ibi.
V. Canonicus junior poſſidens Canonicatum Sacerdotalem præferendus eſt aliis Canonicis antiquioribus poſſidentibus

dentibus Canonicatum non Sacerdotalem. 193. 35.

V. Canonici tempore Quadrageſimæ legitimè non impediti tenentur aſſiſtere concioni, & nequeunt abeſſe 187. 16. Intellige ut ibi.

Vide in verb. *Adminiſtratio, Onus, Camerarius, Diſtributiones, Optare.*

CANTUS.

III. Requiſita à Patronis peritia cantus in Presbytero ad beneficium præſentando extra limen fundationis abſque auctoritate Apoſtolica, Epiſcopus validè poteſt jure devoluto illud conferre Presbytero ſolùm practicè, & non theoricè canere ſcienti. 19. 10. Amplia, ut ibi, pag. 20. 11.

III. Requiſita à Fundatore in limine fundationis Beneficii peritia cantus in perſona præſentanda, an iſta teneatur canere cantu figurato. 20. 12.

V. Cantus peritia ex intervallo Canonicatui adjici nequit. 190. 24.

CAPITULUM. *ODOARDUS.*

I. Capitulum *Odoardus de ſolut.* competit Eccleſiaſticis ratione perſonæ, & ratione militiæ cœleſtis, & nè Clerici mendicare cogantur in obrobrium ordinis Clericalis. 118. 19.

Vide in verb. *Clericus.*

CAPITULUM. CAPITULARIS.

I. Capitulum extra limen fundationis Canonicatus non poteſt adjicere novas conditiones, & derogare qualitatibus appoſitis etiam cum conſenſu Patroni. 275. 19.

I. Quidquid relinquitur Capitulo debet inter omnes Canonicos dividi. 275. 23.

I. Capitulum tenetur admittere novum Canonicum ad diſtributiones non ſolùm ordinarias, ſed etiam extraordinarias, & Patronus poteſt inſtare apud ipſum, ut ad hujuſmodi diſtributiones idem Canonicus admittatur, quando Capitulum in fundatione conſenſiit admittere novum Canonicum ad diſtributiones quotidianas ad inſtar aliorùm Canonicorum. 272. 7. & pag. 273. 9. & ſeq. & pag. 274. 16. & 18.

I. Statuta à Fundatore erectione quatuor Canonicatuum in Eccleſia Collegiata cum reſervatione Juriſpatronatus, ſi Capitulum acceptet erectionem unius, vel duorum ex eis, non poteſt renuere erectionem aliorum, quando redditus aſſignati ſunt ſufficientes pro omnibus. 276. 24.

II. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis occaſione aſſociationis, & tumulationis cadaverum in Eccleſia Regularium poteſt illam ingredi cum ſtola, & Cruce erecta. 268. 4.

II. Capitulum Sede vacante non ſuccedit in juriſdictione Epiſcopi voluntaria. 304. 15. & V. 88. 1. & VI. 301. 1.

II. Capitulum tenetur ad celebrationem Divini Officii. 534. 7.

II. Nomine Capituli non veniunt, nec Beneficiati, nec Portionarii, nec alii Presbyteri. 535. 13.

II. Capitulum Sede vacante poteſt præſtare conſenſum reſervationi Juriſpatronatus. 580. 9.

V. Capitulum per mortem Epiſcopi ſuccedit in juriſdictione Epiſcopali neceſſaria. 89. 4.

V. Capitulum Sede vacante, an examinare, & approbare debeat Magiſtros miſſos à Congregatione Somaſchenſi ad ſervitium Seminarii pro Grammatica, Rectorica, & Caſibus conſcientiæ. 118. 4.

VI. Capitulum, an in nominationibus Vicariorum ad Parochiales unitas uti poſſit verbo *deputamus.* 294. 8.

VI. Capitulum S. Petri nequit concedere Dimiſſorias Clericis Caſtrorum Fori Pompilii, & Meldulæ, etiam ſi conſtaret de Territorio ſeparato. 395. 2.

VI. Capitulum, an, & quando in poſterum continuare teneatur in recitatione Nocturni à mortuis, & in celebratione Miſſæ cantatæ cum applicatione, prima die cujuslibet menſis non impedita, pro benefactoribus. 404. 7.

VI. Capitulum Sede Epiſcopali vacante non poteſt conferre Beneficia, quæ ſint Juriſpatronatus ſolius Epiſcopi. 301. 1. & ſeq.

VI. Capitulum Sede Epiſcopali vacante conferre poteſt Beneficia Juriſpatronatus ſpectantis ad perſonam diſtinctam ab Epiſcopo. 303. 3.

II Capitulares, an teneantur reddere rationem Presbyteris participantibus. 535. 13. & ſeq.

CAPPELLA.

II. Cappella, & Juſpatronatus, quando dicantur annexa Palatio. 232. 10.

V. Aliud eſt Cappella, aliud Cappellania in Cappella. 192. 28.

CAPPELLANIA.

I. Cappellania Laicalis ſuaptè natura ſub nulla reſervatione comprehenditur. 254. 2.

I. Mandante Teſtatore, *che ſi eriggano due Cappellanie,* & ſimul prohibente Epiſcopo, & Datariæ Apoſtolicæ habere ullum jus ſuper illis, an dictæ Cappellaniæ erigi poſſint in titulum Beneficii. 253. 1. & pag. 254. 3.

I. Ab excluſione reſervationum Apoſtolicarum argui poteſt Cappellaniam eſſe Beneficium Eccleſiaſticum. 254. 2.

I: Erecta Cappellania merè laicali, ſive manuali, ſive perpetua in titulum Beneficii, Cappellanus, qui priùs illam poſſidebat, indiget nova præſentatione, & illi, favore quorum fuit in erectione reſervatum Juſpatronatus, poſſunt præſentare quemcumque. 254. 4. uſque ad 6. & pag. 258. 15. & ſeq. Limita. 255. 10.

I. Cappellania erecta in Beneficium Eccleſiaſticum ab Ordinario, an ad inſtantiam Fundatoris aſſerentis poſt dictam erectionem ſe non habuiſſe intentionem fundandi Beneficium Eccleſiaſticum, poſſit reddi, & reſtitui in Cappellaniam merè laicalem. 260. 1. & pag. 261. 5.

I. Nomine Beneficii perpetui non venit Cappellania merè laicalis. 260. 1.

II. Quando Cappellania eſt habitu Sacerdotalis, tunc Cappellanus Miſſas celebrari facere poteſt per interpoſitam perſonam. 73. 16.

II. Ex prima nominatione Cappellani collata in perſonam Sacerdotis, an, & quando deduci non valeat, Cappellaniã fuiſſe qualificatã qualitate Sacerdotali. 73. 17.

II. Cappellania, an, & quando dicatur Sacerdotalis actu, vel habitu. 72. 15. uſque ad 18. & pag. 545. 10. & 12. uſque ad 16.

II, Cappellania merè laicalis conferri poteſt propria auctoritate à Patrono ſive Laico, ſive Clerico. 144. 1.

II. Cappellaniæ merè laicalis, ſunt capaces Laici etiam pueri, & fœminæ. 145. 6. & pag. 192. 20. & 366. 3. Limita ut ibi. 8.

II. Cappellania Laicalis, ſi erigatur in titulum Beneficii non poteſt amplius conferri à Patrono propria auctoritate. 145. 9. Et quare? Vide ibi.

II. Cap-

II. Cappellania merè laicalis habet aliquid Eccleſiaſticitatis, & eſt materia Eccleſiaſtica. 193. 25. & 223. 3.
II. De Cappellaniis merè laicalibus fieri poſſunt tranſactiones, & pactiones abſque vera ſimonia 224. 5.
II. Cappellania, an, & quando dicatur incompatibilis ex lege fundationis. 359. 13.
II. Cappellania merè laicalis recenſetur inter officia, quæ pertinent ad miniſterium domeſticum. 372. 14.
II. Cappellania merè laicalis, aut adminiſtratio Hoſpitalis non vacat per adeptionem Epiſcopatus. 426. 30.
II. Cappellania primo loco fundata in una Eccleſia à Fundatore non poteſt per eum in teſtamento relinqui, ut transferatur ad aliam Eccleſiam. 506. 30.
II. Cappellaniæ de jure communi reſidentiam requirunt ſecus ex generali conſuetudine. 519. 3.
II. Ex ſola legis fundatione, quod Cappellanus celebret Miſſam, an Cappellania ſit Sacerdotalis. 544. 2. & pag. 546. 18.
II. Cappellaniam eſſe Sacerdotalem, an, & quando probetur ex ſubſequuta obſervantia. 544. 3. & pag. 546. 20.
II. Cappellania non dicitur Sacerdotalis ex quacumque expreſſione Sacerdotis, per Fundatores facta in limine fundationis. 544. 6.
II. Cappellania non eſt Sacerdotalis, ſi verbum *Sacerdos* ſtet demonſtrativè, ſecus ſi ſtet qualificativè. 545. 8. & ſeq. *Intellige, ut ibi*.
II. Cappellania ſemper præſumitur ſimplex & non Sacerdotalis, ſi deſint verba præceptiva celebrandi per ſe ipſum, aut prohibitiva celebrandi per alium. 546. 19. & pag. 547. 23.
II. Ab onere reſidendi in Eccleſia non infertur Cappellaniam eſſe Sacerdotalem. 548. 24.
II. Cappellaniam non eſſe Sacerdotalem probatur ex obſervantia 549. 25.
II. Cappellania quando dicatur perpetua, & collativa. 558. 4.
II. Cappellania debita, certo generi perſonarum, an, & quando conferri poſſit non qualificato. 564. 7.
V. Cappellania merè laicalis, aut legatum Miſſarum non tenetur contribuere Seminario. 122. 13.
V. Cappellania erecta in titulum perfecti Beneficii contra voluntatem Fundatoris volentis illam eſſe amovibilem eſt reformanda in Cappellaniam amovibilem ad formam teſtamentariæ diſpoſitionis. 104. 2.
VI. Cappellania ſi juxta præceptum Teſtatoris non fuit ab hærede ſufficienter dotata, non eſt locus reductioni Miſſarum, ſed ſupplemento dotis. 401. 2. & 4.
VI. Cappellaniæ merè laicales non erectæ auctoritate Ordinarii de jure præſumuntur amovibiles. 442. 1.
VI. Cappellaniæ merè laicales ex lege fundationis poſſunt eſſe perpetuæ. 442. 3.
VI. Prætendens Cappellaniam merè laicalem eſſe perpetuam tenetur id concludenter probare. 442. 4.
VI. In conflictu probationum hinc inde, ſeu in dubio Judex inclinare debet pro amovibilitate Cappellaniæ merè laicalis. 443. 5.
VI. Cappellaniam merè laicalem eſſe amovibilem, ex quibus probetur. 443. 6. 7. & ſeq.
VI. Cappellaniæ etiam amovibiles poſſunt quandoque in perpetuum conferri. 444. 11.
VI. Cappellaniam merè laicalem eſſe perpetuam deduci non poteſt ex reſolutionibus, ſeu regulamentis editis ab Univerſitate patrona, quando iſta deteguntur ineffectuata. 444. 12.
VI. Cappellaniæ merè laicales non comprehenduntur ſub concordatis. 238. 6.
VI. Cappellaniam eſſe Beneficium Eccleſiaſticum, ex quibus reſultat. 282. 3.
II. Cappellania dicitur reſidentialis, quando Cappellanus habet annexum ſervitium chori in Cathedrali, vel Collegiata. 516. 11.
VI. In Cappellaniis merè laicalibus opus non eſt Inſtitutione Epiſcopi, ſed totaliter dependet à Patronis. 328. 10.
I. Cappellaniæ non poteſt ex culpa, vel negligentia Rectoris præjudicari. 280. 14.
Vide in verb. *Patronus*.

CAPPELLANUS.

II. In Cappellis, & Eccleſiis quantumvis unitis alicui Collegio, vel Monaſterio Regularium, Cappellanus, ſeu Vicarius eſſe debet Sæcularis, & perpetuus. 291. 20. & I. 217. 8. & ſeq.
II. Cappellanus nominatus à Patrono reſervata facultate removendi, ſi numquam fuit remotus, nominatio remanet perpetua. 338. 25.
II. Cappellanus ſi nequeat exigere emolumenta Cappellaniæ, an poſſit impunè celebrationis onus negligere. 341. 13.
II. Cappellanus amovibilis poteſt à Cappellania removeri. 339. 9.
II. Cappellanus, aut Beneficiatus non tenetur conditiones, aut onera de novo ſuperimpoſita ſatisfacere. 509. 3. Amplia, ut ibi.
II. Cappellano laboranti continuè morbo paralytico non eſt concedenda facultas celebrandi Miſſam cum aſſiſtentia Sacerdotis. 547. 21.
II. Cappellani gravati aliis oneribus Miſſarum non poſſunt recipere nova onera, & novas eleemoſynas pro Miſſis manualibus, niſi poſſint utriſque oneribus intrà modicum tempus ſatisfacere. 564. 1.
V. Cappellanus non tenetur ad applicationem Miſſæ quando celebratio fuit demandata ſolùm pro commodo, & ſatisfactione certarum perſonarum. 81. 7.
VI. Pro celebratione Miſſæ quotidianæ in Oratorio, aut Cappella in Eccleſiam erigenda ex oblationibus relictis à Fidelibus exteris, & non Parochianis non licet Univerſitati piorum operum deputare Cappellanum, ſed iſte eſt deputandus ab Ordinario. 408. 3.
VI. Cappellani aſſumpti ad exercendam curam Animarum ſunt amovibiles. 442. 2.
V. Cappellanus tenetur deferre Pluviale, & obſervare alia onera in Tabellis præſcripta, quando non reperitur inſtrumentum fundationis eorumdem onerum excluſivum. 197. 6.
VI. Cappellanus, an poſſit validè renunciare, & tranſferre in alium exercitium Cappellaniæ. 326. 2. & pag. 329. 14.
VI. Cappellanus reſignans Cappellaniam, ex quibus præſumatur habuiſſe notitiam exiſtentiæ Juriſpatronatus. 331. 21.
VI. Cappellanus reſignando Cappellaniam merè laicalem favore certæ perſonæ, quando dicatur illam reſignare malitioſè in ſpretum Patroni. 330. 20.
Vide in verb. *Cappellania, onus, celebrare, Patronus in genere, Clericus*.

CAPUCCINI.

I. Cappuccini, an ſint capaces Juriſpatronatus gentilitii ex perſona Patroni Profeſſi. 142. 5. 143. 7. & pag. 146. 12. 13. & ſeq.
VI. Fratres Capuccini, aut Minores ſtrictioris Obſervantiæ ſunt incapaces annuorum relictorum, adjecto onere celebrationis Miſſarum. 419. 2.

VI. Capuccini, & alii, qui bona in communi poſſidere non poſſunt, ſunt incapaces eleemoſynarum manualium Miſſarum. 419. 3.

VI. Capuccini, & alii, qui bona in communi poſſidere non poſſunt, quid facere debeant, quando ipſis relicta ſunt annua legata. 419. 5.

VI. Capuccini, & alii incapaces poſſidendi bona in communi, an ſint incapaces annui legati annuatim præſtandi ab hærede, & an hæres teneatur ad ejus præſtationem favore eorumdem. 420. 7.8. & ſeq.

VI. Prædicti Fratres nullam poſſunt habere ſecuritatem, ſed debent pendere ab incerto. 420. 9.

Vide in verb. *Bona*, *Minores de Obſervantia*.

CARDINALIS.

II. Cardinalis Vicarius Urbis habet plenariam juriſdictionem Epiſcopalem in Diœceſi Romana. 583. 1.

II. Cardinalis Urbis Vicarius habet jus cognoſcendi cauſas ſubditorum titulis Cardinalium. 583. 3.

II. Cardinales Titulares ex reſolutione Gregorii XIII. non poſſunt amplius in ſuis Eccleſiis habere illas facultates, quæ per Concilium Tridentinum fuerunt tributæ Epiſcopis in ſuis Diœceſibus. 583. 4. Intellige. 589. 24.

II. Jus præſentandi conſenſum in reſervatione Juriſpatronatus, nec non inſtituendi, & conferendi Beneficia erecta in Eccleſiis Titularibus ſpectat ad Cardinales Titulares cumulativè cum Eminentiſſimo Vicario Urbis. 584. 6. & 8.

II. Cardinales in eorum Titulis habent juriſdictionem Epiſcopalem. 584. 7.

II. Cardinalibus competunt plures actus juriſdictionales, & præeminentiales in Eccleſiis Titularibus. 586. 18.

II. Cardinalibus quare competere debet jus præſtandi conſenſum in reſervatione Juriſpatronatus, nec non jus inſtituendi, & conferendi Beneficia in Eccleſiis Titularibus. 587. 19.

II. Cardinales, ubi agitur de auferendo jus eis conceſſum intuitu Cardinalitiæ Dignitatis, numquam comprehenduntur ſub quacumque generali diſpoſitione, niſi de eis fiat ſpecialis mentio. 589. 22.

II. Cardinales, ſi abſcedant à Curia, prærogativam juris inſtituendi, & conferendi Beneficia amittunt, quam diù duraverit abſentia. 587. 19.

CASUS.

II. Caſus mixtus in materia ſtricta, & exorbitanti, non comprehenditur ſub ſimplicibus. 5. 2.

CASRTANS, CASTRATIO.

I. Caſtratio quotuplex ſit. 199. 1.

I. Se caſtrans, aut conſentiens Caſtrationi ob vocem conſervandam, aut ob vocis ſuavitatem, an ſit irregularis. 200. 3. 4. & ſeq.

CATHEDRATICUM.

II. Cathedraticum exigitur in ſignum Cathedræ, & in Synodo. 261. 19.

II. Cathedraticum, an ſit ſublatum per Concilium Tridentinum. 259. 2. & pag. 261. 19.

II. Eccleſia Patronalis tranſlata una cum Univerſitate bonorum ad exemptos debet ſolvere Epiſcopo Cathedraticum in ea quantitate à jure ſtatuta, vel ſolvi ſolita. 259. 5. & pag. 261. 18.

CAUSA, CAUSALITAS.

I. Favore Cauſæ piæ admittuntur ad probationem etiam Jura, & Scripturæ informes. 44. 15.

I. Deficiente Cauſa finali diſpoſitionis, deficit & ipſa diſpoſitio. 281. 15.

II. Tale eſt Cauſatum, qualis eſt Cauſa. 22. 34.

II. Ceſſante Cauſa, ceſſare etiam debet effectus. 325. 1.

II. Cauſa Juriſpatronatus. Vide in verb. *Cognitio cauſæ*.

II. Mutua Cauſalitas inter donationem rei temporalis, & præſentationem, ſeu nominationem, ex quibus probetur, & præſumatur, & ex quibus excludatur. 222. 15. & ſeq. & VI. 283. 5.

CEDERE.

VI. Non licet etiam in Beneficio litigioſo cedere jura, & concordare pretio mediante, abſque Beneplacito Apoſtolico. 276. 26.

CELEBRARE, CELEBRATIO.

I. Celebratio Miſſæ, an, & quando transferri poſſit de una ad aliam perſonam. 263. 3.

II. Celebrare Divina Officia in Eccleſia Cathedrali idem eſt, ac inſervire choro. 516. 11.

II. Per licentiam celebrandi per alium artributam in caſu impedimenti, Cappellanus eſt aſtrictus celebrare per ſe ipſum extra caſum infirmitatis, vel impedimenti. 519. 2.

CEMENTA.

Vide in verb. *Reædificatio*.

CENSUS.

II. Poteſt imponi Cenſus ſuper bonis relictis à Fundatore pro Cappellaniis ad effectum reſtaurandi dicta bona, ſuſpenſa interim Cappellaniarum erectione, donec ex penſionibus reſtauratorum bonorum Cenſus extinguatur. 574. 1.

CERA.

I. Ceræ, & intorſtitia ſupra quartam funeralem Parocho debitam, ſpectant ad Eccleſiam ſepulturæ. 109. 32.

Vide in verb. *Candela*.

CEREMONIALE.

VI. Ceremoniale Romanum facit legem, & pro lege eſt ſervandum. 230. 5.

CESSIO.

Vide in verb. *Donatio*.

CHRISTI FIDELIS.

II. Omnes Chriſti fideles, etiam ſi non ſint Patroni, tenentur defendere Eccleſiam, ac ejus libertatem, & immunitatem. 112. 1.

CITARE, CITATIO.

I. Citatio uti de jure naturali nequit tolli à Statuto, vel contraria conſuetudine. 76. 59.

I. Supre-

I. Supremus Princeps citationem tollere non poteſt. 76. 59.
VI. Quis eſt citandus, quando agitur de ejus principali intereſſe, & præjudicio. 446. 15.

CIVILITAS.

I. Reſervato Jurepatronatus paſſivo favore Civis alicujus Terræ, ac filii Civis ejuſdem Terræ, an ad validam præſentationem requiratur utraque qualitas, nempe Civilitas propria, & paterna. 239. 16.
I. Ad acquirendam Civilitatem, ſeu patrimonialitatem alicujus loci quid requiritur. 242. 25.
I. Pro aſſecutione Beneficiorum in Diœceſi Burgen. requiritur patrimonialitas, & Civilitas loci, in quo Beneficia ſita ſunt. 242. 23.
I. Deficiente animo numquam recedendi, ibidemque perpetuo permanendi non acquiritur Civilitas, ſeu domicilium. 242. 25.
I. Ad contrahendam Civilitatem requiritur onerum, & munerum Civitatis ſupportatio. 244. 30.
II. Civilitas loci eruitur ex exercitio muneris ſindicatus. 126. 19.

CIVIS, CIVITAS.

II. Qui naſcitur in aliquo loco, dicitur Civis, & Terrigena ejuſdem loci, licet ibi non commoretur. 126. 19.
II. Civis, an, & quando ſit præferendus conſanguineo etiam idoniori. 180. 20. & ſeq.
VI. Cives in aſſecutione Beneficiorum ſunt præferendi exteris, & alienigenis. 338. 2.
I. Cives originarii magis diligunt Eccleſiam, ex qua ſunt, quàm extranei. 238. 9.
I. Nomine Civitatis, aut Civium, an, & quando veniant Territorium, & Comitatenſes, ſeu Territoriales. 237. 2. & pag. 238. 10. & pag. 239. 13.
I. In reſcriptis ad Beneficia, appellatione Civitatis, non comprehenditur Diœceſis. 238. 11.

CLAVIS.

I. Retentio Clavium Cancellorum Cappellæ probat dominium illius. 87. 16.
I. Clavium Eccleſiæ retentio debetur Patrono. 87. 16.
I. Clavis Eccleſiæ patronalis exiſtentis intrà limites Parochiæ ſpectat ad Cappellanum pro tempore, non autem ad Parochum. 102. 16.
VI. Clavium dimiſſio, & reconceſſio facta à Cappellano demonſtrat illius amovibilitatem. 446. 18. Amplia, ut ibi.
Vide in verb. *Jus*.

CLAUSULA.

I. Clauſulæ, *& non alio modo, nihil immutando* prohibent omnem alium modum præter expreſſum. 268. 16.
I. Clauſula *non aliàs, nec alio modo* habet arguere præciſam contrahentium mentem. 271. 3.
II. Clauſula *verificato prius Jurepatronatus* ſignificat conditionem, & in caſu contrario ablationem juriſdictionis. 14. 17.
II. Clauſulæ aliæ ſunt limitativæ, & reſtrictivæ Juriſpatronatus favore Eccleſiæ, & aliæ limitativæ Juriſpatronatus favore perſonarum,, & quæ ſint. 98. 2,
II. Clauſula, *dummodò alteri non ſit jus quæſitum* præſervat jus acquiſitum ex præſentatione. 185. 19. & 460. 8.
II. Clauſula *dummodò tempore datæ præſentium non ſit jus quæſitum* præſervat jus certum, & validum. 197. 16. Non verò invalidum, & incertum. 411. 6. & 413. 16.
II. Per Clauſulam *ſublata*, & decretum irritans in Conſtitutionibus Apoſtolicis appoſitam tollitur omnis contraria conſuetudo, & non uſus. 420. 5.
II. Clauſula *ſinè præjudicio juris alterius* præſervat omnia jura tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio competentia. 452. 46.
II. Clauſula *ſalvo jure Ordinarii*, an afficiat, ut ultimus ſtatus non ſit manutenibilis, & quæ jura præſervet. 475. 1. & 4.
II. Clauſula ut *ſupra* efficit, ut referens in nihilum excedat relatum. 360. 17.
II. Clauſula *verificato, quod juſpatronatus ex fundatione, vel dotatione exiſtat* executionem gratiæ ſuſpendit uſque quo per concludentes probationes fuerit juſtificata, nec ſufficit pro ejus verificatione quaſi poſſeſſio præſentandi. 384. 3. & pag. 388. 17.
VI. Clauſula *omni meliori modo* importat actus ſubſiſtentiam, & utiliori modo, quo valeat ſuſtineri. 451. 3.
II. Clauſula derogatoria, *non obſtantibus Statutis, & conſuetudinibus* tollit omnia, quæ diſpoſitioni, in qua eſt appoſita, obſtare poſſunt. 524. 13.
V. Clauſula *ſinè præjudicio* præſefert modificationem, & operatur ut ſi quid alteri præjudiciale appoſitum fuerit, pro non appoſito habeatur. 194. 35.
VI. Clauſula *ſervato ordine* importat repetitionem omnium præcedentium qualitatum. 274. 20.
VI. Clauſula *ex integro quo ad omnes* præſefert circumſcriptionem omnium actorum præcedenter factorum. 278. 35.
VI. Clauſula cum *ſuſpenſione unionum* implicat ſufficientem unionis expreſſionem, & gratiæ validitatem præſervat abſque alia magis ſpecifica mentione. 296. 14.
VI. Clauſula, *dummodò collatio ad nos hac vice pertineat* jura Collatoris præſervat. 297. 18.
VI. Clauſula *de conſenſu Patronorum* apponitur in proviſionibus Beneficiorum reſignatorum Juriſpatronatus Laicalis, ſecus ſi Beneficia reſignata ſint Juriſpatronatus Eccleſiaſtici. 299. 25.
VI. Clauſula *toties, quoties* in reſervatione Juriſpatronatus appoſita non excludit reſervationes Apoſtolicas. 370. 3.

CLERICATUS.

II. Clericatus eſt major alio ſæculari honore. 192. 23.

CLERICUS.

I. Clericus conjugatus Patronus, an poſſit habere ſedile intrà Chorum, ſeu Presbyterium. 6. 7.
I. Clerici conjugati in materia odioſa non veniunt nomine Laicorum. 6. 7.
I. Clericus non tenetur militare propriis ſtipendiis, ſed debet de Altari vivere. 18. 2.
II. Reſervato Jurepatronatus favore Clerici de cognomine Fundatoris, vel de ejus parentela, Clericus, ut præſentari poſſit, ſufficit, quod probet in ſe concurrere alternativè unam ex dictis qualitatibus. 53. 17.
II. Clericus à Patrono Beneficiatus, & bonæ fidei Poſſeſſor Beneficii uſque ad obitum, non tenetur reſtituere fructus perceptos, & conſumptos, nec datur actio contra ejus hæredes pro eorum reſtitutione. 148. 2. Quid autem de fructibus extantibus? Vide ibi?

II. Clericus ab initio bonæ fidei Poſſeſſor Beneficii, ex poſt verò facto malæ fidei Poſſeſſor, an, & pro quo tempore teneatur fructus Beneficii reſtituere. 149. 3.
II. Clericus ſemper malæ fidei Poſſeſſor Beneficii tenetur reſtituere omnes fructus. 149. 4.
II. Clericus, qui nulliter recepit à Patrono Canonicatum, an teneatur reſtituere diſtributiones quotidianas. 149. 5. & ſeq.
II. Clericus natus in ſecundo Matrimonio contracto ab hæreticis in loco ubi publicatum non fuit Concilium Tridentinum, non ſervata hujus forma, eſt legitimus, & præſentari, ac inſtitui valet in Cathedralibus. 156. 7.
II. Clericus conſanguineus Fundatoris in paritate vocum cum Sacerdote omninò extraneo in aſſecutione Beneficii non actu Sacerdotalis eſt gratificandus, & præferendus eidem extraneo. 182. 5. Amplia ut ibi. 6. Et quare? Vide ibi. 7. & pag. 185. 17.
II. Clericus conſanguineus Fundatoris in paritate vocum cum extraneo, ſed Patrono, eſt præferendus, & gratificandus. 183. 9.
II. In conſecutione Cappellaniæ merè laicalis per Maritum, & Uxorem æqualiter pro eorum conſanguineis fundatæ, conſanguineus Uxoris Clericus cæteris paribus eſt gratificandus, & præferendus conſanguineo Laico Mariti. 192. 22. Et quare? Vide 193. 25.
II. Clericus eſt dignior, & major quibuſvis Laicis. 192. 23.
II. Quando ſermo eſt de Clericis, & Laicis Clerici ſemper ex ſtylo Curiæ præferuntur Laicis. 192. 24.
II. Clericus contrahens Matrimonium non dicitur amplius vitam Religioſam, & Eccleſiaſticam ducere. 366. 5.
II. Clericus, ſive Cappellanus contrahens Matrimonium privari, & removeri debet à Cappellania merè Laicali, ſeu Legato pio, ſi hoc ex diſpoſitione Fundatoris debeatur ſolùm Clericis vitam Religioſam, & Eccleſiaſticam ducentibus. 366. 5. & 7.
II. Clericorum ordo, & inſtitutum, in quo conſiſtat. 484. 4.
II. Clericus per aſſecutionem feudi Eccleſiaſtici non efficitur miles ſæculi, ſed durat miles Eccleſiæ. 494. 48.
II. Clericus in quampluribus caſibus permiſſum eſt Arma aſſumere. 496. 53. & 485. 10.
II. Clericus per aſſumptionem feudi ſæcularis amittit Clericatum, Beneficium, aut Penſionem, ſecus per aſſecutionem feudi Eccleſiaſtici. 485. 7. & ſeq.
II. Clericus ad ſæculi militaria ſtipendia accedens Eccleſiaſticis proventibus ipſo jure, & abſque ulla præcedenti monitione privatus remanet. 487. 19.
II. Poteſtas temporalis in Summo Pontifice cùm ſit acceſſoriè unita Poteſtati Eccleſiaſticæ, Clericus per aſſecutionem feudi Eccleſiaſtici, non deſinit eſſe miles Chriſti, & Eccleſiæ. 496. 51.
II. Clericus ſive inſerviat Summo Pontifici, ut Principi ſpirituali, & Vicario Chriſti, ſive ut Principi temporali numquam efficitur miles ſæcularis, ſed ſemper remanet miles Eccleſiæ, & militia dicitur Eccleſiaſtica. 496. 52.
II. Clericus concubinarius etiam publicus, & inebriari ſolitus, & homicida non amittit ipſo jure Penſiones, & Beneficia. 497. 17.
V. Clerici in Seminario admiſſi examinari debent ab Epiſcopo. 118. 2. Amplia, ut ibi.
V. Erecta Cappellania pro Presbytero, qui Miſſam celebrare debeat, ac teneatur, ad eam præſentari, ac inſtitui poteſt Clericus, qui non ſit actu Sacerdos. 139. 3.
I. Clerici, an renunciare poſſint Capitulo *Odoardus*. 118. 19.
I. Clericus conſulens homicidium, non ſolùm eſt irregularis, ſed etiam non debet legere lectiones, nec cantare Reſponſoria ſeparata in choro. 188. 6.
I. Clericus vadens una cum aliis ad aliquem occidendum, licet ipſe non apponat manum, ſi tamen homicidium fit per alios, efficitur irregularis. 190. 29.
I. Clericus faciens rixam, & exercens illicitum, ſi ab ejus amicis, ſeu conſanguineis ſupervenientibus fuit aliquis interfectus, eſt irregularis. 191. 33.
I. Clericus primæ Tonſuræ præſentari poteſt ad Beneficium, dummodò hoc non requirat majorem Ordinem, etiam ſi non incedat in habitu, & tonſura. 201. 9.
I. Clericus conjugatus, mulier, illegitimè natus, Bigamus, Invitus, Epiſcopus præſentari non poſſunt ad Beneficia Eccleſiaſtica. 201. 10.
I. Poſt jus quæſitum ex lege fundationis Clericis Territorialibus in admiſſione ad Beneficia erecta in aliqua Communia, non poſſunt Clerici Civitatenſes condere Statutum, aut legem eorumdem Territorialium excluſivam. 239. 18.
Vide in verb. *Conditio*, *Seminarium*.

COACTIO.

VI. Quando conſtare non dicatur de coactione abſoluta, nec de coactione cauſativa in ſuſceptione Ordinum. 354. 2.
VI. Coactio abſoluta in ſuſceptione Ordinum impedit impreſſionem characteris. 354. 2.
VI. Coactio cauſativa in ſuſceptione Ordinum licet non impediat impreſſionem characteris, impedit tamen votum continentiæ. 354. 2.

COADJUTOR.

II. Coadjutor, ſeu Vicarius temporaneus nequit impedire Parochum nè exerceat functiones Parochiales in Parochia, nec poteſt lucrari emolumenta Parochialia. 606. 7. Intellige, ut ibi.
II. Summus Pontifex ex cauſis præſcriptis à Sacro Concilio Tridentino dare ſolet Canonico infirmo, aut ſeni Coadjutorem cum futura ſucceſſione. 609. 1.
II. Summus Pontifex concedere non ſolet Coadjutorem cum futura ſucceſſione Canonico infirmo, aut ſeni abſque conſenſu Patronorum. 609. 2.
II. Rot. *deciſ.* 162. *par.* 12. *recent.* non firmat in deputationibus Coadjutorum cum futura ſucceſſione non requiri conſenſum Patronorum Laicorum. 609. 3.
II. Coadjutor vivente Coadjuto debet habere ultimum locum tam in choro, quàm in aliis functionibus Eccleſiaſticis. 610. 4.
II. Poteſt intereſſe choro, & Divinis Officiis, etiam quando Canonicus Coadjutus intereſt. 610. 5.
II. Non poteſt ad officia Capitularia validè eligi, nec illa exercere. 610. 6.
VI. Coadjutor Epiſcopi præſtare poteſt ſuam auctoritatem permutationi Beneficiorum. 321. 17.
Vide in verb. *Canonicus*.

CODICILLUS.

II. Per Codicillum numquam cenſetur receſſum à diſpoſitis in teſtamento. 47. 5. Intellige, ut ibi. & VI. 456. 4. Limita ut ibi.
II. Codicillus cùm ſit pars teſtamenti ſemper debet cum eo conciliari. 49. 12.
VI. Vocatis in teſtamento ad Juſpatronatus ſolis maſculis,

lis, & in Codicillo vocatis abſolutè, & ſimpliciter hæredibus, & deſcendentibus, nomine hæredum, & deſcendentium veniunt ſoli hæredes, & deſcendentes maſculi. 456. 5. Amplia ut ibi. 6.

VI. Reſervato Jurepatronatus ab Ordinario in limine fundationis favore omnium deſcendentium ſinè ulla qualitate maſculinitatis, habita relatione ad teſtamentum, & codicillos, pro ſtatuendo qui veniant nomine deſcendentium, recurrendum eſt ad diſpoſitionem factam in teſtamento, ac in codicillis. 456. 7.

COGNITIO.

II. Cognitio cauſæ Juriſpatronatus privativè ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum. 374. 4.

II. Cognitio cauſarum Juriſpatronatus, an, & quando ſit permiſſa Judici Laico. 374. 1. & 4.

II. Cognitio cauſæ ſuper pertinentia Juriſpatronatus reſpectu Cappellæ exiſtentis in Eccleſia Regularium ſpectat ad horum Conſervatorem quando hic vigore ſpecialis privilegii habet cognoſcere non ſolùm de manifeſtis injuriis, & violentiis, ſed etiam de cauſis civilibus. 380. 10.

COGNOMEN.

II. Nominis, & cognominis aſſumptio eſt unicuique libera. 52. 10.

COLLATIO, COLLATOR.

II. Collator conferens ſcienter Beneficium non idoneo privatur pro ea vice jure conferendi. 115. 3. Et quare? Vide. 117. 11.

II. Collatio Beneficii nulla utpotè facta extra terminū convaleſcit ex patientia Superioris habentis illud conferre jure devoluto. 159. 10.

II. Quæ collationes non ſint attendendæ ad effectum inducendi ſtatum collativum Beneficii. 351. 25. & ſeq.

II. Collatio de libero plenè effectuata licet remota habetur pro ultima, quando poſteriores collationes fuerint detectæ, turbidæ, & litigioſæ. 388. 18.

III. Collatio Beneficii facta à Collatore elapſo ſemeſtri nullum jus tribuit. 5. 5.

III. Collatio Beneficii liberè facta ab Ordinario jure devoluto perſonæ non qualificatæ ad formam fundationis eſt nulla. 18. 1. Intellige. 19. 6.

IV. Collatio Beneficii liberè facta ab Ordinario jure devoluto perſonæ, cui competit turnus paſſivæ nominationis, an illum conſumat. 59. 15. & pag. 60. 19.

I. Collatio Parochialis ſi fiat favore illius, qui non attingit vigeſimum quintum annum eſt nulla. 248. 10. Limita ut ibi.

IV. Collatio Beneficiorum ſimultanea, an ſit communio, ſeu ſocietas ſimplicis juriſdictionis. 68. 21.

VI. Collatio, aut alia proviſio Beneficii facta etiam ad Patroni præſentationem cum interventu confidentię eſt nulla. 266. in Comment.

VI. Collatio Beneficii Regni Valentiæ facta Alienigenæ eſt nulla, & Beneficium impetrari poteſt ab Indigenis ejuſdem Regni à Sancta Sede. 337. 1.

VI. Non conſtito de pertinentia Juriſpatronatus, collationes Beneficii liberè factæ ab Ordinario dici nequeunt actus ſpoliativi, aut turbativi. 454. 9.

Vide in verb. *Qualitas*.

COLLEGIALIS, COLLEGIALITAS. COLLEGIUM.

V. Collegiali debenti facere probationem ſuper puritate ſanguinis Juvenis in Seminarium introducendi, an concedi debeat facultas cogendi Teſtes ſe ſubjicere examini renuentes per cenſuras Eccleſiaſticas. 119. 5. uſque ad 18.

I. Signa Collegialitatis, quæ ſint, & quæ non ſint. 252. 4. & ſeq.

I. Collegium, an conſtituatur per duos. 251. 2.

COMMENDA.

II. Commenda, aut præceptoria ſacri Ordinis Hieroſolymitani eſt ad nutum Magni Magiſtri amovibilis. 371. 11.

II. Commenda, an vacet per promotionem, & adeptionem Epiſcopatus Commendatarii. 419. 1.

II. Refertur ſententia nonnullorum Doctorum, ibi. 1.

II. Refertur ſententia Sacræ Rotæ. 424. 16.

II. Conciliatur utraque ſententia. 425. 23.

II. Commendarum origo quæ fuit 420. 6.

II. Commendarum appellatione quæ includantur. 421. 7.

II. Commendas ſacræ Religionis Hieroſolymitanæ non eſſe Beneficia Eccleſiaſtica, & perpetua, ſed ſimplices adminiſtrationes, ex quibus probetur. 419. 2. uſque ad 10.

II. Afferuntur plura exempla, quibus oſtenditur Commendas non vacare per adeptionem Epiſcopatus. 422. 15.

II. Commendæ juxta ſenſum Sacræ Rotæ, vacant per adeptionem Epiſcopatus 424. 16. uſque ad 20.

II. Non omnes Commendæ ſacræ Religionis Hieroſolymitanæ ſunt intitulatæ, & perpetuæ. 425. 23.

II. Commenda alia eſt perpetua, & alia temporalis 425. 24.

II. Commenda temporalis non vacat per adeptionem Epiſcopatus. 425. 25. Et quare? Vide ibi.

II. Commenda temporalis, an ſit materia ſimoniæ. 425. 26.

II. Commenda temporalis non eſt perpetua, nec actu, nec aptitudine. 425. 27., & 426. 29.

II. Commenda perpetua vacat per adeptionem Epiſcopatus. 427. 35. Limita ut ibi. 36.

COMMENDATARIUS.

II. Commendatarii ex diſpoſitione Statutorum ſacræ Religionis Hieroſolymitanæ tenentur reſidere ſaltem per quinquennium in Commendis, ac in eis facere meliorationes. 424. 19. Intellige. 426. 32. Cujus autem naturæ ſit hujuſmodi reſidentia? Vide ibi.

II. Commendatarius removeri non poteſt à Commenda, niſi ex legitima cauſa. 424. 21.

II. Commendatarius effectus Epiſcopus remanet Religioſus, & adſtringitur votis, ſed non retinet ſubjectionem perſonalem 427. 33.

COMMODUM.

II. Nemo ex proprio dolo, aut culpa commodum reportare debet. 133. 1. & V. 152. 43.

COMMUNIA.

I. Erecta Communia pro omnibus Preſbyteris, an Preſbyter

ſbyteri tam Territoriales, quàm Comitatenſes ſint indiſtinctè ad illam admittendi. 239. 18. & ſeq.
Vide in Verbo *Clericus*.

COMMUNIO.

IV. Nemo invitus cogitur ſtare in Communione 63. 2.

COMMUNITAS.

I. Communitas an ſit capax Alimentorum 20. 6.
II. Communitas Patrona durante termino poteſt devenire non ſolùm ad unum, ſed ad plura ſcrutinia 196. 11.
I. Competente Jurepatronatus Communitati omnes de Communitate in capita, & non in ſtirpes ſunt admittendi ad præſentationem 161. 3.
I. Illi de Communitate non poſſunt admittere ad præſentandum extraneum, nec in aliquem præſentationem compromittere, minore parte invita, ſeu uno tantùm contradicente. 161. 5.
I. Intereſt Communitati nè ejus facta intelligantur per Extraneos 161. 6.
I. Major pars eorum de Communitate non poteſt in præſentando accumulativè variare minori parte, vel etiam uno contradicente 162. 8.
II. Communitas Laicalis quidquam ſtatuere non poteſt ſuper rebus ad Eccleſiam pertinentibus. 477. 3.
I. Communitas aliquandò gubernatur per Congregationem omnium de Populo, aliquandò per Decuriones, & Regentes. 161. 1.
I. Omnes, & ſinguli Homines Communitatis admittuntur ad præſentandum, quandò Communitas regitur per Congregationem omnium. 161. 2.
I. Communitas poteſt præſentare non ſolum privativè, ſed etiam accumulativè 162. 8. Intellige ut *ibi*.
I. Convocatio ſolemnis omnium de Communitate an ſit de neceſſitate ad validitatem actus præſentationis. 166. 6.
I. Communitas non repræſentatur per minorem, nec per æqualem, ſed per majorem partem eorum de Communitate. 166. 8.
I. Ad hoc ut à Communitate dicatur legitimè expleta præſentatio, quid requiritur. 169. 13.
I. Omnes de Communitate, aut ejus repræſentantes vocari debent ad præſentandum; Et quomodò? 166. 1.
I. Non vocati poſſunt agere de contemptu antè lapſum termini, ſecùs poſt illum. 166. 2. Limita ut ibi.
I. Illi de Communitate præſentare debent perſonam idoneam. 167. 10.
I. Major pars illorum de Communitate præſentans inhabilem, an & quandò privatur Jure præſentandi 167. 11.
I. Communitas ſi donet Juſpatronatus pluribus Perſonis an præſentatio facienda ſit ab iſtis uti Univerſis, vel potius uti ſingulis. 174. 22. & ſeq.

COMMUTARE.

V. Commutari non debet Legatum à Teſtatore relictum pro dotandis duabus, vel tribus orphanellis in Monaſterio orphanellarum degentibus, in Alimoniam tot Puellarum orphanarum Monialium. 202. 12.
V. Commutari non debet Legatum à Teſtatore relictum pro erectione Monaſterii nonnullarum monialium in manutentionem Alumnorum Seminarii, aut Collegii. 202. 13. Amplia ut ibi.
V. Commutari non debet Legatum miſſarum in Beneficium Eccleſiaſticum. 202. 16.
V. Papa poteſt pias Defunctorum voluntates commutare etiam abſque Cauſa de plenitudine Poteſtatis. 201. & ſeq.
V. Ex æquitate non ſolet commutare dictas voluntates, nec ſtatum Beneficiorum alterare ſinè juſta, & neceſſaria Cauſa. 200. 3. & 201. 7.
V. Commutari ſolet erectio Canonicatus in erectionem ſimplicis Beneficii, quando ſequi non poſſit ob diſſenſum Capituli. 200. 4.
Limita 201. 9.

COMMUTATIO.

V. Commutatio voluntatis ſolet à Summo Pontifice permitti non obſtante tertii præjudicio merè eventuali & incerto. 199. 6.
V. Commutatio Legati relicti pro fundatione, & erectione oratorii, ſeu Conſervatorii Puellarum in erectionem Collegiatæ, an & quando ſit deneganda. 202. 14.
V. Commutatio celebrationis Miſſæ ab una ad aliam Eccleſiam, an & quando ſit deneganda 202. 17. & ſeq.
V. Ex impoſſibilitate exequendi Legatum permittitur illius Commutatio. 201. 5.
V. Enumerantur Caſus, in quibus denegata fuit commutatio ultimarum voluntatum 201. 8. uſque ad 19.

COMPARENS, COMPARITIO.

II. Comparens in aliquo Judicio videtur ſeſe habuiſſe pro legitimè citato. 350. 22.
III. Comparitio, & oppoſitio paſſivè vocati aſſimilatur, & æquipollet præſentationi. 22. 2.

COMPATRONUS.

VI. Compatroni ante confirmationem Legati portionis Juriſpatronatus facti ab altero Compatrono poſſunt præſentare, & non tenentur expectare dictam confirmationem. 464. 18.
Vide in verb. *Patronus*.

CONCESSIO.

II. Conceſſio facultatis alienandi Juſpatronatus in alios de familia, an, & quando arguat potiùs qualitatem agnatitiam, & familiarem 33. 35.
I. Ex conceſſione unius non infertur ad conceſſionem alterius. 271. 2.
I. Quod Tibi non nocet, & alteri prodeſt de facili eſt concedendum. 69. 40.
II. Conceſſio Eccleſiæ Patronalis non vacantis alicui facta, an, & quandò ſit nulla 289. 14.
II. Pro validitate conceſſionis Eccleſiæ Patronalis, an & quandò requiratur conſenſus Capituli. 287. 2., & pag. 289. 15.
V. Conceſſio Bonorum Cappellaniæ, ſive Beneficii ad meliorandum, an ſit Beneplacito Apoſtolico confirmanda 103. 6.

CONCILIUM TRIDENTINUM.

II. Concilium Tridentinum in Beneficiis curatis de Jurepatronatus Laicali, non cogit Patronos præſentare, nec Epiſcopos inſtituere Perſonas digniores 177. 8.
II. Concilium Tridentinum mandans perſolvi quartam funeralem Eccleſiæ Parochiali, non obſtantibus Privilegiis, conceſſionibus &c. quæ monaſteria, & Eccleſias comprehendat. 269. 8.

II. Con-

II. Concilium Tridentinum *cap.16. ſeſſ.25. de Regular.* comprehendit renunciationes Beneficiorum novitii 319.9.

II. Concilium Tridentinum *ubi ſupra* comprehendit etiam donationes Jurispatronatus, & renunciationes Beneficiorum. 319.9.

V. Concilium Tridentinum *cap.13.* ſeſſ.7. *& cap.9. ſeſſ.* 25. comprehendit præſentatos à Patronis Laicis 77. 10. 12. uſque ad 14.

V. Concilium *in cap.9. ſeſſ.25. de Reformat.* non comprehendit poſſeſſionem, & perceptionem fructuum Beneficiorum Patronalium legitimam, ſed ſolum illam quæ eſt violenta, injuſta, potentialis, & auctoritativa 101. 5. & ſeq.

V. Concilium Tridentinum *cap.9. ſeſſ.25. de Reformat.* coarctavit ſolùm formam probandi Juſpatronatus Potentium, non autem immutavit in Jurepatronatus privatorum antiquum probandi modum à Jure communi admiſſum. 212. 31.

VI. Concilium Tridentinum ut dicatur revocare Privilegia merè gratuita, & non conceſſa titulo oneroſo ſufficit, quod ſtatuat aliquid, cui illa repugnent 263. 15. Et quare! Vide *ibi 16.*

VI. Concilium Tridentinum derogavit Privilegiis regularibus antè ipſum conceſſis promovendi extrà tempora. 363. 17.

I. Concilium Tridentinum quare requirat ætatem quatuordecim annorum pro obtinendis Beneficiis ſimplicibus. 205. 10.

Vide in verb. *Inſtitutio*.

CONCLAVISTA.

VI. Conclaviſtæ dicuntur familiares, & Commenſales Summi Pontificis. 256. 20.

CONCORDATA.

VI. Referuntur concordata Germaniæ. 235. 4. uſquè ad 15.

VI. Concordata ſunt magis favorabilia Nationi Germaniæ, quam ſint Regulæ Cancellariæ. 236. 16.

VI. In Diœceſi Cameracen. vigent concordata Germaniæ 311. 26.

VI. Concordata Germaniæ, an per viam extenſionis locum habeant in Diœceſi Methen. 313. 32.

VI. Sub concordatis non comprehenduntur officia Eccleſiaſtica, quæ non dantur in Titulum 238. 6.

VI. Sub concordatis cadunt Beneficia Juriſpatronatus Eccleſiaſtici. 238. 7. Amplia ut ibi.

VI. Non cadunt verò Beneficia Juriſpatronatus mixti. 238. 8.

VI. Sub concordatis Germaniæ, an cadant Beneficia Juriſpatronatus. 237. 1.

VI. Si erigeretur, & fundaretur Beneficium in menſe reſervato, an caderet ſub concordatis. 240. 18.

Vide in verbo *Beneficium*.

CONCORDIA.

II. An, & cur fieri poſſit concordia ſuper Vaſis Sacris, & Jure ſepulturæ abſque labe Simoniæ pretio interveniente. 211. 1. & pag.212. 7. & 8.

II. Concordia, aut tranſactio inita ſuper Univerſitate Bonorum, cui ſit annexum Juſpatronatus pretio interveniente, eſt valida. 211. 2.

II. Concordia, aut tranſactio inita ſuper honoribus, & præeminentiis Patrono debitis mediante pecunia ſuſtinetur. 211. 3.

II. Suſtinetur etiam concordia, & tranſactio ſuper forma præſentandi alternis vicibus, aut per quam permutetur unum Juſpatronatus cum altero. 211. 4.

II. Concordia vel tranſactio inita inter hæredem, & donatarium ultimi de familia, & Monaſterium ſubſtitutum ſuper ipſomet Jurepatronatus, aut ſuper Jure præſentandi cum interventu pecuniæ tanquam Simoniaca non ſuſtinetur, nec eſt confirmanda. 211. 5. & ſeq.

II. Concordia inita inter Laicum Patronum Parietis ubi depicta eſt Sacra Imago, & Parochum, qua concedatur eidem Laico Adminiſtratio eleemoſynarum, & oblationum Jure proprio, non eſt confirmanda. 263. 4.

II. Concordia inita inter proviſum Apoſtolicum, & prætenſum Patronum, inſcio Ordinario, & Promotore Fiſcali immutare non poteſt præcedentem ſtatum liberum Beneficii. 386. 9. 12. Amplia ut *ibi* 10.

II. Concordia inter Præſentatos an faciat extinguere litem inter Patronos 414. 19.

IV. Concordia inita inter Epiſcopum, & Patronum in una vacatione liberè conferendi Beneficium, & in altera vacatione conferendi illud ad præſentationem Patroni an ſit confirmanda. 65. 16.

V. Concordia inita inter duas Eccleſias qua permutentur ad invicem nonnulla eorum Bona, an ſit beneplacito Apoſtolico confirmanda. 103. 5.

Vide in verb. *Tranſactio*.

CONCUBINARIUS.

I. Concubinarius notorius præſentari non poteſt ad beneficia Eccleſiaſtica. 201. 14.

II. Concubinarius eſt privandus Beneficiis per ſententiam, præcedente trina monitione. 418. 13.

CONCURSUS.

II. Compatibilis eſt concurſus plurium Prælatorum, ſeu ſuperiorum Eccleſiaſticorum in eodem loco, vel diverſis reſpectibus, vel per cumulativam. 585. 12.

V. Concurſus factus coram Examinatoribus, qui non præſtarunt juramentum, ſe quacumque humana affectione poſtpoſita fidelitèr munus Executuros, eſt nullus. 170. 10.

V. Concurſus an ſit nullus, ſi fiat examen adhuc durante termino. 171. 17.

V. Concurſus requiritur in Parochialibus de Jurepatronatus Eccleſiaſtico. 169. 1. Limita ut *ibi*.

V. Non verò in Parochialibus de Jurepatronatus Laicali. 169. 2. Limita ut *ibi*.

V. Neque in Parochialibus de Jurepatronatus mixto. 169. 3. Limita ut *ibi*.

V. Enumerantur requiſita neceſſaria ad validitatem concurſus in Parochialibus de Jurepatronatus Eccleſiaſtico. 169. 4. uſque ad 7. & pag. 171. 16. & ſeq. & 19. & pag.172. 21. 23. & 25.

V. Concurſus eſt validus ſi fiat examen coram Examinatoribus in locum Defunctorum ſubrogatis, dummodò per eos fuerit præſtitum conſuetum juramentum; ſecùs ſi tale juramentum fuerit ab eis omiſſum, vel inter ipſos, & ab eis approbatos interceſſerit ſimonia. 170. 14. & ſeq.

V. Si contingat contemporanea vacatio plurium Parochialium, ad omnes quidem indici debet concurſus prævià affixione diſtinctorum Edictorum pro unaquaque Eccleſia, non tamen Epiſcopus tenetur ſeparatà peragere examina. 171. 18.

V. Concurſus non vitiatur, ſi concurrentes admiſſi ſint ad actum examinis non unitim, ſed in manſionibus ſeparatis. 171. 20.

V. Concurſus factus coram Examinatoribus electis in Synodo ſuſpenſa, quoad ejus Conſtitutiones, & decreta ſuſtinetur. 173. 28.

V. Simplex præſentia alicujus non ſynodalis in Examine non eſt apta invalidandi concurſum. 173. 29.

V. Ad validitatem concurſus, non requiritur, quod expleatur per vota ſecreta. 174. 31.

V. Conſuetudo providendi Parochiales de Jurepatronatus Eccleſiaſtico abſque concurſu non eſt contra bonos mores, nec contra legem Divinam. 182. 18.

V. Non eſt neceſſarius Concurſus in Parochialibus de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, quandò illæ per tempus ferè immemorabile conſueverint provideri abſque concurſu. 177. 5., & pag. 179. 11. & pag. 181. 17.

V. Conſuetudo ferè immemorabilis negativa concurſus maximè ſi ſit introducta cum ſcientia, & patientia Papæ præſumere facit Summum Pontificem noluiſſe obſervari Conciliarem Concurſum in Parochiali. 178. 6.

V. Publica fama, & opinio, quod in proviſione Parochialis non ſit neceſſarius concurſus, probat eandem Parochialem eſſe, vel ex lege fundationis, vel ex Privilegio Apoſtolico ab eo exemptam. 178. 7.

V. Enumerantur Caſus, in quibus non eſt neceſſarius concurſus in Beneficiis Curatis. 178. 8. & pag. 182. 18.

VI. In Parochialibus unitis Monaſterio, quoad temporalia tantùm non requiritur concurſus, ſed Vicarius perpetuus inſtituitur ad præſentationem Abbatis. 425. 6.

V. Quod Parochialis fuerit ab immemorabili collata abſque concurſu prævio dumtaxat Examine ſolius Præſentati ex quibus probetur. 180. 15. & ſeq.

CONDITIO.

I. Conditio, quod deficiente Beneficiato Fructus Bonorum donatorum cedant in Beneficium Compatronorum, an ſit contra naturam Beneficii. 261. 3.

I. Conditio appoſita contra naturam Beneficii non poteſt illud vitiare, ſed potiùs ipſa vitiari debet. 261. 4.

II. Conditio, quod Juſpatronatus ſit gentilitium eſt favorabilis Eccleſiæ 8. 6.

II. Conditiones novæ quandò ſunt præjudiciales Eccleſiæ Patronatæ non poſſunt apponi poſt fundationem, nec à fundatore, nec ab ejus Succeſſoribus; ſecus ſi ſint utiles, & non præjudiciales eidem Eccleſiæ. 8. 7.

II. Reſervata à fundatore ſibi facultate faciendi duos actus ſub certa conditione, iſta ambos informat, & ad utroſque refertur. 44. 15. & ſeq.

II. Conditiones, & Statuta Beneficii extra fundamentalia non ſunt attendenda. 177. 10.

II. Conditio præferens originarios extraneis an ſit reprobata, ac contra Jus 175. 2., & pag. 177. 10. & ſeq.

II. Conditio appoſita à fundatore non obtinendi aliud Beneficium non eſt admittenda, ſed rejicienda, ſi Beneficium non ſit reſidentiale, nec ſufficiens ad congruam ſuſtentationem. 357. 5.

II. Conditio manualitatis an ex intervallo apponi poſſit in Beneficio à fundatore 501. 3.

II. In limine fundationis Beneficii poteſt apponi conditio, quæ minuat Jura Epiſcopalia. 502. 8.

II. In actu redotationis Beneficii poteſt ex intervallo apponi conditio manualitatis. 502. 3.

II. Appoſita conditione, quod Patronus præſentet cum Conſilio alicujus, Patronus tenetur requirere illius Conſilium, illudque debito tempore aſpectare, aliàs ſi præſentaret dicto Conſilio non requiſito, præſentatio eſſet nulla. 507. 14.

II. Appoſita conditione, quod Patronus præſentet cum Conſilio alicujus, Patronus tenetur requirere illius conſilium, non verò illud ſequi. 507. 41.

II. In limine fundationis poteſt apponi conditio, quòd Beneficium poſſit obtineri ab habente pluralitate Beneficiorum, ſeu quod non ſit incompatibile. 503. 9.

II. In limine fundationis poteſt apponi conditio, quod Beneficiatus non poſſit in eadem Eccleſia aliud officium retinere. 505. 14.

II. In limine fundationis poteſt apponi conditio, ut beneficium ſit exemptum ab omnibus oneribus 505. 20.

II. Appoſita à fundatore in limine fundationis conditione, quod ad Beneficium præſentetur Clericus primæ tonſuræ, an ad illud præſentari poſſit Clericus minor quatuordecim annorum. 505. 21.

II. Conditio appoſita in limine fundationis à fundatore, quod Patronus præſentet vicinum Seniorem tali Eccleſiæ, aut tali Domo, de quibus vicinis eſt intelligenda. 506. 23.

II. In limine fundationis poteſt apponi conditio, quod Juſpatronatus non tranſmittatur ad hæredes extraneos. 506. 26.

II In limine fundationis poteſt apponi conditio, ut Prædeceſſor eligat ſibi ſucceſſorem in Beneficio, etiam nulla ſecuta ordinarii inſtitutione. 506. 27.

II. In limine fundationis poteſt apponi conditio, ut circa alienationem Bonorum in utilitate Beneficii non requiratur conſenſus Epiſcopi, & quod habens duo Beneficia ſimplicia poſſit præſentari ad tertium. 507. 34. & ſeq.

II. Non poteſt apponi conditio, ut ſi Patronus fiat Religioſus, nominet invito Prælato. 507. 36.

II. Poteſt apponi conditio, quòd Patronus præſentet cum Conſilio alicujus. 507. 41.

II. In limine redotationis Eccleſiæ Parochialis apponi non poſſunt conditiones, quod redditus aſſignati revertantur ad Patronum & quod Patronus poſſit augere, & minuere ſtipendium, & numerum Vice Curatorum. 507. 42.

II. Poteſt apponi conditio, quod Beneficium Patronale conferri non poſſit habenti alterum Beneficium. 508. 43.

II. Poteſt in limine Erectionis Collegiatæ apponi conditio, ut primæ dignitati concedatur Indultum utendi Inſigniis Pontificalibus. 508. 44. & alia pacta, de quibus *ibi* 45.

II. Conditiones, quæ de Jure inſunt non inducunt Simoniam. 214. 3.

II. Poteſt apponi conditio, quod ſingulis diebus in Cappella fundata in Eccleſia Cathedrali celebretur à Presbyteris parvum officium S. Crucis, & id impediri non poteſt à Canonicis. 508. 46. Intellige, ut *ibi*.

II. Quando Beneficium eſt jam in eſſe deductum non poſſunt ei ſuper imponi novæ conditiones, aut onera etiam de conſenſu ordinarii. 509. 2.

II. Legatis jam inſtitutis apponi nequeunt novæ conditiones, ſeu onera. 501. 4.

IV. In re communi melior eſt conditio prohibentis. 65. 13., & 66. 18.

V. Conditionibus, ſeu qualitatibus à Fundatore in limine fundationis Beneficii appoſitis derogari non debet. 183. *In Comment.* Et quare! Vide *ibi* n. 1.

V. Conditiones aliæ ſunt extrinſecæ, & aliæ intrinſecæ naturæ Beneficii. 186. 7.

I. Nec Patrono, nec Epiſcopo licet poſt perfectam fundationem Beneficii alia onera, & conditiones adjicere, & ejus ſtatum immutare. 173. 20.

Vide

Vide in verb. *Fundator. Pactum, Patronus in genere.*

CONDOMINUS.

I. Condominus non poteſt in actibus concernentibus idem Condominium, in ſe habere, & in alterum transferre plùs quam importet rata ſui condominii. 149.32.

CONDUCERE CONDUCTOR.

V. Patronis an ſit prohibitum per Triennium conducere Bona, & fructus Eccleſiæ Patronalis. 101. 1. 3. & ſeq.
V. Quælibet Perſona Extranea conducere poteſt per Triennium Bona Eccleſiæ Patronalis. 101. 4. Amplia ut ibi.
II. Conductor ad modicum tempus non poteſt facere ſuum fructum præſentationis. 229. 4.

CONFŒDERATIO:

I. Laudatur Confœderatio Rectorum Eccleſiarum ad Commune Bonum illarum. 113. 10.

CONFERENS.

I. Conferens aliqua Bona Eccleſiæ, an & quando non acquirat Juſpatronatus per hujuſmodi Collationem. 171. 18. & ſeq.

CONFESSARIUS, CONFESSIO.

I. Confeſſario Teſtatoris multum defertur in materia Teſtamentorum. 46. 25.
II. Patronus removere non poteſt ad nutum & abſque cauſa confeſſarium ab ipſo nominatum, & ab Epiſcopo deputatum in Eccleſia Patronali. 369. 2. & 5. Et quare? Vide *num. 7. & 9.*
II. Confeſſio nequit impugnari per habentem Cauſam à confitente. 20. 28.
II. Confeſſio benè probat contrà confitentem. 32. 30.
VI. Nemo poteſt venire contra propriam Confeſſionem. 274. 19.
I. Adversùs propriam Confeſſionem quis audiri non poteſt. 139. 22.
Vide in verb. *Officium. Patronus.*

CONFIDENTIA.

VI. Prohibitum eſt recipere Beneficia in confidentiam Cardinalibus, aliiſque Prælatis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna Interdicti Ingreſſus Eccleſiæ, reliquis verò ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ. 266. *in comment.*
VI. Confidentia Beneficialis quæ ſit. 266. 1.
VI. Confidentia Beneficialis, ex quibus Cauſis, & modis committi poſſit. 266. 2.
VI. Confidentia, quibus modis probetur. 267.5.
VI. Confidentiæ Crimen habet peculiarem Judicem in Romana Curia. 269. 5.
VI. Confidentia Beneficialis plurimum eſt cognata, & conjuncta cum Simonia. 269. 5.
VI. Confidentia punibilis non committitur, ſi quis rogaret enixè Patronum, ut illum præſentaret generaliter promittendo ſe futurum gratum. 271. 10.
VI. Confidentia punibilis non committitur; ſi Patronus præſentaret aliquem ad Beneficium vacans ea intentione, ut præſentatus renuntiet Conſanguineis. Amicis ſeu ipſius familiaribus Beneficium. 271. 10. Intellige ut *ibi*.
VI. Confidentia an committatur ex ſola prava intentione Patroni præſentantis. 270. 1. & pag. 271. 11.
VI. Patronus ſi præſentat cum prava intentione recipiendi aliquam recognitionem à Præſentato non dicitur ex hoc commiſſa confidentia ſimoniaca punibilis. 270. 2.
VI. Confidentia quotuplex ſit? 270. 3.
VI. Confidentia ſimoniaca, & punibilis committitur ex præcedenti pacto, tractatu, conventione, & conditione expreſſa, vel tacita. 270. 4.
VI. Dicitur commiſſa confidentia ſimoniaca, ſi præſentatus inſtructa lite coram Ordinario illi renunciet, & cedat Juri, quod habebat ſuper Beneficio favore Collitigantis cum pacto, ut ab hoc ſibi ſolvatur certa pecuniarum ſumma. 271. 5. & 275. 22.
VI. Patronus ſi promittat præſentare aliquem cum pacto, ut ſibi, vel alteri relinquantur fructus Beneficii, aut ſolvatur penſio, ex hoc diceretur commiſſa confidentia Simoniaca, & punibilis. 271. 6. & pag. 279. 37. Amplia 271. 7.
VI. Committitur confidentia ſimoniaca, ſi Patronus præſentet, aut conſtituat Procuratorem ad præſentandum cum pacto dimittendi, vel reſignandi Beneficium pro ſui, vel alterius arbitrio. 271. 8. Limita ut ibi 9.
VI. Secluſo pacto, aut conditione non committitur confidentia punibilis. 271. 10.
VI. Intentio prava Patroni, ad effectum inducendi confidentiam non nocet præſentato. 271. 12.
VI. Ob confidentiam, aut ſimoniam amittit quis vocem paſſivam, & redditur inhabilis ad aſſequendum Beneficium etiam vi novæ præſentationis. 276. 24.
VI. Ad effectum incurrendi confidentiam ſimoniacam quid requiratur. 283. 4.
Vide in verbo *Beneficium, collatio.*

CONFIRMATIO.

II. Confirmatio ſemper intelligitur ad limites Actus confirmati. 379. 6.
VI. Mortuo Donatario, ejus hæredes poſſunt petere confirmationem donationis Juriſpatronatus ab ordinario. 463. 14.
VI. Sola petitio confirmationis Legati Juriſpatronatus præſervat Jus Legatario, aut Donatario, adeout ſequens confirmatio retrotrahatur non obſtante præſentatione medio tempore facta per hæredem. 465. 21.
VI. Confirmatio reſtringitur ad limites confirmati. 364. 20.
II. Confirmatio non extendit ſtatuta confirmata ad ea, de quibus in ipſis nulla fit mentio. 308. 15.
II. Confirmatio neceſſariò præſupponit actum electionis. 195. 7.
VI. Confirmatio donationis Juriſpatronatus non referens totam ſubſtantiam, & integrum donationis tenorem non poteſt admitti ad probandum Juſpatronatus. 452. 2.

CONFISCATIO.

II. An in confiſcatione omnium Bonorum comprehendatur Juſpatronatus. 245. 3.

CONFRATRES CONFRATERNITAS.

I. Confratres ſodalitatum decedentes ex hac vita non electa ſepultura ſepelliri tenentur in Eccleſia Parochiali. 94. 3.

VI. Confraternitates Laicales erectæ in Altaribus Eccleſiarum Parochialium Abbatiæ, non ſubjacent viſitationi, directioni, & Juriſdictioni Epiſcopi. 396. 4.
VI. Confraternitas erecta in Eccleſia Collegiata adimplere nequit onera miſſarum, & Anniverſariorum ſibi injuncta mediantibus Presbyteris exteris ſibi beneviſis etiam annuente, & permittente Archipresbytero, & Parocho, ſed tenetur uti miniſterio Canonicorum Eccleſiæ Collegiatæ. 414. 1.
VI. Confraternitas nequit infrà annum in ejus Altari exponere publicæ venerationi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum de licentia ſolius Parochi, ſed requiritur licentia Epiſcopi. 414. 4.
VI. Confratres etiam annuente, & permittente Archipresbytero nequeunt facere proceſſiones intrà, & extra Eccleſiam Collegiatam ſine interventu Canonicorum, dummodò non agatur de proceſſionibus, quæ fiunt ex Inſtituto Confraternitatis, in quibus ſufficit, quòd Canonici ſint invitati. 414. 5.
VI. Confraternitas erecta in Eccleſia Collegiata nequit etiam permittente Archipresbytero erigere propriam Crucem in proceſſionibus, quæ fiunt intra, & extrà eamdem Eccleſiam. 415. 7.
VI. Neque poteſt de licentia Archipresbyteri pulſari facere Organa, & Campanas ejusdem Eccleſiæ Collegiatæ, ſed requiritur etiam conſenſus Canonicorum. 415. 8.
VI. Confratres permittente Archipresbytero, & Parocho nequeunt impedire Canonicis celebrationem Miſſarum in eorum Altari. 415. 9.

CONGREGATIO.

II. Sacra Congregatio Concilii denegare ſolet præſentatis inhabilibus diſpenſationem ſuper inhabilitate, concurrentibus aliis præſentatis habilibus. 133. 3.
II. Sacra Congregatio Concilii ſemper deteſtata fuit pactiones, conventiones, & venditiones Juris nominandi ad Cappellanias merè Laicales. 224. 9.

CONGRUA.

I. Rectori novæ Parochiæ aſſignanda eſt Congrua ſuſtentatio, ſed de quibus redditibus, & Bonis iſta congrua conſtituenda ſit? 63. 18. 19. & ſeq., & pag. 64. 21.
II. Congruam aſſignare Cappellano debitam, an pro parte ſpectare poſſit ad hæredem univerſalem, ad quem tranſivit Juſpatronatus cum hæreditate, & pro parte ad Legitimatarium. 272. 17. & 274. 26.
IV. Patrono Laico non poteſt præfigi terminus ad aſſignandam congruam portionem Parocho de fructibus Parochiæ. 30. 2.
IV. Epiſcopus poteſt ſtatuere terminum Religioſis ad aſſignandam congruam portionem præſentato ab eis ad Eccleſiam Parochialem, quæ ſi ab ipſis non aſſignetur, poteſt aſſignari ab Epiſcopo. 30. 3.
IV. In aſſignatione Congruæ Jura onerant conſcientias ordinariorum. 33. 2.
IV. Emolumenta incerta an poſſint computari in congruam. 33. 3.
IV. Congrua ſemel aſſignata, & acceptata non poteſt ampliùs augeri, nec minui. 32. 1. Amplia. 33. 2. Limita. 34. 10.
IV. Congrua an, & in quibus emolumentis incertis aſſignari poſſit Parocho, ſive Vicario perpetuo. 33. 4. & ſeq.
IV. In aſſignatione congruæ nulla habenda eſt ratio emolumentorum, quæ Parochus, ſive Vicarius perpetuus ex aliis Beneficiis, vel Legatis extra Eccleſiam Parochialem percipit. 34. 11.
IV. Congrua, in qua ſumma ſit taxanda, & aſſignanda Parocho, Concilium Tridentinum totum repoſuit arbitrio ordinarii. 34. 12.
IV. Ordinarius in aſſignatione Congruæ ad quæ reſpicere debet. 34. 13.
IV. Congrua eſt veluti dos Parochi ad ſupportanda onera matrimonii ſpiritualis. 34. 14.
IV. Divus Pius determinavit Congruam debere eſſe certam, ſed non minorem quinquaginta, nec majorem centum ſcutorum. 34. 15. Intellige. 35. 16.
IV. Parochus debet eſſe contentus Congrua ſibi ſufficienter aſſignata. 35. 17.
Vide in verb. *Monaſterium*, *Parochus*.

CONJUNCTIO.

I. Natura Conjunctionis eſt, ut Conjuncti conſtituant unum Corpus, uniuſque Perſonæ Vice fungantur. 180. 4.

CONTEMPTUS.

I. Solus Contemptus excipere poteſt de nullitate Actus. 142. 27.

CONNEXUM.

I. Connexorum idem eſt Judicium. 142. 32.

CONSANGUINEUS.

II. Vocatis à Fundatore ejus Conſanguineis prælativè ad Conſanguineos Conſanguineorum, non omnes Conſanguinei Fundatoris ſuccedere debent in Jurepatronatus, ſed Conſanguinei fundatoris prælativè ad conſanguineos Conſanguineorum. 26. 7.
II. Conſanguinei fundatoris inſtare poſſunt apud legitimum ſuperiorem, ut reſervatio Juriſpatronatus facta ab Epiſcopo ad formam primi Teſtamenti pro hæredibus, reſcindatur, & redigatur ad formam ſecundi pro Conſanguineis. 49. 15.
II. Vocatis Conſanguineis ad Juſpatronatus paſſivum vocatione directa, proximior præferri debet. 53. 19.
II. Reſervato Jurepatronatus pro Conſanguineis fundatoris, aut pro Conſanguineis Conſanguineorum, Conſanguineus fundatoris præſentari debet prælativè ad Conſanguineos Conſanguineorum. 53. 20.
II. Conſanguineus Fundatoris an, & quando poſſit adoptare extraneum in filium, aut illum aggregare in Parentelam, & ei communicare Juſpatronatus. 67. 37. & ſeq.
II. Reſervato Jurepatronatus à fundatore pro ejus Conſanguineis cum taxativa *tantùm*, iſti nec de Communi omnium conſenſu poſſunt aggregare in Parentelam aliquem Extraneum, & eum admittere ad Juſpatronatus. 68. 38.
II. Conſanguineus præſentare poteſt pro Conſanguineo Patrono, etiam ſinè mandato, & præſentatio ſuſtinetur. 122. 11. Intellige ut *ibi*.
II. Clericus Conſanguineus fundatoris, & Presbyter ſi ſint in paritate vocum an ſit in poteſtate Epiſcopi præferre, & gratificare quem vult. 181. 1. & pag. 183. 11.
II. Conſanguineus Patroni non ratione propriæ Perſonæ, ſed ratione dignitatis, officii &c. in paritate vocum non eſt præferendus Extraneo. 181. 2. Et quare? vide. 183. 12.

II. Non ſolùm Conſanguineus Fundatoris, ſed etiam conſanguineus Patroni ratione propriæ Perſonæ eſt ità gratificandus, & præferendus. 182. 8. Et pag. 185. 18.
II. Conſanguineus fundatoris in paritate vocum non eſt præferendus alteri compræſentato, qui pariter ſit Conſanguineus fundatoris, & ſimul Patronus. 183. 10. Et quare vide ibi.
II. Conſanguineus fundatoris, ſi ſit idoneus, dignior eſt cenſendus. 183. 11.
II. Concurrentibus Conſanguineis Mariti, & Uxoris æquè proximioribus ad Cappellaniam merè Laicalem fundatam, aut ad dotem relictam ab utroque Conjuge pro eorum Conſanguineis; præferendus, & gratificandus eſt conſanguineus mariti. 191. 13. & ſeq. Et quare *ibi* 15. Intellige *ibi* 17. Amplia. 192. 18.
II. In conſecutione majoratus inſtituti per maritum, & Uxorem præfertur Conſanguineus mariti. 191. 16. Et quare vide. pag. 192. 20.
II. Si ab utroque Conjuge eſſent vocati ad Cappellaniam *Conſanguinei viri, ſivè Vxoris*, eſſet præferendus Conſanguineus mariti. 191. 17.
II. Conſanguineus ſolet diſpenſari ſuper defectu ætatis ad Beneficia. 208. 1.
II. Conſanguineus in paritate vocum eſt præferendus. 404. 45.
VI. Conſanguinei fundatorum ſunt admittendi ad Beneficia Regni Valentiæ, licet alienigenæ, ſi in limine fundationis à Fundatoribus diſpoſitum fuerit, quod præſententur ad Beneficia illi de familia. 337. 1.
I. Conſanguineus ſolum in paritate, & non in diſparitate vocum eſt præferendus Extraneo. 181. 8.
Vide in verb. *Clericus*.

CONSENSUS.

I. Conſenſus Populi requiritur in erectione novæ Eccleſiæ Regularium. 68. 37.
I. Conſenſus Parochi requiritur in erectione novæ Eccleſiæ, ſeu oratorii publici intrà limites Parochiæ. 68. 37.
I. Conſenſus Parochi irrationabiliter denegatus in erectione oratorii publici ſuppleri poteſt per ſuperiorem. 69. 45.
I. Conſenſus Epiſcopi in ædificando oratorium intra limites Eccleſiæ excludit præſumptionem præjudicii ejuſdem Eccleſiæ. 69. 45.
I. Abſque conſenſu Patroni quis poteſt ædificare Cappellam in Eccleſia Patronali. 92. 20.
I. Conſenſus Patroni in occurrentibus circa rem Patronalem quando requiratur. 95. 8.
I. Si ex redditibus ſuper excreſcentibus unius præbendæ vacantis erigantur duæ præbendæ ad terminos *Textus in Cap. vacante de Præben.* requiritur conſenſus Patroni. 267. 14.
II. Conſenſus Epiſcopi eſt cauſa efficiens Juriſpatronatus 40. 3. & pag. 43. 11. & V. 190. 25. & pag. 83. 1.
II. Conſenſus Epiſcopi, aut Capituli non retrotrahitur ad diem gratiæ factæ à Papa de Beneficio ſub conditione ejuſdem conſenſus, ſi medio tempore alius obtineat gratiam abſolutam ejuſdem Beneficii. 199. 20.
II. Conſenſus Epiſcopi non requiritur, ut interveniat in ipſo actu donationis Juriſpatronatus, ſufficit ſi ex poſt interponatur. 301. 3.
II. Conſenſus Epiſcopi, non requiritur in donatione Juriſpatronatus cum Univerſitate Bonorum, aut favore Eccleſiæ, aut favore compatroni facta. 302. 5. 6. & ſeq.
II. Non requiritur conſenſus ordinarii in translatione Juriſpatronatus facta per Univerſitatem Patronam non directè, ſed conſecutivè. 302. 8.
II. In donatione Juriſpatronatus facta à Patre favore filii an requiratur conſenſus ordinarii. 302. 9.
II. Requiritur conſenſus Epiſcopi in donatione Juriſpatronatus de per ſe directè facta Laico omninò Extraneo. 302. 10.
II. Qui conſenſus præſtari poteſt per Epiſcopum extrà proprium Territorium, & non requiritur quod ſit expreſſus, ſufficit tacitus, & ex quibus præſumatur. 303. 11.
II. Tacitus conſenſus ordinarii an excludatur per expreſſum ſubſequenter reportatum à Donatario Juriſpatronatus. 303. 12.
II. Conſenſus, ſeù confirmatio Epiſcopi obtenta à Donatario Juriſpatronatus poſt præſentationem factam à Patrono donante, ei non ſuffragatur pro ea vacatione, ſed ſolum pro futuris vacationibus. 304. 18.
II. Conſenſus, ſeù confirmatio Epiſcopi an, & quandò retrotrahi poſſit ad diem donationis. 304. 20.
II. In translatione, ſeu donatione Juriſpatronatus Eccleſiaſtici, non ſufficit conſenſus ordinarii, ſed requiritur beneplacitum Apoſtolicum. 305. 32.
II. Simplex conſenſus præſtitus ab uno ex Patronis reſignationi abſentibus, & ignorantibus aliis compatronis, non meretur haberi in aliqua conſideratione pro firmando ultimo ſtatu. 409. 51.
II. Conſenſus præſtitus à Patrono permutationi Beneficii conſtituit eum in quaſi poſſeſſione præſentandi. 446. 19. Amplia ut *ibi*.
II. Conſenſus Epiſcopi requiſitus pro erectione Cappellaniæ non requiritur, quod antecedat, ſed ſufficit, ut poſteà præſtetur. 558. 3.
II. Ad hoc ut acquiratur Juſpatronatus ex conſtructione, dotatione, aut fundatione Eccleſiæ requiritur conſenſus Epiſcopi. 575. in *Comment.*
II. Conſenſus Epiſcopi requiſitus in fundatione, dotatione, & conſtructione Eccleſiarum, ſufficit etiam pro reſervatione Juriſpatronatus. 576. 1.
II. Conſenſus Epiſcopi eſt Cauſa efficiens Juriſpatronatus omnino requiſita ad formam, & perfectionem illius. 576. 2.
II. Conſenſus ordinarii requiritur non ſolùm ad acquirendum Juſpatronatus activum, verùm etiam paſſivum. 579. 2.
II. Conſenſus ordinarii requiſitus in reſervatione Juriſpatronatus, quandò intervenire debeat. 579. 3.
II. Conſenſus requiſitus pro reſervatione Juriſpatronatus an tacitè inducatur ex admiſſione præſentationum, & ex Inſtitutionibus. 579. 5.
II. Ad effectum acquirendi Juſpatronatus, ſeu Jus nominandi in Cappellaniis, Hoſpitali, aut Collegio merè Laicalibus non requiritur conſenſus Epiſcopi. 581. 3.
II. Jus præſtandi conſenſum in reſervatione Juriſpatronatus, nec non Jus inſtituendi, & conferendi Beneficia, an ſpectare poſſit alteri, qui non habeat Juriſdictionem Epiſcopalem cum Territorio ſeparato. 583. 2. Et pag. 587. 20.
II. Jus præſtandi conſenſum in reſervatione Juriſpatronatus, nec non Jus inſtituendi, & conferendi Beneficia eſt quid annexum Juriſdictioni Epiſcopali. 586. 17.
II. Jura præſtandi conſenſum in reſervatione Juriſpatronatus, nec non inſtituendi, & conferendi Beneficia, non fuerunt conceſſa Epiſcopis à Concilio Tridentino. 589. 23.
II. In recipiendis Puellis in Monaſteriis requiritur, quod intercedat conſenſus monialium. 594. 1.

II. Con-

II. Conſenſus monialium requiſitus pro admiſſione Puellæ in educandam debet eſſe liber, & præſtitus saltèm à majori parte monialium. 594. 2.
II. Conſenſus ſinè juſta Cauſa denegatus ſuppleri debet per ſuperiorem. 597. 16.
IV. Conſenſus præſtitus à Patrono permutationi Beneficii habetur loco præſentationis 59. 14.
IV. Conſenſus præſtitus permutationi Beneficii à Patrono Turnario conſumit hujus Turnum. 59. 14.
V. Conſenſus Epiſcopi nequit facere Patronum eum, qui non fuit fundator, conſtructor, aut dotator Eccleſiæ. 84. 5. Et quare vide *ibi*.
V. Conſenſus Capituli non ſufficit pro validitate unionis favore ſeminarii. 124. 23.
V. Conſenſus Capituli non requiritur quod interveniat in ipſo actu unionis. 150. 29. Et ex quibus præſumatur interveniſſe! Vide *ibi* 30.
V. Conſenſus Patroni in unione Beneficii Patronalis, aut in ſuppreſſione Canonicatus de Jurepatronatus non præſumitur. 151. 32.
V. Si Canonicatus, cui unitur Beneficium ſit Patronalis, non requiritur conſenſus Patroni, ſed requiritur conſenſus D. Temporalis loci, ubi ſitus ſit Canonicatus. 151. 34.
V. In dotatione, & reſervatione Juriſpatronatus non requiruntur plures conſenſus, ſed ſufficit unus pro omnibus. 192. 30. Et quare. Vide *ibi*.
VI. Ad validitatem donationis Juriſpatronatus non ſufficit conſenſus Vicarii, aut Provicarii. 458. 11.
VI. Conſenſus ordinarii retrotrahi non poteſt ad diem donationis Juriſpatronatus ſi medio tempore fuerit alteri Jus quæſitum, ſecùs ſi agatur de Legato Juriſpatronatus tunc enim conſenſus retrotrahitur ad diem mortis Teſtatoris, à qua cedit Legatum. 463. 15. & ſeq.
VI. Jus petendi Conſenſum ſuper donatione Juriſpatronatus an tranſeat ad hæredes donatarii. 462. 12.
VI. Conſenſus ordinarii an requiratur ad hoc ut Juſpatronatus relictum ſeu Legatum in Teſtamento tranſeat in Legatarium. 459. 1.
VI. Conſenſus Patroni, ex quibus præſumatur interveniſſe in permutatione Beneficii Patronalis. 322. 23. & pag. 324. 29. & ſeq.
VI. Conſenſus præſtitus à Patrono permutationi Beneficii conſumit Jus illud, quod ipſe habet ex diſpoſitione fundatoris, ſemel in prima Beneficii vacatione præſentandi. 323. 27. Amplia. 324. 28.
VI. Conſenſus Patroni requiſitus in permutatione Beneficii, quando intervenire debeat. 335. 31.
VI. Conſenſus Patroni requiritur in reſignatione Beneficii Eccleſiaſtici. 326. 3. An verò requiratur in reſignatione Cappellaniæ merè Laicalis vide ibi 4. & pag. 329. 15.
VI. Conſenſus Patroni in reſignatione Cappellaniæ merè Laicalis, ex quibus præſumatur interveniſſe. 327. 5.
I. Conſenſus ordinarii requiſitus à primo Donatario, & ſinè Cauſa protelatus retrotrahendus eſt etiam in præjudicium Secundi Donatarii. 211. 26.
I. Conſenſus requiſitus, & abſque Cauſa denegatus eſt per ſuperiorem ſupplendus. 228. 9. & pag. 236. 16.
I. Conſenſus Procuratoris dependens à duratione conſenſus ſui Principalis, mortuo Principali expirat. 228. 10.
Vide in verb. *Aſſenſus, Canoni catus, Reſignatio, Suppreſſio*.

CONSERVATOR.

II. Conſervatoribus Judicibus non licet ullum habere Tribunal. 378. 4.
II. Referuntur Doctores agentes de qualitatibus Conſervatoris. 378. 2.
II. Conſervatores attentâ diſpoſitione Juris communis, Sacri Concilii Tridentini, & mente Sacræ Congregationis Concilii ſolum cognoſcere poſſunt de manifeſtis injuriis, & violentiis, & non de Cauſis Judicialem Indaginem requirentibus 378. 3. 4. & ſeq. ſecùs ſi adſit ſpecialem Privilegium. 381. 14.
II. Specialia Privilegia Conſervatorum regularium non ſunt abrogata, nec per Concilium Tridentinum, nec per Conſtitutionem Gregorianam. 381. 12. & ſeq.
II. Conſervatores Juriſdictionem habent in his tantum Cauſis, ubi Regulares non Actores, ſed rei exiſtant. 381. 13.
II. Conſervator præter Notarium non poteſt aſſumere proprios miniſtros, ſed debet uti officialibus Curiæ Epiſcopalis. 382. 15.
Vide in verb. *Cognitio, Regularis.*

CONSILIUM.

V. Conſilium Deputatorum requiſitum in unione Beneficiorum favore ſeminarii requiritur in ipſo actu unionis. 124. 23.
II. Mutare Conſilium in præjudicium alterius quis non poteſt. 325. 2.

CONSTITUTIO.

I. Conſtitutio Urbani VIII. requirens lapſum centum annorum ad effectum præſumendi Beneplacitum Apoſtolicum procedit in Contractibus Eccleſiæ præjudicialibus initis cum Clericis ſeu aliis Particularibus, non autem cùm alia Eccleſia, ex juſta, & rationabili Cauſa. 73. 56.
I. Conſtitutiones, ſeu ordinationes Synodales factæ poſt interpoſitam appellationem ſunt nullæ. 107. 26.
I. Conſtitutio, aut diſpoſitio, quæ falſo nititur fundamento ſubſiſtere non poteſt. 106. 25.
II. Conſtitutio Clementis VIII. diſponit, quod in Eccleſiis Diœceſis Calaguritanæ vacantibus Beneficiis, ad ea filii Patrimoniales recipiantur. 179. 14.
II. Conſtitutio Legati facta à Proconſule antè Ingreſſum Provinciæ, convaleſcit poſt ingreſſum, ſi Proconſul perſeveret in priori voluntate. 160. 11.
II. Conſtitutio Sixti V. la 92. incipien. *cum Sacroſancta* in Hiſpaniis non eſt uſu communiter recepta. 363. 5.
II. Eadem Conſtitutio Sixtina non comprehendit Beneficia de Jurepatronatus Laicorum. 365. 10.
II. Conſtitutio Gregorii XV. la 9. non revocat, ſed confirmat diſpoſitionem Juris communis. 379. 6.
II. Conſtitutio non cenſetur Juri communi derogare, ſed ab illo paſſivam interpretationem recipere. 379. 7.
II. Conſtitutio Gregoriana ſuper publicandis reſignationibus, an procedat in Beneficiis litigioſis. 408. 51.
II. Nulla Conſtitutio, nulla lex, nullum ſtatutum regulariter vim ſortitur in Caſu miſſo, & maximè differente in ratione, pro qua lex, ſtatutum, ſive Conſtitutio emanavit. 408. 51.
II. Conſtitutio, quod onus ſubminiſtrandi expenſas pro Sacrarum utenſilium conſumptione pertineat ad Cappel-

pellanos eſt ſervanda. 573. 1. Amplia ut *ibi*.
II. Conſtitutio de aggregandis habentibus certas qualitates per verba præceptiva *recipiatur, & admittatur*; quomodo intelligatur. 595. 5.
V. Conſtitutio non tranſit ad præterita, niſi faciat mentionem de præteritis. 86. 5.
VI. Conſtitutio Pii V. *la* 41. fuit revocata, & reducta ad terminos Juris Communis, & Sacri Concilii Tridentini à Gregorio XIII. 364. 18.
VI. Conſtitutio, ut Abbates eligantur ex propria Congregatione eſt Juris poſitivi. 439. 3.
I. Conſtitutio, ſeù lex, & ordinatio oculos habet ad futura, non autem ad præterita. 234. 15.
II. Refertur Conſtitutio Siſti V. incipien. *Religioſa la* 55. 586. 13.

CONSTRUCTIO; CONSTRUENS.

I. Ex Conſtructione Eccleſiæ acquiritur Conſtructori, ejuſque hæredibus Juſpatronatus, ſeù Jus defendendi tam Eccleſiam, quàm ejus res 55. *in Comment.*
I. Ex conſtructione Eccleſiæ acquiritur Juſpatronatus non incipienti, ſed perficienti illam conſtruere 57. 1. Amplia ut *ibi*.
I. Ex Conſtructione Eccleſiæ plures poſſunt eſſe Patroni. 57. 3.
V. Conſtruens, aut dotans Eccleſiam de propriis Bonis, & expenſis, ſi de his ab aliquo reintegratur, reintegrans, & non ipſe acquirit Juſpatronatus. 84. 4.

CONSUETUDO.

I. Conſuetudo Sacris Canonibus contraria dicitur corruptela. 10. 14.
I. Conſuetudo contrà Jus Commune ad hoc ut ſit valida quid requiritur. 11. 17.
II. Conſuetudo præſentandi ad Beneficium vacaturum, an, & quando valeat. 429. 5.
II. Conſuetudo dividendi Juſpatronatus in uncias habet locum dumtaxat in Civitate Neapolis, nec extenditur ad cæteras Regni partes. 131. 21.
II. Conſuetudines, aut ſtatuta extrafundamentalia exigendi aliquid à Patrono in actu præſentationis ſunt reprobata. 217. 8.
II. Conſuetudo, ubi legis diſpoſitio ceſſat in materia præcedentiæ habetur pro lege. 578. 8.
V. Conſuetudo exigendi aliquid à præſentato, quod convertatur in uſum, & utilitatem Exigentium reprobatur. 142. 1.
V. Valet tamen hujuſmodi conſuetudo, ſi id quod exigitur cædat in utilitatem Sacriſtiæ, & Eccleſiæ. 142. 2.
VI. Non valet conſuetudo, quod extrà ſtatuta tempora ſacri ordines conferantur. 165. 24.
I. Conſultiùs eſt multitudini, & obſervatæ conſuetudini deferre, quàm aliud in diſſentionem, & ſcandalum Populi novitate quadam adhibita ſtatuere. 216. 7.
Vide in. verb. *Concurſus, Procuratio*.

CONSULENTES.

II. Conſulentes non attenduntur in eo, quod dicunt ad opportunitatem Cauſæ, ſed unicè ſpectatur quod fuerit ſubindè judicatum. 108. 26.

CONTRACTUS.

I. Contractus Eccleſiæ utilis, & Apoſtolico Beneplacito confirmatus obligat ſucceſſores. 116. 15.
V. Contractus initus à Rectore nomine Eccleſiæ, ſeu Beneficii, adſcribitur eidem Eccleſiæ, aut Beneficio, illudque etiam poſt mortem Rectoris afficit. 128. 37.
VI. Contractus initus prævia reſervatione Beneplaciti Apoſtolici pro non facto habetur, ſi Papa illum non approbat. 279. 37.

CONTRADICTOR.

VI. Qui non eſt legitimus contradictor excipere nequit adverſus præſentatum. 438. 15.

CONTRARIUM.

II. Contrariorum natura ea ſolet eſſe, ut uno poſito alterum excludi neceſsè ſit. 331. 13.

CONTROVERSIA.

II. Si controverſia de Jurepatronatus inter Patronos, poſt quam vacaverit Eccleſia non fuerit intrà terminum Juris definita, poteſt Epiſcopus liberè ordinare Eccleſiam de perſona idonea, itaut hæc præſentari debeat ab eo, qui evicerit Juſpatronatus. 373. *in Comment.*
Vide in verb. *Lis*.

CONVENTIO.

I. Conventionibus reciprocis non licet uni ex paciſcentibus contradicere. 471. 31.

CONVERSUS.

II. Converſi non ſunt ſimplicitèr Laici habitu, & profeſſione, ſed ſunt Perſonæ Religioſæ, & Eccleſiaſticæ. 141. 21.
II. Converſi ſunt capaces Jurium ſpiritualium. 139. 7. Et quare. 141. 21.

CONVOCATIO.

I. Convocatio ſolemnis omnium de Communitate, an ſit de neceſſitate ad validitatem Actus præſentationis. 166. 6.

COPULA.

I. Copula *Et* genus, & ſpeciem non ampliat, ſed declarat. 239. 17.

CORPUS.

II. In uno Corpore monſtruoſum eſt eſſe plura Capita. 584. 5.

CORRECTIO.

VI. Inſtantanea correctio numquam præſumitur, ſed quantum fieri poteſt eſt evitanda. 297. 17.

CORRELATIVUM.

II. Duo correlativa an, & quando adeſſe poſſunt in una, eademque Perſona. 146. 1.

CREDITOR.

II. Creditor Inſtrumentarius anteponitur cuilibet Credi-

ditori Chirografario. 202. 28.
Vide in Verbo *Juſpatronatus*.

CRUX.

II. Delatio Crucis, an ſit ſignum Juriſdictionis. 256. 1. Et pag. 257. 5.
II. Clementina *Archiepiſcopo de Privilegiis* habet etiam locum in Epiſcopo, cui ex Privilegio competit delatio Crucis per ſuum Epiſcopatum. 256. 3.
II. Delatio Crucis in Epiſcopo eſt Inſigne merè honorificum, & exerceri poteſt ſinè præjudicio Exemptionis. 257. 8.
II. Delatio Crucis in Archiepiſcopo, an ſit ſignum Juriſdictionis. 257. 5.
II. Crucis delatio in Epiſcopo habente ex Privilegio Jus deferendi Crucem non eſt ſignum Juriſdictionis. 257. 6.
II. In aſſociatione Cadaveris tumulandi in Eccleſia Regularium, ſi interveniat Capitulum Cathedralis, vel collegiatæ, tam Parochus, quàm Regulares incedere debent ſub Cruce ejuſdem Capituli. 268. 3.
Vide in verb. *Epiſcopus, Parochus*.

CURA.

I. Cura habitualis ejuſdem Populi non poteſt eſſe penès duas Eccleſias. 11. 19.
II. Curam Animarum eſſe penès Monaſterium, ex quibus arguatur. 344. 3. & 5.
II. Cura habitualis, an arguatur ex perceptione decimarum. 348. 18. 19. & ſeq.
VI. Cura habitualis exiſtere penès Capitulum, ex quibus reſultet. 294. 3.
Vide in verb. *Diſmembratio*.

CURATOR.

II. Succedente Vacatione Beneficii tempore, quo hæreditas ſit adhuc jacens præſentatio ſpectat ad Curatorem. 236. 2.

CUSTODA.

II. Arcta cuſtodia ventris prægnantis ad effectum excludendi legitimos, & naturales à ſucceſſione Juriſpatronatus eſt probanda, & ex quibus non probetur. 65. 23. & ſeq.

D

DARE.

II. NEmo dat, quod non habet. 353. 31. & pag. 289. 14.
II. Ex qualitatibus Perſonarum dantium, & recipientium cognoſcitur quid dari intelligatur. 289. 12.

DECIMÆ.

I. Decimæ debentur ratione Sacramentorum, & Curæ, & ſunt de Jure Parochiali. 63. 19.
II. Decimæ, & Primitiæ inſervire debent pro victu miniſtrorum Eccleſiæ, Sacrificiorum oblatione, ac pro reſtauratione, luminaribus, & ornamentis Eccleſiæ. 290. 17.
IV. Decimæ ſunt proprium pabulum, & Patrimonium Parochorum. 34. 9.

DECISIO.

II. Refertur deciſio in *Peruſina Penſionis* 11. *Maji* 1716. *coram R. P. D. Herrera*, per quam definitum fuit penſionem per aſſumptionem militiæ Pontificiæ, ipſo Jure extingui. 485. 12. & pag. 487. 16.
II. Reſpondetur huic deciſioni. 490. 30.
I. Deciſio 843. *coram Cerro*, quo ſenſu procedat. 91. 17.

DECLARATIO.

V. Declaratio nihil de novo addit, ſed ſimpliciter oſtendit quid per anteà factum erat. 128. 36.

DECRETUM.

V. Decretum irritans adjectum in diſpoſitione Conciliari, & Conſtitutioni Pianæ deſtruit, & prohibet omnem deſuetudinem, & contraventionem. 177. 1.
V. Decretum irritans quamvis inficiat obſervantiam centenariam in linea præſcriptionis, non inficit tamen illam in linea poſſibilitatis allegandi quemcumque titulum meliore de mundo. 179. 13. & ſeq.
VI. Decretum irritans importat derogationem quibuſcumque contrariis diſpoſitionibus, & Conſtitutionibus. 298. 21.
VI. Decretum irritans in *regula* 9. *cancellariæ* appoſitum, an inficiat quamcumque poſſeſſionem, & obſervantiam in contrarium. 371. 12. & pag. 377. 26. & ſeq.
I. Decretum Sacri Concilii Tridentini Cap. 7. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* excludens voluntarium homicidam à ſpe obtinendi diſpenſationem, an habeat locum in eo, qui ante homicidium ad Sacros ordines jam erat promotus. 198. 68.

DECURIO.

I. Decuriones, & Regentes Communitatis, an, & quandò ſoli ſint admittendi ad præſentandum. 161. 7.

DELICTUM.

I. Delicta ſunt concludenter probanda. 227. 7.
II. Quæ ſint delicta, propter quæ Beneficiatus remaneat privus ipſo jure Beneficio, & quæ ſint illa, propter quæ non ipſo jure Beneficiatus remaneat privus, ſed ſit per ſententiam privandus. 418. 12. & ſeq.
II. Delicta Carnis ſunt difficilis probationis, & ad ea probanda, an admittantur quicumque Teſtes. 367. 2. & 368. 5.

DEFENDERE.

I. Omnes tenentur defendere Eccleſiam. 56. 1.
I. Onus defendendi Eccleſiam eſt proprium Patroni. 56. 1.
Vide in verb. *Patronus quoad onus defendendi Eccleſiam*.

DEPOSITIO.

II. Depoſitiones Teſtium, quæ conquaſſatæ remaneant à contrariis Teſtibus, nullum probationis gradum de Jure conſtituunt. 57. 29.
II. Depoſitiones ad proprium commodum exaratæ nihil probant. 524. 12.

DENUNCIARE.

I. Quilibet admittitur ad denunciandum in Judicio Rectorem dilapidantem, & diſſipantem Bona Eccleſiæ. 122. 12.

DEROGARE, DEROGATIO.

II. Derogatio medietatis vocum reſolvitur in ſimplicem gratificationem. 194. 2. & I. 176. 24.
II. Derogatio Juriſpatronatus in totum non habet Locum, ſi Lite pendente inter Patronos ſuper pertinentia unus ex eis exiſtat in poſſeſſione præſentandi, & præſentet. 411. 2. Et quare? Vide ibi.
II. Nec habet Locum, ubi aliquis ex Patronis litigat ſuper pertinentia minimæ partis Juriſpatronatus, quæ ſit inefficax ad præſentandum. 411. 3.
II. Derogatio Juriſpatronatus in totum attenta lite habet etiam locum in caſu vacationis Beneficii per reſignationem in favorem. 411. 7.
V. Derogare fundationi, & commutare voluntatem fundatoris eſt de reſervatis Papæ. 106. 7.
I. Derogatio non cadit ſuper actu non præexiſtente. 169. 12.
Vide in verb. *Gratificatio, Onus, Papa, Gratia derogatoria. Juſpatronatus quoad ejus derogationem. Pontifex. Qualitas.*

DESCENDENS DESCENDENTIA.

I. Deſcendentia præſumptiva à Fundatore ex quibus probetur. 22. 10. & ſeq.
II. Ad effectum ſuccedendi in Jurepatronatus Gentilitio tam activo, quam paſſivo rigoroſè ſumpto non ſufficit probare deſcendentiam in genere à fundatore, ſecùs ad effectum ſuccedendi in Jurepatronatus Gentilitio minùs rigoroſè ſumpto 50. 1. & ſeq. & 53. 18.
II. Ad probandam deſcendentiam à fundatore in genere admitti ſolent leviores probationes. 51. 4. & pag. 55. 25.
II. Deſcendentia à Fundatore probari poteſt per fidem Baptiſmatis. 51. 5.
II. Per Teſtamentum *ibi* 6. ſed Intellige ut *ibi*.
II. Per Capitula Matrimonialia *ibi* 7.
II. Per declarationes, ſeù Confeſſiones eorum de familia fundatoris *ibi* 8.
II. An, & ex quibus Enunciativis probari poſſit hujusmodi deſcendentia. 52. 9.
II. Deſcendentia à Fundatore probari poteſt ex identitate Patriæ. Inſignium, & cognominis 52. 10. ſed limita, ut *ibi*.
II. Ex libris. 52. 11.
II. Ex Epiſtolis *ibi* 12.
II. Per publicam vocem, & famam *ibi* 13.
II. Per Teſtes 52. 14. Intellige ut *ibi*, & pag. 55. 24. & pag. 56. 27. uſque ad 30.
II. His mediis etiam probari poteſt deſcendentia ad effectum ſuccedendi in Jurepatronatus paſſivo gentilitio tam ſtricto, quam lato modo ſumpto. 52. 15.
II. Deſcendentia à Fundatore, ex quibus probetur. 190. 12. & p. 406. 47. uſque ad 49.
II. Deſcendentia à Patrono probatur ex ſententia ordinarii. 204. 38.
I. Deſcendens à Patrono Hæretico ſibi vindicare non poteſt Juſpatronatus, niſi probet formiter, & concludenter illud ad ſe ſpectare titulo familiari ſeu gentilitio. 129. 14. Amplia ut ibi.
II. Relicto Jurepatronatus abſolutè à Fundatore pro ejus deſcendentibus indiſtinctè in eo ſuccedunt tam deſcendentes ex maſculis, quam ex fœminis. 91. 7.

DESCRIPTIO.

II. Deſcriptio Patris in Libro aureo, ſeu nobilium ſuffragatur ejus filiis, & deſcendentibus. 189. 8.
II. Deſcriptio in libro Aureo, ſeu nobilium per familiam nunquam amittitur, etiam ſi deſcendentes, & Particulares perſonæ dictæ familiæ alibi habitent. 189. 8.

DETERMINATIO.

I. Determinationes pro bono Pacis Eccleſiarum concordia, & Populorum quiete abſque beneplacito Apoſtolico ſuſtinentur. 73. 56.

DEVOLUTIO.

IV. Devolutio Beneficii eſt remedium à Jure præſcriptum ad tollendas diſcordias Patronorum. 71. 27.
V. Ad inducendam devolutionem Beneficii ad Sedem Apoſtolicam requiritur lapſus ſemeſtris à Concilio Lateranenſi inferioribus Collatoribus præfixi. 154. 51.
V. Ad excuſandum Collatorem à pœna devolutionis omnis poſſibilis interpretatio eſt ſumenda. 155. 58.
VI. Devolutio admittitur ad ſupplendam negligentiam Patronorum, & aliorum inferiorum Collatorum. 391. 2.

DICTIO.

I. Dictio *Donec* reſtringit diſpoſitionem cum perſeverantia uſque ad tempus, cui eſt adjecta. 75. 58.
I. Dictio *poſtquam* excludit tempus antecedens, & includit Poſterius 76. 58.
II. Dictio *videlicet* ſuaptè natura eſt declarativa, & reſtrictiva. 14. 15.
II. Dictio *quibuſcunque* comprehendit etiam perſonas, quæ alias in diſpoſitionibus non comprehenderentur. 28. 14.
II. Dictio *ſuæ* potiùs eſt referenda ad Perſonam Teſtatoris, & ad ejus deſcendentes, quam ad tranſverſales. 69. 4.
II. Relicto à Teſtatore Jurepatronatus Uxori, & poſt ejus mortem ejus hæredibus, & ſucceſſoribus, dictio *ejus* potiùs intelligenda eſt de ſucceſſoribus Teſtatoris, quàm Uxoris. 69. 4.
II. Dictio *anche* eſt implicativa, & ſæpe ſæpius reſtrictiva. 84. 40.
II. Dictio *Et* copulat ea, quæ ſunt de eodem genere, & qualitate. 93. 17.
II. Dictio *un loro* latinè *eorum* repetit omnes qualitates ſuperiùs expreſſas. 94. 20.
II. Dictio *però* denotat Cauſam finalem, ſeù motivam diſpoſitionis, eamque regulat. 106. 21.
II. Quæ ſint dictiones, quæ ſignificant expreſsè ſententiam latam. 150. 3. & 491. 37.
II. Dictio *ſive*, quandò denotet ordinem, & operetur, ut ultima pars cenſeatur poſita in defectum prioris. 191. 17.
II. Dictio *Et* Æquè principaliter diſponit. 230. 1.
II. Dictio *Et* ſtare poteſt etiam declarativè. 231. 4.
II. Dictio *omnis* eſt univerſalis, & apta comprehendere tam præſentia, quam futura. 249. 10.

II. Di-

II. Dictio *dumtaxat* excludit omnes alios Caſus præter expreſſos 255. 6.
II. Dictio *quibuſcunque* omnia complectitur nihilò penitùs excluſo. 420. 4.
II. Dictio *quocunque* eſt tam lata, ut ſuum effectum operetur, neceſſe eſt, ut comprehendat omnia. 523. 7.
II. Dictio *Poſteà* ordinem, & ſucceſſivitatem ſupponit. 398. 25.
II. Dictio *tantùm* eſt exceptiva, limitat, reſtringit, & excludit. 533. 4.
II. Dictio *ſeu* dicitur ſtare alternativè. 555. 3.
II. Dictio *Et* conjungit, & concurſum Copulatorum requirit. 572. 2.
II. Dictio *aliis* comprehendit etiam alios non expreſſos immò diverſos. 577. 3.
III. Dictio *Et* eſt copulativa. 17. 8.
VI. Dictiones *A, Ex* operantur, ut computatio temporis non ſit facienda de momento ad momentum. 240. 17.
VI. Dictio *quodlibet* tribuens unicuique Jus inſolidum, & cumulativum importat Jus non decreſcendi, vel Jus accreſcendi reſultans à conjunctione ſaltem verbali. 457. 8.
VI. Dictio *omnis* amplectitur totum id, de quo prædicatur ſubjectum, cui adjicitur. 304. 6.
VI. Dictio *ſemper* importat continuatam facultatem præſentandi in Patrono abſque ulla interruptione. 370. 7.
VI. Eſt complexiva cujuſcunque temporis, & caſus. 370. 7.
VI. Dictio *omninò* æquipollet clauſulæ *in omni caſu*, *& in perpetuum* 370. 8.
VI. Dictio in *perpetuum*, quandò impar ſit ad effectum excludendi reſervationes. 370. 4. & 371. 10.
I. Dictio *prorſus* juncta cum verbo futuri temporis inducit diſpoſitionem pœnæ ipſo facto. 127. 8.
I. Dictio *aliquorum* æquipollet alteri *quorundam*, vel *nonnullorum*, & excludit univerſalitatem Perſonarum. 151. 40.
I. Dictio *Præſertim* eſt implicativa. 184. 16.
I. Dictio *overo* eſt disjunctiva, & ſeparat unam orationem ab altera. 263. 10.
I. Dictio *ad inſtar* importat omnimodam ſimilitudinem. 273. 13.

DIÆCESANUS.

II. Diœceſani nomine venit quilibet habens Poteſtatem Epiſcopalem. 587. 20.
Vide in verbo *Epiſcopus, Ordinarius*.

DIÆCESIS.

Vide in verb. *Civitas*.

DIES.

II. Dies incerta, qualis dicitur mors hæredis, ſemper reddit Legatum conditionale, ſivè ſit adjecta ſubſtantiæ, ſive executioni ejuſdem Legati. 185. 16.
VI. Dies vacationis Beneficii an computetur in trimeſtre 240. 17.
VI. Dies Legati, vel fideicommiſſi cedit à morte Teſtatoris. 461. 9.

DIFFAMATIO.

V. Sola diffamatio an ſufficiat ad impediendam Beneficii aſſecutionem. 223. 20.

DIFFERENTIA.

II. De Jure naturæ nulla eſt differentia inter legitimos, & illegitimos. 64. 12.
II. Nulla eſt differentia ex diſpoſitione Juris naturalis, ac civilis inter Fratres, & ſorores, & inter nepotes ex fratribus, & nepotes ex ſororibus. 91. 6.
II. Quæ ſit differentia inter electionem, & præſentationem; & inter eligentes, & præſentantes. 116. 18.

DIFFICULTAS.

I. Difficultas accendendi ad Parochiam ex quibus provenire poſſit. 60. 2.
I. Si Difficultas accedendi ad Parochiam non ſit perpetua, ſed temporalis, tunc non eſt locus diſmembrationi, ſed deputationi Cappellani. 60. 4.
I. Difficultas accedendi ad Parochiam eſt cauſa diſmembrationis, dummodò conſtet ex proceſſu deſuper facto, & dummodò ſit perpetua. 60. 2. 3. & ſeq.

DIGNUS, DIGNIOR.

II. Qui prior dignitatem, vel officium aſſecutus eſt, dignior præſumitur. 171. 1.
II. In aſſecutione Beneficiorum ſemper dignior, & melior eſt eligendus. 175. 1.
II. Dignior, & melior duppliciter quis dici poteſt. 176. 6.
III. Majus dignum trahit ad ſe minus dignum. 18. 2.

DIGNITAS.

II. Dignitates in Cathedralibus, an, & quandò poſſint admittere, & acceptare fundationes Miſſarum, & Anniverſariorum abſque conſenſu capituli. 581. 1. & 5.
I. Dignitas Diaconalis, Archidiaconalis, & Eccleſia Parochialis habent annexam Curam Animarum. 182. 2.

DILECTIO.

V. Inter populum, & Rectorem Eccleſiæ Parochialis promiſcua, & continua deſideratur dilectio. 174. 33.
Vide in verb. *Amor*, *Affectio*.

DIMISSORIÆ.

VI. Dimiſſoriarum conceſſio reſervata eſt Epiſcopis intra quorum Diœceſim fines Abbatiæ ſitæ ſunt non obſtante, quod eædem fruantur Territorio ſeparato. 394. 1.

DIPLOMA.

II. Referuntur verba Diplomatis Titulorum S. R. E. Cardinalium. 586. 14.

DISCIPULUS.

I. Diſcipulus tenetur alere magiſtrum vergentem ad inopiam. 26. 7.

DIS-

DISCORDIA.

VI. Diſcordia eſt verificabilis in vocatione cumulativa, non verò diſcretiva plurium Patronorum. 457. 8.
Vide in verb. *Diviſio*.

DISMEMBRATIO.

I. In diſmembratione Eccleſiæ Patronalis non requiritur conſenſus Rectoris, & Patroni pro forma, ſed ſolùm ratione præjudicii. *61. 6.*
I. Si Patronus irrationabilitèr diſſentit diſmembrationi Eccleſiæ Patronalis, adhuc Epiſcopus concurrente legitima Cauſa poteſt ad illam devenire. *61. 6.*
I. Ob exereſcentiam Populi non eſt locus diſmembrationi Eccleſiæ Patronalis, ſed deputationi Œconomi, ſeu coadjutoris *63. 16.*
I. Diſmembratio poteſt eſſe nulla tum ex defectu juriſdictionis, tum citationis. 75. 57.
I. Diſmembratio eſt ſpecies alienationis. 75. 58.
I. Ad effectum diſmembrationis Eccleſiæ Patronalis non ſufficit notabilis diſtantia, nec intermedium flumen, nec multos ſinè Sacramentis deceſſiſſe, niſi probetur, quod per appoſitionem Cappellani ſuppleri non poſſit. 77. *62.*
I. An ſit deveniendum ad diſmembrationem, ubi communitas pollicеatur novam Parochiam dotare, non obſtante oblatione Parochi conſtituendi Cappellanum ſuis ſumptibus 77. *62.*
I. Diſmembratio Parochiæ facienda non eſt, quandò neceſſitatibus Populorum aliàs conſuli poſſit. *61.* 5., & pag.77. *61.* & ſeq.
I. Ad validitatem diſmembrationis requiritur citatio, & conſenſus Rectoris, & Patroni. *61. 6.* & pag.*67.* 37. & pag.*76. 59.* An autem requiratur conſenſus Capituli? *61. 7.*
I. In diſmembratione Eccleſiæ Vacantis citari debet defenſor. *61.* 8.
I. Diſmembratio, & erectio Novæ Eccleſiæ fieri poteſt in præjudicium alterius Eccleſiæ Parochialis, concurrentibus debitis requiſitis. *61.* 10. & pag.*62.* 13. & pag.*63.* 15.
II. Diſmembratio Beneficii fieri non poteſt in præjudicium Patroni. 481. 10.
I. In diſmembrationibus Eccleſiarum Patronalium requiritur Proceſſus cum citatione omnium Intereſſe habentium. *76. 60.*
VI. Diſmembratio Eccleſiæ Parochialis eſt ſolùm in ſubſidium admittenda. 430. 4.
VI. Quod in Diſmembratione Eccleſiæ Parochialis non ſit avulſa ab Eccleſia matrice Cura habitualis, ex quibus arguatur. 430. 5. & ſeqq.
I. Diſmembratio Eccleſiæ Patronalis fieri poteſt ab Epiſcopo etiam renuente Patrono ob evidentem neceſſitatem, & utilitatem. *266.* 5.
I. Diſparitas conditionis, fortunæ, & morum, an ſit cauſa ſufficiens diſmembrationis? *63. 16.*
Vide in verb. *Difficultas, Diſſentio, Diſtantia*.

DISPENSARE, DISPENSATIO.

I. Quando agitur de Perſona Potente ſublimi, & literata Sedes Apoſtolica ſolet diſpenſare ſuper retentione plurium incompatibilium. 358. 10.
I. Diſpenſatione non indigens in aſſecutione Beneficii præfertur indigenti. 208. 4.
I. Diſpenſatio Apoſtolica obtenta ab aliquibus ex præſentatis, quandò dicatur impetrata ex proprio arbitrio & ad majorem cautelam. 549. 27.
VI. Diſpenſatio ſuper defectu ætatis obtenta à præſentato, elapſo quadrimeſtre dato Patronis Laicis ad præſentandum eſt nulla. 281. 43.
I. Diſpenſatio circa defectum ætatis pro obtinendo Sacerdotio, an ſuffragetur per obtinenda Dignitate habente annexam Curam Animarum in Cathedrali, aut Collegiata. 183. 7.
I. Attento magni temporis decurſu à die perpatrati homicidii concedi ſolet diſpenſatio ab Irregularitate, ut pluribus oſtenditur exemplis. 198. *66.* & ſeq.
I. Diſpenſatio ab Irregularitate, quando concedi ſoleat. 197. *60.*
I. Afferuntur plures Caſus, in quibus conceſſa fuit diſpenſatio ab irregularitate. 194. 50. & pag.195. 59. & pag.198. *67.*
I. Diſpenſatio ſuper defectu ætatis reportata à præſentato inhabili abſque expreſſione compræſentati habilis eſt nulla. 209. 21.
I. Diſpenſatio ſuper defectu ætatis, quandò retrotrahi poſſit ad tempus præſentationis. 209. 22.
II. In diſpenſatione Apoſtolica eſt facienda mentio Juris certi alterius, non verò Juris incerti, & merè eventualis. 133. *6.*
VI. Diſpenſatio ab Irregularitate contracta occaſione militiæ aſſumptæ ab aliquo obtenta ſub expreſſione, quòd neminem occiderat, aut mutilaverat, an eis ſuffragetur, ſi mandaverit officiali, ut fures inſequeretur, qui capti fuerunt poſteà à Judice ultimi ſupplicii pœna affecti. 409. 5.
Vide in verb. *Conſanguineus, Congregatio*.

DISPENSATUS.

VI. Diſpenſatus ſuper defectu Natalium nullum habet obſtaculum ex hoc Capite conſequendi Beneficium Patronale. 437. 13.

DISPOSITIO.

II. Diſpoſitio recipit regulam à diſcretivo modo loquendi. 44. 18.
II. Concurrentibus pluribus diſpoſitionibus ſemper illa eſt attendenda, quæ munita dignoſcitur Epiſcopi conſenſu. 47. 2.
II. An, & quando poſterior diſpoſitio ſit potiùs attendenda, quàm prima. 48. *9.*
II. Diſpoſitio ſimpliciter loquens, ſimpliciter, & generaliter debet intelligi. 102. 4.
II. Una, & eadem diſpoſitio diverſo Jure regulari non debet. 126. 19.
II. In generali diſpoſitione ſemper intelligitur excepta Perſona loquentis. *360.* 15.
II. Diſpoſitionibus Teſtatorum Summus Pontifex derogare non ſolet. 524. 10.
IV. Qui ſit differentia inter diſpoſitionem modalem, & conditionalem. 54. 12.
V. Diſpoſitio exprimens unum Caſum non excludit alium ſimilem. 77. 11.
V. In quacunque diſpoſitione non eſt ſpectanda formula, ſeù figura verborum, ſed ſubſtantia veriſimilis voluntatis. 106. *9.*
V. Non ſolùm narrativa diſpoſitionis, ſed etiam ejuſdem diſpoſitionis concluſio attendi debet. 130. 41.
VI. Diſpoſitio declarata, & extenſa includit omnes qualitates declarati, & ampliati. 306. 12.
I. Diſpoſitio qualificata intelligitur durare, quouſque durat qualitas. 264. 6.

VI. Quælibet diſpoſitio à ſua Cauſa finali determinatur, ac interpretationem recipit. 424. 3.
VI. Diſpoſitiones ſeu Regulamenta facta ab Adunantia minùs legitimè congregata adverſus Eccleſiæ Conſtitutiones, & conſuetudines non ſunt attendenda. 445. 13.

DISSENSUS.

II. Diſſenſus Parochi non attenditur urgente neceſſitate Conſtituendi Coadjutorem, ſeu Vicarium temporaneum. 608. 14.
II. Expreſſus diſſenſus facit ceſſare præſumptionem taciti conſenſus ex permanentia in Religione. 317. 4.

DISSENTIO.

I. Diſſentio Populorum non eſt Cauſa diſmembrationis. 61. 9.
V. Diſſentiones, & parva intelligentia inter Parochos an poſſint eſſe Cauſa ſufficiens unionis Parochialium. 152. 42. & ſeq.

DISPUTATIO.

II. In diſputationibus forenſibus non eſt locus dicteriis, ſed ad præſcripta Legum, & ad placita interpretum quæſtiones ſunt dirimendæ. 371. 12.

DISTANTIA.

I. Non omnis diſtantia ab Eccleſia Parochiali præbet Cauſam ordinario diſmembrandi, & erigendi novam Parochiam. 60. 2.
I. Diſtantia, flumina intermedia, Portæ Civitatis clauſę, & ſimilia impedimenta quandò præbeant juſtam Cauſam erigendi novam Parochiam. 77. 60.
I. Diſtantia duorum milliarium ab Eccleſia Parochiali reddit difficilem acceſſum ad illam, & eſt Cauſa diſmembrationis. 62. 12. Amplia ut *ibi*, & n. 14.
II. Diſtantia juncta cum aſperitate itineris reddit difficilem, & impedit liberum acceſſum ad Eccleſiam. 347. 14.

DISTINCTIO.

II. An, & quando ſit locus diſtinctioni & diviſioni Beneficiorum pro rata Decimarum, & fructuum, qui ex uno, & altero loco exiguntur. 178. 14.
II. Inter præſentantem, & præſentatum dari debet diſtinctio. 598. 2.

DISTRIBUTIONES.

I. Defuncto uno ex Canonicis portio diſtributionum illius accreſcit aliis. 34. 5.
II. Diſtributiones non computantur inter fructus Canonicatus. 149. 5.
II. Diſtributiones ſunt inſtitutæ in præmium laboris, & ſervitii præſtiti in Eccleſia. 149. 5.
II. In condemnatione fructuum, veniunt etiam diſtributiones quotidianæ. 149. 7.
II. Diſtributiones quotidianæ licèt non computentur ſub valore fructuum, comprehenduntur tamen ſub fructibus. 149. 7.
II. Ad acquirendas diſtributiones requiritur ſervitium præſtitum in Eccleſia cum titulo vero, ſecus cum titulo nullo, & infecto. 149. 8.
II. Diſtributiones quotidianæ, ad quem effectum fuerunt introductæ? 521. 2.
II. Diſtributiones quotidianæ non debentur Canonico Infirmo, ſi alias ſanus non eſſet ſolitus reſidere. 225. 17. & 525. 17.
II. Canonico inſervienti Epiſcopo, an, & quando debeantur duæ ex tribus Partibus diſtributionum, reſervata tertia parte favore Canonicorum actu inſervientium. 522. 5.
II. Canonicus ſi non reſideat, nec interſit Divinis Officiis, eo quia ſit infirmus non amittit diſtributiones quotidianas. 525. 15. & 526. 18. & ſeq.
II. An, & quæ Infirmitas ſit Cauſa ſufficiens ad lucrandas diſtributiones. 525. 16. & ſeq.
II. Juſpatronatus relictum Capitulo, ſeù Canonicis, non dicitur relictum Epiſcopo. *9*7. 11.

II. Relicto Jurepatronatus Eccleſiæ Cathedrali, ſi de tempore diſpoſitionis eſſent duæ Eccleſiæ Cathedrales æquè principaliter unitæ ſub uno Epiſcopo, de qua ex dictis Eccleſiis eſſet intelligendum? 97. 13.

II. Juſpatronatus reſervatum pro hæredibus, & ſucceſſoribus alicujus ex affectione erga illius Domum, & familiam, an ſit hæreditarium, vel gentilitium aut mixtum. 102.45. & ſeq., & pag.105.1*9*. uſque ad 24. Amplia 104. 10.

II. Juſpatronatus reſervatum Parocho, & Parochianis pro medietate ſpectat ad Parochum, & pro alia medietate ad Parochianos. 128. 1. Limita ibi 2.

II. Juſpatronatus relictum Parochianis, cenſetur relictum uti ſingulis, non uti Univerſis ex Juris præſumptione. 12*9*. 10.

II. Juſpatronatus, ſi ex obſervantia competat Parochianis, uti univerſis, præſentatio eſt ab eis facienda collegialiter, & aliter facta eſt nulla. 12*9*. 11.

II. Reſervato Jurepatronatus pro eis de Domo, & familia, hoc competit tam nobilibus, quam ignobilibus ejuſdem familiæ. 2*9*5. 11. Amplia ut ibi 12.

II. Reſervato Jurepatronatus favore filiorum, & deſcendentium Fundatoris, dumtaxat illi, qui non ſunt ita deſcendentes reputantur tanquam extranei, & excluſi. 385. *6*.

II. Reſervato Jurepatronatus pro Laicis, an nomine Laicorum veniant etiam Clerici ſæculares. 428. 4.

II. Reſervato Jurepatronatus pluribus uti Univerſis hoc reſidere dicitur penes ipſam Univerſitatem, & non penes quamlibet perſonam ſingulariter ſumptam. 550. 28.

II. Reſervato Jurepatronatus Rectori, & Parochianis duæ voces æquales conſtitutæ dicuntur. 551. 30. Amplia 31.

VI. Vocatis in Teſtamento ad Juſpatronatus ſolis maſculis, & in Codicillo vocatis abſolutè, & ſimplicitèr hæredibus, & deſcendentibus, nomine hæredum & deſcendentium, veniunt ſoli hæredes, & deſcendentes maſculi. 45*6*. 5. Amplia, ut *ibi 6*.

VI. Reſervato Jurepatronatus ab ordinario in limine Fundationis favore omnium deſcendentium ſinè ulla qualitate maſculinitatis, habita relatione ad Teſtamentum, & Codicillos pro ſtatuendo qui veniant nomine deſcendentium, recurrendum eſt ad diſpoſitionem factam in Teſtamento, ac in Codicillis. 45*6*. 7.

VI. Vocatus ad quotam hæreditatis ſuccedere poteſt in toto Jurepatronatus. 457. *9*.

I. Reſervato Jurepatronatus aliquibus nominatis in ipſa reſervatione unuſquiſque nominatus conſtituit propriam lineam. 153. 47.

I. Juſpatronatus, ſeù præſentandi relictum pluribus officialibus, ſeu pluribus Perſonis ſpectat ad eaſdem Perſonas uti ſingulas, & non uti Collegium. 171. 17.

Vide in verb. *Pertinentia, Fæmina, Filius, Fundator, Epiſcopus*.

JUSPATRONATUS HÆREDITARIUM.

II. Juſpatronatus eſſe hæreditarium probatur ex enunciativis. 12. 11.

II. Juſpatronatus hæreditarium fieri poteſt gentilitium per obſervantiam ſubſecutam. 8. 8.

II. Juſpatronatus in dubio cenſetur hæreditarium. 11. 11. & pag.2*9*. 1*9*.

II. Juſpatronatus dicitur hæreditarium quoties in illius fundatione nulla deſcendentium mentio facta eſt. 28. 14.

II. Juſpatronatus eſſe hæreditarium an, & quare arguatur ex præſentationibus ſequutis cum expreſſiva *uti filii*, *& hæredes*. 2*6*. 3.

II. Juſpatronatus eſſe hæreditarium an, & quare arguatur ex præſentationibus factis à deſcendentibus plurium fundatorum ejuſdem Beneficii hæreditario nomine. 2*6*. 4. & pag.2*9*. 20.

II. Juſpatronatus præſumitur hæreditarium, ubi non conſtat de fundatione. 32. 33. ſed limita, ut *ibi*.

II. Juſpatronatus reſervatum ab Epiſcopo in limine erectionis Beneficii pro *hæredibus*, *& ſucceſſoribus quibuſcumque* eſt hæreditarium. 47. 1. Amplia ut *ibi*.

II. Juſpatronatus reſervatum pro eis de Parentela, Domo, Caſata, *tantum* in ultimo de Parentela fit hæreditarium. *99*. 2.

II. Juſpatronatus in dubio præſumitur hæreditarium. 105. 17. & pag.102. 4. & pag.4*69*. 38. Limita 472. 43.

II. Juſpatronatus in ultimo de familia fit hæreditarium. 2*9*3. 1.

IV. Juſpatronatus hæreditarium tranſit ad hæredes in ſtirpes, non autem in Capita 37. *in Comment*. Et quare Vide *ibi* 3.

IV. Juſpatronatus hæreditarium defertur ad hæredes per ſtirpes, & non per Capita. 38. 1. Amplia ut *ibi*. Limita *ibi* 4.

IV. In

IV. In Jurepatronatus hæreditario Patroni hæredes ſuccedunt in ſtirpes, & non in Capita. 43. 1.

I. Juſpatronatus in dubio præſumitur hæreditarium. 148. 29.

I. Juſpatronatus eſſe hæreditarium, ex quibus reſultat. 148. 30. & ſeq.

Vide in verb. *Patronus in genere*.

JUSPATRONATUS FAMILIARE, SEU GENTILITIUM.

II. Quando in præſentatione mentio fit de familia *de Talibus abſque* ulla mentione, & mixtura qualitatis hæreditariæ Juſpatronatus reputatur undique familiare. 12. 12.

II. Relicto Jurepatronatus pluribus lineis, vel in progreſſu per inæquales portiones deſcendentes ad plures lineas ſemper perpenduntur quotæ pertinentes ad unamquamque lineam, itaut præſentatio Collegiativa poſita qualitate gentilitia vel in ſui origine, vel in progreſſu fiat in qualibet linea. 16. 21.

II. Juſpatronatus gentilitium cenſetur ordinatum ad ſplendorem ſolius Agnationis. 16. 22.

II. In Jurepatronatus Gentilitio ſucceditur in Capita, & non in ſtirpes. 9. 9. & pag. 37. 56. & IV. 40. 2. Intellige 41. 6.

II. Juſpatronatus eſſe Gentilitium arguitur ex præſentatione etiam ineffectuata. 13. 13.

II. Juspatronatus gentilitium defertur ad ſolos maſculos agnatos, ad fœminas verò non niſi per poſterius. 16. 22. & ſeq.

II. In Jurepatronatus gentilitio an, & quandò omnes de familia, & etiam Pater cum filio admittantur ad præſentandum. 24. 36.

II. Juſpatronatus relictum pro filiis deſcendentibus, & hæredibus, ſeu ſucceſſoribus, an ſit Gentilitium? 26. 2.

II. Juſpatronatus reſervatum pro filiis, *deſcendentibus*, *& ſucceſſoribus* eſt gentilitium minùs rigoroſè ſumptum. 26. 5., & pag. 33. 38. & pag. 36. 49. Amplia. 27. 9. 10. & 11.

II. Juſpatronatus *reſervatum pro Parentibus, & conſanguineis* eſt gentilitium. 26. 6.

II. In Jurepatronatus gentilitio ſuccedunt omnes de ſanguine, ſivè ſint agnati, ſive cognati. 26. 7. Limita ut *ibi*.

II. Juſpatronatus reſervatum *pro hæredibus, & ſucceſſoribus*. an, & quando eſſe poſſit gentilitium, aut mixtum. 28. 15. & pag. 37. 57.

II. De duplici ſpecie Juriſpatronatus gentilitii. 28. 17.

II. Si Fundator relinquat in Teſtamento Juſpatronatus pro ejus hæredibus, & propinquioribus, & Epiſcopus in erectione reſervet illud pro *filiis, & deſcendentibus* Juſpatronatus cenſendum eſt merè gentilitium donec, & quouſque non reſcindatur, aut non reformetur erectio. 42. 9.

II. Juſpatronatus relictum in primo Teſtamento pro *hæredibus, & ſucceſsoribus*, ſi deindè in alio Teſtamento ab eodem Teſtatore relinquatur pro *Conſanguineis* eſt merè gentilitium. 48. 7. & 10.

II. In Jurepatronatus gentilitio minùs rigoroſè ſumpto ſuccedunt remotiores etiam proximiores 51. 2.

II. Juſpatronatus ſimpliciter reſervatum à fundatore pro ejus *deſcendentibus*, *& conſanguineis* eſt gentilitium minùs rigoroſè ſumptum. 51. 3.

II. Juſpatronatus familiare effectivum ſpectare debet ad habentes qualitatem ſanguinis, & familiæ effectivæ. 69. 7.

II. Juſpatronatus gentilitium in ultimo de familia fit hæreditarium, 98. 1. Limita ut *ibi* n. 2. & ſeq. & pag. 389. 20.

II. Subſtituta Cauſa Pia per vulgarem in Jurepatronatus gentilitio, hoc exiſtentibus eis de familia in ultimo fit hæreditarium. 99. 5.

II. Subſtituta Cauſa Pia per *fideicommiſsariam* abſolutè Juſpatronatus gentilitium in ultimo de familia non ſit hæreditarium, ſed tranſit ad Cauſam Piam, ſecùs ſi Cauſa Pia fuiſſet ſubſtituta conditionatè, & conditio non fuiſſet purificata, vel ſubſtitutio fuiſſet à Fundatore per Codicillos adempta. 99. 6.

II. Juſpatronatus Lineale in ultimo de Linea fit hæreditarium, ſecùs obſtante lege fundationis. 100. 1., & pag. 101. 5.

II. Juſpatronatus, quandò poſſit eſſe, & quando non pro parte gentilitium, & pro parte hæreditarium. 100. 2. & ſeq.

II. In Jurepatronatus familiari non conſideratur diſtinctio linearum, & quotarum. 101. 4.

II. De natura Juriſpatronatus familiaris eſt, ut defecta una linea, conſolidetur in altera. 101. 6.

II. In Jurepatronatus gentilitio Pater una cum filio conſtituit geminas voces, ſeù Perſonas. 406. 46.

II. In Jurepatronatus gentilitio, ſeù familiari non numerantur ſtirpes, vel Lineæ, vel quota hæreditaria. 406. 46.

II. Juſpatronatus eſſe familiare, ex quibus probatur. 472. 45. uſque ad 48.

II. Juſpatronatus Lineale in ultimo de Linea fieri poteſt hæreditarium. 474. 50.

II. In Jurepatronatus familiari admittuntur primæ fæminæ de agnatione, & immediatè progenitæ à maſculis, non verò ulteriores deſcendentes ex eiſdem fæminis. 466. 28. & 469. 36.

II. Juſpatronatus an, & quandò ſit familiare, etiamſi aliquandò fuerit expreſſa qualitas hæreditaria. 473. 48.

VI. Juſpatronatus Gentilitium in ultimo de familia donataria efficitur hæreditarium. 466. 2.

IV. In Jurepatronatus lineali ſucceſſio fit in ſtirpes, & non in Capita. 41. 7.

I. Juſpatronatus gentilitium, aut ſecundum ſe abſque hæreditate non opponitur mendicitati, aut Paupertati Religionum mendicantium. 143. 9.

I. Juſpatronatus Gentilitium competit Monaſterio durante Vita Patroni Profeſſi. 146. 21.

I. Competente Jurepatronatus alicui familiæ in genere, omnes de dicta familia ſuccedunt in eo in Capita 153. 16.

I. In Jurepatronatus Gentilitio filii admittuntur cum Patre ad præſentandum. 155. 54.

II. In Jurepatronatus gentilitio Jus præſentandi defertur in Capita. 21. 30.

Vide in verb. *Permutare, Fæmina. Illegitimus*.

JUSPATRONATUS MIXTUM.

II. In Jurepatronatus mixto ſucceſſio defertur gradatim, & in ſtirpes. 31. 28. & pag. 34. 41. & 44.

II. Juſpatronatus an, & quandò dicatur mixtum. 40. 1. & pag. 47. 4.

II. Juſpatronatus relictum in Teſtamento *pro hæredibus, & ſucceſſoribus*, & poſteà relictum in Codicillo pro *Conſanguineis* an ſit mixtum. 47. 5.

II. Juſpatronatus reſervatum pro *deſcendentibus, & ſucceſſoribus aut pro hæredibus*, *& deſcendentibus* eſt mixtum. 102. 1. Limita 2.

II. Juſ-

II. Juſpatronatus, quandò dicatur mixtum. 103. 9., & pag. 107. 24.
II. Ad ſuccedendum in Jurepatronatus mixto præter qualitatem ſanguinis, requiritur etiam qualitas hæreditaria. 104. 11. Et quomodò hæc qualitas hæreditaria requiratur Vide ibi, & n. 12. & pag. 109. 27. & pag. 150. 30.
II. Qui non poteſt eſſe hæres nec primi acquirentis, nec ultimi morientis, non poteſt ſuccedere in Jurepatronatus mixto. 104. 14.
II. Exiſtentibus eis de familia Juſpatronatus mixtum transferri non poteſt ad hæredem Extraneum. 104. 16.
II. Juſpatronatus mixtum, an reddi poſſit ſimpliciter gentilitium. 107. 25.
II. Juſpatronatus mixtum exigit, quod præſentationes fiant in ſtirpes, & non in Capita. 104. 15.
II. Juſpatronatus mixtum non tranſit in Extraneos. 474. 49.
IV. In Jurepatronatus mixto ſucceditur in ſtirpes, non verò in Capita. 38. 1.

JUSPATRONATUS PRIMOGENIALE.

II. Juſpatronatus primogeniale ſaltuarium reputatur odioſiſſimum. 77. 15.
II. Reſervato Jurepatronatus favore Primogeniti abſolutè, & ſimplicitèr præſumitur, illud reſervatum favore Primogeniti Juris. 79. 20.
II. Reſervato Jurepatronatus favore *majoris natu* primi filii, ejuſque lineæ, & deſcendentiæ de majori in majorem natu, & ea Extincta favore *majoris natu* ſecundi filii ejuſque lineæ, & deſcendentiæ pariter de majori in majorem natu; Illud diceretur reſervatum favore Primogeniti Juris. 79. 21.
II. Si in reſervatione Juriſpatronatus fundator dixiſſet *Voglio, che ſempre quello di più tempo abbia da ſuccedere in detto Juſpatronato*; Juſpatronatus diceretur reſervatum favore Primogeniti facti. 79. 21.
II. Juſpatronatus, ex quibus Cauſis efficiatur primogeniale. 74. 1.
II. Juſpatronatus primogeniale quotuplex ſit. 74. 2.
II. Juſpatronatus attentis ejus fructibus, an magis congruat Primogenito facti, quam Primogenito Juris. 75. 7. & pag. 76. 9. & pag. 78. 18., & ſeq.
II. In Jurepatronatus primogeniali, quæ ſint conſideranda. 76. 11.
II. Juſpatronatus radicatum in linea primogeniali tranſire non poteſt ad ſecundam lineam, niſi prima pœnitus evacuata. 76. 12., & pag. 87. 3.
II. Juſpatronatus activum rectiùs convenit facienti primam figuram in familia, quam ſimpliciter habenti majorem ætatem, paſſivum verò e contra. 84. 41.
VI. Juſpatronatus ad Præpoſituram, ad unum officium Sacriſtæ, ad quatuor Cappellanias & totidem Beneficia Eccleſiaſtica ad Scalas Sanctas erecta competit familiæ Perettæ de Primogenito in Primogenitum. 340. *in Comment.*
Vide in verb. *Primogenitus, Fœmina*.

JUSPATRONATUS ECCLESIASTICUM, AUT LAICALE:

I. Juſpatronatus an ſit Eccleſiaſticum, vel Laicale attendenda eſt qualitas Perſonæ præſentantis, non accidentalis, ſed eſſentialis. 2. 8.
I. Juſpatronatus quod competit Patrono reſpectu Canonicatus noviter erecti ex fructibus ſuper excreſcentibus Collegiatæ Patronalis eſt Eccleſiaſticum. 269. 23.
II. Juſpatronatus Laicale relictum Perſonis Laicis uti Adminiſtratoribus Bonorum Eccleſiæ non dicitur ampliùs Laicale, ſed Eccleſiaſticum. 495. 50.
VI. Juſpatronatus Laicale, ex augmento dotis acquiſitum non cadit ſub concordatis Germaniæ, & aliis reſervationibus Apoſtolicis. 247. 1. Intellige. 248. 4. & ſeq.
VI. Juſpatronatus relictum operariis Eccleſiæ meris Laicis eſt Eccleſiaſticum, & cadit ſub reſervatione. 372. 16.
VI. Juſpatronatus relictum Capitaneis Poloniæ Adminiſtratoribus Bonorum Eccleſiæ, & merè Laicis eſt Eccleſiaſticum. 352. 16.
VI. Juspatronatus ab initio Laicale ſi tranſeat ad Perſonas Eccleſiaſticas, aſſumit naturam Eccleſiaſticam. 369. 2. & pag. 385. 11.
VI. Juſpatronatus an ſit Eccleſiaſticum, vel Laicale dignoſcitur ex Bonis, quibus Beneficium ſit fundatum, & ex Perſonis, quibus Juſpatronatus ſit reſervatum. 382. 1. & ſeq. & pag. 384. 10.
VI. Juſpatronatus relictum Cuſtodibus, & Gubernatoribus Confraternitatis Laicalis eſt Laicale. 383. 3., & 385. 15.
VI. Relictum verò Cuſtodibus, & Gubernatoribus Confraternitatis Eccleſiaſticæ, eſt Eccleſiaſticum, licèt iidem Gubernatores ſint Laici. 383. 4. Et quare? Vide *ibi* 5. Et pag. 385. 12.
VI. Juſpatronatus relictum Capitulo compoſito ex Canonicis, & Canoniſſis eſt Eccleſiaſticum. 383. 6.
VI. Idem eſt ſi ſit relictum operariis alicujus Eccleſiæ licèt Laicis, aut aliis perſonis Laicis ratione Adminiſtrationis Eccleſiaſticæ. 383. 7.
VI. Juſpatronatus relictum Adminiſtratoribus Bonorum Eccleſiæ præſumitur relictum intuitu Eccleſiæ. 385. 13. Amplia ut *ibi* 14.
VI. Juſpatronatus Laicale non venit ſub quibuſcumque clauſulis generalibus. 391. 3.

JUSPATRONATUS EX PRIVILEGIO.

II. Juſpatronatus competens alicui ex Privilegio extinguitur cum Perſona Privilegiati, & non tranſit ad hæredes Extraneos. 5. 8.
II. Juſpatronatus competens eis de ſanguine ex mero Privilegio non tranſit ad illegitimos. 99. 4.
II. Juspatronatus ex mero Privilegio perſonali, aut gentilitium, quod transfertur Jure ſanguinis non tranſit cum Univerſitate Bonorum titulo non gratuito in Extraneos exiſtentibus eis de ſanguine. 231. 6.
V. Juſpatronatus competens alicui ex mero Privilegio eſt ablatum, & revocatum, exceptis Patronatibus Regiis, & aliis competentibus ſupremis Principibus Jure Imperii in dominiis ſuis habentibus, & quæ in favorem ſtudiorum generalium conceſſa ſunt 207. *in Comment.*
VI. Juſpatronatus acquiſitum ex Privilegio non eſt confirmandum. 415. 1., & 4.

JUSPATRONATUS QUOAD EJUS TRANSLATIONEM.

I. Unum Juſpatronatus poteſt cum alio permutari, ſeu Juſpatronatus in alium transferri titulo permutationis. 289. *in Comment.*

II. Juſpatronatus tranſit ad quoſcumque hæredes etiam Extraneos univerſalitèr inſtitutos, non ut hæredes 4. 1., & 3. & pag. 5. 6. Limita *ibi* 7. & 8.
II. Juſpatronatus non tranſit ad repudiantem hęreditatem univerſalem 6. 3.
II. Juſpatronatus non tranſit ad hæredem particularem inſtitutum in re certa, nec ad merum Executorem 5. 1. & 6. Limita *ibi* 3. & ſeq.
II. Juſpatronatus tranſit ad hæredem univerſalem, non verò ad hæredem inſtitutum in re certa. 9. 10.
II. Juſpatronatus quandò ſpectat ad ſolum Epiſcopum Sede Epiſcopali vacante non tranſit in Capitulum. 98. 14.
II. Sede Epiſcopali vacante, an Juſpatronatus ſpectans ad Epiſcopum tranſeat in Capitulum. 98. 14.
II. Juſpatronatus tranſit in hæredem univerſaliter inſtitutum. 204. 37.
II. Juſpatronatus etiam ſinè conſenſu Epiſcopi tranſit cum Univerſitate Bonorum ratione contractus non gratuiti initi ſuper Univerſitate, niſi ſpecialiter excipiatur. 228. *in Comment.*
II. Juſpatronatus quandò ad exemptos, & Religioſos transfertur non minuitur Jus Epiſcopale in Eccleſia Patronali. 228. *in Comment.* Et quare? Vide *ibi* 3.
II. Vendito Palatio, in quo adſit Cappella Juriſpatronatus, an titulo hujus venditionis Juſpatronatus tranſeat in Emptorem. 230. 2. & pag. 232. 10.
II. Juſpatronatus an tranſeat in Emptorem titulo venditionis omnium Bonorum, aut Jurium, quæ Patronus habet in tali Villa, aut Caſtro. 230. 2. & pag. 231. 8. & ſeq.
II. Vendito Caſtro cum omnibus ſuis Juribus, & pertinentiis Juſpatronatus eidem Caſtro annexum tranſit in Emptorem. 235. 19.
II. Si in venditione Univerſitatis fiat expreſſio Juriſpatronatus, an hoc tranſeat in Emptorem. 230. 3. & ſeq.
II. Juſpatronatus titulo venditionis Univerſitatis, cui ſit annexum tranſit etiam ſinè conſenſu ordinarii in Emptorem. 231. 5. Limita ibi 6.
II. Juſpatronatus tranſit ad renunciatarium, dummodò ſit hæreditarium, ſecus ſi ſit gentilitium. 236. 1.
II. Juſpatronatus hæreditarium tranſit ad Curatorem hæreditatis jacentis. 236. 2.
II. Juſpatronatus non tranſit in Creditorem cum Univerſitate pignorata. 239. 1.
II. Juspatronatus non tranſit ad ſequeſtrem, ſi ex officio Judicis ſequeſtretur, ſeu deponetur Univerſitas penès tertium, eo quia ſit gravata ære alieno, aut ex alia Cauſa. 240. 1.
II. Juſpatronatus non tranſit ad ſimplicem Depoſitarium Univerſitatis, cui eſt annexum. 241. 2.
II. Juſpatronatus non tranſit ad ſequeſtrem, ſi aliquis propria voluntate poſuit ſub ſequeſtro penes Tertium Univerſitatem, eo quia ſuper illa mota ſit ſibi lis. 241. 3.
II. Juſpatronatus tranſit ad ſequeſtrem, ſi contendentibus duobus poſſidere Univerſitatem, itaut ignoretur, quis eorum ſit Dominus, dicta Univerſitas ſequeſtretur. 241. 4.
II. Juſpatronatus competens Uxori Jure ſanguinis non tranſit ad maritum, ſecùs Juſpatronatus adhærens univerſitati Bonorum datæ in dotem 242. 6. Et quare? 243. 7.
II. Confiſcata Univerſitate Bonorum cui ſit annexum Juſpatronatus hæreditarium propter hæreſim Patroni, Juſpatronatus non tranſit ad Fiſcum, ſed Eccleſia evadit libera. 245. 7.
II. Juſpatronatus hæreditarium tranſit ad fiſcum, vel de per ſe, aut cum Univerſitate confiſcata à Judice Eccleſiaſtico propter delictum Patroni non immediatè commiſſum erga Eccleſiam. 244. 1. & 245. 6.
II. Vendita Univerſitate Bonorum, cui ſit annexum Juſpatronatus, hoc transfertur in Emptorem, ſeu ejus hæredem. 271. 12. & 272. 18.
II. Juſpatronatus non tranſit in legitimatarium cum legitima. 272. 16. & 273. 19.
II. Quando Juſpatronatus eſt annexum Caſtro non tranſit in Creditorem poſſidentem dictum Caſtrum Jure pignoris conventionalis, vel Jure Creditoris nullum transferentis dominium directum, neque utile, ſecùs ſi ſit translatum dominium, quia licèt revocabile ſit per luitionem, hoc non operatur, ut uſquequò dominium non revocetur, poſſeſſor non ſit verè Dominus, & præſentare non poſſit. 280. 41. & ſeq. & pag. 282. 45. 47. & 48.
II. Juſpatronatus tranſit in Emptorem Univerſitatis Bonorum cum pacto redimendi, in Creditorem deliberatarium durante anno Luitionis, in Uſufructuarium durante uſufructu, in Uxorem poſſidentem Bona Mariti pro ſatisfactione ſuæ dotis, & in Conductorem durante locatione. 282. 48.
II. Juspatronatus, seù Jus nominandi ad Cappellanias merè laicales, aut ad alia Legata Pia transferri, & donari poteſt abſque conſenſu Ordinarii. 305. 21.
VI. Juſpatronatus relictum, ſeu Legatum in Teſtamento ad hoc, ut tranſeat in Legatarium, an requiratur conſenſus ordinarii. 459. 1.
V. Ceſſa, ac renunciata à debitore tota hæreditate, cui ſit annexum Juſpatronatus favore Creditorum, an & quando in hoc translatum dicatur idem Juſpatronatus. 110. 24. & ſeq.
II. Juſpatronatus hæreditarium tranſit ad quemcumque, in quem Univerſa hæreditas devolvitur. 315. 25.
II. Translata Cura Animarum, cui ſit annexum Juſpatronatus, ad Regulares, an, & quandò non dicatur translatum ad eos, idem Juſpatronatus. 551. 29.
I. Juſpatronatus transfertur cum Univerſitate Bonorum abſque Beneplacito Apoſtolico. 150. 36.
Vide in Verb. *Confiſcatio*.

JUSPATRONATUS QUOAD EJUS DONATIONEM.

II. Juſpatronatus hæreditarium donari poteſt à Patrono. 218. 1.
II. Juſpatronatus mixtum donari non poteſt Extraneo. 295. 7.
II. Juſpatronatus non tranſit titulo donationis inter vivos factæ ab ultimo de familia, iſto adhuc vivente. 298. 10. Et quare? Vide 299. 11. Amplia ut ibi 12. & ſeq.
Vide in verb. ***Patronus quoad donationem Juriſpatronatus, Donatio, Confirmatio, Conſenſus, Donare, Vicarius.***

JUSPATRONATUS QUOAD EJUS DEROGATIONEM.

II. Juripatronatus quando derogetur in totum. 460. 8.
V. Juripatronatus Eccleſiaſtico abſque Patronorum conſenſu derogatur per ſimplicem collationem factam à Papa. 216. 42.
VI. In Permutationibus Beneficiorum Patronalium non derogatur à Papa Juripatronatus, etiam ſi hoc ſit mixtum. 328. 12.

VI. Juſpatronatus Laicorum non cenſetur derogatum, niſi de eo fiat ſpecialis mentio. 390. *in Comment.*
VI. Per clauſulas generales non cenſetur derogatum Juripatronatus Laicali. 391. 3.
Vide in verb. *Lis, Derogatio.*

JUSPATRONATUS QUAD EJUS PROBATIONEM.

I. Juſpatronatus ad effectum conſequendi alimenta dicitur ſufficienter probatum ex poſſeſſione Juris honorifici recipiendi candelam in die Purificationis. 22. 11.
III. Juriſpatronatus exiſtentia probatur ex proviſione facta ab Epiſcopo Jure devoluto ob Patroni negligentiam in præſentando 9. 32.
V. Juſpatronatus non probatur ex præſentationibus allatis in Cartulis informibus. 220. 5.
V. Sententia extracta à Copia informi, injuſta, & totaliter ineffectuata non probat Juſpatronatus. 220. 4.
II. Exiſtentia Juriſpatronatus probatur per ſententiam tranſactam in rem judicatam, & obſervantia roboratam. 404. 43.
V. Juſpatronatus probari debet ex authentico documento fundationis, vel dotationis, aut ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, aut aliàs ſecundum Juris diſpoſitionem. 207. *in Comment.*
V. Juſpatronatus competens perſonæ Potenti probari debet per Inſtrumentum fundationis, vel Conſtructionis, vel dotationis, eoque deficiente, per Immemorabilem una cum præſentationibus continuatis, & effectum ſortitis ſpatio quinquaginta annorum, & probatis per authenticas Scripturas. 207. *in comment.*
V. Juſpatronatus non probatur per narrativam Papæ conceptam per verba, *ut aſſeritur*. 210. 18.
V. Juſpatronatus in Perſona privata probari poteſt ordinaria Juris Communis probatione. 209. 5.
V. Juſpatronatus privatorum quot modis probari poſſit. 209. 6. uſque ad 24., & 213. uſque ad 39.
V. Juſpatronatus probari debet à perſona ſuſpecta de uſurpatione, vel per Inſtrumentum publicum fundationis, aut dotationis, vel per memorabilem una cum præſentationibus ſpatio quinquaginta annorum effectuatis, quandò agitur contra ordinarium, ſecus ſi lis ſit ſolum inter Perſonas hinc inde Potentes, aut inter eorum Præſentatos. 229. 2. & ſeq.
V. Juſpatronatus ad formam Concilii non probatur per enunciativas emiſſas in Edicto, aut in Inſtitutionibus ordinariorum, neque per Teſtes. 220. 6.
VI. Ubi agitur inter Perſonas Potentes Juſpatronatus probari debet ad formam Concilii. 449. 9. Limita. 450. 10. & ſeq.
V. Juſpatronatus potentium ex quibus probetur. 222. 16. uſque ad 19.
Vide in verb. *Forma.*

JUSPATRONATUS, QUOAD EJUS ANNEXIONEM.

I. Juſpatronatus, quandò eſt annexum fæudo, Patronus debet habere qualitatem Domini. 151. 41. & pag. 153. 45.
II. Juſpatronatus annexum Caſtro ſpectat ad Dominum Caſtri. 235. 19.
Vide in verb. *Annexio, Situatio.*

JUSPATRONATUS QUOAD EJUS REVISIONEM.

V. Juſpatronatus acquiſitum vel per viam acceſſionis, aut ex augumento dotis, aut ex reædificatione à quadraginta annis citrà à die acquiſitionis ad diem confirmationis Concilii revideri poteſt ab ordinario, qui illud revocare debet, ſi non repererit ob Eccleſiæ evidentem neceſſitatem legitimè conſtitutum. 207. *in comment.*
V. Juſpatronatus acquiſitum eſt redotatione, aut reædificatione à quadraginta annis citrà, recognoſci poteſt ab ordinario, ſi numquam fuerit recognitum, ſecùs ſi pluries fuerit reviſum, & approbatum. 225. 1., & 3.

JUSPATRONATUS QUOAD EJUS AMISSIONEM REVOCATIONEM, AUT EXTINCTIONEM.

I. Juſpatronatus ammittitur per Crimen læſæ Majeſtatis & per actum proditorium erga Patriam. 129. 17.
VI. Juſpatronatus ex mero Privilegio, aut ex redotatione, aut reædificatione acquiſitum revocatur, ſi augmentum fructuum dotis non excedat medietatem etſi Eccleſia reædificata non fuerit omninò diruta, & deſtructa. 246. *in comment.*
VI. Juſpatronatus ex ſimplici Privilegio acquiſitum, fuit revocatum à Concilio. 415. 2.
VI. Ex unione Eccleſiæ Patronalis facta in augmentum Præbendæ de conſenſu Patronorum, cenſetur amiſſum eorumdem Juſpatronatus. 453. 5.
Vide in verb. *Patronus in genere.*

JUSPATRONATUS PASSIVUM.

I. Juſpatronatus paſſivum competere poteſt alicui dupliciter ſcilicet per vocationem directam, & per vocationem mediatam. 3. 11.
II. In Jurepatronatus Gentilitio paſſivo lato modo ſumpto, Patronus habet liberam facultatem præſentandi quemcumque intrà genus Conſanguineorum. 52. 16.
II. Reſervato à Fundatore Jurepatronatus paſſivo pro illis de ejus familia, hoc diceretur reſtrictum, & coarctatum ad familiam effectivam. 69. 2.
II. Juſpatronatus paſſivum relictum à Fundatore pro eis *de familia ſua*, dicitur relictum, & coarctatum ad eos de familia effectiva. 71. 12. & ſeq.
II. A Jurepatronatus paſſivo, an inferatur ad activum. 83. 37.
II. Quod Juſpatronatus paſſivum non ſit adſtrictum ad illos de familia, ex quibus arguatur. 456. 55. uſque ad 58.
II. Juſpatronatus paſſivum pro certo genere perſonarum, quando adeſſe dicatur. 559. 7.
V. Reſervato Jurepatronatus paſſivo ad Canonicatum favore perſonæ idoneæ de Jure intelligitur reſervatum pro ſimplici Clerico. 191. 26.
Vide in verb. *Annexio, Forma.*

JUS PRÆSENTANDI.

I. Juspræſentandi, Advocationis, & Proceſſionis tranſit ad hæredes Extraneos Fundatoris. 22. 12.
I. Juspræſentandi, aut præcedendi eſt fructus Juriſpatronatus. 23. 15.
I. Jura præſentandi, & alimentorum ſunt fructùs Juriſpatronatus. 267. 10.

II. Jus

II. Jus præſentandi poteſt eſſe penès unum de familia, licèt Juſpatronatus ſit penes hæredes ejuſdem familiæ. 278. 36.
II. Jus præſentandi quandoque ſonat idem, ac Juſpatronatus. 329. 7.
VI. Habens Jus præſentandi ad Dignitates Epiſcopales, & Abbatiales, ac ad alia Beneficia Conciſtorialia debet præſentare Perſonas idoneas. 343. *in Comment.*
I. Jus præſentandi per donationem non transfertur privativè ſed cumulativè cum donante. 158. 2.

JUS SEDENDI.

I. Jus ſedendi quoad ejus commoditatem dividi poteſt inter plures Patronos. 6. 4.
I. Jus ſedendi dividi debet inter Patronos alternis vicibus, ſi ſcamnum ſit adeò anguſtum, ut omnes non capiat. 6. 4.

JUS SEPULTURÆ.

I. Jus ſepulturæ eſt omninò diverſum à Jurepatronatus. 9. 2. & pag. 95. 5.
I. Jus ſepulturæ quid ſit? 9. 3.
I. Jus ſepulchri non tranſit ad hæredes Extraneos. 9. 4.
II. Jus ſepulturæ cedi, & vendi poteſt abſque Simonia. 211. 1. Intellige. 212. 8.

JUS SEPELIENDI.

I. Jus ſepeliendi Cadavera Parochianorum decedentium abſque electione ſepulturæ, & abſque ſepulchro majorum ſpectat ad Eccleſiam Parochialem. 10. 9.
I. Jus ſepeliendi proprios Parochianos eſt Jus Parochiale. 10. 11.

L

LAICUS.

I. Laici ſunt capaces acquirendi ſcamna, & Sedilia in Eccleſiis. 90. 8.
I. Laicus poteſt nominari, immò etiam præſentari ſub conditione Clericatus, non autem abſolutè ad Beneficium Eccleſiaſticum. 202. 1. & pag. 211. 28., & pag. 207. 16.
I. Laicus eſt incapax poſſidendi rem totaliter ſpiritualem. 291. 4.
II. Laici ſunt capaces officii Cuſtodis, & Sacriſtæ. 223. 3.
II. Laicus ſi præſentetur à Patrono, præſentatio eſt nulla. 312. 16.
II. Laici, immò etiam mulieres ex conceſſione Papæ, & vigore Privilegii Apoſtolici poſſunt eſſe capaces Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. 337. 21.
II. Laicus neque ſubſidiariè cognoſcere poteſt Cauſam Juriſpatronatus. 375. 8. Amplia ut *ibi* 10.
II. Laicus ex eo, quod ſit capax poſſidendi Juſpatronatus inferri non poteſt, quod ſit capax etiam de illo cognoſcendi. 375. 11.
II. Laici in obſequiis voluntariis redundantibus in honorem Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum ſunt omni dulcedine invitandi. 578. 6.
II. Laici in aſſociatione Epiſcopi ſivè ſint magiſtratus, ſive alii viri nobiles præire debent immediatè antè Epiſcopum. 577. 2.
II. Laici fundando, conſtruendo, ac dotando Eccleſias de Jure antiquo, nullum Jus acquirebant in illis. 111. *in Comment.*
II. Laicus eſt incapax Juris ſpiritualis. 140. 10. & pag. 145. 14.
II. Laicus poteſt præſcribere merè temporalia. 141. 23.
II. Laicus licèt non poſſit præſcribere Jus decimandi, poteſt tamen præſcribere ipſas Decimas. 141. 23.
VI. Laicis permiſſum non eſt Eccleſiæ, aut alterius Loci Pii leges Apoſtolica, vel ordinaria auctoritate confirmatas intervertere. 445. 14.

LARGITIO.

I. Largitiones concernentes factum in poſterum adimplendum cenſentur modales. 284. 23.

LEGATARIUS.

VI. Legatarius Juriſpatronatus, licet dominium acquirere non poſſit abſque aſſenſu ordinarii, poteſt tamen Jus petendi aſſenſum, & cogendi hæredem ad præſtandum Legatum Juriſpatronatus tranſmittere ad hæredes. 461. 9.
VI. Legatarium Juriſpatronatus habuiſſe ſcientiam hujus Legati, ex quibus præſumatur. 460. 5.
VI. An præſentatio ſpectet ad Legatarium, vel potiùs ad hæredem, vacante Eccleſia Patronali, antè quam Legatum Juriſpatronatus fuerit approbatum ab Epiſcopo. 459. 2. & 463. 16.

LEGATUM.

I. Legatum directum in Perſonas hæredum cenſetur ordinatum in gratiam ipſorum. 264. 5.
I. Legatum factum uni Eccleſiæ Cauſa ſepulturæ, ſi ſepultura eligatur in alia Eccleſia, videtur ademptum à priori Eccleſia. 279. 6.
VI. Ad effectum tranſmiſſionis Legati Juriſpatronatus ad hæredes Legatarii non requiritur dominii acquiſitio, ſed ſufficit, quod dies Legati ceſſerit. 461. 9.
VI. Tranſmiſſio Legati Juriſpatronatus ad hæredes. tunc ſolùm impeditur, quando Legatarius præmoritur Teſtatori, aut Legatum eſt conditionale, & conditio vivente Legatario non adimpletur. 462. 10.
VI. Legatum conditionale non adimpleta conditione per negligentiam Legatarii evadit caducum, & non tranſmiſſibile. 462. 11.
VI. Quæ ſit differentia inter Legatum, & donationem. 463. 17.
II. Legatum Juriſpatronatus factum favore Compatroni abſque auctoritate ordinarii ſuſtinetur, 184. 16.
II. Legatum relictum à Teſtatore pro Familia Juſtiniana Januæ comprehendit non ſolùm Juſtinianos Januæ degentes, ſed omnes à familia Juſtiniana Januæ deſcendentes. 189. 8.
II. Legatum concipi poteſt taxativè, vel demonſtrativè, & quandò dicatur taxativè, aut demonſtrativè conceptum. 565. 1.
II. Legatum quandò dicatur ſtare taxativè. 573. 3.
II. Pauperiores in diſtributione Legati facti Pauperibus ſunt præferendi minùs Pauperibus. 190. 10.
V. Legatum dotium non tenetur contribuere ſeminario. 122. 14.
V. Legatum Pium relictum cum verbis perpetuitatem denotantibus, an reſtringatur ad centum annos. 134. 2.
II. Le-

II. Legatum factum Eccleſiæ Cathedrali extenditur ad Epiſcopum. 96. 5.
II. Legatum pro Miſſis dicendis in dubio cenſetur relictum intuitu Eccleſiæ. 144. 3.
II. Legatum Miſſarum factum intuitu Eccleſiæ eſt adimplendum per Rectorem Eccleſiæ. 144. 3.
II. In Legatis Juriſpatronatus conditionalibus attenditur tempus purificatæ conditionis, & de eo tempore tantùm fit translatio Juriſpatronatus. 184. 16.
VI. Legatum Miſſarum, quando eſt demonſtrativè conceptum diminutis redditibus non eſt locus reductioni, ſed ſupplemento. 397. 1. & 4. Limita, ut *ibi* 3.
VI. Legatum, quandò dicatur demonſtrativè conceptum. 397. 2.
VI. Obligatio petendi conſenſum ordinarii non reddit Legatum Juriſpatronatus conditionale. 462. 12. & Quare vide *ibi*.
VI. Legatum Juriſpatronatus dicitur implicitè approbatum ſi Epiſcopus committat Vicario, quod præſentato per Legatarium inſtitutionem concedat. 465. 22.
VI. Legatum Juriſpatronatus dicitur tacitè confirmatum ſi ordinarius qualitercumque in actibus proportionatis agnoſcat Legatarium in verum Patronum. 464. 20.
VI. Legatum Juriſpatronatus abſque conſenſu, & confirmatione Epiſcopi an ſit inutile, & inefficax. 460. 4. & pag. 461. 8.
VI. Legatum Juriſpatronatus quamvis penitùs ignoratum à Legatario, tranſmittitur tamen ad hujus hæredes. 460. 6.
VI. De ratione differentiæ, cur hæreditas purè delata non tranſmittatur, niſi fuerit agnita, ſecùs verò Legatum, vel Fideicommiſſum, quod non agnitum, nec verbo reſtitutum ad hæredes tranſmittitur. 461. 7.
VI. Legatum Juriſpatronatus abſque conſenſu Epiſcopi eſt quidem inefficax ad transferendum dominium, ſed non eſt omninò inutile, tanquam ſi Teſtator nihil egiſſet, aut ejuſmodi Legato lex reſiſteret. 461. 8.
Vide in verb. *Eccleſia*, *Commutare*, *Commutatio*, *Hæres*, *Confirmatio*, *Fundatio*.

LEGATUS.

II. Legatus à Latere poteſt ſibi reſervare, & liberè conferre Beneficia de Jurepatronatus Eccleſiaſtico invito & irrequiſito Patrono, ſecùs Beneficia de Jurepatronatus Laicali. 602. *in Comment.* Et quare vide *ibi* 4.
II. Legatus undè dicatur. 602. 1.
II. Enumerantur tria genera Legatorum Sedis Apoſtolicæ. 602. 2.
II. Quæ ſit differentia inter Legatum à Latere, & alios Legatos. 602. 3.
II. Legati Miſſi, vel nati nullam habent Jure Legationis facultatem conferendi Beneficia. 602. 3.
II. Legatus à Latere gerit vices Romani Pontificis in Provinciis ſibi deſignatis. 602. 4.
II. Legatus à Latere hodie non poteſt ſibi reſervare, & liberè conferre Beneficia vacatura de Jurepatronatus Eccleſiaſtico pro certa perſona, ſecùs in genere. 602. 1.
II. Nec poteſt ſibi reſervare, & liberè conferre Beneficia Juriſpatronatus Laicorum. 603. 2. Limita ut *ibi*.
II. Nec Beneficia Juriſpatronatus mixti. 603. 3.

LEGITIMA, LEGITIMATARIUS.

II. Legitima eſt quota Bonorum hæreditatis. pag. 9. 10.
II. Aſſignare Congruam Cappellano debitam an pro parte ſpectare poſſit ad hæredem univerſalem, ad quem tranſivit Juſpatronatus cum hæreditate, & pro parte ad Legitimatarium. 272. 17. & 274. 26.

LEVITAS.

II. Non omnis levitas animi, ſeu mentis eſt ſufficiens reddendi Patronum inhabilem ad præſentandum. 206. 44.

LEX.

I. Lex humana nequit prohibere, & impedire liberam executionem eorum, quæ tendunt in Cultum Dei, & ſalutem Animæ. 41. 2.
I. Lex fundationis eſt omnino ſervanda. 238. 7.
I. Priores leges ad poſteriores trahuntur. 215. 3.
II. Quæ ſint de Lege Diœceſana, & quæ de Lege Juriſdictionali Epiſcopi. 247. 6. & ſeq.
II. Lex Civilis, an locum habeat, ſeu an obſervari debeat in rebus Eccleſiaſticis, ſpiritualibus, vel ſpiritualitati annexis. 323. 2. 324. 6.
II. Lex *ſi umquam Cod. de revocand. donat.* comprehendit donationes earum rerum, quæ continent notabilem æſtimationem. 323. 3.
II. Eadem Lex tota fundatur in præſumptione. 323. 3.
II. Lex *ſi umquam* habet locum in donatione Juriſpatronatus. 324. 5. Limita ut *ibi* 10. uſque ad 14.
II. Lex *ſi umquam* habet locum etiam in donatione earum rerum, quæ ſunt æſtimabiles quoad decorem, & præeminentiam. 324. 8.
II. Nemo cenſetur ſibi legem indicere. & Ligamen inferre. 357. 3. & 360. 15.
II. Lex fundationis requirens qualitatem originis in providendo de Beneficio, an, & quando non afficiat ipſummet fundatorem. 431. 13.
II. Lex Eccleſiaſtica, an, & quando etiam non recepta ſuum robur habeat, & efficaciam. 437. 23. & ſeq.
II. Per centenariam obſervantiam lex fundationis cenſeri poteſt immutata, & contraria qualitas Juriſpatronatus induci. 465. 24.
II. Lex pœnalis ſi utatur verbis tantum comminatoriis non continet ſententiam latam, ſed ferendam. 491. 37.
II. Lex qualis debeat eſſe ad inducendam pœnam privationis Beneficii, aut penſionis ipſo Jure incurrendam. 491. 37.
II. Non adeſt ulla Lex, Canon, aut Conſtitutio Apoſtolica, quæ inducat ipſo Jure, & ipſo facto amiſſionem penſionis, aut Beneficii propter ſimplicem aſſumptionem militiæ. 492. 38.
II. In caſibus diverſis attendi non debent Leges, deciſiones, & reſolutiones in litera, ſeu ſimpliciter. 597. 14.
III. Lex in omni diſpoſitione fraudem abominatur. 22. 1.
IV. Virtus legis eſt dare normam futuris, non autem præteritis negociis. 38. 1.
IV. Lex emanans pro declaratione Juris dubii non ſolum reſpicit futura, ſed etiam præterita. 38. 2.
V. Noſtrum non eſt legem, vel Canonem ultra Caſum ſuum extendere. 75. 1.
II. Lex fundationis, & non diſpoſitio teſtamentaria attendenda eſt ad effectum agnoſcendi qualitatem Juriſpatronatus 42. 10. & ſeq.
II. Lex præſentandi talis cenſetur, qualem demonſtrat ſubſecuta obſervantia. 119. 15.
II. Lex pœnalis an, & quando dicatur continere pœnam

nam latæ ſententiæ, vel potiùs ferendæ. 150. 3.
II. Lex fundationis ſi præcipiat Patrono præſentare, & ſimul variare non poteſt idem Patronus renunciare facultatem variandi. 169. 14.
VI. Lex generalis non corrigit præcedentem habentem ſpecialem rationem. 306. 13.
VI. Lex ubi generaliter loquitur, & non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. 307. 14.
VI. Lex fundationis, ac conſuetudo Jus poſitivum vincere poſſunt. 439. 4.
Vide in verb. *Conſtitutio*.

L I B E R.

V. Libris in diverſis Archiviis conſervatis, & de pertinentia Patronali teſtimonium perhibentibus eſt plena fides præſtanda. 214. 36.

L I B E R T A S.

II. Omnis Juris præſumptio ſtat pro libertate Beneficii. 384. 3.
II. Libertas Beneficii, ex quibus probetur. 385. 7., & ſeq. & 386. 11.
II. Libertas Electionis an, & quando reſtringi poſſit. 179. 16.

L I B E R T U S.

I. Libertus non poteſt vocare in Jus Patronum ſinè venia. pag. 7. n. 10.
I. Libertus tenetur præſtare Patrono congrua alimenta. 26. 6.

L I C E N T I A.

VI. Licentiæ petitio ſupponit præcedentem prohibitionem, & impedimentum. 428. 14.

L I N E A.

II. Reſervato Jurepatronatus à fundatore pro deſcēdentibus à ſua linea, nomine *Lineæ* intelligi debet de linea directa, non de inflexa. 69. 2.
II. In Jure æquiparatur; lineam eſſe Extinctam, ac in ea non adeſſe Capacem. 72. 14.
II. Qui habet prærogativam Lineæ in Jurepatronatus, primogeniali ſemper antecellit quēlibet aliū tranſverſalē exiſtentē in linea Secundo, & Tertio geniti. 76. 11.
II. Linea recta maſculina ſolùm efformatur per maſculos ex maſculis. 89. 18.

L I S.

I. Lis ſuper Beneficio an præbeat Parocho juſtam Cauſam non reſidendi. 117. 18.
I. Non poteſt quis redarguere de Calumnia litem illam, quam ipſe tanquam verè, & legitimè introductam Pontifici expreſſit. 136. 14.
I. Lite pendente inter Preſentatos, ſi unus ceſſit, aut deceſſit, non poteſt Patronus alium præſentare. 135. 10. & pag. 138. 21.
I. Lis calumnioſa, ex quibus excludatur. 135. 11. 12., & pag. 139. 22.
I. Lite pendente inter præſentatos non eſt locus devolutioni, ſecus ſi lis ſit tantùm inter Patronos. 165. 15.
II. Lite pendente inter Patronos ſuper poſſeſſione, ſi Judices certi non ſint de quaſi poſſeſſione alterutrius videri ſolet de bono Jure, & de ſubſtantia meritorum. 397. 24.
II. Lite pendente ſuper poſſeſſione Juris præſentandi, ſi Patronus præſentet, non eſt concedenda præſentato Inſtitutio, non expectato Exitu litis. 412. 9.
II. Lite pendente ſuper proprietate exiſtens in poſſeſſione præſentandi poteſt præſentare non obſtante Judicis inhibitione. 463. 17.
II. Lite pendente inter Epiſcopum, & Patronum ſuper Jurepatronatus, non poteſt Epiſcopus liberè ordinare Eccleſiam elapſo quadrimeſtri, aut ſemeſtri, ſi clarè non conſtet, Eccleſiam eſſe liberam, ſecùs ſi clarè conſtet de libertate, aut Epiſcopus ſit in poſſeſſione liberè conferendi Beneficium. 383. 2. & 388. 19., & quare vide *ibi*.
II. Lis dicitur pendere, donec ejus deciſio habeatur à re judicata. 387. 13.
II. Lite pendente ſolùm ſuper pertinentia Juriſpatronatus, an pro ea determinanda ſit conſiderabilis quaſi poſſeſſio, & ultimus ſtatus. 402. 39.
II. Lite pendente ſuper pertinentia Juriſpatronatus concedi ſolet uni præſentato inſtitutio, alteri verò præſentanti Canonizatio proprietatis. 402. 40.
II. Lite pendente antè vacationem Beneficii inter Patronos, ſuper pertinentia Juriſpatronatus Papa derogare ſolet Juripatronatus in totum. 411. 4. & 413. 15. Et quare vide *ibi* Amplia. 411. 15.
II. Lite pendente inter Patronos ſuper Poſſeſſorio Juris præſentandi, Papa derogare ſolet Juripatronatus in totum. 411. 8.
II. Lite pendente ſuper Poſſeſſorio nequit Patronus præſentare, aut ſi præſentat ejus præſentato non acquiritur Jus certum, neque eſt danda inſtitutio lite non finita. 412. 9. & 415. 21.
II. Lite pendente inter præſentatos ſuper titulo Beneficii, ſi unus ex illis cedat, vel decedat, Papa conferre ſolet Beneficium ſuperſtiti illum ſubrogando in Juribus defuncti. 412. 10.
II. Lite pendente ſuper proprietate Juriſpatronatus Poſſeſſor eſt manutenendus in poſſeſſione præſentandi. 394. 14. Amplia ut ibi 15.
II. Orta lite inter Patronos ſuper Jurepatronatus, ſi hæc non fuerit definita intrà quatuor menſes, collatio Eccleſiæ Patronatæ liberè devolvitur ad Epiſcopum. 111. *in Comment.*
II. Litis motio non debet alicui Jus ſuum auferre, & poſſeſſionis commodo privare. 161. 1.
II. Lis ad hoc ut ſit ſufficiens impedire Patronis Laicis facultatem variandi requiritur, quod non ſit calumnioſa. 164. 12.
VI. Lis, ſi fuerit introducta poſt Annalem poſſeſſionem, an impediat Curſum Triennalis Poſſeſſionis. 389. 6.
Vide in verb. *Acquieſcentia*, *Pendentia Litis*.

L I T E R Æ.

I. Literæ Apoſtolicæ Reſignationis in omnibus juſtificatæ, ſunt exequendæ. 225. 5.
II. Literæ derogatoriæ medietatis vocum in omnibus juſtificatæ, ſunt exequendæ. 19. 26.
II. Literæ Apoſtolicæ pro præſentato, in quibus enunciatur Juſpatronatus eſſe Laicorum de Domo, aut familia de Talibus probant Juſpatronatus eſſe Gentilitium 14. 16. 17. Amplia. 18.
II. Literæ Apoſtolicæ in omnibus juſtificatæ ſunt exequendæ. 37. 56. 203. 35. & pag. 249. 6. 403. 42. VI. pag. 238. 4. & pag. 273. 13., & pag. 278. 33. & pag. 376. 25. & 391. 5. & III. 9. 31. & V. 158. 69.

II. Literæ Apoſtolicæ non juſtificatæ non merentur Executionem. 284. 3. & VI. 391. 1. & 254. 13. & 374. 20.

II. Executio literarum Apoſtolicarum non eſt retardanda, niſi concurrant exceptiones undique convincentes ac inficientes illarum ſubſtantiam. 547. 21.

VI. Literæ Apoſtolicæ ſi ſint ſubreptitiæ, non ſunt exequendæ. 273. 14. & pag. 281. 41. & 314. 1.

II. Literæ Coadjutoriæ, vel reſignationis cum conſenſu prætenſi Patroni effectuatæ non citatis Ordinario, & Promotore Fiſcali de libertate Beneficii contendentibus, non præjudicant eidem libertati. 387. 14., & ſeq.

II. Literæ Apoſtolicæ cum derogatione Juriſpatronatus in totum attenta lite non ſunt exequendæ, quando adeſt præſentatus ab exiſtente in poſſeſſione præſentandi. 391. 6.

II. Literæ Apoſtolicæ derogationis Juriſpatronatus in totum attenta lite ſunt exequendæ verificata pendentia Litis antè vacationem. 413. 12.

LITERÆ DIMISSORIALES.

Vide in verb. *Ordinare*, *Ordinatus*.

LITERÆ TESTIMONIALES

VI. Ad licitam Ordinationem requiruntur Literæ Teſtimoniales Ordinariorum eorum Locorum in quibus Ordinandus moram traxit. 356. 5.
Vide in verb. *Ordinatus*. *Ordinare*.

LOCA MONTIUM.

II. Loca montium veniunt ſub nomine ſtabilium, & annui redditus. 515. 1.

II. Bona ſtabilia, de quibus fit mentio in teſtamento, ſi non habeat annexum onus Miſſarum, nec Loca Montium, quæ veniunt ſub nomine ſtabilium, habebunt annexum hujuſmodi onus. 515. 1.

LOCUS PIUS.

Vide in verb. *Eccleſia*.

LOCARE.

V. Utilius eſt Eccleſiæ locare Bona, & fructus Patrono, quam cuilibet alteri perſonæ. 101. 4.

V. Licitum non eſt locare Juſpatronatus, ſeu facultatem nominandi, & deputandi Vicarios, & Beneficiatos. 226. *in Comment*.

LOCATIO.

II. Ex contractu Locationis ad longum tempus Univerſitatis transfertur dominium utile, & poſſeſſio Univerſitatis locatæ. 229. 1.

II. Per Locationem ad modicum tempus non transfertur dominium, nec poſſeſſio, ſed ſimplex detentatio rei locatæ. 229. 3.
Vide in verb. *Juſpatronatus*.

M

MAGISTER.

V. Magiſtri miſſi à Congregatione Somaſchenſi ad ſervitium Seminarii pro grammatica, Rhetorica, & Caſibus Conſcientiæ, an debeant examinari, & approbari ab Epiſcopo. 118. 4.

V. An hoc ipſum tempore Sedis Vacantis ſpectet ad Capitulum. 118. 4.

MAGISTRATUS.

Vide in verb. *Aſſociare*, *Aſſociatio*.

MAJOR PARS.

II. Habens majorem partem vocum dicitur habere pinguius Jus ad effectum prælationis in Beneficio. 112. *in Comment*.

II. Major pars ſuffocat, & abſorbet minorem 112. *in Comment*. & pag. 129. 9. & pag. 131. 18. & pag. 206. 43. Intellige *ibi* 19. & pag. 184. 15.

II. Major pars Patronorum deſumitur reſpectu ſingularium partium, ſi Juſpatronatus competat pluribus uti ſingulis, ſi verò competat pluribus uti Univerſis major pars deſumitur reſpectu omnium. 113. 1., & ſeq.

II. Major pars Patronorum deſumitur reſpectu vocum, & non reſpectu Perſonarum. 113. 3.

II. Major pars deſumitur reſpectu omnium de Univerſitate Vocatorum, & intervenientium, non verò vocatorum, & non intervenientium. 113. 4.

II. Major pars Patronorum præſentans ſcienter abſolutè non idoneum, aut indignum an, & quandò Juſpræſentandi devolvatur ad minorem partem, vel devolvatur ad Epiſcopum Jus liberè conferendi. 114. 1. & ſeq. & pag. 117. 10.

II. Major pars Patronorum præſentans ſcienter non idoneum, an, & quandò dicatur contemnere legem fundationis, & abuti Jurepatronatus. 115. 5. & pag. 117. 12. & pag. 119. 16.

II. Major pars Patronorum præſentans ſcienter abſolutè non idoneum, non privatur ſtatìm pro ea Vice Jurepræſentandi, ſed durante termino poteſt alium præſentare, & iſte eſt ab Epiſcopo inſtituendus. 115. 6. Et quare? pag. 116. 7. & pag. 119. 17.

II. Competente Jurepatronatus pluribus uti ſingulis, ſi major pars eorum non præſentet, aut nulliter præſentet totum Jus præſentandi devolvitur ad minorem partem Patronorum. 114. 1.

II. Major pars illa cenſetur, quæ eſt juſtior, & majori nititur ratione. 121. 5.

II. Ad effectum, ut quis dicatur præſentatus à majori parte, ſufficit, quod ſuperet etiam unico ſuffragio. 121. 6. & pag. 124. 19.

II. Major pars Patronorum differre poteſt præſentationem uſque ad finem termini. 134. 7.

II. Major, & ſanior pars eligentium coaleſcit non ſolum ex numero, ſed etiam ex meritis electorum, & dignitate eligentium. 195. 8.

MALUM.

I. Malorum omnium reputatur extremum, indè detrimentum ſuſcipere, undè Auxilium. 119. 1.

MANDATUM.

I. Mandatum ad præſentandum non dicitur præſentatio, ſed ſimplex deſtinatio perſonæ præſentandæ. 133. 2. & 4.
II. Mandatum ſpeciale confirmandi donationes Juriſpatronatus in Vicario generali, ex quibus præſumatur. 304. 17.
II. Pro debito Capituli mandatum exequi debet contrà Bona ipſius Capituli, non verò contrà unum ex Canonicis. 539. 25.

MANSIONARIUS.

VI. Erectis in Eccleſia Cathedrali nonnullis manſionariis à fundatore ad formam aliarum manſionariarum priùs erectarum ab alio Fundatore; Manſionarii ſecundæ erectionis tenentur ad omnia onera, ad quæ tenentur Manſionarii primæ Erectionis, & participare debent de omnibus emolumentis prout participant primi Manſionarii, & quæ ſint hujuſmodi onera. 411. 1.

MANUALITAS.

II. Vis manualitatis diverſimodè conſtituitur in Beneficio Regulari, & in Beneficio ſæculari, & in quo conſiſtat hujuſmodi diverſitas. 333. 2.
II. Manualitas, ſeu amovibilitas Cappellaniæ ſi ſit deperditum Inſtrumentum fundationis, ex quibus probari poſſit. 334. 4. uſque ad 7.

MANUTENTIO.

II. Manutentio eſt Pediſſequa boni Juris. 110. 30.
II. Prò manutentione obtinenda ſufficit ſola poſſeſſio abſque alia tituli productione. 476. 1.
II. Filio competit manutentio in Jure præſentandi ex quaſi poſſeſſione Patris. 461. 10.
Vide in verb. *Poſſeſſio*.

MATERIA.

II. A materia fideicommiſſaria rectè arguitur ad illam Juriſpatronatus. 38. 59.

MATRICITAS.

I. Ad colorandum poſſeſſorium reſpectu Jurium præeminentialium ſufficit probatio matricitatis impropriæ. 71. 52.
